





[illegible] 5

Sheet 63, Pages 981 to 996 damaged.

M. TULLII CICERONIS
VERRINARUM
LIBRI SEPTEM.



AD FIDEM

CODICUM MANU SCRIPTORUM

RECENSUIT ET EXPLICAVIT

CAR. TIMOTH. ZUMPTIUS.

BEROLINI

SUMPTIBUS FERD. DÜMMLERI.

1 8 3 1.

VIRO EXCELLENTISSIMO

CAROLO SIGISMUNDO FRANCISCO

LIBERO BARONI DE ALTENSTEIN

NOBILISSIMI ET SPLENDIDISSIMI ORDINIS DE AQUILA NIGRA
EQUITI CET.

RERUM ECCLESIASTICARUM SCHOLASTICARUM ET
MEDICINALIUM

PER FINES REGNI BORUSSICI

SUMMO PRAEFECTO

S. P. D.

CAR. TIMOTH. ZUMPTIUS.


BRITISH MUSEUM

Si civis non essem huius regni, in quo Tu, nobilissime Vir, summis muneribus et gestis et gerendis excellentissimum locum obtines, tamen una et consentiens vox hominum doctorum admonere me deberet, ut, si quem huic libro patronum quaererem, Te potissimum eligerem, ad quem deferrem. Dudum enim hoc sibi exteri quoque persuaserunt, cum de florente litterarum in hoc regno statu comperiunt, magnam eius rei partem (ne quid amplius dicam) cum iis viris, qui proxime ante Te publicae institutioni praefuerunt, tum praecipue Tibi deberi, qui eam per tria fere lustra moderaris, atque utinam, quam diutissime vitae humanae rationes patiuntur, moderere.

Nunc vero cum ex propinquo mihi praeclaram animi Tui voluntatem admirari liceat, qui acerbissimis, quae cogitari possunt, vitae domesticae vulneribus afflictus, rei publicae servire, in ea gerenda solatium quaerere, communi saluti, non Tuae, prospicere pergas; cumque Tuam erga homines litteris augendis propagandisque deditos summam benivolen-

tiam non ex aliena commemoratione, sed expertus ipse cognorim: cui iustius quam Tibi deferam, si quid habeo, in quo excolendo operam Te Tuaque persona non indignam posuerim? Atqui ipse iudicasti, hisce litteris maximam institutionis scholasticae partem inniti, neque Te praeterit, nullum esse Ciceronis opus, ex quo tot tamque variae res ad omnem antiquitatem pertinentes disci possint, quo tam illustria exempla rei publicae bene maleve gestae, omni orationis splendore ac iucunditate coniunctae, contineantur. Quodcum sperare mihi videar me non fecisse quod ab illustrissimo loco Tuo abhorreat, tum oro obtestorque Te, ut hanc testificationem gratiae et a me et a communibus litteris Tibi debitae ea, qua soles, humanitate accipias. Vale.

Berol. a. d. VIII Cal. Iun. 1831.

PROOEMIUM.

En tibi, lector erudite, Ciceronis Verrinarum corpus, cura et diligentia nostra emendatum et explicatum. Ratio fert, ut, quibus in ea re subsidiis usi simus, et quid efficere voluerimus, hoc loco indicemus. Sed quoniam neque licuit mihi neque libuit sic veterem scriptorem tractare, quasi primum eum e libris manu scriptis ederem, magnaque pars curae meae in examinandis priorum editorum emendationibus et coniecturis ponenda fuit: necesse est, antequam de recenti nostra opera dicamus, de illis breviter exponamus, quid cuique propositum fuerit, quibus subsidiis usus sit, quam fidem mereatur. Sic enim in tractatione singulorum locorum habebis, quo animum intendas, et quasi tabula tibi aperietur, quemadmodum hi libri per trecentos amplius annos habiti tractatique sint. Neque in ea re a Verrinis discedam aut inania nomina editorum editionumque congeram, quae abunde in aliis libris invenies; sed per summa capita progrediar ad eum finem, ut, quid nostrae operae relictum fuerit, intelligas.

Constat principem editionem Verrinarum esse Romanam anni 1471, ex eaque reliquas fluxisse, Venetam a. 1483, qua Garatonius usus est, Ascensianam a. 1511, Iuntinam Florentinam a. 1515 (chartis octonis), quas ipse perlustravi. Earum et inter se magna similitudo est, et cum vulgari secta plurimorum codicum manu scriptorum, quorum ex uno ductam esse Romanam apparet. Gloriatur quidem Philippus Iunta typographus in praefatione ad Thomam Pighinuccium de Petra sancta, brevium apostolicorum scriptorem Verrinas, *in quibus Cicero adeo sui dissimilis fuerit, ut, si revixerit, se ipsum agniturus non fuerit*, a Nicolao *Angelio* Buccinensi *collatis in unum plurimis antiquissimisque exemplaribus* maxima cura diligentiaque recensi-

tas, plurimaque in iis vulnera sanata esse: sed prudenter addit, si qua tamen desint, id exemplarium mendis contigisse. Nam Angelius, si codices mss. adhibuit, certe hi sunt ex eodem genere vulgarium, neque praeter leves quasdam correctiones inveni magnopere, in quo a prioribus discederet. Has igitur editiones, quas in commentario *vetustissimas* aut *principes* appellare soleo, in universum correctos codices vulgares existimare potes, et crisis verborum, si alii codices non essent, in his consistere deberet, essetque maximam partem coniecturalis.

Sed alium superesse fontem emendationis primum demonstratum est in editione *Aldina* Veneta a. 1519, quam curavit Andreas *Naugerius*, patricius Venetus. Hunc Ernestius in praefatione ad Ciceronis orationes scribit multa in textu correxisse partim ex Iuntina aliisque editionibus, partim etiam ex coniectura: quibus verbis si indicare voluit codicibus mss. illum non esse usum, magnopere erravit. Immo Naugerius in Verrinis, quamvis coniecturis, ubi opus videretur, non abstineret, tamen multo magis hoc egit, ut textum vulgarem secundum codicem aliquem diversae cuiusdam familiae corrigeret: Iuntino vero exemplari tamquam emendatissimo e vulgatis ad eam rem usus videtur esse, quod correctum typographis describendum daret. Atque miror eam laudem, quam Naugerius ab aequalibus suis invenit, ab Ernestio ei quodammodo esse negatam. Nam cum modestissime sese in illo emendandi negotio gessisset, nec fere nisi manifesta vulgarium librorum vitia sustulisset, nova lectio Aldina, in quibus quidem locis a Iuntina discrepabat, statim communis omnium facta est, et cum ceteris ab eodem Ernestio servata: neque nobis Naugerius ob ea reprehendi posse videtur, quae correxit, sed quae reliquit. Basileensis primae a. 1528 sive *Cratandrinae* editionis exiguae partes sunt in Verrinis: sequitur Aldinam praeter paucos locos, in quibus corrector Michael Bentinus coniecturam temptavit.

Sed anno 1534 duae simul editiones prodierunt, in quibus textus Verrinarum eadem ratione, qua in Aldina coeptum est, ex codicibus mss. a vulgari genere diversis emen-

datus est, Basileensis altera sive *Hervagiana* et Iuntina (Lucae Antonii) Veneta, quae *Victoriana* appellari solet propterea quod Victorii diligentia cum in reliquis partibus, tum praeclarissime in tertio tomo, qui epistolas continet, versata est. Sed in orationibus nullas eius partes fuisse demonstravit Garatonius in praefatione Tomi I repetitae editionis Graevianae. Etenim praedicatur in titulo Naugerii opera his verbis: *secundus tomus M. Tullii Ciceronis orationes habet ab Andrea Naugerio, patritio Veneto, summo labore ac industria in Hispaniensi Gallicaque legatione excussis permultis bibliothecis, et emendatiores multo factas, et in suam integritatem ad exemplar codicum antiquorum longe copiosius restitutas:* et repetuntur statim coniunctim tres epistolae, quibus olim Naugerius singulos tomos Aldinae Leoni X, pontifici maximo, et Petro Bembo et Iacobo Sadoleto dedicarat. Itaque cum Mario Nizolio, quem Garatonius in praefat. p. XVIII laudat, existimandum videtur, Iuntam exemplar Naugerianum manu huius denuo correctum nactum esse et ad suam editionem adhibuisse. Sed appelletur haec sane, ut ab Aldina Naugeriana discernatur, Victoriana, *) quandoquidem etiam hoc ignoramus, num cuius praeterea opera in recensendo textu versata sit. Nam Naugerius quidem iam anno 1529 ineunte in Gallia legatus ad Franciscum I missus diem supremum obierat. Hoc vero falsum est, quod Ernestius in praef. ad Orationes tradit, non multum ea editione novi adiumenti critici contineri. Immo quam viam Naugerius in Aldina feliciter ingressus erat, ut vulgarem lectionem secundum codicem aliquem alterius familiae emendaret, quamque reliqui omnes tenuerunt, qui in his libris operae pretium fecerunt, eandem in Verrinis, quisquis illi editioni praefuit, persecutus est, praecipue in primis et extremis duabus orationibus. Sed nescio tamen an haec laus *Hervagianae* potius debeatur, et Iuntinus corrector, receptis aliquot, quibus gloriaretur, Naugerii emendationibus, cete-

*) Editor quidem sive corrector minus recte appellabitur *Victorius*, sed brevitatis causa etiam nos in annotatione aliquotiens fecimus.

rum Germanicae editionis flores legerit et in suam possessionem converterit. Etenim, quod ad aetatem utriusque editionis attinet, Hervagiana Nonis Februariis a. 1534 absoluta fuit, id quod subscriptio dedicationis docet, Iuntina subscriptione typographi testatur se mense Decembri eiusdem anni absolutam esse, qua in re primum hoc singulare est, cur in titulo annum 1534 profiteatur, cum tomus I mense Augusto anni 1536 absolutus, in titulo annum 1537, et tomus II Iunio mense a. 1535 absolutus item insequentem annum prae se ferat. Moveri coepit ea lis in oratione pro Sextio, quae primum in his duabus editionibus e vetere codice ms. suppleta legitur, sed ita dirempta est a Garatonio (ad Sextianam c. 36) et Orellio, ut Venetum editorem eodem aut simili plane libro vetere usum esse, sed Hervagianae ignarum fuisse censerent. Quod mihi quidem non verisimile videtur in illa festinatione typographorum, qui magis etiam, quam hodie a corporum sive collectionum editoribus nonnullis fieri solet, novissimam quamque editionem praelis subiicere et suam facere consuessent, cum non laudem doctrinae, sed facillimum quaestum peterent. Accedit, quod Ernestius in aliis orationibus singularem utriusque editionis consensum etiam in mendis sese observasse tradit. Sed ne longum faciam aut nimis a proposito meo abeam, in Verrinis animadverti Hervagianam in primis et extremis libris e vetere codice alterius, quam dudum significo, familiae correctam esse, earumque lectionum maximam partem, delectu admodum inconstanter habito, in Victorianam receptam esse, additas autem esse alias partim e simili libro haustas, partim coniectura inventas. Nam novae quidem coniecturae, in Hervagiana paucae insunt, (quas tamen Iuntinus editor non sprevit, vide II, 34 §. 83 et III, 40 et 93) plurimae in Victoriana, praesertim in mediis libris, secundo et tertio, in quibus Hervagianae corrector librum ms. non videtur adhibuisse, Iuntinus adhibuit quidem, sed raro, multoque saepius coniecturis indulsit. *)

*) Fateor haec mihi non statim ab initio huius editionis typis describendae satis comperta aut investigata fuisse, quo factum est, ut

Iuntina Veneta editio, cum universa, tum haec pars, de qua dicimus, Orationum, quia propter claritatem nominis Victoriani maxime celebrabatur, in Gallia statim repetita est a Roberto Stephano, Parisiis 1538, et a Sebast. Gryphio Lugduni, primum 1539: Hervagiana minoris aestimabatur, quamquam in ea repetenda et secundum Iuntinam refingenda a. 1540 librarius Ioach. Camerarii opera et iudicio usus erat: quo factum est, ut aliquot bonae lectiones ex optimis libris ductae diutius et usque ad hanc aetatem in illa editione latuerint. In Verrinis non vidi quicquam proprium a Camerario esse praestatum. Sed P. *Manutius*, cum et ipse Victorianam sequeretur, in editione a. *1540* nonnulla ex coniectura, plerumque recte, correxit, aliaque in repetita editione 1559 sublegit, libris autem mss. in his orationibus non videtur usus esse.

Adhuc haec erant: menda vulgaria, quibus et deteriores codices mss. et editiones principes obsidentur, maximam partem correcta aut coniecturis eiusmodi, sine quibus nullus vetus scriptor Romanus, qui quidem legi debeat, e codicibus mss. in lucem edi potest, aut inductis codicum ex alio quodam genere lectionibus: praeterea non exiguus numerus correctionum receptus, quibus aut corrupta verborum constructio adiuvaretur, aut sententiarum defectus tegeretur: prorsus ut, qui antiqua omnia admirari solerent, iam contenti viderentur esse posse et reliquam aliquot locorum emendationem ab ingeniis hominum doctorum expectare.

Verumtamen quantum superesset ad veram textus restitutionem nova pro consuetudine illius aetatis ratione ostendit Petrus *Nannius*, editis anno 1548 Lovaniae scholiis et castigationibus ad Accusationis librum II et III (repetitae sunt a. 1553 in secundo tomo Lucubrationum in Ciceronis Orationes, Basileae,) in quibus veteris cuiusdam

Hervag. Victor. et *Victor. Hervag.* prouti fors tulit promiscuo ordine appellarim, quippe eodem anno 1534 editas. Hoc quidem paulo levius: sed accidit etiam nonnunquam (Div. §. 58. Act. I §. 4. 31. Lib. I §. 36. 133.) ut aliquid edi coeptum esse in Victoriana scripserim, quod cum item in Hervagiana sit, huic potius tribuendum fuit. His igitur locis praemittas velim notam *Hervag.*

codicis scripturas cum vulgata lectione contulit, dataque occasione quam illae praestarent ostendit, suas etiam coniecturas nonnullas modeste admiscuit. Ipsum codicem non descripsit, neque scimus hodie unde sumptus fuerit, quove pervenerit, sed praestantissimum esse, et omnes eius, quae indicatae essent, varietates totidem fere emendationes habendas esse illico intellectum est. Talem, i. e. eiusdem familiae codicem ex antiquioribus editoribus unus habuerat Naugerius, unde multos locos in Aldina, aliquot fortasse olim omissos etiam in Victoriana restituerat, sed illi tamen pauci sunt, si cum Nanniana messe comparantur. Nannii correctiones Carolus *Stephanus* aut eius corrector (nam hoc verisimilius est) in editione Lutetiana a. 1554 non solum primus recepit, sed illius exemplo videtur excitatus esse, ut reliquas partes Verrinarum ad alium sed eiusdem praestantiae librum veterem ms. diligentius, quam antea a Naugerio et Hervagio factum erat, exigeret. Ne hunc quidem librum novimus, sed puto *) eum esse, qui nunc in bibliotheca regia Parisina numerum 7823 gerit, et Verrinarum libros tres primos et duos extremos continet. Lacuna incipit a lib. I c. 43 §. 111 *in verbis magnum iudicium hominum de istius singu||lari,* nec quicquam post hunc locum Stephanus in vulgari textu correxit. Eo libro is, qui editionem curavit, sic usus est, ut religionis ac diligentiae laudem mereatur, nullam doctrinae aut iudicii, si ab hoc

*) Cur sic putem movent me cum excerpta codicum Parisinorum per aliquot capita singulorum librorum, quae Michaeli Beerio debeo, tum collatio illius codicis cum edit. Stephaniana per Divinationem ab Adalb. Zieglero, olim discipulo meo, nunc in hac urbe publico doctore, instituta. Ambo consentiunt, eum codicem habere nr. 7823 viderique 14. aut 15. saeculo scriptum esse. Verum in celebri catalogo Bibliothecae regiae, veterum Borbonidarum monumento splendidissimo, sub nr. 7823 recensetur codex Verrinarum olim Puteani, in quo desint integri libri IV et V, saeculi quinti decimi: et alius sub nr. 7822 tres primas et duas postremas orationes continens, anno 1470 exaratus. Huius ego excerpta non habeo, et videtur indignus habitus esse qui conferretur: annus certe non latuisset. Videtur potius in catalogo error esse, et pro libro IV et V esse debere II et III, ille autem Stephanianus idem esse qui olim Claudii Puteani.

iudicii argumento discesseris, quod codicem suum vulgatae lectioni praetulit. Nam codicis scripturas sine ullo discrimine, bonas, malas, integras, corruptas, recepit, adeo ut nonnunquam manu potius quam mente rem egisse videatur. Neque tamen hoc sic velim intelligi, quasi omnes receperit: immo, cum alias recepisset, quas non deberet, reliquit complures, quas recipere deberet: verumtamen in iis, quae nova attulit, quoniam a coniecturis longissime abfuit, fidem religiose servavit. Sed in describenda editione male accidit, ut iudicium typographi a consilio editoris sive correctoris non raro discreparet. Etenim cum ita institutum esset, ut, *si quid* in textu mutatum esset, in Appendice variarum *lectionum* indicaretur, quid *prius* fuisset, si quid in codice vetere legeretur, quod editor recipere nollet, (quamquam hoc non ita frequenter factum est,) lemmati subiiceretur, *vet.* hoc aut illud habere; hoc igitur cum institutum esset, typographus frequenter aut, quod describere deberet, non recepit, *) aut, quod relinquendum esset in Appendice, recepit in textum, aut, quod omnium molestissimum est, nova scriptura in textum recepta, prius aliud lectum esse in Appendice commemorare omisit. Nihilominus Stephanianus textus Verrinarum, quanto magis discrepat a vulgari, tanto praestat, et primus constantia quadam adhibita ad codices melioris familiae reformatus est. Sed hoc ipsum aegre ferens Ernestius, cum nescio quomodo sibi persuasisset, tamquam genus humanum ante lapsum, sic editiones vetustas antequam correctores accessissent, integerrimas fuisse, in quibus si quae maculae certo demonstrari possent, eas lenibus quibusdam remediis elui licitum esse, violentius nihil corrigi oportere, Stephanum iniustissime tractavit in praef. ad Ciceronem p. XXXIV sq. Ibi collectis aliquot varietatibus e primis capitibus Divinationis, quarum vix una in vetustioribus editionibus inveniretur, ostendit, tales cum in una illa oratione quattuor et sexaginta reperirentur, pessime illum in Cicerone versatum esse. Verum est, in pau-

*) Fefellit ea res Orellium, cum non excerperet nisi textus Stephaniani varietates.

cis illis varietatibus forte plura paene menda quam recte scripta esse: sed perlustrarat tamen Ernestius totam orationem, nec poterat non in ea singularia quaedam bona invenisse, quorum aeque, si iustus esse volebat, in universo iudicio rationem habere debebat. Nunc illa damnandi cupiditate sibi ipsi nocuit et uberrimam messem invidit, quin etiam illi contempto saepe poenas dedit, velut Divin. c. 20, ubi magno molimine tamquam singularem lectionem *patronam* e Guelferbytano (2) profert, nec animadvertit dudum sic a Stephano editum esse.

Sed Stephani laus non ab Ernestio solo, sed ab insecutis editoribus omnibus neglecta est praeter unum *Lambinum*, eiusdem fortunae consortem. Is cum anno 1565 Lutetiae Ciceronem ederet, *) Stephanianam editionem, certe in Verrinis, ita secutus est, ut, ubi commodum erat, leviter nec nimis operose suas correctiones applicaret. Eae maximam partem sunt eiusmodi, quibus aut vulgarem scripturam, a qua Stephanum temere discessisse putaret, restitueret, aut sententiam locorum suis aliorumque coniecturis adiuvare vellet: non tam frequenter novae codicum mss. lectiones comparent. Quamquam ne hi quidem Lambino in his orationibus deerant beneficio Errici Memmii (*de Mesmes* Gallicum eius nomen fuit) et Iac. Cuiacii. *Memmius* enim trium codicum mss. variantes scripturas in marginibus duorum librorum impressorum descriptas, *Cuiacius* unius lectiones item ad marginem alicuius editi exemplaris excerptas Lambino obtulerat. (Vide eius prooemium ad lectorem pag. tertia et annotat. ad lib. I Accusat. c. 17 et ad IV, 5). Memmianorum librorum unus vulgaris, i. e. deterioris, familiae videtur fuisse, siquidem praeter unum illum locum I, 17 *duos* tantum appellare solet, Cuiacianum non nominat nisi orationibus duabus postremis. Sed, ut supra significavi, his libris non adeo frequenter usus est ad corrigendam lectionem Stephanianam eamque ad illud genus meliorum librorum revocandam: immo, si ratio ineatur, intelli-

*) Solus primus tomus, rhetorica continens, in titulo habet annum 1566 et urbis nomen Parisios.

getur, saepius eum a Stephaniana lectione ad vulgarem, ubi non debebat, redisse, quam novam huic, ubi fieri et poterat et debebat, e constanti usu meliorum librorum opem tulisse. Eadem res est in libris II et III, ubi neuter propriis librorum mss. subsidiis usus erat, Stephanus autem pro simplicitate sua Nanniani libri scripturas omnes receperat, Lambinus suo arbitrio et eligendi potestate fere cum detrimento veritatis usus est. Neque tamen dubito, quin Lambinus, quaecunque e Stephani editione in suam traduxit, propterea quod eiusdem generis libros mss. et ipse adhibuerit, sibi adscribi et suae laudi apponi voluerit. Eum non appellat nisi semel in annotatione ad III, 68 §. 158, ubi se dicit Stephani exempla sequi, quod *impuro* pro *incauto* scripserit, quasi aut Stephani id inventum ac non Nanniani libri scriptura sit, aut solus is locus, ubi illius bonis sese ornarit. Sed Nannii libellum ignorasse tum quidem videtur, non enim nominat hominem ne in indice quidem eorum, quorum opera Ciceronis scripta ante semetipsum emendata sint; Stephanianae autem editionis famam eo facilius pressit, quod nullum editoris sive correctoris nomen extabat.

Itaque Lambiniana editio fidem longe minorem habet quam Stephaniana, quo accedit quod plurimis aut ipsius Lambini aut Franc. *Hotomani* coniecturis *) referta est. Huic enim se totum commiserat Lambinus, huius admiratione captus erat et sagacitatem, imprimis in numeris libri tertii restituendis, venerabatur, quanto cum detrimento veritatis commentarius noster docebit. Verumtamen de coniecturis receptis queri minus convenit, quoniam et Hotomani

*) Vult etiam Hotomanus videri libros mss. adhibuisse: sed dispersa ista veteris libri laudandi ratio suspecta esse debet, et abstinui fere a tali commemoratione. Velut Divin. c. 8 §. 26 *omnis* abest a libris mss. iis quos certius novimus, Hotomanus in *uno*, *non tamen valde antiquo*, esse ait. Et sic fere, ubi, quae affert, in aliis codicibus non inveniuntur, anceps res est. Cf. ad IV, 39 extr., V, 2 §. 5. Neque eo libro vetere, quem *Fulvius Ursinus* in notis subinde laudat, multum utare, quamvis in libro IV et V cum optimis nonnunquam faciat. Sed vide ad V, 28 pr.

commentarius extat, et Lambini annotatio in ea potissimum re versatur, ut, quid ipse sine auctoritate veterum librorum coniectura ductus mutarit, defendat. Neque hoc ei tantopere nocuit apud eruditos, quam quod idem sibi licere putavit, quod triginta aut quinquaginta annis ante editoribus licuerat, ut codicum mss. fiducia textum scriptoris fortiter aggrederetur, neque singulis locis, qua id auctoritate fecisset, exequeretur. Aliquando enim ea ratio critices in obscuro exercendae omitti debuit. Atque finem habuit in Lambino, quandoquidem Caroli Stephani sive fama sive infamia latuit, eiusque luminibus cito ab ipso Lambino obstructum est. Sed hic quanto maiore doctrinae laude florebat, maioremque expectationem editionis suae moverat, eo vehementius in reprehensionem hominum doctorum incurrit, quod totum sibi Ciceronem inter manus convertisset. Neque iniuria. Nam cum in annotatione quos locos e codicibus mss. aut certa veterum grammaticorum auctoritate correxerat, non indicasset, coniecturarum autem rationes, quas exponere solebat, plerumque quam dubiae et fallaces essent, intelligerentur: magnam totius negotii dubitationem consequi necesse erat. Poterat ei rei facillime mederi ipse Lambinus, si, cum denuo Ciceronem ederet, singulis locis et quid olim lectum fuisset, et unde nova scriptura ducta esset, apponeret. Ac verisimile est hoc ipsum voluisse, omniaque ad exequendam rem parata habuisse: siquidem et nova interim subsidia critica compararat, et annotationem, quae in fine cuiusque voluminis legitur, auxerat. Sed morte abreptus anno 1572 cum ipse ei negotio administrando praeesse non posset, ille, quisquis fuit, qui eius partes suscepit, totam rem convertit, et Lambinianis lectionibus ad marginem amandatis, textum vulgarem, qualis ante Stephanum fuerat, restituit. Qua re in his quidem, quas tractamus, Verrinis emendatio textus compluribus saeculis retardata est, et nova quaedam perturbatio lectionis orta. Nam hoc sine dubio Lambinus noluerat, quod factum est, ut omnis sua messis optimarum lectionum e textu tolleretur, et in marginem abiiceretur, ubi non fere quaereret nisi qui denuo Ciceronem edere vellet. Praeterea, quod dixi, novam per-

turbationem textus ortam esse, negligentia repetitoris illius factum est, qui cum sibi proposuisset, quicquid novum in Lambiniana editione esset, excerpere et segregare, hoc non praestitit, sed primum Lambini lectiones passim in textu reliquit, deinde alias omisit, alias non illi, sed aut *v. c.* (i. e. veteri codici, vel nonnunquam veteribus codicibus,) aut *al.* (i. e. aliis) attribuit, quas nemo eruditus adduci posset ut crederet a Lambino damnatas esse, denique novas multas Lambino adscripsit. Vix credibile videtur eam rem latere potuisse. Sed latuit, et repetita editio *), id quod in titulo profitebatur, postremis ipsius Lambini curis emendata videbatur. Itaque omissae lectiones sepultae iacebant, falso in textum receptae secure propagabantur, Lambinus, vera editione neglecta, e margine repetitae aestimabatur. Primus Ernestius, animadversa repetitoris negligentia, in praefatione ad Ciceronem pag. XXXVIII (seu potius decem annis ante in peculiari dissertatione de editionibus Ciceronis repetita, in Opusculis philol. criticis) docuit, de Lambino iudicari non debere nisi ex vera editione a. 1566. Id quamquam in universum rectissime iudicatum est, tamen eos, qui nostra aetate Lambinianas lectiones excerpserunt, in errorem induxit. Quid ita? Quia non omnes partes repetitae editionis ea, quam reprehendimus, negligentia administratae sunt, nonnullae accuratius tractatae et optimis emendationibus locupletatae. De Verrinis agimus: itaque hoc sufficiat indicasse, primos tres libros negligentissime habitos esse, nec multum, immo parum verae emendationis in margine habere, reliquos quattuor ipsius Lambini manum ita expertos esse, ut margo pro nova recensione haberi debeat, et, si quid in eo *aliis* aut *libris vulg.* adscribatur, quod ipse Lambinus antea ediderit, iudicari possit, id ipsum Lambinum improbasse, si quid ei tribuatur, quod in priore editione non sit, ut intelligatur, id a Lambino postea inventum ac probatum esse. Hoc tantum ex priore

---

*) Nos usi sumus editione Lugdunensi apud Petrum Santandreanum 1577 accurate secundum veram Lambinianam ita institutam, ut paginae paginis respondeant.

negligentia remansit, quod complures Lambinianae lectiones quasi furtim in textum immigrarunt, quae deinde pro vulgatis et usu receptis habitae sunt.

Nimirum Lambinus post suam editionem emissam a Franc. *Fabricio* Marcodurano variantes scripturas veteris codicis ms. ad libr. II et III acceperat, accurate in libellum relatas, ut ipse in annotatione editionis repet. principio libri II scribit. Hunc codicem non solum frequenter in annotatione nominat, sed eiusdem videntur esse lectiones *v. c.* quae in margine positae sunt, quin etiam huic adscribenda pleraque omnia, quae repetita editio in illis libris a priore diversa habet. Nam quod Lambinus in nota l. l. addit, *quas* (scripturas) *confirmant duo codices item mss. Cl. Puteani*, quia de illis nihil praeterea traditur, omittendum videtur. Fabricianus codex unde sumptus fuerit, quove pervenerit, ignoramus, sed quin alius fuerit ac Nannianus ille, quamquam integritate proxime ad eum accedit, nobis quidem, ut nunc res est, non dubitandum videtur. In extremis vero duobus libris non minorem operam denuo posuisse Lambinum facile apparet, quod non solum sententiam suam saepe mutavit, sed etiam *vet. cod.* auctoritatem diligentissime, multoque frequentius, quam in alia ulla editionis parte factum est, adiecit, etiam ubi ea scriptura non probatur apposito *L.* Sed utrum illa nota *v. c.* ad Cuiacianum et Memmianos libros diligentius iterum adhibitos pertineat, an alium aliquem librum ms. recens collatum significet, dubitatio relinquitur. Diversum esse ab illis, et eundem, cuius varietas scripturae in margine libri olim editi excerpta, in bibliotheca universitatis Havniensis asservetur, Io. Nic. Madvigius, Danus, qui eam typis describendam curavit, in Epistola critica ad Io. Casp. Orellium, censuit, singulari scripturae consensu motus: atque ego contenderim codicem esse eum, qui in bibliotheca regia Parisina numerum 7774 A gerit, antiquissimum, noni saeculi, nihil praeter postremas duas Verrinas sive quartum quintumque librum continentem. Sed tamen quoniam Lambiniani *v. c.* commemoratio non raro ab Havniensi collatione discrepat, neque ea res propter consensum unius et alterius codicis

de genere meliorum ad erroris suspicionem referri potest, (cf. e. g. IV §. 90. V §. 107. 108. 109.) iudicandum videtur, Lambinum codicum olim collatorum scripturas cum illo recens collato miscuisse, et in utroque genere promiscue nota *v. c.* usum esse.

Repetita igitur editione Lambiniana nova emendandi praesidia, si quis uti volebat, plurima continebantur, nam dubium esse nemini poterat, quin uterque liber, et Fabricianus, et *vet. cod.* in libro IV et V, optimis integerrimisque accensendi essent. Sed Ianus *Gruterus,* qui primus post Lambinum ad Ciceronem recensendum accessit, ita aut stulto quodam amore lectionis, quam vulgatam putabat, captus erat, aut odio et invidia Lambiniani nominis exacerbatus, ut vix et aegre suis ipse libris, ubi Lambino favebant, fidem haberet, nedum ut emendatam scripturam per angustas dubitationum semitas persequeretur. Utebatur Gruterus in Verrinis codicibus Palatinis duobus et uno suo (Gruteriano) e numero deteriorum, sed habebat praeterea inter eas copias, quas Ian. Gulielmus in itineribus collegerat, variantes scripturas codicis Cuiaciani ad libros tres primos et duos postremos, et codicis Metelliani ad librum secundum et partem tertii, et schedas Melchioris Hittorpii ad prima capita libri tertii et aliquot partes libri quarti. *Cuiacianus* liber, id est editum exemplar, in cuius margine veteris cuiusdam codicis variantes scripturae, cuius manu non constat, excerptae erant, etiam inter Lambini subsidia fuerat: ac verisimile videtur eundem fuisse, quem Gulielmus Avarici Biturigum apud ipsum Cuiacium tractarit sive descripserit: sed certo constitui nequit. Nam Lambinus Cuiacianum librum non nominat nisi aliquotiens in annotatione ad librum IV et V, Gulielmi Cuiacianus etiam ad Divinationem et Actionem I et Accusationis librum I pertinet, in qua parte ultimum laudatur a Grutero cap. 42 §. 109, sed verisimile est attigisse §. 111, quo loco Guelferbytanus 2 et Leidensis et Stephanianus desinunt. Cum his enim libris maxime convenit: sed tamen nec Leidensis est, nec Guelferbytanus, siquidem aliquot eius scripturae afferuntur, qui in his non sunt, velut I, 2 §. 6 ubi Cuia-

cianus *est qui mirentur*, 7 §. 18 ubi non *Iunium*, sed *Vivium* habet, 37 §. 94, ubi in verbis *si non quae abstulisti* omittit *si*, et cf. App. IV §. 13. 25. 51. al. Idem ac Stephanianus quominus habeatur, nihil impedit, sed demonstrari non potest, quoniam et Stephanus multa omisit, et in plerisque omnes huius familiae codices consentiunt. Hoc vero falsum est, quod Gruterus significare solet (vide eum ad IV, 10 et 51), unum Cuiacianum librum a Lambino adhibitum esse et vanam esse illius de pluribus mss. praedicationem. Scilicet nolebat quicquam sibi deesse, unde Lambinus profecisse videretur. Qua praestantia liber Cuiacianus in primis et postremis orationibus, eadem *Metellianus* est in mediis. Sed eius variantes scripturae pertinent tantum usque ad lib. III c. 16, ubi a Grutero postremum laudatur, et ad c. 19 ipse Gruterus, deficere eo loco, i. e. desisse iam, Metellianum queritur. Concordare eum librum admirabiliter cum Fabriciano in repetita Lambiniana neminem fugere potest: ego vero unum esse puto, (quod item Grutero in mentem venit ad II, 7) et exiguam, quae invenitur, differentiam ad errorem eorum, qui lectiones excerpserunt aut descripserunt, refero. Cf. ad III, 7 §. 16. Vivebat enim Io. Matalius Metellus iisdem fere locis, quibus Fr. Fabricius (Leodii et Coloniae); neque aliam fuisse causam puto, cur Gulielmus eius varietates non amplius excerpserit, quam quod eum a Fabriciano non discrepare intellexerit. Sed Nannianus liber vere diversus est, quamquam ad eandem familiam pertinet. Melchioris *Hittorpii* schedae, quae vocantur a Grutero, excerpta sunt codicis Erfurtensis, qua de re dubitatio nulla esse potest, cum propter similitudinem et recte et male scriptorum (velut IV, 45 §. 99 *inantiquum* pro eo, quod est *perantiquum)*, tum, quia ipsis locis, ubi commemorantur, conveniunt: sunt enim exigua fragmenta e libro III et IV. Quamobrem non curo, quod Gruterus ad III, 7 §. 16, ubi *prudentiae* pro olim vulgato *diligentiae* scribendum docet, praeter Fabricianum et Metellianum etiam Hittorpianum librum nominat, qui eo loco iam defecit: error enim est, cum eos libros per aliquot capita concordissime ambulare vidisset.

Iam si quaerimus, quemadmodum Gruterus his subsidiis suis usus sit, redimus ad illud, quod supra significavimus, eum aut propter superstitionem quandam vulgatae lectionis aut propter odium Lambini magis uti noluisse, quam propter ingenii tarditatem non potuisse. Quid enim aliud dicamus, cum ipsum ad principium libri IV videamus confiteri (sic enim ait,) Lambinianos libros et Cuiacianum et Hittorpianum (Metellianum in mediis orationibus addere poterat) aut ex melioribus exemplaribus descriptos esse, aut librarios minus sibi permisisse in describendo: contra autem fere ubique facere? *) Quodsi Stephanum cognosset primum ac verum recensionis Lambinianae auctorem esse, non dubito *quin* vel eam ob causam, ut demonstraret Lambinum alienis laudibus falso ornari, Cuiaciani libri auctoritatem frequentius secutus esset. Nunc autem, quia Stephanum ignorans omnia ad Lambinum refert, plurimam partem lectionum Cuiacianarum pressit; neque enim adducor, ut putem Gulielmum in iis enotandis negligentem fuisse, quem in mendis plerumque sedulo haerere videam: et in toto recensendi negotio inconstantissime versatus est. Neque eius diligentia magnopere laudari debet, qui, cum lectionis vulgatae patrocinium suscepisset, una cum textu repetitae Lambinianae non solum plurimas lectiones vere Lambinianas, sed etiam nova menda receperit, et ad posteros propagarit, velut I, 2 §. 6 *omnes* pro eo quod fuit *homines*, III, 75 extr. ubi alterum *dic* omisit, et statim c. 76 init. ubi *magna* pro *mala* dedit, al. quae recoquere nolumus.

Verumtamen pervicit recensio Gruteriana, videbaturque diu tam firmis fundamentis posita, ut hic illic quaedam mutari possent, tota constructio servari deberet. Longo intervallo proximus Io. Georg. *Graevius*, cum anno 1695 orationes edere inciperet, in Verrinis usus est duobus co-

*) *Odium* autem Lambini in ea re valuisse, non hoc solum testatur, quod eum nunquam cum laude, saepe cum acerba reprehensione nominat, sed etiam quod Nannianas lectiones plerasque recipit: cum Fabricianas, quamquam eaedem Metelliani libri sunt, spernat, et quod, sicubi quid a Lambino praetermissum est, quod in illis libris legatur, mutato consilio cupide id amplectitur et laudat.

dicibus Francianis, a Petro Francio Amstelodamensi cum eo communicatis, quorum prior (sive primus: nam etiam tertius fuit, qui ad Verrinas non pertinet) omnes orationes continebat et sectam vulgarem, non tamen sine aliquo delectu sequitur; Francianus secundus, chartaceus, aliquot orationum, rarissime commemoratur a Graevio cum priore, (I, 16. 37) nusquam, quod sciam, solus, nec ab ipso Graevio dignus videtur habitus esse, qui cum ceteris compararetur. Sed praeterea variantes scripturas duorum codicum se habuisse tradit in praefatione, quarum unas in Gallia olim a viro erudito satis diligenter excerptas e bibliotheca Marg. Gudii sumpserit, alteras e vetustissimo codice bibliothecae regiae Parisinae excerptas a Ioa. de Witt acceperit, quibus ait se multum adiutum esse in his libris emendandis. Verum in ipsa annotatione primum *Regium* codicem non appellat nisi per librum IV et V, deinde alterum illum Gudianum commemorat nusquam. Quid Graevio acciderit ignoramus, sed nihil verisimilius quam quod Madvigius in Epistola ad Orellium suspicatus est, unum codicem a duobus hominibus diverso tempore collatum esse, et Graevium, cum summam excerptorum similitudinem repperisset, Wittianis usum esse, quippe certi codicis, a Gudianis abstinuisse, quae deinde, divenditis libris Gudianis, ad Io. Alb. Fabricium, posteaque in Havniensem bibliothecam pervenerint. Codicem autem eum esse puto Parisinum nr. 7774 A compluribus vestigiis usus, *) quamquam non desunt quae in diversum ducere videantur, nisi quid iis qui contulerunt in exiguis rebus et mendis enotandis accidisse humani putamus.

His subsidiis instructus quid Graevius praestiterit molestum est dicere. Haud dubie parum: nimis enim secure ac paene dicam negligenter egit; Lambinianas copias ne-

---

*) Singulares scripturae diversitates, quae in alio nullo codice inveniuntur, ex quattuor libri IV et V capitibus has speciminis causa proferre possum: IV, 30 §. 67 *ortu* pro *ornatu*, §. 38 *pr. pop. Rom.* plene, *nobili re* pro *nobili in re*. V, 33 §. 87 *et iis* pro *et his*, *luxuriae* p. *luxuria*, *esse navis* (mendose annotatio nostra *navis esse*) pro *naves esse*, *Odyssae* pro *Odysseae*. §. 90 *novigabunt* pro *navigabant*.

glexit; *) quamquam in eius vestigia non potuit non frequenter incurrere, cognita Regii codicis praestantia. Quo si diligenter usus esset, eam certe partem Verrinarum restituere poterat: nunc autem cum multa emendasset, plurima reliquit. Neque Galli Olivetus et Lallemandus operae pretium fecerunt: hic quidem codices Parisinos specie tenus adhibuit, quorum nomine et numero, nullo facto discrimine, subinde eam sententiam, quam ipse probasset, confirmaret. Probare autem solet tantum quod alii dudum probarunt, quasi piaculum fuerit, novum aliquid invenire. Qua in re saepe rideas hominem, sed tamen saepius irascare, ubi videris eum, postquam singularem quandam scripturam verbi causa codicis Regii a Graevio prolatam (huic enim maxime aemulatur scilicet) laudavit, subiicere solitum suum *sic quattuor e nostris mss.* (Nam Regium quidem alienum existimat.) Quid malum, inquis, tu tot libros eximiae praestantiae habuisti, neque unquam temptatus es, ut eos tuo iudicio inspiceres, num quid invenire posses, quod non alius ante te protulisset ac laudasset? Sed sic est, et talem sive diffidentiam sui sive fucatam diligentiam in multis Gallis veterum librorum editoribus hac aetate invenias, cf. praefat. nostram ad Supplem. Quintil. p. XX. Quid vero quod Lallemandus in eiusmodi epiphonematis ne fidem quidem videtur servasse, sed ostentationis causa libris suis iniunxit quod in illis non fuerit? Cf. annotationem nostram ad Divin. 2 §. 6. 16 §. 50. Act. I, 8 §. 23. al. Sed satis dictum de nugis: cavendum tamen fuit ne quem deciperent.

Venimus ad *Ernestium,* qui post Graevium in his libris emendandis elaboravit, hominem et ingeniosissimum et eruditissimum, litterarum antiquarum in Germania statorem, de quo quanto uberior dicendi materies suppetit, eo studiosius disputationem nostram praescriptis finibus continebimus.

---

*) Veram Lambinianam ne cognovisse quidem videtur, certe non adhibuit. Nam ad I, 36 §. 92 Parisienses nuperos editores graviter reprehendit, quod locum interpolarint, laudat Lambinum quod eam coniecturam in annot. posuerit. At hic re vera in textu habet. Nec illum errorem correxit Garatonius: itaque Beckius repetivit. Talia plura sunt.

Videbatur is ab omni superstitione in hoc genere remotissimus esse, qui et fata vulgatae lectionis probe cognosset, et veterum editorum inconstantiam animadvertisset, et magna cum laude de Lambino iudicasset; qui denique, ubi ratio sermonis Latini et usus dicendi aliud videretur flagitare, quam in libris editis esset, fortiter id aggrederetur, neque ullam religionis speciem veritati anteponeret. Et in ea quidem parte a multis illico reprehensus est, nec absolvi potest temeritatis cuiusdam grammaticae sive scholasticae. Nam cum docendo scribendoque suam sibi speciem Latinitatis Ciceronianae informasset, necessariam illam quidem doctori scholastico, sicut in scholis fieri solet, ut asseveremus hoc Latinum esse, hoc non Latinum, sensum nostrum sequentes, non indices et lexica pervolutantes, sic in Cicerone recensendo saepe damnavit quae ferri et possunt et debent, saepe correxit quae alibi probavit, et omnino in hoc genere acrior quam cautior fuit. Sed ea ipsa re cum negari non possit multum eum profuisse accuratiori linguae Latinae cognitioni: tum nescio an, si ratio ineatur, pluribus tamen locis inveniatur verum vidisse, quam falsa docuisse. Verum aliud est, quod miramur ei accidere potuisse, quod, cum tot locis libros Lambinianos, Cuiacianum, Regium vulgatae lectioni praestare vidisset et ipse iudicasset, ea vestigia non modo persequi noluit, sed saepe etiam, ubi Graevius praecesserat, denuo deseruit et ad sordes Gruterianas revertit. Atqui codicem adhibuit, quo si recte uti voluisset, ea, quae de laudibus Lambini dixit, in hac quidem parte Ciceronis abunde confirmare poterat, *Guelferbytanum* eum, qui in indice codicum Guelferbytanorum Ebertiano typis descripto a. 1827 nr. 221 recensetur. *) Eum codicem Ernestius in praef. ad Orationes p. XXI scribit *Verrinas priores* continere, quod falsum est et a Beckio Ernestianae praefationis repetitore (pag. XCIII) dudum ex

---

*) In annotatione ad lib. I, 13 Ernestius librum *Erfurtensem* et *Dr.* (Dresdensem, ut opinor) nominat, quorum alibi apud eum nec vola nec vestigium. Neque Erfurtensis ille, de quo supra diximus, huc pertinet.

ipsius Ernestii nota ad I, 43 med. corrigi debuit. Insunt enim primae tres orationes usque ad illum locum tertiae, et quartus quintusque liber. Non valde antiquum esse dicit Ernestius, vere: nam chartaceus est: sed tamen satis bonum esse, et imprimis saepe cum Cuiaciano consentire, ut ex eo aut ex alio eiusdem generis descriptus videatur. Optime: et ego librum Guelferbytanum (*secundum* appello) cum post Ernestium versarem, omnium proxime accedere ad Stephanianam editionem (et Parisinum D sive 7823) inveni. Hoc igitur duce Ernestius ad fontem omnis emendationis pervenire potuit, sed eo procedere noluit: quin etiam, quod in ipso fuit, totam rem obscuravit. Stephanum iniuste condemnat: Lambinum verbo tenus laudat, sed in ipsa recensione negligit; codicis Guelferbytani vix decimam partem variantium lectionum affert, eiusque cum Regio consensum quodammodo aegre fert et libenter relinquit. Contra ea editiones principes laudat, nec intelligit se frustra laborare et actum agere, cum fugere eum non posset, quicquid in his orationibus emendatum esset, quod infinitum est, contra illas e codicibus alterius generis ductum esse. Sed desperatae rei patrocinium nunquam omittit: excusat quod defendere non potest: qui in glossematis indagandis, ubi res in suspicionibus versatur, plurimum industriae ponit, subito religiosus fit, si codicum illorum auctoritas contra editiones vetustas affertur. Quid quod cupide admodum ac simpliciter animum prodit, ubi in illis quoque aliquod vitium apparet? velut ad III, 96 extr. ubi celeberrimus Nannii codex mendose *subsistere* exhibet pro eo, quod verum est, *sistere*, exclamat quasi Hermaeo invento, *ergo ille codex non est* ἀναμάρτητος. Non vereor, ne quis existimet me Ernestio meritis quicquam detrahere velle: maiora enim sunt, quam quae in dubitationem vocari aut possint aut debeant: sed talis fuit in recensendo Cicerone, partim nimium suus, ubi suspicionibus subito inter legendum obortis indulgebat, partim litterae, non scriptae, sed typis vetustis impressae adeo deditus, ut pleraque recentiorum inventa, Lambini, Graevii, Bentleii, Davisii, fastidiret ac negligeret. Itaque verius eum recognovisse textum Grute-

rianum, quam, discrimine verborum nuper admodum invento, sed utili, recensuisse Ciceronem dicemus, et gratiam habebimus quae bene fecit, veniam dabimus quae reliquit.

Eodem ferme tempore, quo Ernestius Ciceronem postremo edidit, Romae Casp. *Garatonius,* nondum cognita illius opera, editionem Graevianam, quam librarius Neapolitanus repetendam susceperat, et aliorum hominum doctorum collectis animadversionibus et suis recens conscriptis locupletavit. Qui cum propter festinationem librarii non eandem operam in omnes orationes conferre posset, Verrinas tamen singulari cura tractavit, ac facile, quamvis ipse editorem non ageret, reliquorum editorum diligentiam et industriam vicit. Ut omittam eximiam, quae in eo fuit, et historiae Romanae et iuris scientiam, Latinitatis cognitione et iudicii quadam maturitate excelluit, ad quam cum adiunxisset veterum editionum explorandarum studium, primus non solum recte de Lambino iudicavit, (hoc enim Ernestius quoque videri potest fecisse,) sed hoc egit, ut quibusque locis ostenderet, illius lectionem et praestare vulgatae, neque existimari posse ullius hominis coniectura natam esse. In qua re admirabile hoc est, quod ille suo iudicio ductus eam rem certius cognovit, quam reliqui optimis codicibus instructi perceperant. Nam libros mss. in Verrinis non adhibuit, nisi variantes scripturas, quas Donatus *Iannoctius* olim e vetere codice ad marginem editionis Manutianae a. 1540 negligenter excerpserat, neque eas editiones habebat, quarum usus vel maxime necessarius est, Aldinam primam et Stephanianam Caroli. Itaque Garatonii laus, praeterquam quod plurimum ad interpretationem contulit, in eo maxime consistit, quod digitum intendit ad id, quod insequentibus editoribus perficiendum esset, si verba oratoris ad fidem antiquitatis recensere vellent. Nam cum multa indicasset et commendasset antea neglecta, multo plura reliquit, de quibus iudicare aut non poterat, cum librorum mss. auxilio egeret, aut nolebat propter institutam editionis suae rationem.

Verumtamen fieri non potuit, quin eruditissimi Itali praeclara diligentia ad textum harum orationum in Ger-

mania nostra emendatius edendum conferretur. Primum Chr. Dan. *Beckius,* cum M. Tullii opera omnia cum apparatu critico edere instituisset, quae editio in primis quattuor Orationum tomis constitit, in Verrinis, relicto Ernestio, Garatonium ducem secutus est, notisque conscribendis hoc potissimum egit, ut editionem Neapolitanam quasi in compendium mitteret: deinde Christ. Godofr. *Schützius,* cum singulos Ciceronis libros ad proximam quamque editionem, quae laudem meruisset, recognosceret, item Beckium secutus Garatonii iudicium reliquis praetulit. Hi tamen ambo, quo loco rem acceperant, eo reliquerunt. De Schützio non opus esse puto, ut pluribus dicatur: flosculos ille in amoenissimis quibusque locis legit, summa festinatione percurrens, in quibus aliorum iam versata esse diligentia videbatur. Beckius maiora sibi proposuerat, et primum quidem ab eo videtur postulari potuisse, ut, quoniam de ratione Lambinianarum editionum, Ernestii iudicium secutus, in praefatione exposuisset, veram editionem cum repetita accurate conferret, et omissas illius lectiones in notis proferret, erroresque in ea re frequenter commissos corrigeret. Sed hoc adeo non fecit, ut existimandum paene videatur, veram editionem Lambini ne ipsi quidem ad manus fuisse. Deinde, quod ad textus recensionem pertinet, iis sese continuit, quae Garatonius certis rationibus comprobasse videbatur: ultra procedere et vestigiis ab illo indicatis sese committere non ausus. Nec tamen hoc meritissimo viro vitio vertimus, cuius industria quantum inter nostrates antiquitatis studium adiutum sit, grati meminimus: quin etiam putamus, si licuisset ei ad ipsam textus recensionem uti iis libris, quorum variantes scripturas in Addendis commemorat, futurum fuisse, ut, cum denuo aliquo libro ms. numerum eorum, qui a vulgata lectione dissentiunt, auctum vidisset, aliquanto plus sibi quoque in ea deserenda licere putaret.

Insunt enim in Beckiana editione collationes quattuor *codicum* mss. unius *Oxoniensis* (ψ) e bibliotheca collegii *Balliolensis,* ex splendida editione Oxon. a. 1783 descripta, (v. Beck. praef. p. LXVI) alterius *Huydecoperani*, quam

Petr. Burmannus sero ad Ernestium miserat, tertii *Meiningensis* e bibliotheca ducali, quarti *Leidensis* a Petr. Burmanno maiore olim cum editione Graeviana collati. Horum librorum Oxoniensis et Huydecoperanus, qui Verrinas omnes continent, et Meiningensis, qui deficit lib. II, 46 §. 113, e numero deteriorum sive vulgarium sunt, Leidensis, quamquam mendosissime scriptus est, Guelferbytano 2 cum lacunis (vide ad V, 62 §. 162) tum toto proposito simillimus est. Itaque eius usus ad eam rem maxime pertinebat, ut Lambinianae lectionis auctoritas (de Stephano enim ne Beckio quidem quicquam verius innotuerat) iam complurium codicum consensu exploraretur, totaque res, quae etiamtum suspicionibus et coniecturis nitebatur, in clara luce poneretur. Quod cum factum non esset, aut fieri non potuisset, ut supra dixi, res eo, quo Garatonius reliquerat, loco constitit.

Adhuc fata harum editionum ex quo primum typis descriptae sunt et varios emendandi conatus persecuti sumus, ad eum finem, ut quid agendum superesset, fieret perspicuum. Restat igitur, ut de ratione nostrae editionis et de subsidiis, quibus usi sumus, dicamus. Qua in re si plura fortasse de me ipso dicam, quam iucundum est iis qui ad veterem scriptorem praevertendum putent, rogo lectores, ut id fieri non ob aliam causam credant, quam ut et tarditas operis absoluti, et incommoda quaedam instituti excusentur. Equidem Verrinarum edendarum consilium susceperam primis illis annis, cum ad litteras antiquas docendas admotus, intellecta eximia utilitate, quam ex his orationibus studiosi adolescentes capere possent, commentarium desiderari putabam, quo aliquanto plus adiumenti illi aetati afferretur, quam aut Harlesiana aut Beckiana editione contineretur. Itaque sumpta editione Beckiana alacri studio eam rem aggressus, quartum quintumque librum, ad quos maxime ferebar, iam absolveram et in primo versabar, cum indies magis me pupugit incertissima illa textus condicio, de qua supra exposui. Nam ad Lambinianas editiones, mox etiam Stephanianam, cito delatus una cum reliquis insignem lectionum praestantiam admirabar, sed dolebam simul ma-

gnam earum partem praetermissam esse ab editoribus, maiorem nondum ad emaculandum textum adhibitam, nec id fieri ubique satis tuto posse, nisi quis codicum auxilio discerneret, quid e fide veterum librorum mss., quid coniectura correctum esset. Praestabant quidem auxilii nonnihil Leidensis et Guelferbytanus, sed illius mendositas, huius commemoratio multo rarior, quam suspicabar fieri debuisse, certo gradu progredi non patiebantur. Itaque ut dubitationem illam tollerem, denuo Guelferbytanum consulendum ratus, anno 1817 a Langero, tum bibliothecae Guelferbytanae praefecto, per litteras petivi, ut eum mihi codicem commodaret. Concessit ille precibus meis, benignissimus, ut inter omnes constat, celebris thesauri custos, nec solum illum Ernestianum librum (Guelf. 2) misit, sed etiam alterum paulo antiquiorem, membranaceum, (catal. Ebertiani nr. 222, in bibliotheca inter Extravag. 265, 2) olim Iac. Frid. Reimmanni, *) quo Ernestius usus non erat. Tum non solum inveni, quod suspicatus eram antea, Ernestium fatali quodam veterum editionum studio captum illo libro, non ita, ut debebat, usum esse, sed patuerunt etiam penitus adyta illa Stephaniana et Lambiniana. Nam cum Guelferbytanus 2 proxime ad Stephanianum lib. vet. accedere videretur, tum antiquior prorsus similis apparebat Lambini codicibus Memmianis, i. e. quibus in rebus Lambinus a Stephano cum ratione discrepat. Laetus inventi, comparatis quae deessent editionibus vetustis, Iuntina quidem et Aldina ex apparatu Ernestiano in bibliotheca senatoria Lipsiensi asservato, (cuius benignitatis meritam gratiam praefectis eius habeo,) fontes cuiusque scripturae explorabam, ac facile inveniebam, omnem emendationem Verrinarum inde ab Aldina editione et propagatam esse ex altero illo genere codicum a vulgata lectione discrepantium et porro repetendam esse. Itaque mihi, dum hoc ago, et singulis locis ob-

*) Hoc me Langerus per litteras docuit, sed cf. etiam Reimmannum in Biblioth. hist. litt. Tom. II p. 824 sq. Continet codex praeter Verrinas primas et postremas etiam orationem *de laudibus Pompeii*, quomodo inscribitur.

servata Latinitatis lege usuque scriptoris demonstro, commentarius, qui initio rerum potissimum explicationem spectabat, factus est necessario maximam partem criticus. In mediis libris, II et III, praeter particulam Erfurtensis codicis, a. 1819 liberalissime ad me transmissi, subsidia propria nulla habebam, sed percepta Lambinianae editionis ratione confirmatus iam eodem cursu et quasi impetu per eos libros ad finem contendi. Absolveram commentarium et edere propediem constituebam, cum interim munerum publicorum onus auctum est, et grammaticae Latinae primum conscribendae, deinde augendae et locupletandae continua occupatio intervenit. Ea quidem plurimum virium commentario meo detraxit, cum pleraque, quae tum nove a me observata assensum hominum doctorum tulerunt, in commentario primum posita fuissent, e quo cum alium in librum transferrentur, ipse opus meum expoliare et disturbare cogebar.

Mora interposita, dum damnum resarcire studeo, ad alia avocari me passus sum, quae aeque videbantur necessaria, ad Curtium et Quintilianum emendandum: et interim spes facta est, posse subsidia nostra ad Verrinas eximie augeri. Eaque non vana fuit. Nam et excerpta omnium codicum Parisiensium per aliquot cuiusque libri capita a Mich. Beerio nostrate, tum in illa urbe peregrinante, accepi, et collationem optimi codicis 7823 (quem Paris. D appello) per Divinationem cum editione Stephaniana institutam ab Adalb. Zieglero, cui etiam Vindobonensium trium codicum membran. (XXXVI. CL. CXL.) e genere vulgarium excerpta nonnulla debeo: et, quod maxime operi nostro deesse senseram libros II et III cum tribus codicibus Parisiensibus nr. 4588 A, et 7776 et 7786 (A. B. C) in usum nostrum contulit aestate a. 1824 Iul. Silligius, Vir doctus, rem gerente, cuius amicitia gaudeo, Benedicto Hasio, Professore Parisino. Eorum librorum C, qui Verrinas omnes cum Philippicis et Catilinariis continet, e genere vulgarium inter se simillimorum est, A saeculi tertii decimi, cum aliis fragmentis Ciceronis librorum de philosophia, post Verrinarum libros IV et V mutilos, integros habet II et III

libros, B omnes Verrinas complectitur, antiquissimus, aut saeculo tertio decimo aut prius etiam conscriptus, parens fortasse, certe simillimus Lagomarsiniani 29. Sed quae plurimum mihi profuerunt, *Lagomarsinianae* novem codicum Florentinorum collationes, cum antea frustra per litteras petivissem, tandem apparatum nostrum auxerunt, postquam Niebuhrius, Vir summus, e Romana legatione in Germaniam redux, benevole mihi concessit, ut eas Bonnae de suo exemplari editionis Neapolitanae describendas curarem. Tantum enim thesaurum, quem sua sibi manu laboriose collegerat, ex oculis suis exire nolebat, et recte nolebat. Atque inveni ego, qui mea causa improbum eum laborem susciperet, ut singulas litteras notasque de Niebuhrii exemplari in simile meum transferret, tanta cura et diligentia, ut iurare audeam, nihil fieri posse perfectius. Is fuit Theophilus Friedlaenderus, humanissimi patris simillimus filius, qui tum studiorum causa Bonnae versabatur, nunc unus est ex subpraefectis bibliothecae regiae Berolinensis.

Lagomarsinianarum collationum quod consilium, quae ratio sit, olim Bandinius in catalogo codicum Latinorum bibliothecae Mediceae Tom. II p. 487 sq., nuper accuratius Amedeus Peyron in Ciceronis Orationum fragmentis pag. 237 sqq. edit. Stuttg. exposuit. Eas Niebuhrius Romae suo iudicio excerpsit, codicum mss. lectiones, ut existimare par est et apparet, singulari diligentia, nisi quod ad lib. II, 49 adscripsit, se posthac menda nimis foeda omissurum esse, editorum librorum, praeter textum Lambinianum, in aliquot orationibus minore aut nulla ratione habita. Sed de editionibus quidem nulla mihi cura fuit, quas ipse iam accurate contulissem, et perpetuo in commentario conscribendo ante oculos haberem: utinam codicum collatorum numeros verbis explicare et ubi quisque asservetur docere possem. Sed hanc explicationem primum Niebuhrii longinquitas habitationis, et, si fas est dicere, tarditas respondendi ad litteras meas ea de re scriptas, tum clarissimi viri subita mors aliqua ex parte mihi ademit; quamquam ne hoc quidem certo dicere possum, num ipse Niebuhrius de omnibus ex-

ploratum habuerit. Plerosque tamen demonstrare possum, partim ex iis quae Niebuhrius cum Peyronio, Milonianae editore, communicavit, partim ex ipso catalogo bibliothecae Mediceae, siquidem Lagomarsinius laudabili instituto hoc usus erat, ut in ipsis codicibus, quando quemque contulisset, et quem numerum ei dedisset, indicare soleret. Codices mss. in Verrinis collatos numeris ille notavit 1. 5. 6. 14. 27. 29. 42. 45. 48, qui omnes totum corpus Verrinarum continent, praeter 6, in quo desunt libri III. IV. V. Horum

nr. 1 codex membranaceus est saec. XV omnes Ciceronis orationes continens olim bibliothecae S. Bartholomaei Faesulis, in Mediceam sive Leopoldinam translatus: vide supplementa catalogi Bandiniani, Tom. III p. 128.

nr. 6 codex chartaceus S. Marci nr. 106. Quas orationes praeter Verrinas quattuor primas contineat, vide apud Peyronium p. 239.

nr. 14 Mediceus est, plutei XLVIII cod. 14. membranaceus in 4. saeculi XV, solarum Verrinarum, elegantissime exaratus cum variantibus lectionibus et correctionibus alterius manus in margine. Vide Bandinii catalog. codicum Latt. T. II p. 442.

nr. 27 Mediceus, plutei XLVIII cod. 27, membranaceus in fol. minore, solarum Verrinarum, saeculi XV, nitidissimus et optime servatus. Band. eod. T. p. 456.

nr. 29 Mediceus, plutei XLVIII cod. 29, membr. in folio, saeculi XV nitidissimus et optime servatus, solarum Verrinarum. Band. eod. loco.

nr. 45 membr. in fol. saeculi XV olim coenobii Florentini sanctae crucis, in Leopoldinam translatus, vide Bandin. Tom. IV p. 167.

nr. 42 esse puto codicem Verrinarum nr. XLIV bibliothecae Strozzianae nunc in Leopoldinam receptae. Tradit enim Bandinius in catal. Tom. IV p. 383 tale monitum Leonardi Aretini in calce codicis legi: *Hic liber, cum ab initio recte scriptus fuisset, postea corruptus est ab homine, qui cum vellet eum corrigere, corrupit. Quare priorem litteram accepta, correctiones reiice.* Convenit enim hoc in Lagom. 42.

Codices 5 et 48 nunc quidem indicare non possum, sed non dubito quin aut ipse aliquando, aut alius qui ad praeclaros illius urbis thesauros accesserit, indicaturus sit. Fortasse autem inter eos Riccardianus ille est VII orationum Verrinarum, Poggii manu descriptus, de quo Bandinius in Tomo II p. 517 agit, veno positus in Inventario della libreria Riccardi Firenze nr. 499. Alium codicem Verrinarum in fol. minore saeculi XV ex bibliotheca aedilium ecclesiae Florentinae in Mediceam translatum, putarem esse Lagomars. 5, nisi Bandinius in Supplem. catal. Tom. III p. 525 affirmaret, eum codicem a Lagomarsinio non esse collatum. Interim dum haec patefiant, aut etiam, si non patefiunt, detrimentum eius rei nullum est, quoniam quidem de diligentia collationis constat, neque de nomine, sed de virtute cuiusque libri quaerimus. Virtutem autem in eo maxime praestant codices Lagomarsiniani, quod Lag. 29 per totum opus recensionem quandam inter vulgarem sectam et inter optimam quasi mediam servat, quae res quam originem habere videatur mox videbimus: unde fit, ut eius usus auro non sit aestimandus in extrema parte libri I, et aliquot capitibus quinti (a cap. 62 §. 162 usque ad cap. 67 pr.) quae desunt in codicibus familiae melioris. Lag. 42 autem in ceteris libris vulgarem sectam sequitur, in mediis II et III praestantissimis annumerandus est. Cuius rei quae causa sit, patere iam videtur. Nimirum optimum illud exemplar Verrinarum, ex quo tamquam ex communi fonte omnes libri meliores fluxerunt, olim aut casu quodam, aut quia mediae orationes parum iucundae habebantur, discissum videtur esse, qua in ruptura cum perissent extrema libri I folia, factum est, ut postea primae tres cum extremis duabus, aut etiam hae duae solae, et rursus mediae illae separatim describerentur, hae quidem propter severitatem argumenti rarissime. Iam Lag. 42 hoc singulare habet, quod primae et extremae orationes e libro vulgari, mediae autem e meliore descriptae sunt, quae dissimilitudo cum animadversa esset postea, libri II et III a secunda manu correcti et ad similitudinem cum vulgaribus codicibus

reducti sunt. Ea causa est, cur tot locis *primam manum* commemorari vides, quae ad verum inveniendum unice pertinet. Ceteri Lag. VII, aut post librum secundum VI, cum Oxoniensi et Huydecoperano fere consentientes, vulgarem sectam sequuntur, neque alium usum habent, nisi ut editionum principum fides aestimetur, eaque vitia tollantur, quae aut negligentia aut temeritate editorum contra auctoritatem omnium codicum mss. invecta sunt.

Haec igitur subsidia nactus commentarium per sex ferme annos omissum anno 1828 recognoscere, corrigere, locupletare coepi, simulque typographo describendum dare, lente, ut in tali opere, nec huic uni rei vacans. Quorsum autem haec commemoro? Maxime, ut excusatio mihi contingat ab iis, qui an futuri sint nescio, qui me in tanta copia librorum mss. totam istam curam veterum et recentiorum editionum, quid in quaque bene aut male editum sit, abiicere debuisse censeant. Atque ipse nonnunquam ita faciendum censebam, quoniam omnis illa commemoratio, quid Angelius et Naugerius et Hervagius et Stephanus et Lambinus et reliqui ediderint, fallax est saepissimeque nocet, nisi quasi Lydium lapidem adhibeas codices mss., horum autem scripturis accurate recensitis non valde praeclaris illis nominibus opus est. Sed gravissimum mihi accidit totum textum, quod multo labore absolveram, dissolvere; simulque in uno opere vetere clarissimum proponere exemplum cupivi, quemadmodum omnis emendatio paulatim e libris unius cuiusdam generis petita sit, quamque nocuerit ista plurimorum ratio paucula quaedam excerpendi, plura relinquendi, si semel et exploraveris et confessus fueris, esse aliquem integriorem fontem, unde haurire possis. Ad hanc rem utile poterit esse, nec iniucundum iis, qui artem hanc profitentur, quod frequenter commentarius noster in percensendis veterum editionum lectionibus dubitare ac laborare cogitur, donec superveniens commemoratio librorum mss. recens collatorum omnem dubitationis nebulam discutit.

Deinde quod Orellianae editionis in commentario mentionem non feci, existimari nolo accidisse propterea, quod

hominis eruditissimi et hercule laboriosissimi operam contempserim, sed quod eam partem laboris, quae in variis lectionibus editionum commemorandis versatur, dudum absolveram, et copiosius quam fieri potuit ab Orellio, quem Aldina et Victoriana et Hervagiana carentem saepissime in auctoribus cuiusque lectionis indicandis falli necesse fuit. Immo dolebam, Orellium tantam operam in editionum quarundam vanis nominibus posuisse, cum interim vim optimarum lectionum ex ipsis libris mss. aut de margine editionis Lambinianae repetitae colligendarum omitteret propterea, quod sine codicibus mss. quam ille margo auctoritatem habeat, intelligi non potest. Receptis autem meliorum codicum lectionibus Orellius aliquanto plus quam Beckius et Schützius Ciceroni profuit, sed cum saepe accideret ut eius iudicium probarem, tum saepius ab eo mihi dissentiendum erat: quocirca totum istud et laudandi et reprehendendi genus, in quo video nonnullos charta abuti, *ille quoque probavit*, aut *miror illum probasse*, procul amovendum ratus, ibi demum quemque nominavi, ubi proprium aliquid afferre vidi, quod aut laudare aut allatis rationibus redarguere deberem. Vanas coniecturas, quales pleraeque sunt Herelii, et alicuius, quem hoc loco appellare inhumanum esset, describere ac refellere omisi: non quod coniecturas oderim, (sine quibus res nostra nusquam procedit,) sed quod fere brevem vitam habent et omitti debent, si textum ex idoneis libris restituere contigit, aut vera locorum explicatio inventa est. *)

Verumtamen interim, dum hic liber typis describitur, ne quid unquam deesset quod suppleremus, duo libri et editi et ad nos perlati sunt, quos nisi excerperemus, manca et imperfecta nostra editio fuisset. Unus est, quam iam aliquotiens laudavi, Epistola critica Io. Nic. *Madvigii*

---

*) Aliam rem esse de Lambini aliorumque veterum coniecturis apparet, *quae* nisi convincantur pro codicum mss. lectionibus haberi possunt: *sed* etiam horum nonnullas temerarias mutationes in verborum collocatione sciens omisi, silentio codicum mss. redarguens.

ad Io. Casp. Orellium de orationum Verrinarum libris II extremis emendandis, Havniae edita a. 1828, in qua sagacissimus auctor, veterem collationem libri ms., quem supra indicavi videri esse Parisinum 7774 A, nactus demonstrat, plurimis locis ex illo libro et reliquis cum eo concordandantibus, imprimis Lambini *v. c.* in margine repetitae, verba oratoris emendari posse. Supplet ea *collatio Havniensis* accuratissime instituta Graevianam codicis Regii, quocirca ubi ambae commemorantur nec dissentiunt, solum *Regium* appello. Diversitates scripturae omnes in criticam materiam nostram recepi, praeter inutilia menda et ea, quae ad orthographiam solam spectant, *epistula*, *adulescens, pulcherrume, neglegere, intellegere* cum Accusativis in *is* pro *es*, quae sic fere perpetuo in eo codice sunt, sed esse etiam *quadruremis*, *adpulsa*, *inpunita*, alia in Parisino 7774 A e meis excerptis video, de quibus praestat semel in alterutram partem decidere, quam semper eundem lapidem volvere. De ipsius Madvigii observationibus pro fide mea excerpsi quae lectoribus nostris non videbantur neganda esse, etiam ex altero eiusdem Madvigii libro, disputatione critica de Asconii Pediani in Ciceronis orationes commentariis Havn. 1828, paulo serius huc perlato excerpta nonnulla nostris subieci, prouti instituta editionis descriptio patiebatur. De *Asconio* prorsus cum Madvigio sentio, falso eius nomen commentario veteri ad Verrinas priores impositum esse, et infinitum quoddam discrimen esse inter commentarium historicum veri Asconii ad orationes Cornelianas, in toga candida, pro Scauro, in Pisonem, in Milonem, et has scholasticas singulorum locorum explicationes, quibus exiguum bonae frugis a vetustioribus petitum continetur. Quod cum antea Niebuhrio in praef. ad Frontonem p. 34 et meo cuidam sensui credidissem, nunc Madvigii opera res confecta videri debet. Neque tamen omisi passim in annotatione Asconium simpliciter appellare, molestum ratus perpetuo adscribere cautionem.

Sed alterum librum maximopere dolemus, quod non a principio operis nostri aut recognoscendi aut typis descri-

bendi adhibere potuimus, Fragmenta Verrinarum ab Angelo *Maio*, celeberrimo antiquorum librorum inventore, e codice rescripto *Vaticano* edita in Tomo II Classicorum auctorum e Vaticanis codicibus editorum inde a pag. 390 usque ad pag. 537. Liber is in lucem editum se esse a. 1828 titulo profitetur, sed in hanc urbem demum post medium annum 1830 perlatus est, cum typographi nostri in libro IV versarentur. *) Itaque eo in ipso commentario uti non potui, nisi per librum quintum. Reliqua varietas scripturae in *Appendicem* coniicienda fuit, quam institutam habebam ad eam rem, ut, quicquid variantium lectionum esset, quo usus non essem in commentario, et tamen aliquam ob causam non prorsus indignum esset quod commemoraretur, imprimis quod a vetustis editoribus iam correctum esset, quasi in horreum comportaretur. Veruntamen, quod codicem Vaticanum in ipso textu recensendo adhibere non potuimus, non magnum editioni nostrae detrimentum attulit. Primum quod fragmenta tantum sunt, nec ea ubique satis certo legi potuerunt, **) deinde quod ipse liber, quamvis omnium vetustissimus sit pulcherrimeque scriptus, adeo ut Angelo Maio primorum Caesarum aetate non indignus videatur, tamen integritate cedit iis libris, quos ex illo antiquissimo separatim descriptos ac propagatos esse supra indicavimus. Nam cum eius mendositatem ex paucis paginis Appendicis nostrae cognoscere possis, tum verus parens lectionis vulgaris videtur esse, ita quidem, ut ex eo aut germano quodam primum male descripti videantur illi libri, quos inter vulgares et integros quasi medium tenere videmus, quales sunt Parisinus B (7776) et Lag. 29, deinde ex his, cum nova et pessima interpolatio accessisset, tota

---


*) Non omittam gratiae significationem, quam Bardilio, Viro nostrarum litterarum peritissimo, debeo, qui primus me perquam humaniter illius libri admonuit, et usum, si non haberem, obtulit.

**) Quocirca silentio eius, ubi Maius lectionem Graevianam posuit, non plane credi potest, nosque *Vaticanum codicem* a *Vaticana editione* discernere debuimus.

cohors vulgarium nata. *) Nam glossas non raro habet, velut I, 47 §. 122, ubi tribunus plebis a Cicerone non nominatur, in Vaticano *Quintius* adiicitur, II, 62 §. 152, ubi pro *togato* explicationem habet *civem Rom.* V, 45 pr. *intro ferre*, imprimis autem V, 47 §. 125. Itaque eius usus maximus est in fine libri primi, ubi nostri meliores defecerunt, nec ausi sumus ex uno Lagomars. 29 omnia vitia in vulgata latentia tollere: etiam in libro II et III, cum ad unum et alterum eorum, quos meliores appellamus, accedit, rem decernit, paulo rarius nova, quae quidem vera sint, affert: in numeris autem prorsus adiumento reliquorum eget. Per librum quartum quintumque vix eius auctoritate opus fuit. In huius tamen libri bonis malisque scripturis excerpendis, nisi quae ad orthographiae inconstantiam pertinent, omnem operam posui, et bonas, quae ad augendam et corrigendam annotationem nostram pertinent, quo facilius in oculos incurrerent, maioribus typis describendas curavi. Eadem opportunitate usus sum, ut alios nonnullos errores meos corrigerem, in excerpendis codicibus Guelferbytanis commissos. Eos enim ante multos annos, temporis spatio, ut fit, praefinito, necdum plenae cuiusdam editionis consilio capto in primis orationibus paulo velocius percurreram, quod cum non sine molestia animadvertissem, litteris ad Eignerum, meritissimum virum, nuper bibliothecae Guelferbytanae praefectum datis petivi, ut denuo copia mihi fieret illorum librorum. Qua liberaliter permissa (neque huius rei gratiam cum illi, tum rerum Brunsvicensium rectoribus testari omittam) in Appen-

---

*) Sic hoc fere stemma codicum mss. nascitur:



dice quae aut minus recte a me posita erant, aut de quibus dubitaram, supplevi.

Atque haec hactenus: reliqua annotatio mea, quae in rebus explicandis versatur, interprete non eget: et cupio desinere. Tantum dicam me ab ostentatione variae cuiusdam doctrinae remotum nihil aliud petivisse, quam singulorum locorum explicationem ad eum finem, ut difficultates, quibus adhuc obsepta esset, tollerentur. Itaque quae abunde ab aliis explicata essent, indicatis locis, unde peti possent, omisi. Expatiari quidem in hoc genere quamvis ipsi commentatori iucundum sit, neque volui neque potui: tantum in summo brevitatis studio criticae et grammaticae notae, si aliquid et ipsae rei continere deberent, spatium sibi vindicarunt: neque ad illam rem editiones veterum scriptorum, sed peculiares de rerum doctrina libri destinati sunt. Vale, mi lector, et si libri emendata descriptio tibi placebit, non exiguam huius rei gratiam puta deberi cum duobus amicis meis, quos hoc loco non nominabo, tum erudito iuveni, Aug. Krausio, qui in ea re suam mihi industriam ac diligentiam magnopere probavit.

Scrib. Berolini extremo mense Maio a. 1831.

De *inscriptionibus* singulorum librorum constituere per codices mss. difficile est, quia de aliis nescimus, alii et fere optimi inscriptionibus et subscriptionibus carent, ut Guelf. 2 ex optimo libro descriptus. Vulgares aut *Accusationum in C. Verrem libros* septem numerant, aut inscribunt *Liber I. II. III* et sic porro usque ad septimum. In Guelferbytano I subscribitur in primis orationibus *Explicit liber primus, incipit secundus: Explicit liber secundus, incipit tertius: Explicit liber tertius.* Et tamen libro IV secundae actionis, qui sic numeranti *sextus* esse debebat, subscribitur *Explicit liber quartus, incipit quintus.* In Lag. 29 Divinatio inscribitur *in C. Verrem liber primus*, in fine eius est *M. T. C. de accusatore liber primus explicit:* Actio I *Incipit secundus*, in fine *M. T. C. in C. Verrem actio prima explicit*: Actionis secundae liber I *Incipit actio secunda feliciter*, in fine *M. T. C. in C. Verrem liber tertius explicit:* liber II *Incipit liber quartus feliciter:* reliqui nihil inscriptionis habent. Lagom. 42 Actionem I inscribit *Accusationis in C. Verrem actio I*, et librum I nostrum *Actionis secundae in C. Verrem liber primus de praetura urbana.* Vaticanus rescriptus unam subscriptionem habet in fine libri I *in C. Verrem explicit feliciter*, quae sequitur inscriptio, *in C. Verrem liber secundus*, non docemur, utrum sic in codice legatur, an ab editore suo arbitrio posita sit. Nec in Erfurtensi fragmenta tertii et quarti libri aliter appellantur nisi *M. T. C. oratio in Verrem.* Quodsi Lagomarsiniano 42 et Guelf. 2 ex parte credimus, libros actionis secundae numerabimus a primo usque ad quintum, quemadmodum Quintilianus XI, 2, 25 *in quinque contra Verrem actionis secundae libris* ait. Eosdem Tacitus in dial. de oratoribus c. 20 *quinque in Verrem libros* dicit, et Festus, dum primum laudat s. v. *redivivum* et A. Gellius perpetuo *orationes, secundam, tertiam, quartam, quintam, in Verrem* simpliciter. Sed ipse Cicero *Accusationis* nomine eos appellat in Orat. c. 50 *illa in quarto Accusationis, c.* 62 *nos in Accusationis secundo,* et statim *in quarto Accusationis*, actionem secundam et eius quinque libros numerans. Itaque Divinationem et Actionem I separamus, quemadmodum Diomedes lib. II p. 464 Putsch. *Cic. in principio Divinationis* Priscianus p. 902 Putsch. *Ciceronem in Divinatione* laudat, et Charisius p. 116 corrupte *Ciceronem de Divinatione in Verrem.*

Neque tamen omittendum, septem orationes in causa Verrina communi nomine *Verrinarum* a grammaticis comprehendi, ut *Verrinarum primus* dicatur Divinatio, *tertius* actionis secundae liber primus, *quartus* eius liber secundus. Vide de Prisciano Henr. Meyerum ad Cic. Orat. c. 29. *Actiones* singulas vocari, sicut apud Nonium in v. *reticulum Actio VII* Accusationis liber quintus dicitur, barbarum. Quin ipse Cicero septem libros Accusationis numeravit, si scriptura in l. l. Oratoris vera est, mihi vero ibi numerus tollendus videtur.

Reliquas inscriptiones de Lagomarsinianis codicibus unus habet 27 teste Bandinio in Catalogo bibliothecae Mediceae, Divinationis *de constituendo accusatore*, libri I *de praetura urbana*, libri II *de iudiciis*, III *de re frumentaria*, IV *de signis*, V *de suppliciis*, quae videntur a grammaticis inventae esse, quemadmodum Eutyches in Putsch. collectione p. 2174 *Ciceronem in praetura Siciliensi*, Nonius (v. *Longum*) *M. Tullium in Verrem de praetura Siciliensi*, laudant, uterque librum II intelligens, et Priscianus p. 690 *Cicero*, ait, *in libro Verrinarum, qui est de suppliciis.* In Nanniano codice libri III inscriptio inventa est *liber secundus* (cum duo tantum in eo codice sint) *de lege frumentaria.*

De edd. vett. sic accipe: in Ascensiana Divinatio inscribitur *Divinatio in C. Verrem, quae est lectio I* (voluit *Actio*) reliqui libri sic inscribuntur: *Actio prima: Actio II de praetura urbana et anteacta vita, ut inquit Asconius:* (liber I) *Accusatio seu Actio III de Iuris dictione: Actio: IIII Actio V de signis ut Nonius appellat: Actio VI et ultima quae Gellio quinta est: de suppliciis, ut ait Nonius Marcellus.* (Vides errorem coepisse ab ea, quae vere est, Act. I) In Iuntina singuli libri inscribuntur *M. T. C. in C. Verrem Accusationum I—VII*, in Aldina *Accusationis in C. Verrem liber primus, qui divinatio dicitur*, et sic porro *Accusationis in C. Verrem liber II—VII.* Hanc inscriptionem reliqui servarunt usque ad Lambinum, qui plenius et accuratius Divinationem inscripsit *M. T. C. in Q. Caecilium oratio de accusatore in C. Verrem constituendo, quae Divinatio dicitur:* Act. I *Prooemium seu principium actionis primae in Verrem, quod cohortationem iudicum ad severe iudicandum, comminationem in adversarios, expositionem rationis consilii sui, quamobrem in accusando Verre perpetua oratione non sit usurus, continet:* Lib. I *Actio secunda, seu accusationis in C. Ver-*

rem liber primus, de vita anteacta seu praetura urbana: lib. II *Accusationis in C. Verrem liber secundus, de iurisdictione Siciliensi:* lib. III *Accus. in C. V. lib. tertius de frumento, seu oratio frumentaria:* lib. IV *Accus. lib. quartus in C. Verrem:* lib. V *Accus. liber quintus in C. Verrem, de suppliciis.* Gruterus ceterum servavit Lambinianas inscriptiones, sed in Act. I argumenti explicationem omisit, librum I inscripsit *Actionis secundae in C. Verrem liber primus, de praetura urbana,* reliquos tamen *Accusationis in C. Verrem libros* appellavit, quarto addidit argumenti significationem *de signis.* Gruterum secutus est Ernestius, Graevius librum I mendose inscripsit *Actionis in C. Verrem seu Accusationis lib. I,* cum voluisset haud dubie *Actionis secundae.*

M. TULLII CICERONIS

ORATIONUM VERRINARUM

LIBRI SEPTEM.


BRITISH MUSEUM

M. TULLII CICERONIS

IN

Q. CAECILIUM

ORATIO

QUAE

DIVINATIO DICITUR.

ARGUMENTUM VETERIS ENARRATORIS,

qui vulgo Asconius Pedianus dicitur, descriptum ex editione Graeviana.

Cn. Pompeio primum et M. Crasso coss. C. Verres perfunctus quaestura, legatione, et praetura urbana, vivo patre C. Verre, et praetextato filio, ac filia nupta,[1]) uxorem habens, cum successisset in Sicilia C. Sacerdoti praetori, eamque non sibi succedente Arrio per triennium tenuisset, atque in ea fuisset libidinose, avare, crudeliterque versatus, succedente tandem in eadem provincia L. Metello, repetundarum reus ab Siculis postulatus est: qui omnes, praeter Syracusanos et Mamertinos, M. Tullium, illo tempore florentem defensionibus amicorum, ad accusandum descendere compulerunt, iam pridem illis necessitudine copulatum, quod quaestor in Sicilia fuisset praetore Sex. Peducaeo, et quod, cum decederet, in illa oratione, quam Lilybaei habuit, multa iis benigne promisisset. Accessit his non ignobilis futura de Verre victoria, quia a Metellis, Scipionibus, et multis aliis nobilibus viris, et praecipue ab Hortensio ipso defenderetur,[2]) facile et principe in senatu propter nobilitatem, et in foro ob eloquentiam rege causarum, et eodem consule designato cum Q. Metello fratre Metellorum, alterius praetoris Siculi, alterius praetoris urbani. His ita constitutis extitit Q. Caecilius Niger, domo Siculus, et quaestor Verris, et eiusdem, ut ipse dicebat, inimicus, qui se potius accu-

---

1) Generi meminit Cicero lib. II, 20.

2) Hortensii oratio pro Verre circumferebatur Quintiliani tempore; vide Instit. orat. X, 1, 23. Sed fictam puto.

satorem contenderet constitui oportere, has afferens causas: unam, quod ab eo laesus, et ob hoc iure illi sit inimicus, quare praevaricator esse non possit: alteram, quod, cum quaestor ei tum fuerit, etiam ipse in quaestura[3]) crimina noverit Verris: tertiam, quod Siculus pro Siculis agat. Huiuscemodi propositionibus Cicero designatus aedilis his sex capitibus respondet, accusatorem eum esse oportere: Qui invitus cogitur religione officii, rogatus ab omnibus Siculis: Qui pro re publica agat: Quem volunt, qui accusant: Quem metuit, qui accusatur: Qui idoneus est facundia et innocentia: Qui hoc facit imitatione maiorum. Divisio principalis una de se ipso, altera de contentione sui et Caecilii.

Divinatio dicitur haec oratio, quia non de facto quaeritur, (haec coniectura,)[4]) sed de futuro, quae est divinatio, uter debeat accusare. Alii ideo putant divinationem dici, quod iniurati iudices in hac causa sedeant, ut, quod velint, praesentire de utroque possint. Alii, quod res agatur sine testibus et sine tabulis, et his remotis argumenta sola sequantur iudices, et quasi divinent.

Agitur autem causa senatoriis iudiciis in invidia apud populum constitutis corruptione multorum, vexatis provinciis omnibus, ac sociis populi Romani fessis toto orbe terrarum,[5]) accusatoribus praevaricatione infamibus, flagitante plebe iudicia equestris ordinis, quae ferme ante annos X victor Sulla sustulerat, cognoscente de pecuniis repetundis M'. Glabrione praetore, et amplissimis quibusque senatorii ordinis iudicantibus, summa expectatione cunctorum.

Genus causae, honestum. Status, qualitas negotialis comparativa de constituendo accusatore, qui potissimum de duobus, aut qui solus accuset: dicit enim Caecilius, aut a se accusandum esse Verrem, aut a se quoque.

---

3) Sic scribendum coniecerat Hotomanus, et scripsit Graevius, secundum librum msc. pro olim vulg. *in quaestione*. Sed oratio languet. Itaque alii olim *etiam sine inquisitione*, ipse in textus descriptione *etiam sine quaestione* scribendum esse putavi. Sed non opus est elegantiam orationis requirere, ubi non videtur fuisse.

4) Relicta scriptura Graeviana, quae haec est, *quia non de facto quaeritur et coniectura*, restitui veterem editionis Aldinae, interpunctione adiutam. Cf. lib. I ad Herenn. c. 11 *Coniecturalis constitutio est, cum de facto controversia est.*

5) Nolui repetere commentum Hotomanianum, quo plus Graevius *libidine et iniquitate Romanorum magistratuum.*

Si quis vestrum, iudices, aut eorum, qui adsunt, 1
forte miratur, me, qui tot annos in causis iudiciisque 1
publicis ita sim versatus, ut defenderim multos, laeserim neminem, subito nunc mutata voluntate ad accusandum descendere: is, si mei consilii causam rationemque cognoverit, una et id, quod facio, probabit, et in hac causa profecto neminem praeponendum mihi esse actorem putabit.

Cum quaestor in Sicilia fuissem, iudices, itaque 2

---

§. 1. *Descendere]* Qui solam sibi auctoritatem vetustatis sequendam putabunt, ii in ipso statim orationis principio Ciceronem soloece loqui iubebunt. Nam dubium non est quin altera scriptura *descenderim* multo plus externae quasi fidei habeat. Iam vetus enarrator, qui quamvis non sit Quintilianeus ille Asconius, vetustior tamen est codicibus nostris, sic annotavit: *Hoc toto capite soloecismi species continetur, nisi addas et aut idem, ut sit et subito nunc mutata voluntate ad accusandum descenderim, quare multi non descenderim legunt, sed descendere.* Significat igitur, qui libri *descendere* exhibeant, minoris esse fidei; et ita est. Nam Pal. 1. Franc. 1. Lagom. 6. 14. 42. 45. 48 ceteris neque numero neque bonitate (in hac quidem operis parte) pares sunt, Lambini omnibus, Pal. 2. Oxon. ψ Leid. Guelf. ambobus, aliis. Neque ego tamen adducor ut exemplo Car. Stephani, Lambini, Garatonii *descenderim* restituendum censeam. Nam qua illi ratione utuntur ad soloecismum tollendum, ut *miratur me* coniungant, quam diserte exponit Muretus Var. Lectt. XVII, 9 ferri aliquo modo posset, nisi medium intercederet illud *ita sim versatus ut.* Nunc nihil prorsus aliud video, quod quis excusandi causa adicat, nisi oratorem oblitum esse incepti sermonis et verbi modum adiunxisse praegressis, quod ipsum in principio orationis et tam facili tamque usitato constructionis genere vix videtur fieri potuisse. Nos igitur antiquum fuisse mendum putamus, ortum ex eo quod *descendere is* a vetere librario coniungeretur, id quod re vera factum est in Lagom. 1. Verumtamen tantum abest ut quicquam hanc ob causam de fide librorum, in quibus *descenderim* legitur, detrahi velim, ut etiam confirmari videatur magnopere. — *praeponendum mihi esse actorem]* Vulgo post Car. Steph. inverso ordine *esse mihi*, quo nos dedimus Lambini vet. cod. in marg. repetit. Paris. D. Guelf. 1. Lag. 29. Ceteri Lag. cum edd. vett. fere *mihi esse praeponendum actorem.*

ex ea provincia decessissem, ut Siculis omnibus iucundam diuturnamque memoriam quaesturae nominisque mei relinquerem, factum est, uti cum summum in veteribus patronis multis, tum nonnullum etiam in me praesidium suis fortunis constitutum esse arbitrarentur. Qui nunc populati atque vexati cuncti ad me publice saepe venerunt, ut suarum fortunarum omnium causam defensionemque susciperem: me saepe esse pollicitum, saepe ostendisse dicebant, si quod tempus accidisset, quo tempore aliquid a me require-
3 rent, commodis eorum me non defuturum. Venisse tempus aiebant, non iam ut commoda sua, sed ut vitam salutemque totius provinciae defenderem: sese iam ne deos quidem in suis urbibus, ad quos confugerent, habere, quod eorum simulacra sanctissima C. Verres ex delubris religiosissimis sustulisset: quas res luxuries in flagitiis, crudelitas in suppliciis, avaritia in rapinis, superbia in contumeliis efficere potuisset, eas omnes sese hoc uno praetore per triennium pertulisse: rogare et orare, ne illos supplices aspernarer, quos, me incolumi, nemini supplices esse oporteret.

2 Tuli graviter et acerbe, iudices, in eum me locum
4 adduci, ut aut eos homines spes falleret, qui opem a

---

§. 2. *ex ea provincia decessissem]* Leidensis et Guelf. 1 *discessissem*, et edidit Car. Stephanus. Cuius exemplum reliqui secuti non sunt, nec ego sequor. Nam *discedere* incertum reddit quo se contulerit, cum Romam se redisse orator significet; itaque sic etiam p. Planc. 26 *decedens e provincia* de hoc eodem ex Sicilia Romam itinere, et infra c. 9 de Caecilio: *antequam de Sicilia decesseris*. — *accidisset]* Ernestius pro suo Latinitatis sensu propemodum videtur maluisse *incidisset*, certe hoc dicit usitatius esse. Non puto, sed *tempus accidit* significationem rei adversae habet etiam in epist. ad Appium 10 non multo post initium.

§. 4. *adduci]* Sic Paris. D. et vet. cod. in margine Lamb. Franc. 1. Oxon. ψ Leid. Huydec. Mein. ambo Guelf. Lag. 29. 42. 5. 27, item edd. vett. usque ad Naugerium (Ald. edit.), qui primus *adductum* edidit, quem secuti sunt reliqui. Stephanus et Lamb. e suis libris mss. *ad-*

me atque auxilium petissent, aut ego, qui me ad defendendos homines ab ineunte adolescentia dedissem, tempore atque officio coactus ad accusandum traducerer. Dicebam, eos habere actorem Q. Caecilium, qui praesertim quaestor in sua provincia fuisset. Quo ego adiumento sperabam hanc a me posse molestiam demoveri, id mihi erat adversarium maxime. Nam illi multo mihi hoc facilius remisissent, si istum non nos-

---

duci restituerunt, sed Gruterus auctoritate duorum Pall. motus, ad Aldinam rediit itemque recentiores usque ad Garatonium. Potest sane utrumque probari, sed si *tuli* Aoristi vim habet, praeferendum *adduci.* — *auxilium petissent]* *Expectassent* edidit P. Manutius, retinuitque ex Stephaniana Lamb. quamvis in omnibus libris mstis esse diceret *petissent.* Neque exputare possum, qua auctoritate illud alterum editum sit, cum edd. vett. (etiam Ascens. 1511) *petissent* sive *petiissent* habeant. Codicum scripturam restituerunt iam repetitores Lambinianae. — *eos habere]* Hoc verba ordine collocantur in Guelf. 1 Par. D. editt. Steph. Lamb. Tum *in sua provincia* iidem et Leidens. et vet. cod. in marg. Lamb. pro vulg. *in eadem provincia.* Sed ambo Guelf. et Leid. et Par. D. omittunt etiam verba *post me Quaestorem*, quae in editis quidem omnibus post *provincia* leguntur. Quin glossae speciem habeant, neminem puto dubitare, aptius etiam fuisset *cum C. Verre*, neque enim in ea re vis ulla posita est, quod Q. Caecilius post Ciceronem Quaestor fuerit. — Quod sequitur vulgo *dimoveri* Lambinus primus sine codicibus, ut videtur, scripsit *demoveri*, eumque Ernestius imitatus est, satis hodie constare affirmans, ubi sequeretur praep. *de* vel *ab* (addere poterat vel *ex)* *dimovere* poni non posse. Sed Garatonius contra Lambinum et Graevium disputans multos locos laudavit, in quibus temere ab illis *demovere* scribi putaret. Res est sine dubio difficilis ad diiudicandum, sed ego tamen nullum fere locum apud Ciceronem novi, ubi *dimovere* tuto legatur, nam in plerisque eorum, quos Garat. laudavit, codices mss. recens collati alteram illam formam exhibent. Unus relinquitur ep. ad Att. 4, 16 ubi est *Scaevolae personam dimovi*, hoc est; removi e conspectu, a qua sententia *demovi* alienissimum esset. Hoc autem loco quin optime conveniat *demoveri* nemo dubitare potest, sed codicum auctoritatem desiderant. En adsunt sex Lagom. 1. 6. 14. 27. 45. 48. non sane integerrimi, nam Guelf. ambo habent *dimoveri*, sed in eiusmodi re, si modo de usu scriptoris constat, non superstitiosi esse debemus. Act. 1, c. 17 extr. *demovere*, quod Garat. a Lambino nullis codd. mss. auctoribus scriptum putavit, Lagom. praeter unum omnes et Guelferbytani. Cf. item ad IV, 45, 100.

5 sent, aut si iste apud eos quaestor non fuisset. Adductus sum, iudices, officio, fide, misericordia, multorum bonorum exemplo, veteri consuetudine institutoque maiorum, ut onus huius laboris atque officii, non ex meo, sed ex meorum necessariorum tempore, mihi suscipiendum putarem.

Quo in negotio tamen illa me res, iudices, consolatur, quod haec, quae videtur esse accusatio mea, non potius accusatio quam defensio est existimanda. Defendo enim multos mortales, multas civitates, provinciam Siciliam totam. Quamobrem, quia unus mihi est accusandus, propemodum manere in instituto meo videor, et non omnino a defendendis hominibus sub-
6 levandisque discedere. Quodsi hanc causam tam idoneam, tam illustrem, tam gravem non haberem; si aut hoc a me Siculi non petissent, aut mihi cum Siculis causa tantae necessitudinis non intercederet, et hoc, quod facio, me rei publicae causa facere profiterer, ut homo singulari cupiditate, audacia, scelere praeditus, cuius furta atque flagitia non in Sicilia solum, sed in Achaia, Asia, Cilicia, Pamphylia, Romae denique ante

---

§. 5. *veteri consuetudine institutoque maiorum]* Ascon. et alter anonymus enarrator sic verba oratoris laudant: *vetere consuetudine*, hic praeterea *more* addit ante *instituto*. De *vetere* et *veteri* cf. Drakenborch. ad Liv. X, 18, 8 et Heusingeros ad Cic. de Off. 1, 35, 8 neque in his orationibus memini me invenire *veteri*, cum frequens sit *vetere*. Sed tamen contra omnes libros mss. antiquos interpretes non explicantes, sed laudantes sequi quis audeat? — *onus huius laboris]* Sic Guelf. ambo et Par. D. Vulgo *onus hoc laboris*.

§. 5. *illa me res]* Guelf. 1 *illa res me iudices*. 2 *illa res mde* ut pronomen cum frequentissima nota *iud* confluxisse videatur. Lag. 29 *cons. iudices*. — *Quamobrem quia unus mihi est accusandus]* Sic Guelf. ant. Alter cum Lambini vet. cod., quem Paris. D. puto esse, et edit. Car. Stephani *quia mihi unus*. Vulgo *si mihi unus*. — *videor]* Edidit Car. Steph. *video me*, non Lambinus, sed hic in annotatione libros suos (in marg. repet. solito modo est *v. c.*) illam Stephanianam scripturam exhibere tradit. Quod annoto, quia sic etiam Guelf. recentior et Paris. D.

oculos omnium maxima turpissimaque nossemus, me agente in iudicium vocaretur: quis tandem esset, qui meum factum aut consilium posset reprehendere? Quid est, pro deum hominumque fidem! in quo ego rei publicae plus hoc tempore prodesse possim? Quid est, 3
quod aut populo Romano gratius esse debeat, aut so- 7
ciis exterisque nationibus optatius esse possit, aut saluti fortunisque omnium magis accommodatum sit? Populatae, vexatae, funditus eversae provinciae, socii stipendiariique populi Romani afflicti, miseri, iam non salutis spem, sed solatium exitii quaerunt. Qui indi- 8
cia manere apud ordinem senatorium volunt, queruntur, accusatores se idoneos non habere; qui accusare possunt, iudiciorum severitatem desiderant. Populus Romanus interea, tametsi multis incommodis difficultatibusque affectus est, tamen nihil aeque in re publica atque illam veterem iudiciorum vim gravitatemque requirit. Iudiciorum desiderio tribunicia potestas

---

§. 6. *meum factum aut consilium]* Graevius e cod. Franc. pr. ordinem verborum invertit *meum consilium aut factum*, scilicet ut λογικωτέρα sententia fieret. Adstipulatur Lallemand. sic habere suos (Parisinos) codices affirmans. Sed ego homini in toto hoc negotio librorum conferendorum levissimo non credo. Nam ex tot aliis codicibus mss. quos accurate collatos habemus, ne unus quidem auctor fit et trium Parisinorum bibl. reg. unus certe 7823, quem D appello et cuius variantibus scripturis ad Stephanianam edit. exactis utor, nihil discedit a vulg. Illa quidem ὑστερολογία neque a ceteris scriptoribus Latinis nec ab ipso Cicerone aliena est: Terent. Heaut. III, 1, 21 *valet atque vivit;* Nep. Pelop. 2 *a quo et tempus et dies erat datus*, tempus enim dicit horam diei; Liv. XXXII, 33 *incendere ac diripere urbes;* Cic. de Legg. I, 22 *quanta instrumenta habeat ad obtinendam adipiscendamque sapientiam.*

§. 7. *Populatae, vexatae]* Ambo Guelf. *vexataeque.* Mox *solatium exitii* iidem et Lambini vet. cod. (Paris. D.) et Leidensis. Cui consensui erat parendum, praesertim cum praecessisset *non salutis spem*, quae verbb. collocatio Ciceronianae rationis imperitos ad alium ordinem instituendum adducere potuit. Scripserunt sic etiam Car. Stephanus et ipse Lambinus, quod omiserunt repetitores.

efflagitata est: iudiciorum levitate ordo quoque alius ad res iudicandas postulatur: iudicum culpa atque dedecore etiam censorium nomen, quod asperius antea populo videri solebat, id nunc poscitur, id iam popu-
9 lare atque etiam plausibile factum est. In hac libidine hominum nocentissimorum, in populi Romani cotidiana querimonia, iudiciorum infamia, totius ordinis offensione cum hoc unum his tot incommodis esse remedium arbitrarer, ut homines idonei atque integri causam rei publicae legumque susciperent: fateor, me salutis omnium causa ad eam partem accessisse rei publicae sublevandae, quae maxime laboraret.

10 Nunc, quoniam, quibus rebus adductus ad causam accesserim, demonstravi, dicendum necessario est de contentione nostra, ut in constituendo accusatore quid sequi possitis habeatis. Ego sic intelligo, iudices: cum de pecuniis repetundis nomen cuiuspiam deferatur, si certamen inter aliquos sit, cui potissimum delatio detur, haec duo in primis spectari oportere, quem maxime velint actorem esse ii, quibus factae esse dicantur iniuriae, et quem minime velit is, qui eas iniurias fecisse arguatur.

---

§. 8. *atque etiam plausibile]* Vulgo *atque plausibile*. Steph. et Lamb. ediderunt *et plausibile* cum Paris. D. Lagom. 29. 42; Gu. rec. cum vulgata consentit, antiquior *atque etiam plausibile*, quod et rei aptum est sensu intensivo (de quo vide Goerenz. ad lib. V de Fin. c. 17 extr.) et rationem ceterarum varietatum explicandarum ostendit. Ex eodem libro manuscr. est paulo post *esse remedium arbitrarer*, gratiore verborum collocatione quam vulgo *remedium esse arbitrarer*.

§. 9. *rei publicae sublevandae]* Maluerunt F. Ursinus et Garat. *sublevandam*, quod pertineret ad *eam partem rei publicae*, quae continetur iudiciis. Sed codicum consensus vulgatam scripturam firmiter tuetur. Intellige igitur accusationes nocentium, quoniam non convenit oratorem existimare casuum potius similitudine quam certa ratione in construendis verbis ductum esse.

§. 10. *et quem minime velit is]* Car. Stephanus ex codice vet. (fortasse Paris. D.) quocum faciunt Leid. et Guelf. 2 edidit *maxime*,

In hac causa, iudices, tametsi utrumque esse ar- 4
bitror perspicuum, tamen de utroque dicam, et de eo 11
prius, quod apud vos plurimum debet valere, hoc est, de voluntate eorum, quibus iniuriae factae sunt; quorum causa iudicium de pecuniis repetundis est constitutum. Siciliam provinciam C. Verres per triennium depopulatus esse, Siculorum civitates vastasse, domos exinanisse, fana spoliasse dicitur. Adsunt, queruntur Siculi universi: ad meam fidem, quam habent spectatam iam et diu cognitam, confugiunt: auxilium sibi per me a vobis atque a populi Romani legibus petunt: me defensorem calamitatum suarum, me ultorem iniuriarum, me cognitorem iuris sui, me actorem causae
totius esse voluerunt. Utrum, Q. Caecili, hoc dices, 12
me non Siculorum rogatu ad causam accedere, an optimorum fidelissimorumque sociorum voluntatem apud hos gravem esse non oportere? Si id audebis dicere,

---

prorsus contra sensum. Itaque Lambinus, relicto illo, in annotatione tamen dicit libros manuscriptos habere *maxime velit*, unde ipse putat fieri posse *maxime nolit*. Idem tradit Gruterus ex Gulielmi schedis, esse in cod. Cuiaciano, ni tamen diversis his nominibus unus liber venit: saltem inter Lambinianos esse Cuiacianum constat. Sed hoc nemo annotavit aut annotare voluit, item fuisse ante in aliquo illorum, quod in Guelf. 2 legitur, *quem maxime nolint*. Sunt autem haec omnia menda librorum non insolita, quibus animadversis sanandus est locus orat. p. Rosc. Amer. c. 38, ubi pro eo quod est *Suscipis onus officii, quod te putas sustinere posse, quod minime videtur grave iis, qui minime ipsi leves sunt*, legendum videtur *maxime videtur grave*.

§. 11. *et diu cognitam*] Stephanum et Lambinum vocem *diu* omittentes tuentur libri manuscr. Par. D. et Leidensis, in Guelf. ambobus, nisi ipse erravi, videtur adesse. Alibi sane aliqua res aut coniunctim *spectata et cognita* aut simpliciter *cognita* tantum vocatur. Sed h. l. videntur tamen aures plenius aliquid desiderare. In fine huius sententiae Guelf. rec. et Leid. *volunt* exhibent pro *voluerunt*, tacente Lambino.

§. 12. *hoc dices*] Stephani editio, Lamb. vet. cod. Par. D. Guelf. rec. Lagom. 29 *dicis*, nec abit in diversum Leidensis libri scriptura *dicit*. Vulgata, pro qua Guelf. ant. stat, melior videtur ex seqq.

quod C. Verres, cui te inimicum esse simulas, maxime existimari vult, Siculos hoc a me non petisse: primum causam inimici tui sublevabis, de quo non praeiudicium, sed plane iudicium iam factum putatur, quod ita percrebruit, Siculos omnes actorem suae causae con-
13 tra illius iniurias quaesisse. Hoc si tu, inimicus eius, factum negabis, quod ipse, cui maxime haec res obstat, negare non audet: videto, ne nimium familiariter inimicitias exercere videare. Deinde sunt testes, viri clarissimi nostrae civitatis, quos omnes a me nominari non est necesse: eos, qui adsunt, appellabo: quos, si mentirer, testes esse impudentiae meae minime vellem. Scit is, qui est in consilio, C. Marcellus: scit is, quem adesse video, Cn. Lentulus Marcellinus: quorum fide atque praesidio Siculi maxime utuntur, quod

---

§. 12. *percrebruit]* Ernestius editt. vett. et cod. Guelf. 2 auctoritate abusus *percrebuit* scripsit, aliis tamen locis v. c. Act. I, 1. lib. II, 3. 23. lib. IV, 43. Phil. XIV, 5 odiosam litteram servavit, corrigendi opinor incuria. Nimirum approbavit ille P. Manutii ad epist. VII, 20 sententiam, in verbis quae derivata essent ab eo, quod est *creber*, ob faciliorem pronuntiandi rationem sicut in verbo *erubescere* fieret, litteram *r* elidi debere. Eandem opinionem nuper defenderunt Buttmannus ad Quint. XI, 3, 11 et Heindorfius ad Horat. Serm. II, 5, 93 parum adiuti optimorum librorum auctoritate. Nam duobus locis, ubi *increbrescere* legitur apud Virgilium, codex Mediceus eam litteram retinet, item Vaticanus liber Philippicarum l. l. videtur exhibere, Victorii editio epistolarum et nostri Verrinarum libri ita variant, ut saepius tamen *r* retineant. Neque comparatio verbi *erubescere* prodest, cum primitivum non sit *ruber*, *rubra*, *rubrum*, sed *rubere*, unde *rubidus*. In reliquis autem verbis, quae ab adiectivis derivantur, qualia sunt *aeger*, *miser*, *piger*, *scaber*, *taeter* litteram *r* servari constat, quamquam in illis non sit duplex. Sed ne duplicem quidem adeo intolerabilem fuisse, probare potest verbum *cribrum* et *cribrare*, nec omnino talis videtur sermo Romanus fuisse, qui solius soni causa litteram certa analogia defensam eiiceret. Itaque non utar equidem rationibus, sed testimoniis tamen de codicum scriptura Oudendorpii ad Sueton. Caes. 79, Drakenborchii ad Silium Ital. X, 1 et ad Livium XLV, 1, Burmanni ad Virgil. Georg. I, 359 et ad Sueton. Aug. c. 11 et Tib. item cap. 11.

§. 13. *non est necesse]* Guelf. ant. *necesse non est.* — *utuntur]*

omnino Marcellorum nomini tota illa provincia adiuncta est. Hi sciunt, hoc non modo a me petitum esse, 14
sed ita saepe et ita vehementer esse petitum, ut aut causa mihi suscipienda fuerit, aut officium necessitudinis repudiandum.

Sed quid ego his testibus utor, quasi res dubia aut obscura sit? Adsunt homines ex tota provincia nobilissimi, qui praesentes vos orant atque obsecrant, iudices, ut in actore causae suae deligendo vestrum iudicium ab suo iudicio ne discrepet. Omnium civitatum totius Siciliae legationes adsunt, praeter duas civitates: quarum duarum, si adessent, duo crimina vel maxima minuerentur, quae cum his civitatibus C. Verri communicata sunt. At enim cur a me potissi- 15
mum hoc praesidium petiverunt? Si esset dubium, petissent a me praesidium necne, dicerem, cur petissent. Nunc vero, cum id ita perspicuum sit, ut oculis iudicare possitis, nescio cur hoc mihi detrimento esse debeat, si id mihi obiiciatur, me potissimum esse delectum. Verum id mihi non sumo, iudices, et hoc non 16

Editi *nituntur*, sed *utuntur* scripti ad unum omnes, quorum quidem accuratior notitia est, etiam Pall. et Cui. apud Gruterum.

§. 14. *his testibus]* Fateor me dubium esse animi, an ex uno Guelf. 1 interiiciam *talibus:* nam quamvis videatur librarii interpretantis manum prodere, non est tamen id huius libri ingenium, et singularis quaedam vis, si recte attendas, posita est in verbo, quasi testes non sint ex vulgari genere, sed honorifice appellandi. Itaque in minore editione ante biennium ferme typis descripta adieci: nunc tamen tutius videtur lectoribus committere.

§. 15. *petissent a me praesidium necne]* Verba tria media omittuntur in edd. Steph. et Lamb. fortasse propter cod. Paris. D., nam absunt item a Leid. et Guelf. 2. Mox *id* ante *ita* abest ab iisdem. — *esse delectum]* Lamb. edidit *delectum*, quamvis in Steph. fuerit *dilectum* atque sic vet. cod. in marg. Lamb. (Par. D. item Guelf. 2) exhibere tradantur. Nescio igitur quid sit quod Lambinus in annotatione admoneat lectorem, *dilectum* habere fere omnes libros veteres, et *dilectum militum*, non *delectum* dixisse veteres, ni et ipse h. l. voluit *dilectum* edere. Ceterum res ipsa verissima est, *diligere* in optimis

modo in oratione mea non pono, sed ne in opinione quidem cuiusquam relinquo, me omnibus patronis esse praepositum. Non ita est: sed uniuscuiusque temporis, valetudinis, facultatis ad agendum ducta ratio est. Mea fuit semper haec in hac re voluntas et sententia, quemvis ut hoc mallem de iis, qui essent idonei, suscipere, quam me: me ut mallem, quam neminem.

5 Reliquum est iam, ut illud quaeramus, cum hoc
17 constet, Siculos a me petisse, ecquid hanc rem apud vos animosque vestros valere oporteat; ecquid auctoritatis apud vos in suo iure repetundo socii populi

---

quibusque codicibus inveniri, ubi pro eo quod nunc pueri decantant discrimine expectes *deligere*, imprimisque illud fieri in participio ac substantivo *dilectus*. Sic enim ubique cod. Vaticanus Philippicarum, etiam rescriptus librorum de rep. Vide Maium ad lib. I, 34. Veterum editorum ea de re testimonia laudare infinitum est, cf. Cellarii orthogr. s. v. *delectus* et Drakenborchium ad Livii libr. XXXVII, 51, 7. Hoc autem loco *delectum* Lagom. omnes et Guelf. antiq. tuentur, (nihil certe diversum ab altera scriptura enotatum est,) lib. II, 50 unus sed optimus Lag. 42 *dilectum* habet, sed in ceteris verbi *deligendi* formis imprimis in Perfecto *delegi* nusquam i vocalem inveni. Addo etiam hoc, in cod. Mediceo Virgilii Participium ubique *delectum* scribi. Itaque ne veterem litem utcunque compositam denuo moverem, vulgarem scribendi rationem et ipse secutus sum. Item incertum est, quod sequitur, utrum *valitudo*, quod librorum mss. prope certa consuetudo, an *valetudo*, quod poetarum alteram syllabam producentium auctoritas postulat, scribendum sit. Nos ut nunc fere solent omnes, poetas sequimur.

§. 16. *hoc mallem — mallem]* Edd. principes *hi mallent — mallent*, sicut plane codd. Lagom. 5. 27. Naugerius primus *hoc* correxit, sed *mallent* utroque loco retinuit, quia sic plerique, sed deteriores, codices, septem Lagom. (i. e. omnes praeter 29. 42) et Huydecop. qui nominatim commemorantur, sed haud dubie etiam plures. Quin ineptum sit nemo potest dubitare, sed tamen servarunt insecuti editores, Basileenses et Victorius. Verum restituit Car. Stephanus, qui primus incorruptis libris uti coepit.

§. 17. *petisse, ecquid]* Solita hic librariorum ludibria notantur: codd. enim fere omnes *etquid*, Guelf. 2 *id quid*, quod Steph. edidit et margo Lamb. etiam ad emendationem referre vult, ut fiat *id petisse ecquid.* Nam vet. cod. *id ecquid* habuisse non credo, quamquam sic Lag. 42. Quid opus est immorari vulgaribus erroribus? Cf. Garaton. ad lib. II, 4.

Romani, supplices vestri, habere debeant. De quo quid ego plura commemorem? quasi vero dubium sit, quin tota lex de pecuniis repetundis sociorum causa constituta sit. Nam civibus cum sunt ereptae pecu- 18
niae, civili fere actione et privato iure repetuntur: haec lex socialis est; hoc ius nationum exterarum est; hanc habent arcem, minus aliquanto nunc quidem munitam, quam antea, veruntamen, si qua reliqua spes est, quae sociorum animos consolari possit, ea tota in hac lege posita est, cuius legis non modo a populo Romano, sed etiam ab ultimis nationibus iampridem severi custodes requiruntur. Quis ergo est, qui ne- 19
get oportere eorum arbitratu lege agi, quorum causa lex sit constituta? Sicilia tota, si una voce loqueretur, hoc diceret: quod auri, quod argenti, quod ornamentorum in meis urbibus, aedibus, delubris fuit;

---

§. 17. *quin tota lex]* Rem auget, tamquam orator. Nam actionem repetundarum non magis ad peregrinos quam ad cives pertinuisse certe Servilia lex ostendit, nec puto in ea re priores discrepasse. Itaque suam quandam rationem addit Cicero, quia cives *fere* civili actione usi sint: at *fere:* poterant igitur et ipsi actionem repetundarum intendere.

§. 18. *nunc quidem munitam]* Hic verborum ordo videtur a Lamb. profectus et per repet. edit. propogatus esse. Nam vett. et Victor. *munitam nunc quidem*, Car. Steph. *quidem nunc munitam*. Tuentur ambo Guelf. Par. D. Lag. 29. 42. Ceteri Lagom. ut olim editum.

§. 19. *Quis ergo est] Ergo* pro *igitur* dedi ex Guelf. ambobus et edd. Steph. Lamb. a quibus nihil diversum enotatur ex Par. D. Apta imprimis coniunctio indignabundis interrogationibus. Cf. §. 40. — *lege agi]* Ambo Guelf. et Lagom. 29. 42. 5. 6. 27 *legem agi*, vulgari errore. Sed nihil est quod Ernestius *lege* commode abesse putaret posse: nam cum sequatur *lex*, in eaque lege de patrono dando praescriptum sit, vim suam habet. — *in meis urbibus, aedibus, delubris fuit]* Quod edidi *aedibus* de coniectura P. Manutii, auctoritate librorum manusc. non firmatur, sed loci sententia visa est postulare, cum vulg. *sedibus* sensu careat, saepeque ea verba a librariis permutentur, vide ex. gr. varietatem lectionis ad Quintil. Instit. IV, 2, 8. Intelligit autem Manutius et recte quidem de privatis aedibus, non de templis deorum, sicut supra §. 11. *fuit* omittitur in cod. Guelf. rec. et Leid. item in edd. Steph. Lamb. (et Paris. D.)

quod in unaquaque re beneficio senatus populique Ro-
mani iuris habui, id mihi tu, C. Verres, eripuisti at-
que abstulisti; quo nomine abs te sestertium millies
ex lege repeto. Si universa, ut dixi, posset loqui pro-
vincia, hac voce uteretur: quoniam id non poterat, ha-
rum rerum actorem, quem idoneum esse arbitrata est,
20 ipsa delegit. In eiusmodi re quisquam tam impudens
reperietur, qui ad alienam causam, invitis iis, quorum
6 negotium est, accedere aut aspirare audeat? Si tibi,
Q. Caecili, hoc Siculi dicerent: te non novimus; ne-
scimus qui sis; nunquam te antea vidimus; sine nos
per eum nostras fortunas defendere, cuius fides est
nobis cognita: nonne id dicerent, quod cuivis probare
deberent? Nunc hoc dicunt: utrumque se nosse; al-
terum se cupere defensorem esse fortunarum suarum,
21 alterum plane nolle. Cur nolint, etiamsi taceant, sa-

---

§. 19. *Senatus populique Romani]* Sic libri mscr. omnes, (et Guelferbytani, de quibus possum affirmare, non per compendium,) sed Charisius p. 115 ed. Putsch. laudat ἀρχαϊκῶς *Senati* eiusque auctoritatem Lambinus et inseq. editores pluris aestimaverunt quam librorum consensum. — HS *millies]* At Act. pr. extr. et lib. I, 10 *quadringenties* Verrem ex Sicilia abstulisse dicit. Videtur hoc eo pertinere, quod lex Servilia duplum, Cornelia quadruplum a damnato exigi iussit, ut *millies* etiam minus sit, quam quod Cicero ex lege postulare potuerit. Nam quod dicere possis, Ciceronem tum, cum hanc orationem haberet, nondum accurate de litis summa constituere potuisse: edidit haud dubie orationem postquam habuit. — *posset loqui provincia]* Sic Guelf. ant. Vulgo *provincia loqui posset.* — *poterat]* Expectaveram *potest*, nam *poterat* dictum quasi antea fuisset *si potuisset* — *usa esset.*

§. 20. *eiusmodi re]* Sic Guelff. et omnes Lagom. item Steph. et Lamb. Vulgo *huiusmodi*, primum edi coeptum a Naugerio.

§. 21. *etiamsi taceant*] Sic codd. Guelf. ambo et Leid. item Car. Stephani editio e codice Par. D. ducta. Idem videtur inventum esse in Lagom. 29. Ceteri omnes libri mss. et olim editi *tacerent*, etiam Lamb., sed eius repetitores *taceant* in textum receperunt, sicut Lambinus ipse secundis curis videtur voluisse. Inde Gruterus arripuit, sed Ernestius, sicut olim P. Manutius in edit. 1540, ex lemmate Asconii *tacent* verum putavit, prorsus incertam auctoritatem secutus.

iis dicunt. Verum non tacent. Tamen his invitissimis te offeres? tamen in aliena causa loquere? tamen eos defendes, qui se ab omnibus desertos potius, quam abs te defensos esse malunt? tamen his operam tuam pollicebere, qui te neque velle sua causa, nec, si cupias, posse arbitrantur? Cur eorum spem exiguam reliquarum fortunarum, quam habent in legis et in iudicii severitate positam, vi extorquere conaris? cur te interponis, invitissimis his, quibus maxime lex consultum esse vult? cur de quibus in provincia non optime es meritus, eos nunc plane fortunis omnibus conaris evertere? cur his non modo persequendi iuris sui, sed etiam deplorandae calamitatis adimis potestatem? Nam, te actore, quem eorum affuturum putas, 22

§. 21. *offeres*] primus dedit Naugerius, antiquiores ex deterioribus codd. (h. l. Lagom. praeter 42 omnibus et Oxon. ψ) *offers*. Res patet, sed notabile tamen, etiam Steph. edidisse *offers* cum codice Par. D., eundemque errorem esse in Leid. Sed ambo Guelf. *offeres*. Paulo post *se* omisit Steph. solus sed codicem secutus simillimum Leid. in quo et ipso vocula desideratur. — *neque velle sua causa*] Memorabilis locus, e quo facile de singulorum librorum integritate iudicare possis. Genus dicendi paulo a vulgari sermone remotius imperiti librarii ita corruperunt, ut *suam causam* scriberent, quemadmodum in Lagom. omnibus, Huydecop. et edd. vett. (puto etiam in codd. Pall.) legitur. Accesserunt contaminatores aliquanto audaciores, quorum ingenium admirere in scripturis Franc. 1 *neque suam causam velle tueri*, Oxon. et eorum, quos Hotom. memorat, *neque velle suam causam defendere*. Quo magis Graevio et Ernestio succenseas, quorum alter Franc. codicis lectionem probarit, alter vett. editionum corruptelam etiam in textu collocarit. Eam autem sustulerat primus Naugerius, eumque secuti erant cum reliquis Steph. et Lamb. iubente Paris. D. vel si quos alios huius familiae habuerunt, nam in Guelf. ambobus (et Leidensi) *velle sua causa* legitur, sicut locum laudat Rufinian. de Fig. 30 p. 217. — *et in iudicii severitate*] Secutus sum in addenda praepositione utriusque Guelf. et edd. Steph. Lamb. auctoritatem.

§. 22. *Nam, te actore, quem*] *Nam*, quod inde ab editione Ald. per Lamb. et Gruterianam propagatum est, legitur in codd. Guelff. Par. D. Lagom. 29. 42. Vett. edd. *nunc*, reliqui Lagom. videntur *num* exhibere, quod et Graevius ex Franc. pr. recepit et Ernestius probavit, *nam* ab hoc loco alienum esse ratus. Mihi quidem et Garatonio contra videtur, quoniam causa redditur cur Siculi, si Caecilius accusatorem

quos intelligis, non ut per te alium, sed ut per alium aliquem te ipsum ulciscantur, laborare?

7 At enim solum id est, ut me Siculi maxime velint: alterum illud, credo, obscurum est, a quo Verres minime se accusari velit. Ecquis unquam tam palam de honore, tam vehementer de salute sua contendit quam ille atque illius amici, ne haec mihi delatio detur? Sunt multa, quae Verres in me esse arbitratur quae scit in te, Q. Caecili, non esse: quae cuiusmodi in utroque nostrum sint, paulo post commemorabo

---

sese obtrudat, ius suum persequi non possint: neminem enim proditorum, desperato iam ante prospero eventu. — *per alium aliquem*] Sic Cuiacii codicem habere notat Gruterus et ego inveni in utroque Guelferb. ediditque Car. Stephanus cum Paris. D. Quod addit Gruterus Lambinum quoque sic scripsisse, erravit, nam is *per aliquem alium* dedit non consulto, opinor, quippe qui in Divinatione totus pendeat e Stephano, sed typographorum errore vel sua incuria. Vulgo (et in ceteris libris mss. deterioris familiae) *alium* omittitur, cum aliquo sententiae detrimento.

§. 22. *solum id est ut*] *Solidum* pro *solum* fortasse typographorum errore Iunt. et Basil. 1528, librorum mss., quos nos quidem novimus nullus. Invenit tamen illud defensorem suum Victorium in Var. Lect. XIV, 9 qui Lambinum in suam sententiam abripuit, ut ederet *at enim solidum id est, cur me Siculi max. velint.* Sed idem parum suae causae confisus alia praeterea coniecturarum ludibria agit, quae describere non est opus. Nimirum ubi ille a librorum quos forte nactus est auctoritate discedit, ruit fere ac labitur. Sed quid fuit causae, cur homines sane quam docti vulgatam scripturam, quam abunde librorum auctoritate tutam scirent, tamen non ferrent? Offendisse videntur constructione verbi *esse* cum *ut*, itaque negat Lambinus se contentum esse Victoriana lectione, ni etiam *cur* pro *ut* scribatur. Sed illud iam non debet quemquam offendere, qui meminerit, non nimis raro apud Ciceronem verbum simplex illa ratione quasi dilatari et circumduci, ut v. c. pro eo quod est *fecit* dicatur *est ut fecerit.* Disserui ea de re in Gramm. L. L. §. 621 sqq. 752. — *ne haec mihi*] Vulgo *ut ne*, sed simplicem coniunctionem exhibent ambo Guelf. et Leidensis et in margine Lambin. *alii*, qua ratione non raro vet. cod. lectiones eas, quae tum ei minus probabiles videbantur, significat. Nam sic etiam Paris. D. quod quominus recipiamus nulla causa est. Mox *Q.* praenomen abest a Guelf. 2 Paris. D. Lag. 29 sicut posthac semper.

Nunc tantum id dicam, quod tacitus tu mihi assen- 23
tiare: nullam rem in me esse, quam ille contemnat; nullam in te, quam pertimescat. Itaque magnus ille defensor et amicus eius tibi suffragatur, me oppugnat; aperte ab iudicibus petit, ut tu mihi anteponare: et ait, hoc se honeste, sine ulla invidia, ac sine ulla offensione contendere. Non enim, inquit, illud peto, quod soleo, cum vehementius contendi, impetrare, reus ut absolvatur: non peto: sed ut potius ab hoc, quam ab illo accusetur, id peto. Da mihi hoc: concede, quod facile est, quod honestum, quod non invidiosum: quod cum dederis, sine ullo tuo periculo, sine infamia,

---

§. 23. *amicus eius tibi suffragatur*] Etiam hoc loco vulgares libros manifestae corruptelae arguas, qui adiiciant *Hortensius*. Primus interpretamentum sustulit Car. Stephanus nisi fallor Par. D. usus, in quo nomen superscriptum: iactantius Lambinus, ab omnibus libris mss. abesse praedicavit, sed qui illi libri fuerint, profecto non multi, fortasse tres, duo Memmiani, unus Cuiacii, non addidit. Sed Cuiaciani mentionem facit ex Guliel. schedis Gruterus, porro adsunt ambo Guelferbytani, Leidensis, Lagom. 29: contra *Hortensii* nomen praeferunt ambo Palatini, Franc. 1. Huydecop. Lagom. reliqui et, si certa fides silentio, Oxoniensis et Meiningensis. Ex interpretibus Gruterus male Palatinos suos pluris aestimavit quam Cuiacianum, Graevius etiam adversus Franc. suum pro veritate stetit, Ernestius quamvis Guelf. 2 cum Cuiaciano consentire intelligeret, tamen veterem labem recepit. At Cicero ne postea quidem Hortensium nomine appellat, cum nemini dubium esse posset quem diceret. — *non enim, inquit, illud peto*] Guelf. 2 et Leid. omittunt media verba *enim* et *inquit*, atque sic edidit Stephanus, (secundum Paris. D.) quem secutus Lamb. tamen *inquit* adiecit. Sed tuetur Guelf. antiquior cum tota familia deteriore, tuetur etiam Asconius, ipsa denique sententia, ut iure illam omissionem negligentiae argumentum in bonis ceteroquin codicibus, id est qui meliori familiae adnumerentur, existimemus. Sed paulo post tres illi codd. cum Steph. et Lamb. consentientes alium verborum ordinem instituunt pro eo qui est vulgo *ut ab hoc potius*. Neque is locus adverbii quasi immutabilis est, ut post illud verbum quod sonum habeat ponatur, certe coniunctionibus adhaerescit, ut *vel potius, ac potius* dicatur. — *quod honestum*] Repetitur *est* post *honestum* in codd. Leid. et Guelf. 2. iidem paulo post *is* ante *absolvatur* omittunt, quod item fecit Stephanus (cum Par. D.): utrumque auctoritate cod. Guelf. 1. redarguitur.

illud dederis, ut is absolvatur, cuius ego causa laboro
24 Et ait idem, ut aliquis metus adiunctus sit ad gratiam
certos esse in consilio, quibus ostendi tabellas velit
id esse perfacile: non enim singulos ferre sententias
sed universos constituere; ceratam unicuique tabellam
dari cera legitima, non illa infami ac nefaria. Atque
is non tam propter Verrem laborat, quam quod eum
minime res tota delectat. Videt enim, si a pueris no
bilibus, quos adhuc elusit, si a quadruplatoribus, quos
non sine causa contempsit semper ac pro nihilo pu
tavit, accusandi voluntas ad viros fortes spectatosque
homines translata sit, sese in iudiciis dominari non
8 posse. Huic ego homini iam ante denuntio, si a me
25 causam hanc vos agi volueritis, rationem illi defen
dendi totam esse mutandam, et ita tamen mutandam
ut meliore et honestiore condicione sit, quam qua ipse
esse vult; imitetur homines eos, quos ipse vidit am

---

§. 24. *illa infami*] i. e. discolori signo notata (Act. I, 13 extr. ut ratio posset iniri, qui iudices corrupti fidem servassent. Factum ho esse tradit Asconius in iudicio Terentii Varronis, ipsius Hortensii fratris consobrini, ex Asia accusati primum apud L. Furium Praet. repetund. post apud P. Lentulum Suram, Praet. a. 75 ut Pighio videtur illum postea Catilinae socium. Quod vero addit idem interpres „i divinationibus et in aliis causis *maioribus* universos iudices in cistam tabulas simul coniecisse," videtur voluisse in causis *minoribus*.

sese in iudiciis] *Sese* scripsi pro *se* ex Guelf. ambobus, Lag. 29 neque enim h. l. sine vi quadam positum videbatur. Idem Stephanu fecit et insuper etiam *diutius* adiecit, cuius praeter silentium de Par. D auctores fiunt Cuiacianus apud Grut. et duo Lagom. 29 et 42. Lamb *se — diutius*. Neque mihi displicet id verbum additum, sed auctoritas tamen nondum sufficit.

§. 25. *sit quam qua ipse esse vult; imitetur*] Sunt hic multae codd. varietates: pro *tamen* singulari quodam errore *causam* exhiben aliquot Lagom. et Guelf. antiq. item edit. Iuntina, cuius nota tamen *cām* simul mendi originem demonstrat. Tum *sit* omittunt omnes Lagom praeter 45, et *esse* deest in Guelf. 2 et Leid. Utrumque et *sit* et *esse* omisit in editione Car. Stephanus. Sed has omnes varietates librorum Guelferb. antiq. redarguit. Idem tamen una cum reliquis bonis, Guelf rec. Leid. Par. D, omittit *ut*. Id non solum propter auctoritatem codicum

plissimos, L. Crassum et M. Antonium, qui nihil se arbitrabantur ad iudicia causasque amicorum, praeter fidem et ingenium, afferre oportere. Nihil erit quod, me agente, arbitretur, iudicium sine magno multorum periculo posse corrumpi. Ego in hoc iudicio mihi Si- 26
culorum causam receptam, populi Romani susceptam esse arbitror: ut mihi non unus homo improbus opprimendus sit, id quod Siculi petiverunt, sed omnino improbitas, id quod populus Romanus iam diu flagitat, extinguenda atque delenda sit. In quo quid eniti aut quid efficere possim, malo in aliorum spe relinquere, quam in oratione mea ponere.

Tu vero, Caecili, quid potes? Quo tempore aut 27
qua in re non modo ceteris specimen aliquod dedisti, sed tute tui periculum fecisti? In mentem tibi non ve-

---

probavi, sed quod in membris oppositis recte particula adversativa videbatur abesse posse. Neque silentio praetermittendum est, eam ab aliquot deterioris quoque familiae libris abesse, Oxon. ψ et Lag. 5. 27. 48.

§. 26. *Siculorum causam receptam, populi Romani susceptam]* Nam a Siculis rogatus Verrem persequitur, simul vero populo Romano ultro aliquod commodum potentis rei damnatione parere vult. Conferas velim init. libri II in Verr. de Orat. II, 24, §. 101. Quintil. Instit. Prooem. §. 3 *plus quam imponebatur oneris, sponte suscepi.* Lege Hotomanum, nam ex Asconii notula extrema modo vera sunt: „suscipitur aliquid solum propter se, recipitur etiam propter aliud." — *non unus]* Interponunt Par. D. et Guelf. ant. *nisi*, recentior *tm̄*, quod est *tantum*, supplementa librariorum, ut videtur. Tum adiicitur post *omnino* verbum *omnis* primum in edit. P. Manutii, certe non repperi in Iunt. Ald. Basil. Victor. sed haesit posthac usque ad Graevium, qui denuo eiecit, cum neque in Franc. pr. neque in Asconii ms. lemmate invenisset. Rectissime: neque enim ullum codicem ms. novi in quo sit inventum, praeter Iannoctii librum apud Garatonium pessimae notae: interpretatio Asconii videtur peperisse, quae prorsus etiam ad unum verbum *omnino* apta est. — *In quo quid eniti aut]* Omisi *ego* post *quo*, auctoritate meliorum librorum, Guelf. amborum, Leidensis, et Steph. Lamb. editt. Neque *Tu vero*, quod sequitur, ad proxime praegressa referri oportet, sed ad ulteriora *ego populi Romani causam mihi susceptam esse arbitror*.

§. 27. *non modo ceteris specimen aliquod dedisti, sed tute tui*

nit, quid negotii sit causam publicam sustinere? vitam
alterius totam explicare, atque eam non modo in ani-
mis iudicum, sed etiam in oculis conspectuque omnium
exponere? sociorum salutem, commoda provinciarum,
9 vim legum, gravitatem iudiciorum defendere? Cogno-
sce ex me, quoniam hoc primum tempus discendi na-
ctus es, quam multa esse oporteat in eo, qui alterum
accuset: ex quibus si unum aliquod in te cognoveris,
ego iam tibi ipse istuc, quod expetis, mea voluntate
concedam. Primum integritatem atque innocentiam sin-
gularem. Nihil est enim, quod minus ferendum sit,
quam rationem ab altero vitae reposcere eum, qui non
28 possit suae reddere. Hic ego de te plura non dicam:
unum illud credo omnes animadvertere, te adhuc a
nullis, nisi ab Siculis, potuisse cognosci; Siculos hoc

---

periculum fecisti] Descripsi totum locum, quo facilius iudices, quam vere Steph. et Lamb. e cod. suo (sive hi plures fuerunt) *ceteris* praeponendum esse voci *specimen* putaverint, quod vulgo apud omnes postponitur. Nam codicibus mss. hac in re illos paruisse ostendit, consensus amborum Guelferbytanorum.

§. 27. *si unum aliquod in te cognoveris]* Obsecutus est Steph. (cum Lamb.) codici veteri, in quo *aliquod* deesse ad marginem repetit. Lamb. notatur, et is codex (Par. D.) in ea re cum Leid. et Guelf. 2 consentit, sed librariis illud esse tribuendum Guelf. 1 ostendit, in quo vox, si non necessaria, certe nonnihil ad sententiam conferens (Germ. irgend ein einzelnes) legitur. Item antea solus Lamb. *discendi tempus* inverso ordine habet, consentiente cod. Leid. non Par. D. nec Guelferbytano 1: alter *dicendi tempus.* Post *ipse* primus adiecit Naugerius e libro ms., nam quamvis desit in plerisque, legitur tamen in Guelff. et in Lag. 29. — *istuc]* Unus Guelf. 2 *istud*, neque regulam novi, qua discrimen inter *istud* et *istuc*, si quod sit, regatur. Et in his oratt. *istuc* quidem non infrequens est, legiturque sine varietate III, 67 extr. 92 extr. V, 64 pr., quamquam aliis in libris Ciceronianis magis magisque oblitteratur, sicut Acad. 1, 4 init. Goerenzius, quod apud Ernestium *istuc* fuit, iam fecit *istud.*

§. 28. *a nullis nisi ab Siculis]* Sic Stephanus et Lambinus scripserunt, et est in Guelf. 1, alter utroque loco *a*, vulgo *ab nullis nisi a Siculis.* Cf. §. 63 *ab Siculis — ab Sardis.*

dicere, cum eidem sint irati, cui tu te inimicum esse dicis, sese tamen, te actore, ad iudicium non affuturos. Quare negent, ex me non audies: hos patere id suspicari, quod necesse est. Illi quidem, ut est hominum genus nimis acutum et suspiciosum, non te ex Sicilia litteras in Verrem deportare velle arbitrantur, sed, quod iisdem litteris illius praetura et tua quaestura consignata sit, asportare te velle ex Sicilia litteras suspicantur.

Deinde accusatorem firmum verumque esse oportet. Eum ego si te putem cupere esse, facile intelligo, esse non posse. Nec ea dico, quae, si dicam, tamen infirmare non possis: te, antequam de Sicilia decesseris, in gratiam redisse cum Verre: Potamonem, scribam et familiarem tuum, retentum esse a Verre in provincia, cum tu decederes: M. Caecilium, fratrem tuum, lectissimum atque ornatissimum adolescentem, non modo non adesse, neque tecum tuas iniurias persequi, sed esse cum Verre, et cum illo familiarissime atque amicissime vivere. Sunt haec et alia in te falsi 29

§. 28. *ut est — nimis acutum*] Guelf. 2 *quod est;* in eodem et Leid. *nimis* omittitur. Potest utrumque probari, sed urbanitas tamen oratoris Siculos propemodum reprehendentis ita placet, ut Guelferbytanum antiq. magis sequendum putem. Ceterum de Siculorum illo ingenio cf. lib. V, 28 §. 71. Quid vero intersit inter *deportandum* et *asportandum* facile intelliges, si teneas *deportare* apud Ciceronem certa quadam significatione sicut *decedere* pertinere ad urbem Romam. Qui *deportat* litteras publicas, vult eas Romae proferre, qui *asportat*, nihil aliud nisi auferre. — *sed quod iisdem*] *Quod* restitui ex ambobus Guelf. et aliquot deterioris familiae, Lagom. 29. 5. 27. Laudat sic etiam Servius ad Virg. Aen. II, 778, ediditque post Stephanum Lambinus. Quod vulgo nunc scribitur *cum* invexit Nangerius.

§. 29. *Potamonem*] Iterum appellat hominem, iam Romae versantem, IV, 20. — *M. Caecilium*] Laudat hominem, quod, quo melior est ille, eo aut desertior aut perfidiosior Q. apparet. — *et cum illo — vivere*] *Et* adiiciendum videbatur ex utroque Guelf. et edit. Car. Stephani (Lamb.) Habet etiam Lagom. 29. — Paulo post item Car. Stephanus (post eum Lamb.) scripserat *sunt et haec et alia*, non ex in-

accusatoris signa permulta, quibus ego nunc non utor:
hoc dico, te, si maxime cupias, tamen verum accusa-
30 torem non esse posse. Video enim permulta esse cri-
mina, quorum tibi societas cum Verre eiusmodi est,
10 ut ea in accusando attingere non audeas. Queritur
Sicilia tota, C. Verrem ab aratoribus, cum frumentum
sibi in cellam imperavisset, et cum esset tritici modius
HS II, pro frumento in modios singulos duodenos ses-
tertios exegisse. Magnum crimen, ingens pecunia,
furtum impudens, iniuria non ferenda. Ego hoc uno
crimine illum condemnem necesse est: tu, Caecili, quid
31 facies? Utrum hoc tantum crimen praetermittes, an
obiicies? Si obiicies, idne alteri crimini dabis, quod
eodem tempore, in eadem provincia, tu ipse fecisti?
Audebis ita accusare alterum, ut, quominus tute con-
demnere, recusare non possis? Sin praetermittes: qua-
lis erit tua ista accusatio, quae, domestici periculi metu,
certissimi et maximi criminis non modo suspicionem,
32 verum etiam mentionem ipsam pertimescat? Emptum
est ex S. C. frumentum ab Siculis, praetore Verre,
pro quo frumento pecunia omnis soluta non est. Grave

---

genio, sed e vet. libro, quoniam nihil contra enotatur ex Par. D. et legitur in Guelf. sec. — *non esse posse*] Sic ambo Guelf. et Par. D. et *v. c.* ad marginem Lambinianae. Ipse Lamb. ut vulgo *esse non posse*, sed interiectum *esse* non impedit, quominus negatio ad ultimum verbum tendat.

§. 30. *in cellam*] Vide III, 81. De frumento empto v. eod. lib. c. 70. — HS *II*] Sic ambo Guelf. item e deterioribus nonnulli, neque res dubia est. Unum moneo: quod ante P. Manutium legebatur HS V, esse in Lagomarsinianis IV i. e. II cum transversa lineola, quae numerum esse, non litteras, significaret.

§. 31. *tua ista*] Vulgo *ista tua*, quod non deterius videtur, sed sequor codices mss. Guelff. Pariss. Lag. praeter unum omnes, edd. Steph. Lamb. — *domestici*] Nova quadam dicendi ratione verbum *domesticus* opponitur *alieno*, cum alias contrarium sit aut *publico*, aut *externo*. Sed usus est Cicero et hic et lib. III, 41, quoniam nondum illi *proprius* eam significationem habet, qua usus est Livius.

est hoc crimen in Verrem: grave, me agente: te accusante, nullum. Eras enim tu quaestor: pecuniam publicam tu tractabas: ex qua, etiamsi cuperet praetor, tamen ne qua deductio fieret, magna ex parte tua potestas erat. Huius quoque igitur criminis, te accusante, mentio nulla fiet. Silebitur toto iudicio de maximis et notissimis illius furtis et iniuriis. Mihi crede, Caecili, non potest in accusando socios vere defendere is, qui cum reo criminum societate coniunctus est.
Mancipes a civitatibus pro frumento pecuniam exege- 33
runt. Quid? hoc Verre praetore factum est solum? Non: sed etiam quaestore Caecilio. Quid igitur? daturus es huic crimini, quod et potuisti prohibere ne fieret, et debuisti, an totum id relinques? Ergo id omnino Verres in iudicio suo non audiet, quod cum faciebat, quemadmodum defensurus esset, non reperie-
bat. Atque ego haec, quae in medio posita sunt, com- 11
memoro. Sunt alia magis occulta furta: quae ille, ut istius, credo, animos atque impetus retardaret, beni-
gnissime cum quaestore suo communicavit. Haec tu 34
scis ad me esse delata: quae si velim proferre, facile omnes intelligent, vobis inter vos non modo voluntatem fuisse coniunctam, sed ne praedam quidem adhuc esse divisam. Quapropter si tibi indicium postulas dari, quod tecum una fecerit, concedo, si id lege permittitur: sin autem de accusatione dicimus, concedas oportet iis, qui nullo suo peccato impediuntur, quo-
minus alterius peccata demonstrare possint. Ac vide, 35

---

§. 33. *benign. cum quaestore suo commun.*] Hunc verbb. ordinem pro vulgari *cum q. suo benignissime commun.* restitui ex utroque Guelf. tribus Paris. praeeunte Stephano (et Lamb.)

§. 34. *indicium — dari*] Iuntina *iudicium*, sed correxit iam Naugerius, non Victorius primus, quemadmodum tradit Ernestius. Adsunt etiam codices non pauci. Sic contra Cic. ad Att. II, 24 scribit *indicium postulasse* eum, qui peteret, ut sibi liceret indicem fieri et impunitum abire ipsum.

quantum interfuturum sit inter meam et tuam accusationem. Ego etiam quae tu sine Verre commisisti Verri crimini daturus sum, quod te non prohibuerit, cum summam ipse haberet potestatem: tu contra ne quae ille quidem fecit obiicies, ne qua ex parte coniunctus cum eo reperiare.

Quid? illa, Caecili, contemnendane tibi videntur esse, sine quibus causa sustineri, praesertim tanta, nullo modo potest? aliqua facultas agendi? aliqua dicendi consuetudo? aliqua in foro, iudiciis, legibus aut ratio aut exercitatio? Intelligo, quam scopuloso diffi-
36 cilique in loco verser: nam cum omnis arrogantia odiosa est, tum illa ingenii atque eloquentiae multo molestissima. Quamobrem nihil dico de meo ingenio: neque est quod possim dicere; neque, si esset, dicerem: aut enim id mihi satis est, quod est de me opinionis, quicquid est; aut, si id parum est, ego maius id comme-
12 morando facere non possum. De te, Caecili, iam me-
37 hercule hoc extra hanc contentionem certamenque nostrum familiariter tecum loquar: tu ipse quemadmodum existimes, vide etiam atque etiam, et tu te collige, et qui sis, et quid facere possis, considera. Putasne, te posse de maximis acerbissimisque rebus, cum

---

§. 35. *inter meam et tuam acc.*] Optio datur, utrum velis *et tuam*, quod est in Guelf. pr., an *tuamque*, quod exhibet Guelf. 2 Leid. Paris. D. et unus et alter de vulgaribus cum editionibus Stephani Lamb. Nam vulg. *atque tuam* in nullo meliorum librorum est. Mihi quidem coniunctio adiunctiva *que* h. l. prorsus displicet, eam ipsam ob causam quod adiungit, non, dum opponit, coniungit.

scopuloso] Lag. 29 *scrupuloso*, quod quamvis habeat quo se commendet, simplicius tamen alterum videtur.

§. 37. *iam mehercule hoc*] Guelf. 2 et Leid. *haec*. Quod Graevius ex Franc. pr. pessimo libro affert, ut *est* in fine post *nostrum* addatur, nihil est. Neque debuit Garatonius offendere in hac eiusdem verbi repetitione *de te hoc tecum loquar*. Nam *de te* propemodum absolutum est: quod ad te pertinet. Paulo post uterque Guelf. et Par. D. *quis sis*, vulgo ex more *qui sis*, quod etiam Asconius videtur tueri.

causam sociorum fortunasque provinciae, ius populi Romani gravitatemque iudicii legumque susceperis, tot res, tam graves, tam varias, voce, memoria, consilio, ingenio sustinere? Putasne, te posse, quae C. Verres 38
in quaestura, quae in legatione, quae in praetura, quae Romae, quae in Italia, quae in Achaia, Asia, Pamphyliaque peccarit, ea, quemadmodum locis temporibusque divisa sint, sic criminibus et oratione distinguere? Putasne posse, id quod in huiusmodi reo maxime necessarium est, facere, ut, quae ille libidinose, quae nefarie, quae crudeliter fecerit, ea aeque acerba et indigna videantur esse his, qui audient, atque illis visa sunt, qui senserunt? Magna sunt ea, quae dico, mihi crede: 39

---

§. 37. *gravitatemque iudicii]* Vulgo *gravitatem.* Quod nos edidimus e Steph. (Lamb.) et ambobus Guelf. cum praegressis *fortunasque provinciae* consentit.

§. 38. *quae C. Verres — peccarit]* Quam incerta auctoritate a vett. *patrarit* hoc loco editum sit, abunde Garatonius docet, nam praeter unum Lagom. 42 omnes libri manuscripti, quorum varietates paulo accuratius annotantur, *peccarit* exhibent, imprimis ambo Guelf. Par. D. et vet. cod. in margine Lamb. Non debebat igitur Ern. incerta certis praeferre, et relicta Stephani, Lambini, Graevii scriptura denuo ad Gruterianas sordes remigrare. Efficacius ei videbatur verbum, quod fortasse vulgari opinioni indulgeret, quasi *patrare* de maleficiis proprie diceretur: quod falsum est, nam significat in universum idem quod perficere, ad finem perducere. Est autem a Ciceronis usu alienum (nec legitur nisi cum figura ad Att. I, 14 extr.) videturque inter ea verba esse, quae Sallustius ex antiquo sermone recepta suo exemplo ad imitationem insequentium scriptorum commendavit. Cf. Quintil. Inst. VIII, 3, 29 et 44. Eadem res est cum verbo *perpetrare*, quod item Ernestius Ciceroni obtrudere voluit lib. IV, 52.

Putasne posse] Hotomanus interponi iussit *te* ex duobus libris veteribus, secutusque eum est de more suo Lambinus, servantibus etiam repetitoribus. Libri mss., quos nos quidem novimus, praeter Lagom. 6 omnes ignorant, imprimis Guelf. ambo et Cuiac. apud Gruterum. Et videtur pronominis omissio posse excusari, quod iam bis positum fuerit, (cf. Gramm. §. 605 et lib. I, 28 extr.) nec alioqui desunt exempla. Cf. ad. lib. II, 33. — *huiusmodi]* Sic Guelferbytanus 1 et Lagom. tres cum edd. vetustis, tum *hiis* Guelff. ut solent, *his* Steph. recte omnino, cum sua vis pronomini non desit. Vulgo *eiusm.* et *iis.*

§. 39. *mihi crede]* Cf. Donatum ad Terent. Adelph. 1, 2, 21 aptis-

noli haec contemnere. Dicenda, demonstranda, explicanda sunt omnia: causa non solum exponenda, sed etiam graviter copioseque agenda est: perficiendum est, si quid agere aut proficere vis, ut homines te non solum audiant, verum etiam libenter studioseque audiant. In quo si te multum natura adiuvaret; si optimis a pueritia disciplinis atque artibus studuisses, et in his elaborasses; si litteras Graecas Athenis, non Lilybaei, Latinas Romae, non in Sicilia didicisses: tamen esset magnum, tantam causam, tam expectatam, et diligentia consequi, et memoria complecti, et oratione expromere, et voce ac viribus sustinere. Fortasse dices, Quid ergo? haec in te sunt omnia? Utinam quidem essent: verumtamen ut esse possent, magno studio mihi a pueritia est elaboratum. Quodsi ego haec propter magnitudinem rerum ac difficultatem assequi non potui, qui in omni vita nihil aliud egi: quam longe tu

---

sime hoc loco utentem, in quo et auctoritatem dicentis et contemptum quendam audientis inesse dicat. Ubi non est talis orationis color, nihil impedit quominus et inverso ordine *crede mihi* dicatur. Vide Heusingeros ad Cic. de Off. III, 19. — *aut proficere]* Sic Stephanus (eumque secutus Lamb.) et liber Cuiacianus apud Gruterum Par. D. Guelf. 2 Lagom. 29. 42. Reliqui et Guelf. 1 *perficere*, quod Ernestius veterum edd. suarum auctoritate et ea ratione tuetur, quod *proficere* nihil differat ab *aliquid agendo*. Verum hoc quidem est sic legenti, sed longe fortior Garatonii ratio, ineptum esse, si orator dixerit *perficiendum est, si quid perficere vis*. Omne discrimen scripturae vertitur in lineola: nam *p* est *per*, *ꝓ pro*. — *et oratione expromere]* Sic Stephanus secundum Par. D, et confirmant Leid. Guelff. Lag. 29. 42 pro vulg. *exponere*. Tanto consensui cedendum fuit, quamquam Lambinus, cum in annot. quosdam libros mss. *expromere* diceret exhibere, non obscure eam scripturam damnavit. Nec sine aliqua causa, quoniam *expromere* non assequi illam, quam Cicero describit, elocutionem videtur, siquidem *expromit* etiam ille, qui quavis ratione, sive bene sive male, aperte tamen, profert abscondita, sed *exponit* qui verbis explicat et illustrat. Verum h. l. simpliciter oppositionem verborum *consequi, complecti, expromere* secutus videtur orator. Mox Steph. (Lamb.) *ac viribus* secundum Par. D, et firmat Guelf. 1 Lag. 29: reliqui *et*. Placere debet observato eius particulae usu in subdivisionibus, cf. ad V, 15 §. 39.

te ab his rebus abesse arbitrare, quas non modo antea nunquam cogitasti, sed ne nunc quidem, cum in eas ingrederis, quae et quantae sint suspicari potes? Ego, 13
qui, sicut omnes sciunt, in foro iudiciisque ita verser, 41
ut eiusdem aetatis aut nemo aut pauci plures causas defenderint; et qui omne tempus, quod mihi ab amicorum negotiis datur, in his studiis laboribusque consumam, quo paratior ad usum forensem promptiorque esse possim: tamen, ita mihi deos velim propitios, ut,

---

§. 41 *in foro iudiciisque*] Memorabilis consensus est omnium codd. ...m. praeter unum 45. in repetenda praepositione *in iudiciisque*, cui ...quendum esset, ni aeque firmiter reliqui libri melioris familiae vul...am tuerentur; quae primum comparet in Hervag. et Vict. editione ...dem anni 1534. Itaque cum error in propinquo sit nihil mutandum ...detur. Regulam vero in ea re nondum ullam certam expertus sum. ...a vetus quidem illa, (v. Heusinger. ad lib. I de Off. 14,) repeti prae...sitionem ubi diversitas verborum sit, falsa est, si hoc debet consequi, ...n repeti ubi nulla appareat diversitas. Nam ipse Goerenzius, qui multis ...mplis illud probat, fatetur tamen ad lib. II de Legg. 1, 2 etiam si...ia et cognata verba repetita praepositione quasi dirimi. Cuius rei ...rtum est exemplum lib. I in Verr. 31, 78 *ad vim atque ad arma ...fugient;* et III 93 extr. *in crimen et in iudicium voco;* et scri...re nos debuimus lib. IV, 44 extr. *in instrumento atque in supel...ectile.* Contra qui semper repeti a Cicerone monosyllabas praepositio...s nisi ubi duorum verborum alterum proprium alterum figuratum sit, ...re instituunt, v. c. Martyni-Laguna, cuius verba laudantur ab Henr. ...yero in annotatione ad Cic. Orat. 3 magis etiam videant quo proce...t, quamque intolerabilem legem editoribus imponant. Corrigendi ...m nullus finis esset, sicut in Orat. l. l. *in formis et figuris* et Verr. ...I, 21, 57 *per scelus et latrocinium.* Omnino cum tenue plane et ...rtum iudicium sit, utrum quoque loco auctor verba comprehendere ...uerit an dirimere, (nam hanc quidem esse rationem rei puto,) nondum ...quam tutius videtur esse, quam ut codices sequare, quorum prae...ntiam aliis gravioribus argumentis cognoveris. Itaque nos praeposi...nem delevimus Act. I extr. lib. III, 74. IV, 14.

qui — ita verser] Guelf. 2 et Leid. et edd. vetustae ante Aldinam *...rsor.* Sed modus coniunctivus et reliquis libris defenditur et usu ...riptoris, cum sit pro *quamvis verser.* — *ita mihi deos*] Sic Ascon. ...nna, Guelf. 1 et Lag. 29. Par. D. Vulgo *ita deos mihi*, minus re...e: nam sic fere solent scriptores *ita me*, v. c. *dii ament* vel *iu...ent*, *ita mihi deos omnes propitios esse velim*, coniunctim, non ...terposito aliquo verbo.

cum illius temporis mihi venit in mentem, quo die, citato reo, mihi dicendum sit, non solum commoveor
42 animo, sed etiam toto corpore perhorresco. Iam nunc mente et cogitatione prospicio, quae tum studia hominum, qui concursus futuri sint: quantam expectationem magnitudo iudicii sit allatura: quantam auditorum multitudinem infamia C. Verris concitatura: quantam denique audientiam orationi meae improbitas illius factura. Quae cum cogito, iam nunc timeo, quidnam pro offensione hominum, qui illi inimici infensique sunt, et expectatione omnium, et magnitudine re-
43 rum, dignum eloqui possim. Tu horum nihil metuis, nihil cogitas, nihil laboras? et si quid ex vetere aliqua oratione, *Iovem ego optimum maximum,* aut *Vellem, si fieri potuisset, iudices,* aut aliquid eiusmodi ediscere potueris, praeclare te paratum in iudicium venturum arbitraris? Ac, si tibi nemo responsurus esset, tamen ipsam causam, ut ego arbitror, demonstrare
44 non posses. Nunc ne illud quidem cogitas, tibi cum homine disertissimo et ad dicendum paratissimo futurum esse certamen, quicum modo disserendum, modo omni ratione pugnandum certandumque sit? Cuius ego ingenium ita laudo, ut non pertimescam, ita probo,

---

§. 41. *illius temporis*] P. Manutius *illius diei* edidit non, opinor, codicem ms. secutus, quamquam sic habet unus Lagom. 27, sed Asconii enarrationem. Verum alterum et Ciceronianorum librorum auctoritate et testimoniis veterum Grammaticorum firmatur. De perturbatione optimi cuiusque oratoris in exordienda oratione lege lib. I de Orat. c. 26.

§. 42. *infamia C. Verris*] Hoc verbb. ordine Lambini v. c. in marg. rep. (et Par. D.) ambo Guelf. et Lag. 29. Vulgo *C. Verris infamia. factura*] Olim vulgo *factura sit*, sicut Guelf. 2 et Lagom. quattuor, interque eos cod. 42. Lambinus *sit* omisit, ac per negligentiam eius repetitorum sic deinde ad Gruterum et porro propagatum est. Satis tamen defenditur Guelf. 1 et eo vet. libro, quo Lambinus usus est, quamquam ab eo h. l. dissentit Par. D. silentium.

§. 43. *tibi nemo*] Steph. cum Lambino *nemo tibi* contra libros mss. non solum ceteros, sed etiam Par. D.

ut me ab eo delectari facilius, quam decipi putem posse. Nunquam ille me opprimet consilio: nunquam ullo ar- 14
tificio pervertet: nunquam ingenio me suo labefactare atque infirmare conabitur. Novi omnes hominis petitiones rationesque dicendi: saepe in iisdem, saepe in contrariis causis versati sumus. Ita contra me ille dicet, quamvis sit ingeniosus, ut nonnullum etiam de suo ingenio iudicium fieri arbitretur. Te vero, Cae- 45
cili, quemadmodum sit elusurus, quam omni ratione iactaturus, videre iam videor: quotiens ille tibi potestatem optionemque facturus sit, ut eligas utrum velis, factum esse, necne, verum esse, an falsum; utrum dixeris, id contra te futurum. Qui tibi aestus, qui error, quae tenebrae, dii immortales! erunt, homini minime malo? Quid? cum accusationis tuae membra dividere coeperit, et in digitis suis singulas partes causae constituere? Quid? cum unumquidque transigere, 46
expedire, absolvere? Ipse profecto metuere incipies, ne innocenti periculum facesseris. Quid? cum com-

§. 44. *Nunquam*] Ter Guelf. 2 *numquid* mendose ex nota male intellecta.

§. 45. *Quotiens* et *totiens* et *aliquotiens*] ut scribatur addito *n* non codicum tantum mss. summus consensus postulat, sed etiam peritissimi grammatici docent. Vide eorum testimonia collecta a Conr. Schneidero Elem. L. L. p. 559. — *dividere coeperit*] Cf. Quintil. Inst. IV, 5, 24 et ad eum locum Spaldingii annotationem.

§. 46. *unumquidque transigere*] Sic Lamb. edidit legiturque in utroque Guelf. Lag. 29. Vulgo *unumquodque*, quod ne ad *membra* quidem referri potest, quoniam Hortensius, quae in adversarii orationes membra fuerunt, iam sua divisione aliter constituerat. — *facesseris*] Priscianus lib. X p. 402 Putsch. huic scripturae videtur velle praeferre alteram, quam et ipsam in quibusdam codicibus inveniri dicit, *facessiveris*. Eam exhibet Lag. 29. Nec tamen receperim, quippe qui intelligam, veterem illum de verbis in *so* desinentibus dissensum grammaticorum hoc ipso loco niti et Liviano altero lib. XXXI, 18, 4 ubi est *lacessiveritis*. Tantum Caper apud Priscianum scriptorum locos, qui illud quod vellet probarent, nimirum verba illa in Perfectis etiam ad tertiam

miserari, conqueri, et ex illius invidia deonerare aliquid, et in te traiicere coeperit? commemorare quaestoris cum praetore necessitudinem constitutam, morem maiorum, sortis religionem? Poterisne eius orationis subire invidiam? Vide modo: etiam atque etiam considera. Mihi enim videtur periculum fore, ne ille non modo verbis te obruat, sed gestu ipso ac motu corporis praestringat aciem ingenii tui, teque ab institu-
47 tis tuis cogitationibusque abducat. Atque huiusce rei iudicium iam continuo video futurum. Si enim mihi hodie respondere ad haec, quae dico, potueris; si ab

---

coniugationem formari, non habebat in promptu. Etiam Vossius in Aristarchi lib. V (de Analogia lib. III) c. 31 exemplis parum probantibus usus est, et omnem rem cupidius quam verius diiudicavit. Nam in ceteris temporibus perfectis nulla debet dubitatio esse, quin recte Priscianus quartam coniugationem praeceperit. Cf. Gramm. nostram §. 202.

orationis subire invidiam] Asconius videtur plerisque editoribus legisse *invidiae*: mihi hoc parum exploratum est, sed ille fortasse Virgiliano exemplo, in quo dativus casus est, nihil aliud significare voluit, quam oratorem *subeundi* verbo proprie usum esse. Quicquid est, *invidiam* non codicum modo auctoritate tutum est, sed etiam perpetua scriptoris consuetudine, dictumque pro sustinere invidiam, quam tibi illius oratio excitabit. Verbo significabo, rectissime Garaton. figuram quandam et cumulandi consilium in Accusativis *morem mai.*, *religionem sortis* agnovisse, ne quis *more* legi velit. — *praestringat aciem ingenii tui*] Lambinum et hoc loco et alibi vetustum verbum *praestinguere* substituentem satis videntur refutasse Garatonius ad h. l. et quem ille laudat Drak. ad Silium I, 358. Sed utrum apud Ciceronem aliosque scriptores, qui hoc verbo usi sint, *praestringere* an *perstringere* scribendum sit, ea nova quaestio est. Video tamen plerosque editores illuc verti, ut, ubicunque de hebetanda acie aut oculorum aut ingenii dicatur, *praestringere* putent unice locum habere, neque dubitent, si codices mss., ut fere fit, alterum illud exhibeant, corrigere. Cf. praeter Garaton. et Drak. l. l. Ferrarium ad Ciceronis orat. Phil. XII, 2; interpretes ad libr. de Senect. c. 12 fin. IV ad Her. 50, in Vatin. 10; Oudendorp. ad Sueton. Aug. 29. Quod adhuc eodem sensu *perstringere* p. Rab. Post. c. 16 legebatur, correctum nunc est a Schützio. Quod ad nostrum locum attinet, certum est veterem enarratorem Ascon. et Nonium pag. 502 et 695 *praestringere* voluisse; cumque sic etiam in Paris. D. legatur, non audio codd. Guelff. quorum antiq. certe *perstringat* aperte praefert.

isto libro, quem tibi magister ludi nescio qui ex alienis orationibus compositum dedit, verbo uno discesseris: posse te et illi quoque iudicio non deesse, et causae atque officio tuo satisfacere arbitrabor: sin mecum in hac prolusione nihil fueris, quem te in ipsa pugna cum acerrimo adversario fore putemus?

Esto: ipse nihil est, nihil potest: at venit para- 15
tus cum subscriptoribus exercitatis et disertis. Est tamen hoc aliquid: tametsi non est satis. Omnibus enim rebus is, qui princeps in agendo est, ornatissimus et paratissimus esse debet. Verumtamen L. Apuleium esse video proximum subscriptorem, hominem non aetate, sed usu forensi atque exercitatione tironem. De- 48
inde, ut opinor, habet Alienum, hunc tamen a subsel-

---

§. 47. *magister ludi nescio qui*] Lamb. edidit *nescio qui* pro illo vulgato *nescio quis*, si e Nonio solo (v. *componere*), non satis certo, sed procul dubio etiam veteres libri manuscripti illud praebuerunt, quoniam et Car. Stephanus edidit cum Par. D. et ambo Guelf. consentiunt. Neque desunt alii libri, quapropter ceteri tacite Lambinum secuti sunt. Verum Guelf. 2 antea *si hoc mihi die*, post *atque iudicio*, mendose pro *officio*, denique *quem te ipsum in ipsa pugna.* — *si — nihil fueris*] Vix digna quae memoraretur Franc. codicis et Meining. lectio *feceris* esset habenda, nisi corruptos vel ex ea re libros illos agnosceres. Idem usu venit inseq. cap. §. 49. *tum denique se aliquid futurum putet*, ubi idem Mein. et Oxon. et Lagom. omnes praeter 29 *facturum* minus recte exhibent, Guelferbytani codices, uti iam Ernestius de recentiore annotavit, verum confirmant.

is qui] Omittitur *is* in Guelf. 2 et Leid. item in edit. Stephani et Lambini, quod hi sic in pari suo codice (Par. D.) videntur invenisse. Sed nullam habet auctoritatem quod Lamb. etiam ante *satis* omisit *est*.

§. 48. *habet Alienum*] Asconium personatum invenisse *Alienum* simplici *l* scriptum patet ex eius quaestione, utrum nomen proprium an adiectivum sit, cumque illud ab *Alia* flumine deducat, etiam infausti ominis veram scribendi rationem ostendit. Cum eo consentit Servius ad Virg. Aen. VII, 717, quamquam in eo videtur errasse, quod *Aliam* correpta prima vocali fuisse dicit, quod non est necesse. Scriptorum auctoritas pro geminato l est, nam sic est *dies Alliensis* in cenotaphio Pisano et *Allia* in Virgilio Mediceo. Omnino duplex olim scribendi ratio fuit, (sicut quod praecessit in nomine *Apuleii)* sed nobis si una

liis: qui, quid in dicendo posset, nunquam satis at-tendi, in clamando quidem video eum esse bene ro-bustum atque exercitatum. In hoc spes tuae sun omnes: hic, si tu eris actor constitutus, totum iudi cium sustinebit. At ne is quidem tantum contende in dicendo, quantum potest, sed consulet laudi et exi stimationi tuae, et ex eo, quod ipse potest in dicendo aliquantum remittet, ut tu tamen aliquid esse videare Ut in actoribus Graecis fieri videmus, saepe illum qui est secundarum aut tertiarum partium, cum pos sit aliquanto clarius dicere, quam ipse primarum, mul

---

probanda sit, haec cum simplici *l* tutior videtur, quoniam scriptorun et lapidum et librorum auctoritas ne huic quidem deest, certe Virgiliu Romanus opponitur Mediceo, et apud Livium codices optimi saep *Aliam* exhibent, cf. Drakenborch. ad Epit. libri V. et Dukerum ad Flor. I 13, 7 pag. 107; et h. l. enotatum video Paris. D. et omnes Lagom praeter cod. 45 *Alienum* habere, et deinceps servare. Quid quod i Par. D. infra etiam supra verbum scribitur *propr. nom.?*

a subselliis] Asconii lemma (si recte correctum est, quod est i vett. *sed subs.)* et cod. 29 Lagom. *ab subselliis*. Ceterum pertine hoc ad laudem hominis, quatenus quidem non rudis est iudiciorum, se mixtum est cum contemptu, quippe de quo nihil aliud praedicari pos sit praeter exercitationem. Sic de Orat. lib. I extr. *habitare in sub selliis* de vili quodam et operario causidico dicitur, qui oratori, e quem ratio et litterae erudierint, opponatur. — *posset*] Edd. vett. us que ad Car. Stephanum *possit;* sic etiam codices mss. deteriores. Se *posset* videtur ipsa consuetudo Ciceron. postulare. Paulo post *iudi cium* omisit Stephanus, i. e. codex vetus, quo usus est. Lagom. 29. *con tinebit.* — *At ne is quidem*] Mendose ediderat Naug. *ac*, quod deind haesit, donec Hotomanus coniectura verum invenit, confirmatum pleris que Lagomarsinianis et Guelf. antiq. Nam in sec. et Par. D. est *ac.*

in actoribus Graecis] De re vide quae exposuit Heindorfius ad Ho rat. Serm. 1, 9, 46 et quam ille laudat Boettigeri prolus. de Actoribu prim. sec. et tert. partium Vinariae 1797. Sed Valckenarius in diatrib ad Eurip. fragmenta p. 182 *in actoribus tragicis* scribi voluit, nequ tamen probavit, illud institutum ad solas tragoedias pertinere. Mihi qui dem *Graeci actores* antiquo more omnes videntur appellati esse, qu artem histrionalem exercerent, sive in palliatis fabulis sive in togatis praeter actores Atellanarum. Hoc enim genus solum Romanum et prae cipuo iure fuit. Vide Livii libr. VII, 2 extr. Itaque ne Langii quiden coniectura, ut *scaenicis* scribatur, opus esse arbitror.

tum summittere, ut ille princeps quam maxime excellat: sic faciet Alienus: tibi serviet, tibi lenocinabitur; minus aliquanto contendet, quam potest. Iam hoc con- 49
siderate, cuiusmodi accusatores in tanto iudicio simus habituri, cum et ipse Alienus ex ea facultate, si quam habet, aliquantum detracturus sit, et Caecilius tum denique se aliquid futurum putet, si Alienus minus vehemens fuerit, et sibi primas in dicendo partes concesserit. Quartum quem sit habiturus, non video, nisi quem forte ex illo grege moratorum, qui subscriptionem sibi postularunt, cuicunque vos delationem dedissetis. Ex quibus, alienissimis hominibus, ita paratus 50
venis, ut tibi hospes aliquis sit recipiendus. Quibus ego non sum tantum honorem habiturus, ut ad ea,

---

§. 49. *se aliquid futurum*] Plerique omnes codd. mss., exceptis tantum Lag. 29 (qui *aliq. se fut.*) et Guelf. 2 et Par. D, *facturum*, ut in superiore cap. extr. item nonnulli *feceris*. Sed illud iam principes editores recte, hoc mansit usque ad P. Manutium. De loquendi genere, si opus fuerit, vide Burmannum ad Phaedr. III, 7, 17.

et sibi] Codd. plerique omnes *tibi*, etiam Guelf. 2 sed antiq. et Par. D a pr. manu *sibi*, quod postquam Hotomanus coniectura invenit, nemo non recipiendum putavit. — *Quartum*] Turbarunt in hoc verbo codices mss. Nam Lagomarsiniani partim *quarum*, partim *quantum*, Franc. pr. *quare* cet. Nimirum cur *quartus* expectaretur nesciebant librarii. At ille tum fuit quasi legitimus, certe maximus, numerus actorum utriusque partis, cum vetere instituto unus accusaret, unus defenderet (cf. Cic. p. Cluentio c. 70), posthac ante legem Iuliam numerus patronorum usque ad duodenos cresceret. Vide Asconium in argum. orationis p. M. Scauro extr. Accusaverunt autem item quattuor Murenam, quattuor M. Coelium, pro quibus Cicero ne ipse quidem solus dixit. Cf. Ferratium epist. libr. I, 6 et Sylvium ad Cluentianam. c. 70.

moratorum] Editiones veteres et codices fere omnes *oratorum*, Guelf. 2 et Par. D. *meatorum*, et hic in marg. *f. mercatorum f. meritorum*, unde fortasse hausit Car. Stephanus quod edidit *meritorum*. Verum invenit magnus Cuiacius Observationum lib. IV, 39 et patet Asconium legisse, dum sic scribit: *Obturbatores quosdam sordidosque causidicos significat, qui adhibebantur ad moram faciendam, dum meliores advocati recrearentur et se denuo compararent ad dicendum;* primusque edidit Lambinus.

quae dixerint, certo loco aut singillatim unicuique respondeam: sic breviter, quoniam non consulto, sed casu in eorum mentionem incidi, quasi praeteriens satisfa-
16 ciam universis. Tantane vobis inopia videor esse amicorum, ut mihi non ex his, quos mecum adduxerim, sed de populo subscriptor addatur? vobis autem tanta inopia reorum est, ut mihi causam praeripere conemini potius, quam aliquos a columna Maenia vestri or-
51 dinis reos reperiatis? Custodem, inquit, Tullio me apponite. Quid? mihi quam multis custodibus opus erit, si te semel ad meas capsas admisero? qui non solum ne quid enunties, sed etiam ne quid auferas, custodiendus sis. Sed de isto custode toto sic vobis bre-

---

§. 50. *singillatim*] Sic scribo et h. l. et cap. 22 in dissensu codd quorum Guelf. 1 *singulatim*, Guelf. 2 *sigillatim*, Lag. 29 *singillatim*. Sic et Car. Stephanus. Ernestius quidem sibi parum constat, sed lib. V, 55 et Phil. II, 36 extr. et ipse *singillatim*, sicut illis locis est in optimis; lib. III, 42 extr. in Lagom. omnibus est *sigillatim*. Cf etiam Oudendorpium ad Caes. B. G. III, 2.

§. 50. *a columna Maenia*] *Maenia* columna ex uno inventa est Asconio, nam libri mss. fere omnes (unum Franc. pr. excipit Graevius) aut *enea*, *aenea*, aut *aerea*, quapropter Car. Stephanus, pro fide sua cum *Maenia* dudum ederetur, tamen ad *aeneam columnam* revertit. Sed in eiusmodi rebus nemo non veterem enarratorem sequi maluerit. Tradit ille autem, ad Maeniam columnam apud Triumviros capitales fures et servos nequam puniri solitos esse. Ac videtur Triumviris praeter curam carcerum ac suppliciorum, de qua fere sola veteres scriptores dicunt, etiam maleficorum de plebe coercendi ius fuisse. Sed utrum *ad columnam Maeniam*, sicut Asconianae explicationi praescriptum est, an *a col. Maenia*, quod est in omnibus codd. Cic., quorum quidem paulo accuratior notitia est, legas, dissentiunt editores, et Garatonius imprimis pro Asconio certat. Tradit quidem Ursinus in vett. libris esse *ad col.* et Lallemand. suorum codicum suffragia addit, sed ille potest videri Asconium intellexisse, huius fides plus quam dubia est. Itaque mihi tutius videtur in hac re codices sequi, praesertim cum satis commode sibi respondeat *reos alii praeripere* et *ab aliquo loco reperire*.

§. 51. *inquit*] Praecessit numerus plur. et altera persona, sed est haec perpetua dicendi formula, qua occurri solet adversariis. Vide Gronov. ad Liv. XXXIV, 3. Bentleium et Heindorfium ad Hor. Serm. I, 4, 79. Spalding. ad Quintil. V, 11, 21.

issime respondebo: non esse hos tales viros commis-
uros, ut ad causam tantam, a me susceptam, mihi
reditam, quisquam subscriptor, me invito, aspirare
possit. Etenim fides mea custodem repudiat, diligen-
a speculatorem reformidat.

Verum, ut ad te, Caecili, redeam, quam multa 52
e deficiant, vides: quam multa sint in te, quae reus
ocens in accusatore suo cupiat esse, profecto iam in-
elligis. Quid ad haec dici potest? non enim quaero,
uid tu dicturus sis: video mihi non te, sed hunc li-
rum esse responsurum, quem monitor tuus hic te-
et: qui, si te recte monere volet, suadebit tibi, ut
inc discedas, neque mihi verbum ullum respondeas.
Quid enim dices? an id, quod dictitas, iniuriam tibi
ecisse Verrem? Arbitror: neque enim esset verisi-
ile, cum omnibus Siculis faceret iniurias, te illi unum
nimium, cui consuleret, fuisse. Sed ceteri Siculi ul- 53
rem suarum iniuriarum invenerunt: tu, dum tuas in-
rias per te, id quod non potes, persequi conaris, id
gis, ut ceterorum quoque iniuriae sint impunitae at-
ue inultae: et hoc te praeterit, non id solum spe-
tari solere, qui debeat, sed etiam illud, qui possit
lcisci: in quo utrumque sit, cum superiorem esse;
n quo alterum, in eo non, quid is velit, sed quid fa-
ere possit, quaeri solere. Quodsi ei potissimum cen- 54
es permitti oportere accusandi potestatem, cui maxi-

---

§. 51. *non esse hos tales viros commissuros]* Asconii annotationi
escribitur *nunquam tales viros commiss.* quod in nullo hucusque
. codice inventum est. Lamb. tamen edidit *nunquam esse hos ta-*
viros commissuros, sed hanc sibi ipse secundum Asconium lectio-
m videtur finxisse.

§. 52. *ad te, Caecili]* Lagom. VII et Huyd. et edd. vett. usque
Victorium *ad te redeam, Caecili.* — *quid tu dicturus sis]* Steph.
amb. omittunt *tu*, secundum cod. (Par. D.) et Guelf. 2.

§. 53. *in quo alterum]* i. e. causa, cur Verrem accusare debeat:
ertinet igitur ad remotius, ideoque recte ponitur. In Par. D. et Guelf. 2
et Leid. codicibus mirum quantum conspirantibus et ad communem ori-
inem referendis item in Lag. 29 legitur *alterutrum.*

mam C. Verres iniuriam fecerit: utrum tandem censes hos iudices gravius ferre oportere, te ab illo esse laesum, an provinciam Siciliam esse vexatam ac perditam? Opinor, concedes, multo hoc et esse gravius, et ab omnibus ferri gravius oportere. Concede igitur, ut tibi anteponatur in accusando provincia; nam provincia accusat, cum is agit causam, quem sibi illa defensorem sui iuris, ultorem iniuriarum, actorem causae
17 totius adoptavit. At eam tibi C. Verres fecit iniuriam,
55 quae ceterorum quoque animos posset alieno incommodo commovere. Minime: nam id quoque ad rem pertinere arbitror, qualis iniuria dicatur, quae causa inimicitiarum proferatur. Cognoscite ex me: nam iste eam profecto, nisi plane nihil sapit, nunquam proferet. Agonis quaedam est, Lilybaetana, liberta Veneris Erycinae: quae mulier ante hunc quaestorem copiosa plane et locuples fuit. Ab hac praefectus Antonii quidam symphoniacos servos abducebat per in-

§. 54. *hos iudices]* Editio Ern. errore typogr. *hoc;* moneo, quia recentiores propagarunt. Par. D. Guelf. 2 Leid. *nos*, et hi duo praeterea *inde* frequentissimo mendo, e nota *iud.* orto. Omnino earum litterarum *iu*, *in*, *vi* perpetua confusio, quamobrem in orat. in Pisonem c. 7, ubi legitur *Voluit ille senatum interficere: vos sustulistis: leges incendere: vos abrogastis: interire patriam: vos adiuvistis*, ingrata a verbis activis ad neutrum transitione, corrigendum videtur *vi terrere*
esse laesum] Guelf. 2 et Steph. Lamb. omittunt *esse*, item Lagom. 42
concedes] Sic Steph. et Lamb. cum Guelff. et Lag. 29; vulgo *concedis*. Tum *multo hoc gravius et esse* Steph. Lamb. et omisso priore *et* edd. vett. omnes, etiam P. Manutius, et codd. Lagom. omnes praeter 29; ut is verborum ordo, qui nunc est, atque ambobus Guelf. et ipso Par. D. confirmatur, non aliunde nisi ex repet. Lamb. propagatus videatur. In Guelf. 1 tamen prius *et* deest.

§. 55. *Ag. quaedam est, Lilybaetana]* Hoc verbb. ordine ambo Guelf. et Lag. 29 et edit. C. Stephani. Vulgo *Ag. est quaedam Lilyb.*
in classe uti] Τριηραύλας sive tibicines nauticos esse volebat, qui τὸ τριηρικὸν remigibus canerent, quos homines a pausario sive hortatore diversos fuisse docte ostendit Schefferus de militia navali IV, 7 pag. 307 et ex eo Meyerus ad *Adami* syntagma Antiqq. Rom. Tom. 2 p. 157. Eorum quidem mentionem nullam invenio in scriptoribus Romanis, sed sufficiunt Graeci, quoniam hoc loco inter Graecos versamur.

iuriam, quibus se in classe uti velle dicebat. Tum illa, ut mos in Sicilia est omnium Veneriorum et eorum, qui a Venere se liberaverunt, ut praefecto illi religionem Veneris nomenque obiiceret, dixit, et se et
omnia sua Veneris esse. Ubi hoc quaestori Caecilio, 56
viro optimo et homini aequissimo, nuntiatum est, vocari ad se Agonidem iubet: iudicium dat statim, *si paret, eam, se et sua Veneris esse, dixisse:* iudicant recuperatores id, quod necesse erat: neque enim erat cuiquam dubium, quin illa dixisset. Iste in possessionem bonorum mulieris intrat: ipsam Veneri in servitutem adiudicat: deinde bona vendit: pecuniam redi-

---

§. 55. *Veneriorum]* h. l. adhuc solus Steph. cum Lambino, quamvis aliis plurimis locis dudum omnes scripserint pro *Venereis.* Extat in Guelf. ant. et Lag. 29. — *nomenque obiiceret]* Stephanus et vet. ed. ad marg. Lambinianae (Par. D.), ac plane cum eo consentiens Guelf. 2 tandose pro *nomenque* exhibent *nomine*, ac paulo post, adiuncto sibi tertio socio Leid., *omnia* omittunt.

§. 56. *si paret]* Iudicialis formula a librariis corrupta et editoribus Tullianis diu ignota. Codd. Lag. 5 a corr. *pateat*, 1. 14 a corr. 45. 48 *appareat*, 14 *apparent*, 29. 5 a pr. m. 6 *parent*, Oxon. *pararet*, Guelf. 2 et Par. D *parretheam et*, Guelf. 1 *parretheam vel si parret et sua.* Cum in edd. vetustis fuisset *si pateret*, primus Lambinus dedit *si pareret*, eaque lectio vulgata facta est. Nec eam in minore editione deseruimus, quamquam Fr. Fabricius integram potius formulam *si paret* servandam censuit, quoniam sic III, 22 et 28, ubi forma orationis alium verbi modum, aliud tempus postularet, in libro suo ms. inventum esset. Neque enim dubium est quin utrumque liceat (ut pro Roscio Com. §. 11 et 12), et *pareret* inesse videbatur in plurimorum librorum scriptura *parent.* Nunc tamen *paret* restituimus, poteramus alio *parret*, quemadmodum olim scribi solitum esse tradit Festus, ipse reprehendens, quoniam esse vult sicut *apparet*, *comparet.*

intrat] Sic Guelf. antiquior et Par. D. Vulgo *mittit*, quod ipsum Par. in marg. habet sic *f. mittat* et in Guelf. altero recentiore tamquam διττογραφία in textu collocatur: *intrat vel mittat.* Miror qui factum sit ut nihil Stephanus in textu mutarit, nihil Burmannus ex Leid. enotarit, nisi duplicem illam scripturam temere ad librarii negligentiam rettulerunt. Ipse autem Caecilius quod dicitur *in possessionem intrasse* (verbo non infrequenti apud Ictos) eo pertinet, quod Quaestor Lilybaetanus Praetoris mandatu summam curam templi Erycini habuit. Vide lib. II c. 8. Itaque idem bona a muliere abiudicata vendidit et pecuniam redegit, quod, si quem alium in possessionem misisset, ad illum pertineret.

git. Ita, dum pauca mancipia Veneris nomine Agonis ac religione retinere vult, fortunas omnes libertatemque suam istius iniuria perdidit. Lilybaeum Verres venit postea: rem cognoscit: factum improbat: cogit quaestorem suum pecuniam, quam ex Agonidis bonis redegisset, eam mulieri omnem adnumerare et red-
57 dere. Est adhuc, id quod vos omnes admirari video non Verres, sed Q. Mucius. Quid enim facere po-

---

§. 56. *Lilybaeum]* Guelf. 1 *Tum Lilyb.* et *ad libidinem quaestoris* inverso verbb. ordine.

§. 57. *sed Q. Mucius]* In cuius honorem Asiani diem festum Mucia instituerunt, vide lib. II, 10 et 21. Esse hunc Publii filium, P. N Pontificem Maximum, Consulem a. u. 659, a. Chr. 95, nunc quidem fere consentiunt omnes, et ipse credo ex epist. ad Attic. VI, 1 extr. Sed Corradus in annotatione ad epist. 17 lib. V ad Att. alterum fuisse puta Quintum Mucium Scaevolam, Q. fil. Q. N. Augurem, illius patris fratrem patruelem, quem Asiae praefuisse Cicero significat lib. I de Orat c. 17. Asconii personati annotatio ad h. l. de (P.) Rutilio Rufo *Quaestore* Scaevolae, cum *Praetore* suo in coercendis publicanis consentiente, et ob eam causam ab Equitibus Romae damnato, multarum disputationum causam dedit, quapropter miror interpretes Ciceronianos hic silere. Cf. interpretes Livianos ad epitomen libri LXX, Perizonium Animadv. hist. p. 60 sq. Harl. Garaton. ad lib. II in Verr. 10. Frid Ellendtium in Prolegomenis ad Cic. Brutum ab ipso editum pag. L. A mihi quidem offici videtur annotatione veri Asconii ad Ciceronis Pisonianam c. 26, ut statuamus, Q. Mucium post Praeturam, a. 655 u. c 99 a. Chr. actam, in provinciam profectum esse pro Consule, (sic epit Liv.) ac verisimile fit, Rutilium pro vetere eius cum familia Scaevolarum necessitudine (fuisse enim P. Mucii Icti auditorem tradit Pomponius Dig. de Orig. Iuris, cf. Cic. de Off. II, 13 extr.) cum octo annis ante Consul fuisset, illi *Legatum* fuisse, cumque Q. Mucius ne annum quidem integrum in Asia mansisset, Romam ad petendum Consulatum festinans, relictum ibi procos. eadem qua ipsum Mucium constantia provinciales ab iniuriis publicanorum defendisse. Quae causa fuit, ut sex annis post (a 662 u. c.) ab Apicio quodam, homine nequam, instigantibus publicanis, accusatus et ab Equitibus tum iudicia tenentibus condemnatus sit, cum defensoribus praeter semet ipsum uti nollet nisi C. Cotta, quod sororis filius esset, et Q. Mucio suo. Cic. de Orat. I, 53. Vides igitur, me contra Perizonium defendere Pomponium, quod Rutilium Proconsulem Asiae dixerit, sed uti nolle ea ratione, quam Ellendtius posuit, non probavit, Rutilium bis in Asia fuisse, semel Quaestorem cum Q. Mucio Augure, iterum Legatum cum Q. Mucio Pontifice.

tuit elegantius ad hominum existimationem? aequius ad levandam mulieris calamitatem? vehementius ad quaestoris libidinem coercendam? Summe haec omnia mihi videntur esse laudanda. Sed repente e vestigio ex homine, tamquam aliquo Circaeo poculo, factus est Verres: redit ad se atque ad mores suos: nam ex illa pecunia magnam partem avertit: mulieri reddidit quantulum visum est. Hic tu, si laesum te a Verre esse 18
dicis, patiar et concedam: si iniuriam tibi factam que- 58
reris, defendam et negabo. Denique de iniuria, quae tibi facta sit, neminem nostrum graviorem iudicem esse oportet, quam te ipsum, cui facta dicitur. Si tu cum

---

Singulos scriptorum locos excitare omitto, dudum collectos ab Ernestio in indice et Ellendtio l. l. — *partem avertit]* Unus Lagom. 42 *convertit*, libri mss. omnes (etiam Par. D.) et vulgo editi *partem ad se vertit*, quod Latinum esse nego. Quod Stephanus edidit (sequente Lamb.) *ad se avertit* non minus vitiosum videtur: quis enim unquam in tali sententia praepositionem addidit? *Avertit* et satis est et sic perpetuo dicitur pro clam abstulit, et ostendit etiam corruptionis opportunitatem et quasi progressum. Quod vero Lambinus coniecit fortasse legendum *verrit*, mihi quidem mirum quantum ab oratoris elegantia abesse videtur, qui moderate iam *Circaeo poculo* risum temptarit. Cf. Quintil. VI, 3, 4 et nos ad lib. I, 46; IV, 43 extr. Guelf. 2 *aliquo Circes poculo.*

§. 58. *te a Verre]* Guelf. 1 *a Verre te.* In Asconii lemmate *esse* omittitur. Post *sin* voluit Lamb. in marg. repet.

dicis] Vulgo *dices;* itaque *quereris* item Futurum putabis contra morem Ciceronis, qui illud *querere* dixisset, nam in Catil. I c. 11 *pateris* corrigendum est ex libris *patiere.* At *dicis* est in lemmate Asconii et in Guelf. ant., neque insolitum debet putari post *si* cum Praesente sequi in apodosi Futurum. Vide Ellendt. de formis enuntiatorum conditionalium pag. 19. — *Denique de iniuria]* Vulgo *deinde:* sed Lagom. 29. 42 Guelf. 2 edit. Steph. (Lamb.) *denique*, Guelf. 1 *denique vel deinde:* aptissimum verbum ad locum concludendum et rem conficiendam. — *graviorem iudicem]* Primus Victorius *vindicem* edidit, quem ne excepto quidem Car. Stephano omnes secuti sunt, imprudenter, opinor. Nam quomodo coniunges *vindicem de iniuria?* Neque tu poteris explicare quod attinet ad iniuriam, cum ipsum nomen *iniuriae* proxime praecesserit. Est autem alterum illud non solum in Par. D. Guelf. ambobus, sed in deterioris familiae libris quam plurimis, Lag. quidem omnibus praeter 42.

illo postea in gratiam redisti, si domi illius aliquotiens fuisti, si ille apud te postea coenavit: utrum te perfidiosum, an praevaricatorem existimari mavis? Video esse necesse alterutrum: sed ego tecum in eo non pugnabo, quo minus, utrum velis, eligas.

59 Quodsi ne iniuriae quidem, quae tibi ab illo facta sit, causa remanet, quid habes, quod possis dicere, quamobrem non modo mihi, sed cuiquam anteponare? nisi forte illud, quod te dicturum esse audio, quaestorem illius fuisse. Quae causa gravis esset, si certares mecum, uter nostrum illi amicior esse deberet: in contentione suscipiendarum inimicitiarum ridiculum est putare, causam necessitudinis ad inferendum periculum
60 iustam videri oportere. Etenim, si plurimas a praetore tuo iniurias accepisses, tamen eas ferendo maiorem laudem, quam ulciscendo mererere: cum vero nullum illius in vita rectius factum sit, quam id, quod tu iniuriam appellas; hi statuent, hanc causam, quam ne in alio quidem probarent, in te iustam ad necessitudinem violandam videri? qui, si summam iniuriam ab illo accepisti, tamen, quoniam quaestor eius fuisti, non potes eum sine ulla vituperatione accusare: si vero non

---

§. 58. *domi illius]* Guelf. 1 *domi ipsius*, quod refero nunc ad eorum pronominum frequentem sane confusionem: vide ad V, 4 §. 9, 37 extr.

§. 59. *Quodsi ne]* Hanc Ursini emendationem pro vulg. *Quid, si* Schützius se recepisse dicit: optime; neque enim novum aliquid affertur, sed est haec quasi conclusio totius de iniuria Caecilii disputationis. At posthac non emendatio vocabitur, legitur enim perspicue in Guelf. 2 et Lag. 29 et edit. Car. Stephani, quae fideliter ad cod. msc. (Par. D.) exacta est. In fine huius periodi *quod te dicturum esse audio* ex Guelf. 1 et Lag. 29 edidi, vulgo *dicturum te esse*.

§. 60. *praet. tuo]* Sic Guelf. 1 pro vulgo. *tuo pr.* Cf. mox §. 62. Idem *illas*, non *eas*, et *in illius vita nullum*, quod probare non possum, *illius* enim ad *factum*, non ad *vitam* pertinet. *In vita* est per totam vitam, sic Act. I, 2 *semel in vita;* III, 91, §. 213 *nihil in vita simile fecit.* — *non — sine ulla]* Debebat *non potes eum sine aliqua vituperatione accusare.* Sed eodem modo Cicero scripsit lib. II de

ulla tibi facta est iniuria, sine scelere eum accusare non potes. Quare cum incertum sit de iniuria, quemquam horum esse putas, qui non malit, te sine vituperatione, quam cum scelere discedere? Ac vide, quid 19
differat inter meam opinionem et tuam. Tu, cum omni- 61
bus rebus inferior sis, hac una re te mihi anteferri putas oportere, quod quaestor illius fueris: ego, si superior ceteris rebus esses, hanc unam ob causam te

---

Off. c. 11 *cuius* (iustitiae) *tanta vis est, ut ne illi quidem, qui maleficio ac scelere pascuntur, possint sine ulla particula iustitiae carere,* quem locum Facciol. et I. M. Heusingerus, cum probe quid sermonis leges postularent intellexissent, huius loci non memores, corrigere agressi sunt. Meiningensis codex, ex deterrimis ille quidem, traditur exhibere *sine nonnulla*, quod placuerit fortasse alicui, ac videatur etiam ad alterum illum locum corrigendum pertinere. Sed est tamen horridum et nescio an barbarum *non potes sine nonnulla.* Itaque videtur sic statuendum esse, ut oratorem ipsum super frequentissimam constructionem verae rationis oblitum dicamus.

non ulla] Sic libri mss. quotquot accuratius novimus, omnes, vet. cod. in marg. Lamb. (Par. D.) ambo Guelf. Leid. omnes Lagom. Huydec. Sed pari consensu editi, etiam qui e mss. correcti sunt, *nulla*, nimirum quod viri docti eam dicendi formam tam insolitam putarunt, ut ne commemorare quidem vellent. Idem factum est lib. III, 53 extr. et aliis locis apud prosarios scriptores factum esse suspicari licet, nam poetas quidem metrum tuetur; itaque Horatius Serm. I, 1, 97 *non unquam;* et Virgilius Aen. X, 717 *non ulli est animus stricto concurrere ferro;* II, 726 *non ulla iniecta movebant tela;* et Propertius Eleg. I, 2, 7 *non ulla tuae medicina figura est*, et reliqui omnes, ni ineptus essem, si congererem quod in oculos incurrit. Sane interesse aliquid videtur inter *nullum* et *non ullum*, et hoc idem fere esse quod *ne ullus quidem.* — *horum esse]* Sic uterque Guelf. et Steph. (Lamb.) Vulgo *esse horum.*

§. 61. *Ac vide]* Sic non solum ambo Guelf. et editio Stephani, (sequente Lamb.) sed etiam septem Lagomarsiniani, estque omnino verum, cum Cicero in eadem ratione pergat, qua demonstrare coepit, iniuriam illam eo valere non debere, ut qui Quaestor fuerit, Praetorem suum accuset. Vulgo tamen *at.* Postea *et tuam* ex Guelf. 1 est. Vulgo *ac.* — *hac una re te]* Codd. omnes et edd. vett. *hac una in re*, sed recte Hotomanus praepositionem delendam censuit, esse enim pro *ob hanc unam rem.* Secutus est Lambinus, probavitque Ernestius. *Te* addidit primus Car. Stephanus, quod in principibus edd. exciderat, nam exhibetur in libris mss. omnibus. — *ceteris rebus]* Stephanus *omnibus*

accusatorem repudiari putarem oportere. Sic enim a maioribus nostris accepimus, praetorem quaestori suo parentis loco esse oportere; nullam neque iustiorem neque graviorem causam necessitudinis posse reperiri quam coniunctionem sortis, quam provinciae, quam of-
62 ficii, quam publici muneris societatem. Quamobrem si iure posses eum accusare, tamen, cum is tibi parentis numero fuisset, id pie facere non posses: cum vero neque iniuriam acceperis, et praetori tuo periculum crees, fatearis necesse est, te illi iniustum impiumque bellum inferre conari. Etenim ista quaestura ad eam rem valet, ut elaborandum tibi in ratione reddenda sit, quamobrem, qui quaestor eius fueris, accuses; non, ut ob eam ipsam causam postulandum sit ut tibi potissimum accusatio detur. Neque fere unquam venit in contentionem de accusando, qui quae-
63 stor fuisset, quin repudiaretur. Itaque neque L. Philoni in C. Servilium nominis deferendi potestas est data

rebus, quod esse in *vet. cod.* margo Lamb. refert, et legitur in Guelf. 2 Guelf. 1 *omnibus ceteris rebus*, unde sumpsisse videri potest Lambinus quod Latinitati consulens edidit *ceteris omnibus rebus*.

publici mun. societatem] Vulgo *publicam*, sed *publici* maluit Hotom. et edidit Car. Stephanus (Lamb.) non illius opinionem secutus, sed codicem suum. Habent enim etiam Guelff. Leid. Lag. 29. 42. Neque opus est pluribus probare. Quae enim est *publica societas?* at publicum munus societatem sanctiorem reddere debet.

§. 62. *posses eum]* Sic Steph. (Lamb.) ambo Guelf. Lag. 29. Vulgo *eum posses*. — *qui quaest. eius fueris]* Sic libri mss. Ciceroniani praeter unum Lag. 5 omnes. Is autem lemma Asconianum exhibet *eum cui q. fueris*, quod et Hotom. probavit et Lambinus in textum recepit. Nobis stat sententia, ut neque grammaticorum neque interpretum veterum lectiones, nisi ubi id sententia prorsus exigit, contra Ciceronianos codices sequamur, neque Lagom. 5 movemur, de cuius bonitate magnopere dubitamus. Iunt. tamen *quamobrem eum quaestor cui fueris accuses*.

§. 63. *L. Philoni* cet.] Enumerat exempla Quaestorum, quibus accusare suos Praetores non licuerit, sed desideramus veri Asconii eruditionem in explicandis rebus. Neque enim de Veturio Philone, nec de C. Servilio, *Vatia* opinor, nec de L. (Valerio) Flacco quicquam

neque M. Aurelio Scauro in L. Flaccum, neque Cn. Pompeio in T. Albucium; quorum nemo propter indignitatem repudiatus est, sed ne libido violandae necessitudinis auctoritate iudicum comprobaretur. Atque ille Cn. Pompeius ita cum C. Iulio contendit, ut tu mecum. Quaestor enim Albucii fuerat, ut tu Verris. Iulius hoc secum auctoritatis ad accusandum afferebat, quod, ut hoc tempore nos ab Siculis, sic tum ille ab Sardis rogatus ad causam accesserat. Semper haec causa plurimum valuit, semper haec ratio accusandi fuit honestissima, pro sociis, pro salute provinciae, pro exterarum nationum commodis inimicitias suscipere, ad periculum accedere, operam, studium, laborem interponere.

Etenim si probabilis est eorum causa, qui iniu- 20
rias suas persequi volunt; qua in re dolori suo, non 64
rei publicae commodis serviunt: quanto illa honestior causa est, quae non solum probabilis videri, sed etiam grata esse debet, nulla privatim accepta iniuria, sociorum atque amicorum populi Romani dolore atque iniuriis commoveri? Nuper cum in P. Gabinium vir for-

---

constat. De illis quidem prorsus incertum, neque Flaccum verisimile est illum fuisse, qui Cos. a. 131 a. Chr. (623 u. c.) fuit, quoniam M. Aemilius Scaurus, celeber gerendis inimicitiis, certe non ante a. 627 u. c. Quaestor fuit. Unum T. Albucium novimus, cuius causa acta est a. 103 a. Chr. (651 u. c.) De eius accusatore C. Iulio Caesare, oratore lepore ac facetiis insigni, vide Ellendt. Prolegg. ad Cic. Brut. p. 81 sqq. Sed vel tironibus notus esse debet ex altero libro Cic. de Oratore. Petierunt et hic et Cn. Pompeius Strabo, eius competitor, alter Aedilitas, alter Consularis a. 87 a Chr.

§. 64. *honestior causa est*] Sic Lagom. 29 et uterque Guelf. et Lamb. vet. cod. (Par. D.) Vulgo *causa honestior*, sine *est*.

in P. Gabinium] Hic est haud dubie Praetor a. 89 a. Chr., 665 u. c. de quo p. Arch. poet. c. 5, *Gabinii, quamdiu incolumis fuit, levitas, post damnationem calamitas*. *L. Piso* Praetor cum Verre fuit a. 74 a. Chr., 680 u. c. quem Cicero laudat lib. I c. 46. Sed *Q. Caecilius* etsi fieri potest, ut is sit, qui Cos. fuit anno post hanc orat.

tissimus et innocentissimus L. Piso delationem nominis postularet, et contra Q. Caecilius peteret, isque se veteres inimicitias iam diu susceptas persequi diceret: cum auctoritas et dignitas Pisonis valebat plurimum, tum illa erat causa iustissima, quod eum sib
65 Achaei patronum adoptarant. Etenim cum lex ipsa de pecuniis repetundis sociorum atque amicorum popul Romani patrona sit: iniquum est, non eum legis iudiciique actorem idoneum maxime putari, quem actorem causae suae socii defensoremque fortunarum suarum potissimum esse voluerunt. An, quod ad commemorandum est honestius, id ad probandum non multo videri debet aequius? Utra igitur est splendidior, utr illustrior commemoratio? accusavi eum, cui quaestor fueram, quicum me sors consuetudoque maiorum, qui cum me deorum hominumque iudicium coniunxerat

---

habitam, tamen quod sic nude auctoritate et dignitate a Pisone superatus dicitur, non videtur ex nobilissima Metellorum familia fuisse.

§. 65. *patrona sit*] Sic primus edidit Ernestius ex Guelf. 2 alioquin illius libri bonorum contemptor, sed non fuit quod eam scripturam singularem appellaret, quoniam dudum sic ediderat Car. Stephanus et Lambinus cum ab illo descisceret, in annot. sic habere vet. cod. (Paris. D.) scripserat. Tertius et optimus auctor accedit Guelf. ant., nan de Leid. siletur. Iam vero legem ipsam appellari *patronam* mirum non est, cum etiam de Orat. lib. II c. 48 *provocatio patrona civitatis a vindex libertatis* dicatur. Quod vulgo edebatur *amicorum populi Rom causa parata sit* ex emendatione antiqua profectum est, cum verbum *patrona* semel in *patrata* corruptum esset. Additum est enim *causa* fortasse a principe editore, nam in quo libro ms. hoc quidem legatur non invenio. De Franc. Oxon. Mein. dubito, sed a Lagom. omnibu abest, in uno 29 libro curiose interpolata est *causa patrona*. In Iuntina primum factum est *causa parata*, tum P. Manutius fecit *causa comparata*, quod item Lambinus expressit, cum Stephanus mira quadam ratione *patrona comparata* edidisset. Sed num *comparata* in ullo libro ms. legatur, quamvis Lambinus asseveret, iure mihi video dubitare posse. Quodsi de *causa* et *comparata* in libris mss. inventis constaret, etiam vulgaris scriptura iure defendi posset, nam sic c. 5 *quorum causa lex sit constituta;* quamquam vel *comparata lex* aliquid offensionis habet.

an accusavi rogatu sociorum atque amicorum, delectus sum ab universa provincia, qui eius iura fortunasque defenderem? Dubitare quisquam potest, quin honestius sit, eorum causa, apud quos quaestor fueris, quam eum, cuius quaestor fueris, accusare? Clarissimi viri nostrae 66
civitatis, temporibus optimis, hoc sibi amplissimum pulcherrimumque ducebant, ab hospitibus clientibusque suis, ab exteris nationibus, quae in amicitiam populi Romani dicionemque essent, iniurias propulsare, eorumque fortunas defendere. M. Catonem illum Sapientem, clarissimum virum et prudentissimum, cum multis graves inimicitias gessisse accepimus propter Hispanorum, apud quos consul fuerat, iniurias. Nuper Cn. Domi- 67
tium scimus M. Silano diem dixisse propter unius hominis Aegritomari, paterni amici atque hospitis, iniurias. Neque enim magis animos hominum nocentium 21
res unquam ulla commovit, quam haec maiorum consuetudo, longo intervallo repetita ac relata; sociorum querimoniae delatae ad hominem non inertissimum, susceptae ab eo, qui videbatur eorum fortunas fide diligentiaque sua posse defendere. Hoc timent homines; 68
hoc laborant; hoc institui atque adeo institutum referri ac renovari moleste ferunt: putant fore, uti, si paulatim haec consuetudo serpere ac prodire coeperit,

---

§. 65. *delectus sum ab univ.*] Nescio an melius cod. Guelf. antiq. auctoritate abiiciatur verbum *sum*.

§. 67. *M. Silano*] non *D. Silano*, uti mendose codices msti omnes. Patet enim ex libro II in Verr. 47, fragm. orationis pro C. Cornelio Mundae apud Ernest. pag. 1249. Cf. etiam Corradum ad Cic. Brutum p. 245 edit. Flor. Consul fuit a. Chr. 109, u. c. 645. Paulo post *Aegritomari* scribendum videbatur ex cod. illo loco libri II, ubi cod. Fabric. sic habet, nec editt. princ. usque ad Iuntinam (incl.) multum abludat. quae *Acritomari*. Hic autem mss. et editi praeter Graev. *Egritomari*.

§. 67. *ac relata]* Stephanus primus dedit *ac*, ante eum *atque* scribebatur, et est in Lagom. tribus. Etiam post *ac renov.* omnes praeter Guelf. 2; et omnino ea coniunctio imprimis frequens est ante consonas liquidas.

per homines honestissimos virosque fortissimos, non imperitos adolescentulos, aut illiusmodi quadruplatores
69 leges iudiciaque administrentur. Cuius consuetudinis atque instituti patres maioresque nostros non poenitebat, tum cum P. Lentulus, is, qui princeps senatus fuit, accusabat M'. Aquillium, subscriptore C. Rutilio Rufo: aut cum P. Africanus, homo virtute, fortuna gloria, rebus gestis amplissimus, posteaquam bis consul et censor fuerat, L. Cottam in iudicium vocabat. Iure tum florebat populi Romani nomen; iure aucto-

---

§. 69. *M'. Aquillium]* Non dicam h. l. de praenomine Aquillii, de quo iam inter viros doctos constat. Cf. Spanhemium de usu et praest. num. diss. X. Codd. quidem mss. *M.* etiam h. l. plerique exhibent. Sed de personis et accusatoris P. Lentuli et M'. Aquillii Ernestius in Indice et qui illum corrigere debuit Schützius bis errarunt, erravit etiam Hotomanus ad h. l. qui hunc M'. Aquillium eum esse dixerit, quem M. Antonius singulari artificio defendit. Itaque eundem bis repetundarum accusatum indices Ciceroniani tradunt, et duos faciunt Lentulos principes Senatus, ex uno, qui cum Cos. fuisset a. 592, Chr. 162, vitam produxit usque ad a. 633, quo in tumultu Gracchano vulneratus nec multo post mortuus est. Fuit autem hic M'. Aquillius, quem P. Lentulus senex robustus accusavit, alterius pater, Cos. a. u. 625, a. Chr. 129, qui ex Asia victo Aristonico reversus repetundarum postulatus corruptis iudicibus evasit. Filius a Siculis, actore L. Fusio, triginta annis post accusatus est. Demonstrare hoc pro summa qua excelluit diligentia Garatonius ex temporum rationibus suscepit in annot. ad orat. II in Rull. c. 30. Addam ego certum testimonium Appiani de bellis civil. I, 22, qui C. Gracchum, ut rogationem suam de transferendis ab Senatu ad Equites iudiciis populo probaret, proximis corruptorum iudicum exemplis maxime usum scribit, ὅτι Κορνήλιος Κόττας καὶ Σαλινάτωρ καὶ τρίτος ἐπὶ τούτοις Μάνιος Ἀκύλιος, ὁ τὴν Ἀσίαν ἑλών, σαφῶς δεδωροδοκηκότες, ἀφεῖντο ὑπὸ τῶν δικασάντων. Intelligitur hinc etiam vera causa, cur L. Cotta absolutus sit: falsam pro re sua finxit Cicero p. Murena c. 28 et propagavit Valerius Maximus VIII, 1, 11. Ac Ferratius in epistolis demonstrare conatus est, esse hunc L. Cottam (quem Metellus Numidicus defendit, auctore Cicerone in Bruto c. 21) illum qui tribus annis post Africani mortem Cos. factus est. At is est L. Aurelius *Orestes*, non *Cotta*. Itaque optio datur inter L. Cottam patrem, Cos. a. 610 et L. Cottam filium Cos. a. 635, annis post Afric. mortuum decem. Neque hunc quidem fuisse multum a verisimilitudine et rationibus a Ferratio allatis discrepat.

ritas huius imperii, civitatisque maiestas, gravis habebatur. Nemo mirabatur in Africano illo, quod in me nunc, homine parvis opibus ac facultatibus praedito, simulant sese mirari, cum moleste ferunt. Quid sibi 70
iste vult? accusatoremne se existimari, qui antea defendere consueverat? nunc praesertim, ea iam aetate, cum aedilitatem petat? Ego vero aetatis non modo meae, sed multo etiam superioris et honoris amplissimi puto esse, et accusare improbos, et miseros calamitososque defendere. Et profecto aut hoc remedium est aegrotae ac prope desperatae rei publicae iudiciisque corruptis ac contaminatis paucorum vitio ac turpitudine, homines ad legum defensionem iudiciorumque auctoritatem quam honestissimos et integerrimos diligentissimosque accedere: aut, si ne hoc quidem prodesse poterit, profecto nulla unquam medicina his tot incommodis reperietur. Nulla salus rei publicae maior est, 71
quam eos, qui alterum accusant, non minus de laude, de honore, de fama sua, quam illos, qui accusantur, de capite ac fortunis suis pertimescere. Itaque semper ii diligentissime laboriosissimeque accusarunt, qui se ipsos in discrimen existimationis venire arbitrati sunt.

---

§. 69. *cum moleste ferunt*] Indicativum modum editio C. Stephani et uterque Guelf. et Lagom. praeter 42 omnes commendant, nec ...i sententia non patitur. Vulgo *ferant*, quod non sane falsum, sed ...m salsum dixeris.

§. 70. *consueverat*] Car. Stephanus (Lamb.) *consuerat*, ut Lagom. ... sed neuter Guelf. Eadem ratio est mox, ubi hi quos dixi libri *et* ... *aetatis* interponunt. Utrumque non ferendum modo, sed etiam ...bandum duco, modo de auctoritate constaret.

aegrotae] Guelf. 2 *aegrotante*, Leid. *aegrotanti*, ne hoc quidem ...e, sed alterum, quod Guelf. 1 confirmat, nihilo deterius.

ac contaminatae] Guelf. 2 et Par. D. *et incontaminatis*, Lag. 6. *et contam.*, quod multis hodie placebit, sed Guelf. 1 vulgatum tue... Neque desunt alii loci apud Ciceronem, (ne Livium commemo..., cuius in duobus libris IX et X quinquies *ac* ante *c* notavi) qui... illius coniunctionis positio ante syllabam *con* defendatur: Act. I, §. 45 *ac consulere*, p. Coel. 17 *ac continentiae*.

22 Quamobrem hoc statuere, iudices, debetis, Q. Cae-
cilium, de quo nulla unquam opinio fuerit, nullaqu
in hoc ipso iudicio expectatio futura sit, qui nequ
ut ante collectam famam conservet, neque uti reliqu
temporis spem confirmet, laborat, non nimis hanc cau
sam severe, non nimis accurate, non nimis diligente
acturum. Habet enim nihil, quod in offensione deper
dat: ut turpissime flagitiosissimeque discedat, nihil d
72 suis veteribus ornamentis requiret. A nobis multo
obsides habet populus Romanus, quos ut incolume
conservare, tueri, confirmare ac recuperare possimus
omni ratione erit dimicandum. Habet honorem, que
petimus; habet spem, quam propositam nobis habe
mus; habet existimationem, multo sudore, labore vi
giliisque collectam: ut, si in hac causa nostrum off
cium ac diligentiam probaverimus, haec, quae dixi, re
tinere per populum Romanum incolumia ac salva pos
simus; si tantulum offensum titubatumque sit, ut e
quae singillatim ac diu collecta sunt, uno tempore un
73 versa perdamus. Quapropter, iudices, vestrum est de
ligere, quem existimetis facillime posse magnitudine
causae ac iudicii sustinere fide, diligentia, consilio, a
ctoritate. Vos si mihi Q. Caecilium anteposueriti
ego me dignitate superatum non arbitrabor: popul
Romanus ne tam honestam, tam severam diligente
que accusationem neque vobis placuisse, neque ordi
vestro placere arbitretur, providete.

---

§. 72. *ac recuperare]* Lag. 29 *recipere*, quod idem valet. Di enim quasi de re militari, et ipsam accusationem *obsidem* voluntat appellat pro Coelio extr. cf. Quintil. XII, 7, 3. Itaque *confirmare* i tellige de animis obsidum ne deserantur verentibus.

ac dilig.] Solus Leid. *diligentiamque.*

§. 73. *ordini vestro]* Plerique libri mss. Lagom. et ipse Guelf. *nostro*, quod expressit Stephanus (Lambinus.) Guelf. 2 quod mire cum editis facit, recte, nam semetipsum certe excipit orator. Confun ea pronomina, ut saepe vix quid verum sit decerni possit, omnibus fe paginis intelligitur.

ACCUSATIONIS
IN
C. VERREM
ACTIO I.

ARGUMENTUM ASCONII PEDIANI EX EDITIONE GRAEVIANA DESCRIPTUM.

Victo Caecilio et accusatione ad se delata, Cicero, cum inquisitionis tempus in Siciliam postulasset dies cx, et cum filio patrui sui Tullii totam provinciam colligendis litteris in Verrem et denuntiandis testimoniis peragrasset diebus L, quia pedestre iter ex Sicilia et propter fugitivos et propter Verris insidias devitabat,[1]) a Vibone transiit. Tum[2]) repente adveniens, cum videret id agi, ut a M'. Glabrione praetore[3]) et ab iis iudicibus, qui tunc erant, ad alium annum aliumque praetorem res tota transiret, eripereturque sibi reus patrocinio Hortensii ac Metelli, qui tunc consules futuri erant, (per hos enim Verres eludendi iudicii fiduciam sumpserat:) hoc commentus est rationis, ut orationem longam praetermitteret, neque in criminibus declamatione cumulandis tempus absumeret, sed tantummodo citaret testes ad unumquodque crimen expositum, et eos Hortensio interrogandos

---

1) Ex emendat. Graevii. Vulgo *dubitabat*. Sed ipsam causam huc esse relatam, neque Romam, quod videtur debere intelligi, si absit locus quo transierit, sed a Vibone Veliam festinationis causa transisse Ciceronem, docet Garatonius ex lib. II, 40.

2) Edit. Aldina *tam*.

3) Qui quattuor annis post Consul fuit cum C. Calpurnio Pisone a. u. c. 687, ante Chr. nat. 67. De praenomine eius Manio, quod abest ab edit. Aldina, quodque apud ipsum Ciceronem diu corruptum legebatur M., nunc satis constat. Cf. si opus est Garaton. ad Act. I, 2.

daret. Qua arte ita est fatigatus Hortensius, ut nihil, contra quod diceret, inveniret, ipse etiam Verres, desperato patrocinio, sua sponte discederet in exilium.

Hoc igitur laborat in oratione hac tota Tullius, ut ostendat, non dolo nec astutia, sed necessitate facere id, quod fecit, et magis adversariorum fraudibus occurrat, quam ut ipse sit captiosus. Vult enim, ut diximus, omne hoc tempus, quod est ante Cal. Ian., dispensare in totius causae actionem, ne ad alium praetorem aliosque iudices novis consulibus veniendum sit. Toto igitur hoc libro exhortatio iudicum continetur ad vere iudicandum, minae in adversarios diriguntur omnia temptantes ad corrumpendum iudicium, et expositiones Ciceronis consilii sui iudicibus exhibentur, quasi inter eos tractentur communiter; ubi brevitas quoque obiiciendorum criminum mira arte conficitur. [4])

Status. Quantum ad crimina causae repetundarum pertinet, coniectura multiplex inest omnibus libris. Quantum ad specialem intentionem libri huius refertur, qualitas[5]) negotialis extra scriptum in particula iuris est constituta: inducitur enim postulatio de agendi novo genere, siquidem petit permitti sibi non uti oratione perpetua, sed breviter crimina proponere et ad singula testes dare.

Sunt autem capita orationis haec: an talis reus, cuius damnatio prosit rei publicae; an talia eius consilia ad corrumpendum iudicium; an talia et tam manifesta crimina ad patrocinium desperandum; an huiusmodi ab eo et ab eius suffragatoribus et dicta et facta ad eludendam accusationem, ut novo genere sit agendum Tullio; quarum rerum quasi per narrationem facit demonstrationem. Expositio consilii sui ut cum iudicibus deliberatio videtur inducta, in qua ostenditur, certandum cum Hortensio astutia non utendo horis omnibus ad dicendum, ad tollendam, si fieri possit, comperendinationem, per testes crimina comprobando. Facit hoc Cicero, ut haec res non solum compendio ac brevitate moram temporis tollat, sed etiam circa artificium dicendi breviter etiam in hac parte vim oratoris ostendat.

---

4) Intelligit huius orationis cap. 4 et 5.

5) Ald. *causa*.

Quod erat optandum maxime, iudices, et quod 1
unum ad invidiam vestri ordinis infamiamque iudicio- 1
rum sedandam maxime pertinebat, id non humano con-
silio, sed prope divinitus datum atque oblatum vobis
summo rei publicae tempore videtur. Inveteravit enim
iam opinio perniciosa rei publicae nobisque periculosa,
quae non modo Romae, sed et apud exteras nationes
omnium sermone percrebruit, his iudiciis, quae nunc
sint, pecuniosum hominem, quamvis sit nocens, nemi-
nem posse damnari. Nunc, in ipso discrimine ordi- 2
nis iudiciorumque vestrorum, cum sint parati, qui con-
tionibus et legibus hanc invidiam senatus inflammare
conentur, reus in iudicium adductus est C. Verres,
homo vita atque factis omnium iam opinione damna-
tus, pecuniae magnitudine sua spe et praedicatione ab-
solutus. Huic ego causae, iudices, cum summa volun-
tate et expectatione populi Romani actor accessi, non
ut augerem invidiam ordinis, sed ut infamiae communi
succurrerem. Adduxi enim hominem, in quo reconci-

---

§. 1. *vestri ordinis]* In primis huius orationis versibus ter codices isti variant, utrum primae an secundae personae pronomina ponenda sint. Editur vulgo *vestri*, *vobis*, *vobisque*, plane adstipulante codice Guelf. 2, sed prior cum *vestri* habeat, postea tamen *nobis* et *nobisque* exhibet. Lagom. *nostri* omnes praeter unum 42, tum *nobis* praeter 29. 42. 45. denique *nobisque* praeter 42. 48. Primo loco Lambini vet. cod. ad marg. repet. *nostri*, ultimo *nobisque* Stephanus edidit, imitante Lambino. Sic et ipse optimum puto, ut prius Cicero iudices solos intelligat, postea semetipsum Senatorum ordine comprehendat, eumque periculum ne deneget. — *enim iam]* Guelf. 1 *iam enim*.

quae nunc sint] Steph. (Lamb.) ex pari illo Guelf. 2 *sunt*, idem post *iudiciorum* sine copula, adstipulante etiam Guelf. 1. Male, puto, utrumque.

§. 2. *et praedicat.] Et* pro vulg. *ac* Lambini vet. cod. et uterque Guelf. Itidem antea Guelf. 2 cum Lamb. v. c. in mendosa scriptura *contentionibus* consentit, cuius origo patet, si veterum more *contionem* per *t*, non per *c*, scribi didiceris.

liare existimationem iudiciorum amissam, redire in gratiam cum populo Romano, satisfacere exteris nationibus possetis; depeculatorem aerarii, vexatorem Asiae atque Pamphyliae, praedonem iuris urbani, labem at-
3 que perniciem provinciae Siciliae. De quo si vos severe ac religiose iudicaveritis, auctoritas ea, quae in vobis remanere debet, haerebit: sin istius ingentes divitiae iudiciorum religionem severitatemque perfregerint, ego hoc tamen assequar, ut iudicium potius rei publicae, quam aut reus iudicibus, aut accusator reo defuisse videatur.

2 Equidem, ut de me confitear, iudices, cum multae mihi a C. Verre insidiae terra marique factae sint, quas partim mea diligentia devitarim, partim amicorum studio officioque repulerim, nunquam tamen neque tantum periculum mihi adire visus sum, neque
4 tantopere pertimui, ut nunc in ipso iudicio. Neque tantum me expectatio accusationis meae concursusque tantae multitudinis, quibus ego rebus vehementissime perturbor, commovet, quantum istius insidiae nefariae, quas uno tempore mihi, vobis, M'. Glabrioni praetori,

---

§. 3. *ac relig.]* Sic edd. principes et Stephanus cum Lambino, item codd. Guelf. 1 et Lag. 29. Ceteri libri mss. *atque relig.*, editi post Naugerium *religioseque*. — *severitatemque]* Recipiendam putavi P. Manutii coniecturam pro eo, quod in omnibus codd. (praeter Iannoctianum apud Garat.) legitur *veritatemque*. Nam *veritas iudiciorum* dubitatur num usquam recte legatur, et hoc quidem loco praecessit *si vos severe iudicaveritis*. Cf. ad III, 69. — *reus iudicibus]* Sic primum inveni in Victoriana 1534. *Iudiciis* habent edd. vett. etiam Naug. et Hervag. sicut est in plerisque libris mss. sed ambo Guelf. vulgatam nunc scripturam tuentur, ne coniecturis annumeretur.

factae sint] Steph. *sunt* scripsit, tanta illius fides erat adversus codicem ms. Nam fecisse illum non temere, probant vet. cod. in marg. Lamb. et ambo Guelf. Tamen librariorum error est, quoniam *cum* significat *etsi*.

§. 4. *vobis]* adiecit primus quantum video P. Victorius, Graevius rursus eiicere voluit, quoniam non inventum est in codd. Pall. et Franc. Neque in Lagom. praeter unum 29 est, sed defenditur a meliore fami-

sociis, exteris nationibus, ordini, nomini denique senatorio facere conatur: qui ita dictitat, iis esse metuendum, qui, quod ipsis solis satis esset, surripuissent, se tantum eripuisse, ut id multis satis esse possit; nihil esse tam sanctum, quod non violari, nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia possit. Quodsi, quam audax est ad conandum, tam esset astutus in agendo: fortasse aliqua in re nos aliquando fefellisset. Verum hoc adhuc percommode cadit, quod cum incredibili eius audacia singularis stultitia coniuncta est. Nam ut apertus in corripiendis pecuniis fuit, sic in spe corrumpendi iudicii perspicua sua consilia conatusque omnibus fecit. Semel, ait, se in vita pertimuisse, tum, cum primum reus a me factus sit; quod

---

librorum Leid. amb. Guelf. adde etiam Pariss. duobus, quos Lallem. ...dat, et edit. Steph. Crescit enim oratio. — *conatur*] Sic Naug. ...te, et est in Lag. 29 nostrisque Guelferbytanis. Ceteri *conabatur*.

se tantum eripuisse] Quod Garaton. ex Anonymi nota probat pro ...gato *rapuisse* ab auctore profectum esse *eripuisse*, id iam certis ...usque Guelf. et edit. Steph. testimoniis comprobatur. Sic etiam ... I, 4 §. 10 *aut occulte surripi aut impune eripi.*

§. 5. *astutus in agendo*] Sic ex uno cod. Guelf. 1 scribendum ...tavi, cum in libris impressis et manuscriptis omnibus esset *obscurus in agendo.* Neque enim is est codex in quem interpolationis suspicio ...dat, qui item in Div. c. 17 solus veram scripturam servarit. Ac si ...missis auctoritatibus verba per se consideres, *obscurus* ad animum ...lum videtur pertinere, sicut nostrates dicunt *verschlossen*, Galli *re...tenu*, minus apte ad agendum applicari et audacibus consiliis opponi; ...contra audacia tum demum difficile vincitur ubi cum astutia coniuncta ...est. Vide p. Cluent. c. 65. In Verre quidem singularem *stultitiam* ...fuisse mox Cicero dicit. — *percommode*] Guelf. 1 *percommodum cadit*, quod etsi videtur aliqua ratione defendi posse, mendum tamen re...tius indicabitur. — *corrump. iud.*] *Corrumpere* equidem h. l. non ...intellexerim frequentissima illa significatione de sententiis iudicum pe...cunia emendis, sed latiore sensu idem fere putaverim esse quod eludere, ...irritum facere, sicut est cap. 10 init. — *fecit*] Olim usque ad Naugerium edebatur *patefecit*, et inventum est in plerisque codicibus deterioris familiae Lagom. septem, Huyd. Meining. aliis haud dubie.

a me reus] Sic Lambin. editio et Guelf. 1 cum Lag. 29. Vulgo *reus a me.* Illud aliquid auctoritatis etiam ab Asconii lemmate habet.

cum e provincia recens esset, invidiaque et infamia non recenti, sed vetere ac diuturna, flagraret, tum ad iudicium corrumpendum tempus alienum offenderet.
6 Itaque cum ego diem inquirendi in Sicilia perexiguam postulavissem, invenit iste, qui sibi in Achaiam biduo breviorem diem postularet, non ut is idem conficeret diligentia et industria sua, quod ego meo labore et vigiliis consecutus sum — etenim ille Achaicus inquisitor ne Brundisium quidem pervenit; ego Siciliam totam quinquaginta diebus sic obii, ut omnium populorum privatorumque litteras iniuriasque cognoscerem: ut perspicuum cuivis esse posset, hominem ab isto quaesitum esse, non qui reum suum adduceret, sed
3 qui meum tempus obsideret. Nunc homo audacissi-
7 mus atque amentissimus hoc cogitat. Intelligit, me ita paratum atque instructum in iudicium venire, ut non modo in auribus vestris, sed in oculis omnium sua furta atque flagitia defixurus sim. Videt, senatores multos esse testes audaciae suae; videt multos equites Romanos, frequentes praeterea cives atque socios, quibus ipse insignes iniurias fecerit; videt etiam tot, tam graves ab amicissimis civitatibus legationes cum

---

§. 5. *tum ad iudicium*] Edidit Car. Steph. quod intelligi nequit *tum ad diem iudicium*, sed voluit haud dubie sicut in Guelf. 2 est *tum diem ad iud.* In Leid. pro eo traditur esse *tum demum ad iud.* Mihi quidem haec omnia *παροράματα* librarii videntur esse, sed cognationem tamen librorum cognoscis, ac praestantiam Guelf. 1, qui cum in ceteris bonis cum illis consentiat, multo tamen accuratius scriptus est.

§. 6. *diem inquir. in Sicilia*] Sic Lamb. v. c. ad marginem, ambo Guelf. Lag. 29: vulgo *diem in Siciliam inquirendi*, sed iam Ernestius *in Sicilia* ex Guelf. 2 correxit, ut pertineret ad verbum *inquirendi.* Post *in Achaiam* servavi, etsi Steph. et ille v. c. *in Achaia* habent. Denique *is*, quod item iam adiecerat Ernestius, Steph. (Lamb.) et ambo Guelf. cum Leidensi.

§. 7. *tot, tam graves*] Voculam *tam* anonymus interpres non solum praescripsit (id enim non sane multum esset) sed explicuit etiam, ad qualitatem eam pertinere dicens. Itaque Graevius recepit. Ernestius,

publicis auctoritatibus convenisse. Quae cum ita sint, 8
usque eo de omnibus bonis male existimat, usque eo
senatoria iudicia perdita profligataque esse arbitratur,
ut hoc palam dictitet, non sine causa se cupidum pe-
cuniae fuisse, quoniam in pecunia tantum praesidium
experiatur esse: sese, id quod difficillimum fuerit, tem-
pus ipsum emisse iudicii sui, quo cetera facilius emere
posset postea; ut, quoniam criminum vim subterfu-
gere nullo modo poterat, procellam temporis devitaret.
Quodsi non modo in causa, verum in aliquo honesto 9
praesidio, aut in alicuius aut eloquentia aut gratia spem
aliquam collocasset: profecto non haec omnia collige-
ret atque aucuparetur; non usque eo despiceret con-
temneretque ordinem senatorium, ut arbitratu eius de-

---

quamvis sic Lalamantius sese in codd. suis invenisse scripsisset, et ipse in Guelf. 2 legisset, tamen, quod editiones vett. eam non haberent, repudiavit. At omnes olim praeverterunt Car. Stephanus et Lambinus, quos dudum vidimus accuratius, quam vulgo existimari solet, in his certe rationibus, codd. secutos esse, neque ab illo consensu recedunt Guelf. 1, et Leid. quantum quidem ex silentio Burmanni, qui Leid. librum cum Graev. edit. contulit, coniici potest. In Lag. 29 pro *tum* exhibetur *habet*, quod indicat saltem aliquid eius loco fuisse. Iidem tres atque adeo quattuor codd. verba *ac testimoniis* post *auctor.* omittunt, nec videtur consentaneum, quarum auctoritatem paulo ante secuti simus, hoc loco contemnere. Asconium et Anonymum verisimile est illas voces non legisse, sed Lalamantii negligentia notanda est, qui nihil de codd. Parisinis attulerit. Sed omnino is totus e Graevio ita pendebat, ut nihil annotatione dignum putaret, nisi ubi ille dubitasset.

§. 8. *in pecunia tantum*] Vulgo *tantum in pecunia praesidium*, verborum collocatione per se satis probabili, sed h. l. cum in repetitione vocis *pecuniae* omnis vis posita sit, minus illa, quam nos e codd. Guelff. restituimus accommodata. Paulo ante pro *dictitet* Guelf. 1 *dicat*. — *posset postea*] Addunt *postea* Steph. (Lamb.) Leid. Lag. 29 ambo Guelf. item lemma schol. anonymi; sed ceteri ante verbum *posset*, Guelf. 1 solus post illud. Ea ipsa variatio videri posset suspecta, verum in ipso verbo nihil prorsus inest, quod displiceat.

§. 9. *aut in alicuius*] Praepositio excidit in repet. Lamb. quam Gruterus expressit, eum ceteri secuti. Est autem in codd. plurimis. Sed Guelf. 1 praeterea *aut eloq.* ne hoc quidem contemnendum.

ligeretur ex senatu, qui reus fieret, qui, dum hic, quae opus essent, compararet, causam interea ante eum diceret.

10 Quibus ego rebus quid iste speret, et quo animum intendat, facile perspicio. Quamobrem vero se confidat aliquid proficere posse, hoc praetore, et hoc consilio, intelligere non possum. Unum illud intelligo, quod populus Rom. in reiectione iudicum iudicavit, ea spe istum fuisse praeditum, ut omnem rationem salutis in pecunia constitueret; hoc erepto praesidio, ut
4 nullam sibi rem adiumento fore arbitraretur. Etenim quod est ingenium tantum, quae tanta facultas dicendi et copia, quae istius vitam, tot vitiis flagitiisque coniunctam, iam pridem omnium voluntate iudicioque da-

---

§. 10. *proficere*] Sic Steph. (Lamb.) Guelf. 1 Lag. 29 alii, aeque Latine quam quod vulgo editur *perficere*. — *hoc praetore*] Vulgo *hoc Glabrione Praetore*, sed versatam esse in hoc loco interpolationem libri ostendunt, in quibus aut *Praetore* omittitur, ut in Guelf. ambobus, aut utrumque verbum *Gl. Pr.* sicut edidit Car. Stephanus, fideliter quidem, sed sine sensu. Asconius autem locum ita explicat, ut appareat eum legisse *hoc Praetore*, addit enim intelligendum esse *Glabrionem*, atque ita solere Ciceronem vel una oratio pro Archia probabit, in qua Praetor, qui iudicium exercebat, ne semel quidem nomine appellatur, ut magnam gratiam scholiastae, quem Maius ex Ambrosianis codicibus protraxit, habere debeamus, qui illum fuisse ipsius oratoris fratrem docuerit. — *pop. Rom.*] Sic primus notam explicavit Car. Stephanus, quem deseruit Lambinus *Praetorem* revocans. Sed recte Ernestius. — *constitueret*] Sic ambo Guelf., vel *constituerit*, quod Steph. (Lamb.) edidit. Vulgo *poneret*, quod non potest displicere, sed *constituere* fortius est, quippe in quo iam insit illud, quod post pluribus verbis orator addit, unicam et certissimam homini spem fuisse in pecunia positam.

vitam, tot vitiis flagitiisque coniunctam] Vetus hoc loco contentio est, utrum *coniunctam* an *convictam* legendum sit. Neque enim multum hac in re codd. mstorum auctoritas valet, cum eodem iure lineolas istas ita coniungere possis, ut *convictam*, *coniunctam*, *convinctam*, *cōmunitam* adeo (sicut in Guelf. 1) prodeat. Sed cum haec ultima facile omnes concedant nihili esse, ne quid de Lambini Gruterique coniecturis *inquinatam* vel *coinquinatam*, *commistam* vel *commictam*

mnatam, aliqua ex parte possit defendere? Cuius ut 11
adolescentiae maculas ignominiasque praeteream, quaestura, primus gradus honoris, quid aliud habet in se, nisi Cn. Carbonem spoliatum a quaestore suo pecunia publica? nudatum et proditum consulem? desertum exercitum? relictam provinciam? sortis necessitudinem religionemque violatam? Cuius legatio exitium fuit Asiae totius et Pamphyliae, quibus in provinciis multas domos, plurimas urbes, omnia fana depopulatus est, tum

---

ctam, unum illud restat, opinor, ut diiudicetur, utrum *convictam* an *coniunctam* legatur. Et mihi quidem, quamvis plerique omnes editores imprimis Garatonius, *convictam* acriter tueantur, *vita vitiis flagitiisque convicta* dici vix posse videtur, *vitam convictam* absolute dici posse puto, eam nimirum, cuius tota ratio patefacta sit. Adiuncti enim ablativi quid aliud significare poterunt, quam rationem, qua quid convictum sit? Sic legimus apud Ciceronem *convictum* aliquem *testimoniis*, *iudicio*, *confessione*, *causam ipsa hominum tacita opinione convictam*, iisdemque rebus *vita* potest esse *convicta vitiorum ac flagitiorum omnium*, sed *vitiis* non potest esse nisi *coniuncta*, i. e. copulata cum his et his quasi referta. Ceterum non solum in Guelf. 2 et edit. Steph.) perspicue *coniunctam* scribitur, sed eadem scriptura a duobus Pariss. CD (7786 et 7823) multisque Lagomars. notatur.

possit defendere] Uterque Guelf. Paris. D et edit. Steph. *posset*.

§. 11. *nudatum et proditum]* Locum hunc sic laudat Diomedes Grammaticus apud Putsch. p. 463 p. p. *quidnam habet aliud in se*, *nisi Cn. Carbonem spoliatum a Quaestore suo pecunia publica*, *nudatum*, *inquam*, *a Quaestore et proditum Consulem*, *desertum* cet. et mehercule facit etiam elegantiorem. Anceps tamen res est, si criticen a fundamentis suis demoveris.

multas domos, *plurimas urbes*, *omnia fana]* Lambinus auctoritatem Hotomani maximam partem secutus edidit *plurimas domos*, *multas urbes*, *omnia fana*, male, ut pleraque, in quibus a codd. mstis recessit. Nam apparet, Ciceronem gradationem quaesivisse duplicem, cum domos, *urbes*, *fana* nominaret, iisque adiungeret Adiectiva *multas*, *plurimas*, *omnia*, cuius figurae causa facile aliquid veritati detraxisse videtur. Itaque miror sane Graevii Ernestiique iudicium, qui illius acumen probaverint. Voluerat autem Hotom. ipse *urbes multas*, *domos plurimas*, quod Schützius tamquam Lambinianum amplexus est.

depopulatus est, *tum cum]* *Depopulatus* edidi pro *depeculatus*, tum quod paulo post *fanorum depopulatio* in omnibus et editis et scriptis libris legitur, tum quod h. l. in utroque Guelf. et Leid. et duo-

cum in Cn. Dolabellam scelus suum illud pristinum renovavit et instauravit quaestorium; cum eum, cui legatus et pro quaestore fuisset, et in invidiam suis maleficiis adduxit, et in ipsis periculis non solum dese-
12 ruit, sed etiam oppugnavit ac prodidit. Cuius praetura urbana aedium sacrarum fuit publicorumque operum depopulatio, simul in iure dicundo bonorum possessionumque contra omnium instituta addictio et condonatio. Iam vero omnium vitiorum suorum plurima et maxima constituit monumenta et indicia in provincia Sicilia; quam iste per triennium ita vastavit, vexavit ac perdidit, ut ea restitui in antiquum statum nullo modo possit, vix autem per multos annos innocentesque praetores aliqua ex parte recreari aliquando,

---

bus Paris. B (7776) C et illis libris, quos Lamb. generaliter manu exaratos vocat, (quos etiam Car. Steph. secutus erat,) *depopulatus* perspicue scribitur; et potiore illud iure fecisse mihi videor, quam Garaton. contendit, pro eo, quod statim sequitur *depopulatio* etiam h. l. legendum esse *depeculatio.* Immo etiam c. 5 *depopulatus* ex iisdem illis libris sibi ac veritati constantibus scribendum est. Omnino fortius videtur esse *depopulari* quam *depeculari,* atque illud hostilem impetum, hoc furtivam surreptionem significare. Deinde addidi *tum* ex iisdem codd. Guelff. et tribus Paris. et 29 et 42 Lagom. aliisque pluribus, in quibus mendose *tamen* legitur. Garatonius quidem, cum illam domorum, urbium, fanorum depopulationem tempore multum antecedere putaret proditioni Dolabellae, pro *tum cum* (quod Ursinianus liber praebuerat) solum *tum* legi voluit, sed in eo vir diligentissimus videtur errasse, quod periodum, quae una esse debet, diremit et divisit, neque animadvertit, partem saltem illius sceleris ac proditionis etiam in eo versari, quod Dolabellam suis maleficiis in invidiam adduxit, ut Verres depopulandis urbibus illud ipsum videri potuerit egisse, ut Dolabellae noceret.

cui legatus et pro quaestore fuisset] Codex Ursini non habet *et;* male, cf. Garaton. ad h. l. et Act. II lib. I, c. 15 extr.

§. 12. *ita vastavit, vexavit]* Vulgo abest verbum *vastavit*, quod adiecimus ex edit. Stephani et Guelf. 1. Quin opportune augeat nemo potest dubitare, nam Siciliae calamitatem prae ceteris efferre debet. Miror tamen Lamb. v. c. in margine et Guelf. 2, e quo nihil enotavi, verbum illud omittere, nam quod Asconium quoque omittere tradunt, parum certum est, quippe in lemmate tantum.

aliquando] solus omittit Guelf. 1, servat alter cum ceteris libris.

posse videatur. Hoc praetore Siculi neque suas leges, 13 neque nostra senatusconsulta, neque communia iura tenuerunt: tantum quisque habet in Sicilia, quantum hominis avarissimi et libidinosissimi aut imprudentiam subterfugit, aut satietati superfuit. Nulla res per triennium, nisi ad nutum istius, iudicata est; nulla res tam patria cuiusquam atque avita fuit, quae non ab eo, imperio istius, abiudicaretur. Innumerabiles pecuniae ex aratorum bonis novo nefarioque instituto coactae; socii fidelissimi in hostium numero existimati; cives Romani servilem in modum cruciati et necati; homines nocentissimi propter pecunias iudicio liberati; honestissimi atque integerrimi absentes rei facti, indicta causa damnati et eiecti; portus munitissimi, maximae tutissimaeque urbes piratis praedonibusque patefactae; nautae militesque Siculorum, socii nostri atque amici, fame necati; classes optimae atque opportunissimae cum magna ignominia populi Romani amissae et perditae. Idem iste praetor monumenta anti- 14 quissima partim regum locupletissimorum, quae illi or-

---

§. 13. *imprudentiam]* Steph. illud ipsum habet quod cupiebat Hotom. *imprudentia — satietate*, sed in cod. nullum vestigium nisi quod Paris. C (7823) *satietate* habet. Quod autem ille scribit *subterfugere prudentiam* potius quam *imprudentiam* debuisse, argutius quam verius est. Nam ea prudentia facta est imprudentia, cum quid eam subterfugit.

tam patria cuiusquam] Hoc verbb. ordine primus Stephanus ac nisi per imprudentiam ceteri, nam vulgo olim sicut in codd. deterioribus *cui. tam patria.* Cod. Leid. *paterna*, solus quantum video: sic p. Coelio c. 14 *bona* (i. e. virtutes) *paterna atque avita.*

propter pecunias] Pecunias pro *pecuniam* Gruterus tacitus edidit, procul dubio ex suis codd. quibuscum faciunt et Lamb. v. c. ad marginem et uterque Guelf. et Lagom. 29. 42. 48. Sed ediderat sic iam olim Stephanus. — *indicta causa damnati]* Guelf. 1 mendose *inaudita causa:* certe ferri nequit. Nam damnatur aliquis *inauditus*, quamquam ne hoc quidem Ciceronianum, non *causa inaudita.*

opportunissimae] Anonymus explicat in necessariis locis constitutae.

namento urbibus esse voluerunt, partim etiam nostrorum imperatorum, quae victores civitatibus Siculis aut dederunt aut reddiderunt, spoliavit nudavitque omnia. Neque hoc solum in statuis ornamentisque publicis fecit, sed etiam delubra omnia, sanctissimis religionibus consecrata, depopulatus est; deum denique nullum Siculis, qui ei paulo magis affabre atque antiquo artificio factus videretur, reliquit. In stupris vero et flagitiis nefarias eius libidines commemorare, pudore deterreor: simul illorum calamitatem commemorando augere nolo, quibus liberos coniugesque suas integras ab istius petulantia conservare non licitum est. At enim haec ita commissa sunt ab isto, ut non cognita sint ab omnibus. Hominem esse arbitror neminem, qui nomen istius audierit, quin facta quoque eius nefaria commemorare possit; ut mihi magis timendum sit, ne multa crimina praetermittere, quam ne qua in istum fingere existimer. Neque enim mihi videtur haec multitudo, quae ad audiendum convenit, cognoscere ex me causam voluisse, sed ea, quae scit, mecum recognoscere.

6 Quae cum ita sint, iste homo amens ac perditus alia mecum ratione pugnat. Non id agit, ut alicuius eloquentiam mihi opponat: non gratia, non auctoritate cuiusquam, non potentia nititur. Simulat his se rebus confidere, sed video, quid agat: (neque enim agit occultissime:) proponit inania mihi nobilitatis, hoc est

---

§. 14. *spoliavit nudavitque]* His verbis usus est, quoniam antea *monumenta* posuerat, quod verbum imprimis ad aedificia pertinet, neque mutavit, cum ad ipsa signa, quae in monumentis constituta essent, orationem deflexisset. Nam quod Ernestius referre voluit ad partes nonnullorum signorum abreptas, nimis angustum videtur.

depopulatus est] Vide supra ad cap. 4, §. 11.

§. 15. *id agit]* Sic primus P. Manutius ex melioris familiae libris, priores cum deterioribus (Lagom. septem) *agitur*.

hominum arrogantium, nomina, qui non tam me impediunt, quod nobiles sunt, quam adiuvant, quod noti sunt: simulat se eorum praesidio confidere, cum interea aliud quiddam iam diu machinetur. Quam spem 16
nunc habeat in manibus, et quid moliatur, breviter iam, iudices, vobis exponam: sed prius, ut ab initio res constituta sit, quaeso, cognoscite. Ut primum e provincia rediit, redemptio est huius iudicii facta grandi pecunia: ea mansit in condicione atque pacto usque ad eum finem, dum iudices reiecti sunt: posteaquam reiectio iudicum facta est, quod et in sortitione istius spem fortuna populi Romani, et in reiiciendis iudicibus mea diligentia istorum impudentiam vicerat, renuntiata est tota conductio. Praeclare se res habebat; 17

---

§. 15. *hominum arrogantium nomina]* „Ut Curionis et Metellorum trium, Hortensii et Scipionis: hi enim Verri palam suffragabantur." Ascon. — *iam diu]* Deest *iam* in lemmate Asconii, sed in nullo codice Ciceroniano. Erravit Ernestius.

§. 16. *vobis exponam]* Addidi *vobis* ex msto Leid. Lag. 29 utroque Guelf. Adiecerat item Steph. (Lamb.) — *ab initio res const.]* Vulgo *ut ab initio res ab eo const. sit*, sed corruptelam in loco versatam esse, ostendunt Guelff. in quorum priore verba *ab eo*, in altero *ab initio* non legantur. Itaque similiter factum est ut c. 3 *hoc Glabrione Praetore*. Equidem antiquiori libro obsecutus aliquantulum adiuvisse locum mihi videor. — *ea mansit in condicione]* Lectio haec, dudum vulgata, ab Asconio et anonymo interprete fluxit, codd. msti omnes mendose *mansit in ditione* vel *dictione*, quod unus Stephanus revocavit. Sed voculam *ea* primus addi iussit Lamb. in marg. repet.

fortuna pop. Rom.] Hotomanus in cod. msto *reip.* se invenisse tradit idque Lambino persuasit. Sed ineptum aliquid habet fortuna rei publicae, quae non est nisi populi Romani patrona. Quod in lemmate schol. anonymi adiicitur *perfregerat*, id quamquam Garatonio placebat, tamen cum nullus codex auctor accedat, nec alioquin dicendi formula spem *perfringere* probabilis sit, iure relinquetur.

conductio] In Asconiano lemmate *conditio* esse traditur ab Hotomano: verum est de antiquis editionibus, sed recentiores et ipsius Hotomani item praeferunt *conductio*. Quod ille addit de plerisque libris, in quibus et ipsis *conditio* sit, si Ciceronianos intellexit, falsissimum est, neque ulla prorsus causa idonea est, cur a recepta lectione disce-

libelli nominum vestrorum consiliique huius in manibus erant omnium; nulla nota, nullus color, nullae sordes videbantur his sententiis allini posse: cum iste repente ex alacri atque laeto sic erat humilis atque demissus, ut non modo populo Romano, sed etiam sibi ipse condemnatus videretur.

Ecce autem repente, his diebus paucis, comitiis consularibus factis, eadem illa vetera consilia pecunia maiore repetuntur, eaedemque vestrae famae fortunisque omnium insidiae per eosdem homines comparantur. Quae res primo, iudices, pertenui nobis argumento indicioque patefacta est: post aperto suspicionis introitu ad omnia intima istorum consilia sine ullo
7 errore pervenimus. Nam ut Hortensius, consul desi-
18 gnatus, domum reducebatur e campo, cum maxima frequentia ac multitudine, fit obviam casu ei multitudini C. Curio; quem ego hominem honoris potius, quam contumeliae causa nominatum volo. Etenim ea dicam,

---

damus. Renuntiaverunt enim illi, qui redemerunt sive conduxerunt, itaque cum *condicio* utriusque partis sit, *conductio* recte de altera dicitur.

§. 17. *Ecce autem repente*] Libri sibi constant, sed displicuit nonnullis *repente* tam prope repetitum. Sed priore loco vel necessarium videri potest, nec altero ineptum est, cf. V, 34 init. et Sallustii Iug. 15 *ecce autem ex improviso.*

§. 18. *domum reducebatur e campo*] Ernest. *deducebatur* vult, verbo in hac re proprio, sed tamen Cic. ad Q. fr. II, 9 *Crassum consulem ex senatu domum reduxi.* — *ac multitudine*] Sic non solum melior familia codd., Lambini v. c. in marg. repet. et Cuiacianus apud Gruterum, Guelf. ambo, Lagom. 29, sed etiam ex deterioribus permulti, e quibus iam olim per editiones principes propagatum erat, usque dum Naugerius *a multitudine* edidit. Restituit tandem Ernestius.

C. Curio] Est ille senex obliviosus, dicendi studiosissimus et bono facilique sermone excellens, de quo iucunde Cicero in Bruto c. 59 sqq. Consul a. 76 a. Chr., 678 u. c. tum Macedoniae procos. ex qua triumphum de Dardanis egit anno ante hanc orationem. Mortuus est septuagenarius a. 53 Chr., 701 u. c. Vide quae de eo collegit Fr. Ellendtius in prolegg. ad Cic. Brutum pag. 98 sqq.

quae ille, si commemorari noluisset, non tanto in conventu, tam aperte palamque dixisset; quae tamen a me pedetentim cauteque dicentur, ut et amicitiae nostrae et dignitatis illius habita ratio esse intelligatur. Videt 19
ad ipsum fornicem Fabianum in turba Verrem: appellat hominem, et ei voce maxima gratulatur: ipsi Hortensio, qui consul erat factus, propinquis necessariisque eius, qui tum aderant, verbum nullum facit: cum hoc consistit, hunc amplexatur, hunc iubet sine cura esse. *Renuntio,* inquit, *tibi, te hodiernis comitiis esse absolutum.* Quod cum tam multi homines honestissimi audissent, statim ad me defertur: immo vero, ut quisque me viderat, narrabat. Aliis illud indignum, aliis ridiculum videbatur: ridiculum iis, qui istius causam in testium fide, in criminum ratione, in iudicum potestate, non in comitiis consularibus positam arbitrabantur; indignum iis, qui altius perspiciebant, et hanc gratulationem ad iudicium corrumpendum spectare videbant. Etenim sic ratiocinabantur, sic honestissimi 20

§. 18. *nostrae*] Guelf. 1 *meae*, sed nota facilem corruptionem praebente.

§. 19. *fornicem Fabianum*] „*Fornix Fabianus* (sive *Fabius* ut Cic. p. Planc. 7, vel *Fabii*, ut idem de Orat. II, 66) *arcus est iuxta Regiam in sacra via* (ima, sive propius forum Rom.) *a* (Q) *Fabio* (Maximo, Q. Aemiliani filio, Cos. a. 121 a. Chr.) *Censore constructus, qui a devictis Allobrogibus Allobrox* (sive potius *Allobrogicus*, nam in edd. antiquis nomen omissum est, alicuius editoris coniectura suppletum postea) *cognominatus est, ibique statua eius posita propterea est.*" Ascon. Cf. Spalding. ad Quintil. VI, 3, 67.

voce maxima gratulatur] Deterior mstorum familia, Palatinos dico, Oxoniens. Huydec. Lagom. omnes, cum edd. principibus, *victoriam* adiciunt, quod nos editionem Stephanianam et codd. Guelff. Cuiacianos apud Gruterum, quosque generaliter citat Lambinus in annotatione secuti sustulimus. E Gruteriana edit. typographorum incuria exciderat, nec intelligi potest, utrum in seqq. usque ad Ernestium pari errore an consulto omissum sit. — *consistit*] In eodem mendo mire conspirant ambo Guelf. et edit. Steph. ut pro *consistit* dent *consentit*.

videbant] Sic ediderat Car. Stephanus et secundum illum Lambi-

homines inter se et mecum loquebantur: aperte iam ac perspicue nulla esse iudicia: qui reus pridie iam ipse se condemnatum putabat, is, posteaquam defensor eius consul est factus, absolvitur. Quid igitur? quod tota Sicilia, quod omnes Siculi, omnes negotiatores, omnes publicae privataeque litterae Romae sunt, nihilne id valebit? Nihil, invito consule designato. Quid? iudices non crimina, non testes, non existimationem populi Romani sequentur? Non: omnia in unius
8 potestate ac moderatione vertentur. Vere loquar, iudices: vehementer me haec res commovebat. Optimus enim quisque ita loquebatur: Iste quidem tibi eripietur, sed nos non tenebimus iudicia diutius; etenin quis poterit, Verre absoluto, de transferendis iudicii
21 recusare? Erat omnibus molestum: neque eos tam istiu hominis perditi subita laetitia, quam hominis amplis simi nova gratulatio commovebat. Cupiebam dissimu lare me id moleste ferre; cupiebam animi dolorem vult tegere et taciturnitate celare.

Ecce autem illis ipsis diebus, cum praetores de signati sortirentur, et M. Metello obtigisset, ut is d

---

nus legiturque in Leid. et utroque Guelf. Neque potest dubium ess quin praeferendum sit alteri illi *arbitrabantur*, quod nimis prope an tecesserit. Nam de clausula hexametri iam absolvit Ciceronem Gara tonius, citato e lib. II, 9 *quaesisse videtur:* addo pro Rosc. Amer. 1 *abesse videtur*, quae multo plus offensionis habent. Hoc ipsum es p. Planc. 36 § 88 *esse videbam* sine variet. codd.

§. 20. *aperte ac persp.*] Omisi *iam*, quod vulgo post *aperte* po nitur, quia abest a melioribus libris nostris et edit. Steph. Ceterun *et* in plerisque est, *ac* nititur fide Guelf. ant. — *Non: omnia in*] Es illud *non* in utroque Guelf. pro quo deteriores libri, neque hi tame omnes, cum edd. princ. *num* exhibent, quod postquam correxerat Nau gerius, Gruterus denuo obstrudere conabatur.

§. 21. *ut is domum quoque pueros mitteret*] *Pueros* eiecit P Manutius, probante Fabricio, improbante Hotomano. Nam Ernestiun miror (ne dicam de Beckio et Schützio, nimis facile proximo cuiqu adhaerentibus) qui se in ista voce eiicienda Hotomanum dicit secutun

pecuniis repetundis quaereret. nuntiatur mihi, tantam isti gratulationem esse factam, ut is domum quoque mitteret, qui uxori suae nuntiarent. Sane ne haec 22
mihi quidem res placebat: neque tantopere, quid in hac sorte metuendum mihi esset, intelligebam. Unum illud ex hominibus certis, ex quibus omnia comperi, reperiebam: fiscos complures cum pecunia Siciliensi a quodam senatore ad equitem Romanum esse translatos: ex his quasi x fiscos ad senatorem illum relictos esse, comitiorum meorum nomine: divisores omnium

---

...se, *qui et in scriptis libris non reperisset.* Immo vero ille veteres libros mstos servare vocem dixit, et apud ceteros de libris scriptis ne ... quidem — nisi quod nuper Garatonius Iannoctii codicem nullius plane momenti *puerorum* adversarium protulit, ipse tamen eorum advocatus. Sed aliud omiserunt omnes, quod non erat omittendum, *quoque* post *domum* esse ponendum, sicut est in Lag. 29 et in utroque Guelf. atque adeo edidit Car. Stephanus et Lambinus.

§. 22. *ne haec mihi quidem res*] Hoc exquisitiore verbb. ordine ambo Guelf. et Steph. (solet enim *quidem* cum pronomine personali etiam in hac negativa constructione coniungi:) vulgo *ne haec quidem res mihi.*

neque tantopere, quid] Vulgo nunc editur *neque tamen, quid tantopere*, quod primus P. Manutius sine ulla librorum mss. auctoritate scripsit. Nam mei quidem ad unum omnes in vetere illa, quam revocandam censui, scriptura consentiunt, qua admissa sententia non illa quidem eadem, veruntamen non multum diversa existit, se non, uti displicuerit illa res, ita intelligere potuisse, quid sibi metuendum esset.

relictos esse] Nostri libri non mutant, sed Ursini cod. *delatos*, Iannoctii *relatos* dicitur exhibere. *Relictos* sane non placet: quo enim pacto, qui ante translati a senatore dicuntur, possunt dici apud eundem *relicti*? Nisi forte *ex his* negligenter dictum velis de omnibus fiscis, qui apud illum senatorem fuerint, non de illis, qui ad equitem Rom. translati dicantur. Id quod necesse videtur, si aliqua tamen ratione vulgatam scripturam intelligere vis. Itaque sic fere statuo, Verrem apud senatorem quendam magnam pecuniam Siciliensem deposuisse comitiorum causa, quorum eventum ad iudicium suum maxime pertinere arbitraretur: ex ea pecunia complures fiscos ad equitem Rom. translatos esse, unde iis satisfieret, qui in comitiis consularibus et praetoriis Verris amicis favissent, relictos autem esse ferme decem comitiorum aediliciorum nomine. Ceterum, quod ad verba Ciceronis pertinet, *quam plures* edidit Stephanus, sicut extat in Guelf. ant. quae verba confundi a librariis docuit Drakenb. ad Liv. 4, 31 init. nec dici posse puto *quamplures*

23 tribuum noctu ad istum vocatos. Ex quibus quidam, qui se omnia mea causa debere arbitrabatur, eadem illa nocte ad me venit: demonstrat, qua iste oratione usus esset: commemorasse istum, quam liberaliter eos tractasset etiam antea, cum ipse praeturam petisset, et proximis consularibus praetoriisque comitiis; deinde continuo esse pollicitum quantam vellent pecuniam, si me aedilitate deiecissent. Hic alios negasse audere, alios respondisse, non putare id perfici posse: inventum tandem esse fortem amicum ex eadem familia, Q.

---

coniunctim. *Meorum*, quod primus adiecit P. Manutius, in meis omnibus extare videtur, certe nihil enotatum est.

§. 23. *omnia mea causa debere*] In libris mstis omnibus, quantum intelligere possum, *facere* ante *debere* adiicitur: nam Lalamantio, sollemni quasi formula in plerisque libris suis sic esse, uti Graevius voluerit, i. e. ut illud verbum abiiceretur, confirmanti, non credo. Abiicitur autem secundum Asconii interpretationem, subintelligi *facere* docentis, cumque post P. Manutium omnes, excepto Grutero, sunt secuti. Ernestius etiam addit, sic iubere Ciceronianam consuetudinem et elegantiam Latinitatis: sed magnopere vellem virum eruditum docuisse, num quod eius elegantiae exemplum invenerit praeter ea, quae sunt ad Atticum XV, 3 *eius causa et cupio et debeo*, et ad Fam. XIII, 75 *cuius causa omnia cum cupio tum mehercule etiam debeo*, quae quidem quam excusationem admittant, nemo non videt. Nolui tamen meo iudicio diffidens ab omnium opinione et veteris interpretis auctoritate discedere.

continuo] Hanc vocem primus adiecit Car. Stephanus, cumque contra institutam rationem irrepsisset in Lambinianas repet., ad Gruterum ceterosque quasi furtim pervenit. Extat autem tantum in codd. melioris familiae et Lag. 29. 42, qui illorum scripturas nonnunquam exhibent.

Hic alios] Sic ambo Guelf. et edit. Steph. ex qua in Lambinianam et eius repetitores venit, id quod Gruterum fefellit, qui alioquin haud dubie veterem scripturam *hoc* revocaturus fuisset, in codicibus deterioris familiae omnibus extantem. Sed frequenter sic ea particula uti Ciceronem in narratione neminem fugit.

inventum tandem] Vulgo *inventum tamen — et fuisse tamen*, quae particulae repetitio Hotomanum offendit, ut posteriore loco *tandem* scribi vellet. Equidem priore potius sic scribendum putavi Guelf. 1 auctore usus eatenus, quod in eo libro legitur *tantum*. Altero autem loco *et tamen* est pro *atque adeo* correctionis causa, nec videtur sine detrimento sententiae mutari posse. Cic. in Cat. I, 8 §. 20 *Non re-*

Verrem, Romulea, ex optima divisorum disciplina, pa-
tris istius discipulum atque amicum, qui, HS quingen-
tis milibus depositis, id se perfecturum polliceretur:
et fuisse tamen nonnullos, qui se una facturos esse
dicerent. Quae cum ita essent, sane benivolo animo
me, ut magnopere caverem, praemonebat.

Sollicitabar rebus maximis uno atque eo perexi- 9
guo tempore: urgebant comitia; et in his ipsis oppu- 24
gnabar grandi pecunia: instabat iudicium; ei quoque
negotio fisci Sicilienses minabantur: agere, quae ad
iudicium pertinebant, libere, comitiorum metu deterre-
bar; petitioni toto animo servire non licebat: minari
denique divisoribus ratio non erat, propterea quod eos
intelligere videbam, me hoc iudicio districtum atque
obligatum futurum. Atque hoc ipso tempore Siculis 25
denuntiatum esse audio, primum ab Hortensio, domum
ad illum ut venirent: Siculos in eo sane liberos fuisse,
qui quamobrem arcesserentur cum intelligerent, non
venisse. Interea comitia nostra, quorum iste se, ut
ceterorum hoc anno comitiorum dominum esse arbi-

---

feram, id quod abhorret a meis moribus: et tamen faciam, ut intelligas, quid hi de te sentiant.

Romulea] Vulgo *Romilia*, sed secutus sum Guelf. 1. Vide Laurentanum et alios ad or. II in Rull. c. 29. Varro quidem lib. V de L. L. c. 9 *Romiliam* dicit, sed Festus *Romuliam*.

§. 24. *in his*] Addidit Ernest. *in* ex Guelf. 2, sic etiam antiquior et Leid. cum Lag. 29, et ediderat iam olim Stephanus. — *non licebat*] Eieci quod hic in vulgaribus libris additur *propter iudicium*, auctoritate librorum meliorum, utriusque Guelf. Leid. Lamb. v. c. in marg. rep. et editt. Steph. Lambinique usus.

§. 25. *non venisse*] Grammaticam huius loci rationem, in qua vetus interpres, quem Asconium vulgo dicimus, haerebat, docte Garatonius explicuit. Nimirum *qui* non cum Infinitivo coniungendum, sed cum verbis *cum intelligerent*, et Accusativus ad *venisse* subintelligendus. Ceterum ordinem verborum ex utroque Guelf. et Lag. 29 hunc restitui *Siculos in eo sane liberos fuisse*, cum antea legeretur *Siculos sane in eo liberos fuisse*.

trabatur, haberi coepta sunt. Cursare iste, homo potens, cum filio blando et gratioso circum tribus: paternos amicos, hoc est divisores, appellare omnes et convenire. Quod cum esset intellectum et animadversum, fecit animo libentissimo populus Romanus, ut, cuius divitiae me de fide deducere non potuissent, ne eiusdem pecunia de honore deiicerer.

26 Posteaquam illa petitionis magna cura liberatus sum, animo coepi multo magis vacuo ac soluto nihil aliud nisi de iudicio agere et cogitare. Reperio, iudices, haec ab istis consilia inita et constituta, ut, quacunque opus esset ratione, res ita duceretur, ut apud M. Metellum praetorem causa diceretur. In eo esse haec commoda: primum M. Metellum amicissimum: deinde Hortensium consulem non solum, sed etiam Q. Metellum; qui quam isti sit amicus, attendite: dedit

---

§. 25. *ut — ne eiusdem pecunia de honore deiicerer*] Haec est Stephaniana (Lamb.) lectio, profecta ex codd. tum illius, tum Guelf. utriusque et Leidensis, et Lag. 29. 42 aliorumque non paucorum, a qua non multum abit Manutiana, quam Gruterus et Lalamant. postea taciti comprobarunt, *ne eiusdem pecuniis — deiicerer.* Graevius contra editionum principum scripturam *ne eiusdem pecuniae — deiicerent*, quam in cod. Franc. invenisset, praetulit, eumque Ernestius est secutus. Sed nec istarum edd. nec codicis Franc. ulla esse in his orationibus auctoritas debet, et quod Ernestius adiecit, *deiicerent* melius convenire verbo *fecit*, nullum plane mihi certe sensum habere videtur. Dicerem potius, cum praecessisset *cuius divitiae me deducere non potuissent*, aptius similem constructionem sequi, *ne eiusdem pecuniae deiicerent*, nisi hoc intelligerem, illa verba *fecit populus — ut ne deiicerer* dicta esse more Ciceroniano pro *populus — me deiici non est passus.* Denique in utraque scriptura et Manutiana et Graeviana pluralis numerus *pecuniarum* de unius hominis *pecunia* minime placet, neque sic loqui Ciceronem memini.

§. 26. *deinde Hortensium consulem non solum, sed etiam Q. Metellum*] Garatonius in editione Veneta (et omnino in principibus omnibus usque ad Iuntinam, ut etiam cod. Huyd.) se invenisse ac probasse scribit: *deinde Hort. consulem: eos non solum, sed etiam* cet. Similiter Guelf. ant.: *consules eos que non solum.* Sed nihil muto, propterea quod istud *eos* nihil aliud videtur esse quam nota *Cos.*

enim praerogativam suae voluntatis eiusmodi, ut isti pro praerogativis iam reddidisse videatur. An me ta- 27
citurum tantis de rebus existimavistis, et me in tanto rei publicae existimationisque meae periculo cuiquam consulturum potius, quam officio et dignitati meae? Arcessit alter consul designatus Siculos: veniunt nonnulli, propterea quod L. Metellus esset praetor in Sicilia; cum his ita loquitur: se consulem esse: fratrem suum alterum Siciliam provinciam obtinere, alterum esse quaesiturum de pecuniis repetundis: Verri ne noceri possit, multis rationibus esse provisum. Quid est, 10
quaeso, Metelle, iudicium corrumpere, si hoc non est? 28

---

§. 26. *iam reddidisse]* Hotomanus coniecerat *eam*, quod Lambinus de more recepit, et Gruterus ex repet. edit. Lambinianae textu, in quem irrepserat, propagavit. Sed quamquam sic legi in Lag. 29 et 42 inventio, ceterorum tamen librorum omnium auctoritas plus valere debet. Et pertinet *iam* ad studium et initium gratiae referendae, quod inest in verbo *reddidisse*, pro quo ambo Guelf. mendose *redisse*. Pluralem *praerogativas* de binis comitiis utriusque Metelli, consularibus et praetoriis, interpretatur Ferratius Epist. III, 5, et intelligit *tribus*. Equidem cum de binis comitiis Ciceronem accuratius dicturum fuisse putem, *centurias* malim intelligere, quae tribu praerogativa continentur, eamque ob causam et ipsae *praerogativae* dicuntur (vide p. Planc. 33 §. 49). Nam de duplici sortitione et tribuum et centuriarum eius tribus, qua de re dicit Abramius ad Phil. II, 33, nihil inveni. Renuntiatur tribus praerogativa, vocatur eius prima, secunda, tertia classis rel. quae quot centurias habeant ex descriptione populi sciunt illi, qui comitiis praesunt, v. c. tribus Palatinae iuniorum prima classis habet unam centuriam, (nam hoc quidem ex Cic. de rep. II, 22 constat, tum, cum numerus 35 tribuum immotus et immobilis fuit, septuaginta centurias totius primae classis populi fuisse) ceterae unam semis: iam qui tribum Palat. iuniorum tulit, si ea praerogativa est, duas semis, et, addita seniorum tribu, quinque centurias praerogativas tulisse dicitur. Cf. ad V, 15 §. 38.

§. 27. *et me in tanto]* Sic edd. principes usque ad Naugerium et de ceteris unus Stephanus, codices autem nostri omnes. Vulgo *me* omittitur. — *L. Metellus]* Quin L. sit, dubium esse nequit ex tot aliis locis, ubi de successore Verris dicitur (cf. II, 4. III, 53) sed in codd. et in edd. principibus est *Q. Metellus*. Primus correxit Victorius, deinde P. Manutius, ceteri, et pessime fecit Lambinus quod a Stephano suo discessit.

testes, praesertim Siculos, timidos homines et afflictos, non solum auctoritate deterrere, sed etiam consulari metu et duorum praetorum potestate? Quid faceres pro innocente homine et propinquo, cum propter hominem perditissimum atque alienissimum de officio ac dignitate decedis, et committis, ut, quod ille dictitat,
29 alicui, qui te ignoret, verum esse videatur? Nam hoc Verrem dicere aiebant, te non fato, ut ceteros ex vestra familia, sed opera sua consulem factum. Duo igitur consules et quaesitor erunt ex illius voluntate. Non solum effugiemus, inquit, hominem in quaerendo nimium diligentem, nimium servientem populi existi-

---

§. 28. *innoc. hom.]* Hoc ordine Lamb. v. c. in marg. repet. et ambo Guelf. Vulgo *hom. innoc.* — *qui te ignoret]* Sic Latinitatis ratio postulat, quoniam non de certo quodam homine, sed qui esse possit, dicitur, et exhibet edit. Stephani (Lamb.) cum Guelff. et Lag. 29. Vulgo *ignorat.*

§. 29. *te non fato]* Fuisse Naevii versum *Fato Metelli Romae fiunt Consules* tradit Asconius, cui reposuisse Metellos Saturnium hunc *Malum dabunt Metelli Naevio poetae* exequitur Terentianus Maurus de metris. Neque tamen poetam, si Naevius fuerit, veterem illum et celebrem Cn. Naevium, belli primi Punici scriptorem, fuisse puto, qui mortuus est, Cicerone auctore in Bruto c. 15, a. a. Chr. nat. 204, quo tempore fuerat quidem unus Metellus Cos. a. 206, et illius pater, aut avus fortasse, medio bello primo Punico, verumtamen admirabilis illa familiae Metellorum felicitas non prius quam ab anno 143 et 142 a Chr. coepit, quo fratres Q. et L. Metelli Coss. facti sunt, immo vero exagitari non potuit nisi Gracchorum aetate, cum illorum fratrum alterius quattuor, alterius duo filii omnes deinceps summos in rep. honores nanciscebantur. *Intra XII ferme annos*, ait Velleius lib. II c. 11, *huius temporis* (i. e. ante consulatum Q. Metelli Numidici a. 109) *consules fuere Metelli aut censores aut triumpharunt amplius XII.* Itaque Naevii nomen celebri versui adhaesisse puto, quod constabat illum veterem poetam inimicitias cum principibus civitatis Quintoque Metello, Consule a. 206, exercuisse, eamque ob causam Italia relegatum esse, testibus A. Gellio Noct. Att. III, 3 et Eusebio in Chronico ad Olymp. 144.

quaesitor] Ambo Guelf. et Lagom. omnes praeter 42 *quaestor*, usu repugnante. — *nimium diligentem]* At idem Cicero in Bruto c. 68, quamquam de re maiore, perfectione eloquentiae, agens, hominis *socordem naturam negligentemque* reprehendit.

mationi, M'. Glabrionem: accedet etiam nobis illud. Iudex est M. Caesonius, collega nostri accusatoris, homo in rebus iudicandis spectatus et cognitus; quem minime expediat esse in eo consilio, quod conemur aliqua ratione corrumpere, propterea quod iam antea, cum iudex in Iuniano consilio fuisset, turpissimum illud facinus non solum graviter tulit, sed etiam in medium protulit: hunc iudicem ex Calendis Ianuar. non
habemus. Q. Manlium et Q. Cornificium, duos seve- 30
rissimos atque integerrimos iudices, quod tribuni plebis tum erunt, iudices non habebimus. P. Sulpicius, iudex tristis et integer, magistratum ineat oportet Non. Decembribus. M. Crepereius, ex acerrima illa equestri familia et disciplina, L. Cassius ex familia cum ad ceteras res, tum ad iudicandum severissima, Cn. Tremellius, homo summa religione et diligentia, tres hi homines veteres tribuni militares sunt designati: ex

§. 29. *etiam nobis]* Sic ambo Guelf. et Lagom. praeter 42 omnes, item Huyd. Vulgo *nobis etiam*. Perinde videtur esse, quo loco *etiam* ponatur, cum non ad unum verbum pertineat, sed opponatur ei, quod praecedit, *non solum*. — *in Iuniano consilio]* in causa veneficii Cluentiani, cui quaestioni C. Iunius iudex quaestionis praefuit, a. 74. Vide p. Cluentio imprimis c. 29.

non habemus] Praesens pro Futuro exhibent libri fere omnes Lagom. et Guelf. 1 cum edit. Stephaniana, cui consensui cur non praeamus nulla profecto causa est, probabilis etiam variatio. Sed post in nomine *Manlii* libri, ut solent, non constant: Steph. et Guelff. Lag. 27. 29 *Mallium*, alii Lagom. *Manilium*.

§. 30. *oportet]* Sic Stephanus et vet. cod. in margine Lambinianae repet. nostrique Guelff. Lagom. 29. Vulgo *necesse est*. Mensium nomina, quae plene scripsimus, sic in libris mss. leguntur. Sed qui ille magistratus Sulpicii fuerit, et, si Tribunatus pl. fuerit, cur homo a prioribus duobus dirimatur, et Non. Dec. initurus dicatur, cum satis constet Tribunos plebis a. d. IV Idus Dec. inisse, nemo adhuc excogitavit.

cum ad ceteras] Vulgo *tum:* nos in perspicua re secuti sumus edit. Steph. (Lamb.) quocum lemma Asconii et Guelf. 2 Lag. 29 consentit. Guelf. 1 omittit. — *homines veteres]* simpliciter dici, quod in laude positum sit, insolitum: itaque annotant veteres interpretes esse pro gravibus, antiquae severitatis, sicut *vetus illa ac singularis innocentia* legitur III, 93. Tamen dixerim potius esse exercitatos, rerum

Calendis Ianuariis non iudicabunt. Subsortiemur etiam in M. Metelli locum, quoniam is huic ipsi quaestioni praefuturus est. Ita secundum Calendas Ianuar. et praetore et prope toto consilio commutato, magnas accusatoris minas magnamque expectationem iudicii ad no-
31 strum arbitrium libidinemque eludemus. Nonae sunt hodie Sextiles: hora VIII convenire coepistis. Hunc diem iam ne numerant quidem. X dies sunt ante ludos votivos, quos Cn. Pompeius facturus est. Hi ludi dies XV auferent: deinde continuo Romani consequentur. Ita prope XL diebus interpositis, tum denique se ad ea, quae a nobis dicta erunt, responsuros esse arbitrantur: deinde se ducturos et dicendo et excusando facile ad ludos Victoriae: cum his plebeios esse coniunctos: secundum quos aut nulli, aut perpauci dies ad agendum futuri sunt. Ita defessa ac

---

iudiciorumque gnaros. *Antiqui homines* p. Rosc. Amer. 9 sunt simplices et aperti. — *cons. comm.]* Guelf. 1 *toto commutato consilio*, sed ambo et Steph. (Lamb.) *expect. iudicii*, quod maluimus quam vulg. *iud. expect.*

§. 31 *hora VIII]* Sic Guelff. et codd. *alii*, uti vocantur in marg. Lamb. rep. Vulgo *hora nona*. Eadem varietas est lib. II, c. 37 § 91 nimirum in notis numerorum. Cum decima extrema esset (vid. lib. II, 17) communi instituto, si *nona* iudices convenissent, operae plane pretium non fuisset. Causam autem cur non prius iudices convenerint eam fuisse censendum est, quod eo die Senatus fuit legitimus, quo misso in iudicio adesse coeperunt. — *ludos votivos]* Ob victoriam Sertorianam, tradit Asconius. Eorum igitur initium futurum erat die 16. Sext. Ludi *Romani* a die 4 usque ad 19 Sept. celebrantur. Computa et invenies triginta quinque dies esse, i. e. *prope XL*. Inde usque ad ludos *Victoriae* institui solitos a die 27 Oct. sunt triginta septem dies ludis vacui. *Plebeii* a d. 4 Nov. usque ad 17 fiunt. Vide Calendaria antiqua in Orellii Collect. Inscript. Tom. II.

excusando] Edd. principes et codd. fere omnes (nisi forte Lalamantio fidem habes de suorum codicum ad libidinem testanti) etiam Guelff. Steph. *accusando*, sed neque hoc neque quod Lambinus edidit *recusando* probari potest, recteque Iuntinus editor emendavit. Talis excusatio ne quis in ius vocaretur, fuit funus familiare p. Rab. perd. reo c. 3, ubi vid. Ernest. — *perpauci]* Sic Guelf. antiq. et Lagom. 29, quod quia oratoris sententiam adiuvat, recipere pro vulg. *pauci* nemo dubitaverit.

refrigerata accusatione, rem integram ad M. Metellum praetorem esse venturam. Quem ego hominem, si eius fidei diffisus essem, iudicem non retinuissem: nunc ta- 32
men hoc animo sum, ut eo iudice, quam praetore, hanc rem transigi malim, et iurato suam, quam iniurato aliorum tabellas committere.

Nunc ego, iudices, iam vos consulo, quid mihi 11
faciendum putetis: id enim consilii mihi profecto taciti dabitis, quod egomet mihi necessario capiendum intelligo. Si utar ad dicendum meo legitimo tempore, mei laboris, industriae diligentiaeque capiam fructum, et ex accusatione perficiam, ut nemo unquam post hominum memoriam paratior, vigilantior, compositior ad iudicium venisse videatur. Sed in hac laude industriae meae, reus ne elabatur, summum periculum est. Quid est igitur, quod fieri possit? Non obscurum, opinor,

---

§. 31. *refrigerata*] Cic. p. Planc. 23 *crimen de nummis caluit re recenti, nunc in causa refrixit.* — *Metellum praetorem*] Alteram vocem primus adiecit Victorius, et legitur in Guelff. Lag. 29: a ceteris Lagomarsinianis, Huyd., aliis haud dubie deterioribus abest.

§. 32. *hoc animo*] Vulgo *eo*, sed sequor Guelf. 1, Lag. 29.

nunc ego, iudices] Quod Ernestius cum quadam dubitatione coniecit *non ego*, Beckius probavit, Schützius adeo in textum recepit. Iusto ille quidem festinantius, nam si *non* esset, sequi debuit *daretis*. Et postea eadem ratione quaerit Cicero: *quid est igitur quod fieri possit?* Quod autem subiecit *enim*, eo pertinet quasi dixisset, et id quidem tuto facere possum. De vera consultatione nemo cogitabit.

ex accusatione] Nescio an Ernestio h. l. iure pareatur in abiicienda praepositione. Certe nunc mihi locus non succurrit, quo quis bonus auctor dixerit fere: *ex hac re perficiam, ut doctus et intelligens existimer.* In Guelf. 2 non legitur *et*, quod et ipsum sibi prodesse putat Ernestius.

compositior] A vetere scholiasta anonymo *copiosior* explicatur, quod Graevio vulgatae scripturae praeferendum videbatur, ceteris non item. Neque videtur orator copiam orationis satis modeste praedicare posse, quamvis ea consequatur, si apparatum studiose collectum et diligenter compositum attulerit.

quid est igitur] Guelf. 2 *quid est ergo.* Post Guelf. 1 *atque obscon.* mendose. Item pro *secundum* habet *iuxta vel secundum*.

33 neque absconditum. Fructum istum laudis, qui ex perpetua oratione percipi potuit, in alia tempora reservemus: nunc hominem tabulis, testibus, privatis publicisque litteris auctoritatibusque accusemus. Res omnis mihi tecum erit, Hortensi. Dicam aperte. Si te mecum dicendo ac diluendis criminibus in hac causa contendere putarem, ego quoque in accusando atque in explicandis criminibus operam consumerem: nunc, quoniam pugnare contra me instituisti, non tam ex tua natura, quam ex istius tempore et causa, malitiose, necesse est istiusmodi rationi aliquo consilio obsistere.
34 Tua ratio est, ut secundum binos ludos mihi respondere incipias; mea, ut ante primos ludos comperendinem. Ita fiet, ut tua ista ratio existimetur astuta, meum hoc consilium necessarium.

12 Verum illud, quod institueram dicere, mihi rem tecum esse, huiusmodi est. Ego, cum hanc causam Siculorum rogatu recepissem, idque mihi amplum et praeclarum existimassem, eos velle meae fidei diligentiaeque periculum facere, qui innocentiae abstinentiaeque fecissent: tum, suscepto negotio, maius mihi quiddam proposui, in quo meam in rem publicam volun-
35 tatem populus Romanus perspicere posset. Nam illud mihi nequaquam dignum industria conatuque meo videbatur, istum a me in iudicium iam omnium iudicio condemnatum vocari, nisi ista tua intolerabilis potentia et ea cupiditas, qua per hosce annos in quibusdam iudiciis usus es, etiam in istius hominis desperati causa interponeretur. Nunc vero, quoniam haec te omnis dominatio regnumque iudiciorum tantopere delectat, et sunt homines, quos libidinis infamiaeque

---

§. 34. *in rem publ.*] Sic primus Naugerius, sed Steph. codicis sui scripturam expressit *in re publ.* quae eadem est in Guelf. ambobus. Post Guelf. 1 inverso ordine verbb. *neque taedeat neque pudeat.*

suae neque pudeat, neque taedeat; qui quasi de industria in odium offensionemque populi Romani irruere videantur: hoc me profiteor suscepisse, magnum fortasse onus, et mihi periculosum, verumtamen dignum, in quo omnes nervos aetatis industriaeque meae contenderem. Quoniam totus ordo paucorum improbitate 36
et audacia premitur et urgetur infamia iudiciorum, profiteor huic generi hominum me inimicum accusatorem, odiosum, assiduum, acerbum adversarium. Hoc sumo, hoc mihi deposco, quod agam in magistratu, quod agam ex eo loco, ex quo me populus Romanus ex Calendis Ianuar. secum agere de re publica ac de hominibus improbis voluit; hoc munus aedilitatis meae populo Romano amplissimum pulcherrimumque polliceor. Moneo, praedico, ante denuntio; qui aut deponere, aut recipere, aut accipere, aut polliceri, aut sequestres,

---

§. 36. *premitur et*] Haec duo verba absunt a Guelf. ant. — *inimicum accusatorem*] Memmius verba ineleganter perturbari vulgo cum vidisset, *inimicum, accusatorem odiosum, assiduum, acerbum adversarium*, sic coniecit commutato ordine scribendum esse: *inimicum odiosum, accusatorem assiduum, acerbum adversarium*, eumque imitatus est Lambinus. Vim hoc quidem afferre scriptori est, cum nullus vetus liber auctor accedat, quamquam ratio non obscura est. Vide autem num idem consequare, si *inimicum accusatorem* coniungas, reliquis non sine vi cumulatis. Neque enim accusator semper inimicum se profitetur, quin etiam fide et officio ductus accusare potest, nulla propria animi commotione excitatus.

Hoc sumo] Vulgo *hoc mihi sumo*, sed *sumo* sine Dativo personae est *suscipio*. Et abest *mihi* a Steph. edit. et Guelf. ambobus.

secum agere] Edd. vett. usque ad Victorium et codd. Lagom. omnes praeter 27 Huyd. et, quod miror, etiam Steph. editio *secum habere*, mendose.

hominibus improbis] quos in iudicium populi vocare Aedilibus licebat, velut feminas stupri suspectas, Liv. 25, 2, pecuarios, fortasse qui boves diis sacros depavissent Liv. 33, 42 et 35, 10, alios, qui bonis moribus nocerent. Sed vereor tamen, ne potestatis suae fines Cicero Aedilis supergredi visus esset, si etiam iudiciorum corruptores persequi voluisset.

recipere] dicit Asconius eum, qui pro iudicaturo spondet, quod in hac verborum oppositione verum non est. Mihi quidem *recipere* vide-

aut interpretes corrumpendi iudicii solent esse, quique ad hanc rem aut potentiam aut impudentiam suam professi sunt, abstineant in hoc iudicio manus animos-
13 que ab hoc scelere nefario. Erit tum consul Horten-
37 sius cum summo imperio et potestate, ego autem aedilis, hoc est, paulo amplius quam privatus: tamen haec huiusmodi res est, quam me acturum esse polliceor, ita populo Romano grata atque iucunda, ut ipse consul in hac causa prae me minus etiam, si fieri possit, quam privatus esse videatur.

Omnia non modo commemorabuntur, sed etiam, expositis certis rebus, agentur, quae inter decem annos, posteaquam iudicia ad senatum translata sunt, in
38 rebus iudicandis nefarie flagitioseque facta sunt. Cognoscet ex me populus Romanus, quid sit, quamobrem, cum equester ordo iudicaret, annos prope quinquaginta continuos, in nullo iudice equite Romano iudicante ne tenuissima quidem suspicio acceptae pecuniae

---

tur sequester ab eo, qui *deponit* pecuniam. Itaque ne ordinem quidem verborum muto, quamquam *accip. aut recip.* Lagom. 29 et edit. Lambini exhibet, hic quidem secundum Asconium.

§. 37. *agentur*] i. e. oratorie tractabuntur, omni cum affectu et copia verborum. Cf. Divin. 12 §. 39 ubi *exponere* et *agere* opponuntur. — *inter decem annos*] i. e. per tot annos, uti Hotom. allatis locis pro Quint. c. 14 init. pro lege Manil. c. 23 docet. Lectio satis certa vett. codd. nstorum et utriusque Guelf. testimoniis, at in edd. vett. usque ad Aldum nepotem legebatur *intra decem annos*, quod est *minus X annis*, cum fuerint adeo undecim, rationes ineunte Garatonio.

§. 38. *prope L*] A lege iudiciaria Gaii Gracchi a. 122 usque ad Corneliam iudiciariam a. 81 latam XLI vel XLII anni sunt, itaque Ciceronem ut iudicia senatus paululum contraxisse, ita equitum Rom. extendisse apparet.

nullo iudice equite Romano iudicante] Sic legitur hic locus in omnibus libris veteribus, in quo recte Graevius mendum inesse animadvertit, cum illis verbis nihil aliud exprimatur, quam quod praecesserat, *cum equester ordo iudicaret*. Corrigendum igitur putavit *nulla*, et, eiectis Ablativis, cum *ne tenuissima quidem suspicio* coniungendum. Ernestius ea omnia verba cancellis circumscripta tamquam spuria ex

ob rem iudicandam constituta sit; quid sit, quod, iudiciis ad senatorium ordinem translatis, sublataque populi Romani in unumquemque vestrum potestate, Q. Calidius damnatus dixerit, minoris HS XXX praetorium hominem honeste non posse damnari; quid sit, quod, Septimio senatore damnato, Q. Hortensio praetore de pecuniis

---

reliquorum contextu sustulit. Garaton. solum verbum *iudicante* proscripsit, quod omnium maxime tamquam explicatoris imperiti additamentum suspectum est, et, ut sententia procedat, *de* inserendum censet. Equidem hoc paulo audacius fieri puto, sed facillima correctione *in nullo iudice equite Romano — suspicio — constituta sit* scribi posse existimo.

vestrum] Sic Leid. et Guelff. et Steph. Lamb. Vulgo *nostrum.* Pertinere autem illud ait Asconius ad sublatam provocationem ad populum, i. e. ad Tribunos plebis, qua de re cf. ad lib. I, 61 §. 155. Verius igitur Hotoman. ad sublatam Tribunorum potestatem prehendendi et in custodiam aut in carcerem ducendi, qui Senatores essent.

HS XXX] Asconius explicat: *Q. Calidius, M. Calidii oratoris* (de quo lege Ciceronem in Bruto 79. 80) *pater, ex praetura Hispaniensi* (quam constat eum gessisse a. 78, cum Praetor in urbe fuisset a. 79 et viginti ferme annis ante Trib. pl. cf. Cic. p. Planc. 29) *accusatus a* (Q.) *Gallio, pro quo postea Cicero dixit* (cum ille a M. Calidio accusaretur, vide Ellendt. prolegg. ad Cic. Brut. pag. CVIII), *atque damnatus, cum sensisset iudicibus pecuniam contra se datam, in eos iudices, qui parvo pretio corrupti se damnaverant, exclamavit: Vel idoneam, inquit, mercedem pro meo capite pacisci debuistis: hoc saltem honestatis esset in vobis, ut hominem praetorium non vili pretio venderetis, et honeste ironice* (cum acerba irrisione) *dictum est.* Sed de pecunia dissensus est librorum: mss. omnes *XXX*, aliquot Lag. addunt *M*, 29 lineolam superinducit numerorum notis, quae idem significet. Edd. vett. usque ad P. Manutium simpliciter *XXX*, is addidit *M.* Contra Hotom. e lemmate Asconii recipiendum censuit *tricies*, et paruerunt Graevius et Ernestius. Scribitur etiam ille numerus multiplicativus nonnunquam numeris, non litteris: vide ad h. orat. extr. Itaque libere iudicare licet. Mihi nunc XXX i. e. quae singuli iudices acceperint, satis videtur, siquidem in causa Cluentiana c. 26 quadragena dabantur.

P. Septimio] Ferebatur enim a Cluentio corruptus Oppianicum condemnasse (anno 74 Verre praet. urb.) quo nomine lis aestimata est, cum alio crimine (anno 72) damnatus esset. Lege orat. p. Cluent. c. 41. Ad infame illud iudicium pertinet etiam, quod postea Cicero de iudicibus a *Verre* subornatis facit, qua de re cf. lib. I, 61: sed re vera unus est Fidiculanius, p. Cluent. 37: item quod de *senatore* bis corrupto dicit, quem Stalenum esse ex eadem oratione universa disces. Sequitur autem nunc quidem famam vulgarem, in orat. p. Cluentio V annis post habita rem longe aliter exponit, et corruptorem fuisse Oppinianicum ipsum, qui damna-

repetundis, lis aestimata sit eo nomine, quod ille ob rem
39 iudicandam pecuniam accepisset; quod in C. Herennio, quod in C. Popillio, senatoribus, qui ambo peculatus damnati sunt, quod in M. Atilio, qui de maiestate damnatus est, hoc planum factum est, eos pecuniam ob rem iudicandam accepisse; quod inventi sunt senatores, qui, C. Verre praetore urbano sortiente, exirent in eum reum quem incognita causa condemnarent; quod inventus est senator, qui cum iudex esset, in eodem iudicio et ab reo pecuniam acciperet, quam iudicibus divideret, et ab ac-
40 cusatore, ut reum condemnaret? Iam vero quomodo ego illam labem, ignominiam, calamitatemque totius ordinis conquerar, hoc factum esse in hac civitate, cum senatorius ordo iudicaret, ut discoloribus signis iuratorum hominum sententiae notarentur? Haec omnia me diligenter severeque acturum esse polliceor.

14 Quo me tandem animo fore putatis, si quid in hoc ipso iudicio intellexero simili aliqua ratione esse violatum atque commissum? cum planum facere mul-

---

tus est, demonstrat: cuius inconstantiae causa ab Attio Cluentii accusatore acriter vituperatus se excusat p. Cluent. 50. Verumtamen collato Quintil. loco Inst. II, 17, 21 denuo dubitabis, in utra parte veritas fuerit. Reliqua corruptorum iudicum exempla num et ipsa ad illud iudicium pertineant dubito. In Cluentiana 35 est *Bulbus* (cf. in Verr. II, 32) maiestatis accusatus, quem fort. *M. Atilium* existimes esse: item *P. Popillius* c. 37, sed is cum *Ti. Gutta* ambitus nomine damnatus, nec praenomina conveniunt.

§. 39. *factum est — sunt — est]* Transit orator ad indicativum modum, quasi non praecesserit *cognoscet quid sit*, sed solum *quid est*, quae anacoluthi species in hac membrorum continuatione satis excusationis videtur habere. Sed *condemnarent* scripsi pro vulg. *damnarent*, quia illud in Guelff. Leid. Lag. 29 edit. Steph. legitur.

§. 40. Addidi *ego*, quod post Naug. editores omnes omiserunt, soli Steph. et Lamb. revocarunt, quod in suis codicibus videntur invenisse. At non in illis tantum est, verum in omnibus, qui quidem accuratius collati sunt. — *putatis]* Vulgo *putetis*, nec ulla varietas scripturae affertur. Sed Coniunctivum non videtur ferre Latinitas, quod idem censuerunt Lambinus et Schützius. — *cum planum]* Interponitur vulgo *praesertim*, quod ut per se ferri possit, ita invitis melioribus libris Guelff. Leid. Steph. servari non debet.

tis testibus possim, C. Verrem in Sicilia, multis audientibus, saepe dixisse, *se habere hominem potentem, cuius fiducia provinciam spoliaret: neque sibi soli pecuniam quaerere, sed ita triennium illud praeturae Siciliensis distributum habere, ut secum praeclare agi diceret, si unius anni quaestum in rem suam converteret, alterum patronis et defensoribus suis traderet, tertium illum uberrimum quaestuosissimumque annum totum iudicibus reservaret.* Ex quo mihi venit in men- 41
tem illud dicere, quod apud M'. Glabrionem nuper cum in reiiciendis iudicibus commemorassem, intellexi vehementer populum Romanum commoveri, me arbitrari, fore, uti nationes exterae legatos ad populum Romanum mitterent, ut lex de pecuniis repetundis iudiciumque tolleretur. Si enim iudicia nulla sint, tantum unumquemque ablaturum putant, quantum sibi ac liberis suis satis esse arbitretur: nunc, quod eiusmodi iudicia sint, tantum unumquemque auferre, quantum sibi, patronis, advocatis, praetori, iudicibus satis futurum sit: hoc profecto infinitum esse: se avarissimi hominis cupiditati satisfacere posse, nocentissimae victo-

§. 40. *spoliaret*] Guelf. 2, Leid. *expoliaret*. — *agi diceret*] oratione pro *ageretur* posuit, oblitus a quo periodum incepisset *Verrem dixisse*. — *defens. suis*] Abest *suis* a Guelf. 2 et edit. Steph. (Lamb.)

§. 41. *arbitretur*] Edd. principes et Iunt. *arbitrentur*, ut est in deterioribus libris mss. Naugerius deinde scripsit *arbitrarentur*, eumque secuti sunt ceteri, donec P. Manutius *arbitretur* dedit. Hoc demum Gruterus correxit et veterem scripturam restituit, quam adhuc servatam esse miror. Nam *quisque* apud Ciceronem non coniungi simpliciter cum numero plurali Garatonius contra Cortium ad Sallustii Catil. c. 6 ostendit. Cf. quae annotavimus ad lib. I, 31 et II, 39. IV, 63. Hoc autem loco singularem numerum ambo Guelf. exhibent, etiam secundus, quem Ernestius falso *arbitrentur* dicit habere.

praetori Steph. (Lamb.) ediderat, et Ernestius ex Guelf. 2 probavit. Idem est in Leid. nec Guelf. 1 aliter videtur voluisse, in quo est *praetoris*. Vulgo *praetoribus*, quasi in singulis causis plus quam unus sit.

42 riae non posse. O commemoranda iudicia, praeclaram que existimationem nostri ordinis! cum socii popu Romani iudicia de pecuniis repetundis fieri nolunt, qua a maioribus nostris sociorum causa comparata sun An iste de se unquam bonam spem habuisset, ni de vobis malam opinionem animo imbibisset? Quo m iore etiam, si fieri potest, apud vos odio esse debe quam est apud populum Romanum, cum in avariti scelere, periurio vos sui similes esse arbitretur.

15 Cui loco, per deos immortales! iudices, consulit
43 ac providete. Moneo praedicoque id, quod intellig tempus hoc vobis divinitus datum esse, ut odio, inv dia, infamia, turpitudine totum ordinem liberetis. Nul in iudiciis severitas, nulla religio, nulla denique iai existimantur esse iudicia. Itaque a populo Roman contemnimur, despicimur: gravi diuturnaque iam fl gramus infamia. Neque enim ullam aliam ob causa populus Romanus tribuniciam potestatem tanto studi requisivit: quam cum poscebat, verbo illam poscer
44 videbatur, re vera iudicia poscebat. Neque hoc Q

---

§. 42. *fieri nolunt*] Quod Ernestius maluit *nolent*, convenit quide cum eo quod Cicero antea dixerat, *se arbitrari fore* cet. Sed faci apparet, socios iam tum ea condicione fuisse, ut paene ista iudicia exe ceri nollent, aptum certe esse oratori, id quod putet fieri posse, ia nunc agi dicere.

de se unquam] Hoc ordine Guelf. 1, meliore quam vulgo *unquam de se*. In fine *arbitretur* editum est primum a Naugerio; antea, sic in codd. deterioris familiae, *arbitraretur*.

§. 43. *tempus hoc vobis*] Olim edebatur *tempus opportunissimum vobis hoc*, quae scriptura est deteriorum codd. omnium. Ste phanus (Lamb.) suum librum veterem secutus eiecta glossa edidit *tempus hoc divinitus vobis*, sed Grutero ceterisque non persuasit, done Ernestius istud verbum a Guelf. 2 abesse sensit delevitque. Verum de buit etiam ordo verborum restitui is qui est in vet. cod. ad marg. Laml et in utroque Guelf.

denique iam] Victorius primus addidit *iam*, quod abest a Lagom praeter 29. 42, item a Guelf. 2.

Catulum, hominem sapientissimum atque amplissimum, fugit, qui Cn. Pompeio, viro fortissimo et clarissimo, de tribunicia potestate referente, cum esset sententiam rogatus, hoc initio est summa cum auctoritate usus: *Patres conscriptos iudicia male et flagitiose tueri: quodsi in rebus iudicandis populi Romani existimationi satisfacere voluissent, non tantopere homines fuisse tribuniciam potestatem desideraturos.* Ipse de- 45
nique Cn. Pompeius, cum primum contionem ad urbem consul designatus habuit, ubi id, quod maxime expectari videbatur, ostendit, se tribuniciam potestatem restituturum, factus est in eo strepitus et grata contionis admurmuratio. Idem in eadem contione cum dixisset, *populatas vexatasque esse provincias, iudicia autem turpia ac flagitiosa fieri; ei rei se providere ac consulere velle:* tum vero non strepitu, sed maximo clamore suam populus Romanus significavit voluntatem. Nunc autem homines in speculis sunt: obser- 16
vant, quemadmodum sese unusquisque vestrum gerat 46
in retinenda religione conservandisque legibus. Vident adhuc post legem tribuniciam unum senatorem vel te-

---

§. 44. *Patres conscriptos iudicia*] Ambo Guelf. *patres (prēs) ac iudicia*, unde Ernestius cum rarum diceret, senatores etiam extra senatum et in rebus extra senatum (melius dixisset, etiam ubi non alloquerentur) *Patres conscriptos* vocari, existimavit legi posse *praetores ac iudices iudicia — tueri.* Non assentior, et videtur potius *ac* ex nota male intellecta ortum esse. *Patres conscripti* autem pro Patribus simpliciter s. senatoribus leguntur p. Planc. 25 extr. in L. Pison. 8. Nepot. Hannib. 12.

§. 45. *ac flagitiosa*] Vulgo *et*, sed sequor Steph. et Guelf. 1 aliosque multos. Sed Guelf. 2 *atque flag.*

§. 46. *unusq. vestrum*] Steph. (Lamb.) cum Guelf. 2, Lagom. 29 aliisque deterioris familiae *nostrum*. Non reprehendo: quamquam haec sit allocutio iudicum et inseq. § populus Rom. de iudicibus iudicaturus dicitur, ubi nemo facile Guelf. 2 probaverit item *nos — nobis* praebentem. Itaque malui cum Guelf. antiq. et vulg. lectione stare.
unum senatorem] Asconii lemma *unum hominem* iure nemini pla-

nuissimum esse damnatum; quod tametsi non reprehendunt, tamen magnopere, quod laudent, non habent. Nulla est enim laus, ibi esse integrum, ubi nemo est,
47 qui aut possit aut conetur corrumpere. Hoc est iudicium, in quo vos de reo, populus Romanus de vobis iudicabit: in hoc homine statuetur, possitne, senatoribus iudicantibus, homo nocentissimus pecuniosissimusque damnari. Deinde est eiusmodi reus, in quo homine nihil sit praeter summa peccata maximamque pecuniam; ut, si liberatus sit, nulla alia suspicio, nisi ea, quae turpissima est, residere possit: non gratia, non cognatione, non aliis recte factis, non denique aliquo mediocri vitio tot tantaque eius vitia sublevata
48 esse videbuntur. Postremo ego causam sic agam, iudices, eiusmodi res, ita notas, ita testatas, ita magnas, ita manifestas proferam, ut nemo a vobis, ut istum absolvatis, per gratiam conetur contendere. Habeo autem certam viam atque rationem, qua omnes illorum conatus investigare et consequi possim: ita res a me agetur, ut in eorum consiliis omnibus non modo aures hominum, sed etiam populus Romanus interesse

---

cuit praeter Lambinum. Nam condemnati sunt haud dubie multi hoc anno post Tribuniciam potestatem restitutam, (sic enim recte Ernestius in clave, cum in annotatione legem Corneliam Tribuniciam intellexisset,) sed praeter illum nemo ex summo ordine.

§. 47. *eiusmodi reus*] Sic Steph. (Lamb.) et codd. tres optimi cum Lag. 29. Vulgo *huiusmodi.* — *non aliis recte factis*] Temere Lambinus *non ullis recte factis* legendum censuit (nec tamen ipse edidit); *alia* enim illa non dicuntur ad *bene facta*, sed ad facta in universum, ut saepe. — *aliquo*] Edit. Steph. (Lamb.) Leid. *alio.*

videbuntur] Sic Steph. (Lamb.) editio, Leid., ambo Guelf. Vulgo *existimabuntur.*

§. 48. *et consequi*] Guelf. 2 *ac consequi.* — *sed etiam populus Rom.* — *videatur*] Sic ambo Guelf. et Lamb. v. c. in marg. rep. ex quo vel pari alio Steph. *populi Rom. videatur* inepte edidit, relictis Genitivis ex vulg. lectione, quae est *oculi populi Rom.* — *videantur.* Utrum probes optio datur, sed homines oppositi populo Rom. haud du-

videatur. Vos aliquot iam per annos conceptam huic 49 ordini turpitudinem atque infamiam delere ac tollere potestis. Constat inter omnes, post haec constituta iudicia, quibus nunc utimur, nullum hoc splendore atque dignitate consilium fuisse. Hic si quid erit offensum, omnes homines non iam ex eodem ordine alios magis idoneos, quod fieri non potest, sed alium omnino ordinem ad res iudicandas quaerendum arbitrabuntur.
Quapropter primum ab diis immortalibus, quod spe- 17
rare mihi videor, hoc idem, iudices, opto, ut in hoc 50
iudicio nemo improbus, praeter eum, qui iampridem inventus est, reperiatur: deinde, si plures improbi fuerint, hoc vobis, hoc populo Romano, iudices, confirmo, vitam mehercule mihi prius, quam vim perseverantiamque ad illorum improbitatem persequendam defuturam.

Verum quod ego laboribus, periculis, inimicitiis- 51
que meis tum, cum admissum erit, dedecus severe me persecuturum esse polliceor, id ne accidat, tu tua

---

ie displicebunt, et interpolationem grammatici agnosces de simili loco c. 3 init. cogitantis.

§. 49. *ac tollere*] Haec duo verba accesserunt primum in Hervag. 1534 et Victoriana eiusdem anni, absunt enim a codd. deterioribus, septem Lagom. Franc. Mein. Oxon. Eadem prorsus condicio est verbi *constituta*, tantum quod Franc. non memoratur, sed Huyd. omittentibus accedit. Eandem rem lib. I, 7 init. sic dicit: *ut hoc constet, post haec statum rei publicae, quo nunc utimur, simili splendore et dignitate consilium nullum fuisse.*

atque dign.] Parendum censui ambobus Guelf. omittentibus quod vulgo interponitur *hac dignitate.*

§. 50. *ab diis*] Guelf. 1 *a diis.* — *opto*] Sic Steph., quod legi in codicibus manuscriptis Lambinus diserte affirmat, fidemque faciunt ambo Guelf. et Leid. Vulgo *peto.* Illud legitur etiam orat. II in Catil. 7 §. 15 *nunquam ego a diis immortalibus optabo.* Sed quod idem Lambinus de suo et tacitus quidem adiecit *quod sperare debere mihi videor*, in eo Hotomano, cuius alioquin auctoritatem maximi facit, non paruit, quippe qui bene monuerit, non semel ea locutione usum esse Ciceronem, ut in Lael. 4, de Orat. II, 28 §. 122.

auctoritate, sapientia, diligentia, M'. Glabrio, potes providere. Suscipe causam iudiciorum; suscipe causam severitatis, integritatis, fidei, religionis; suscipe causam senatus, ut is hoc iudicio probatus cum populo Romano et in laude et in gratia esse possit. Cogita, quo loco sis, quid dare populo Romano, quid reddere maioribus tuis debeas; fac tibi paternae legis Aciliae veniat in mentem, qua lege populus Romanus de pecuniis repetundis optimis iudiciis severissimisque iu-
52 dicibus usus est. Circumstant te summae auctoritates, quae te oblivisci laudis domesticae non sinant, quae te noctes diesque commoneant, fortissimum tibi patrem, sapientissimum avum, gravissimum socerum fuisse. Quare si Glabrionis patris vim et acrimoniam

---

§. 51. *auctoritate, sapientia*] Hoc ordine verbb. Steph. (Lamb.) Lag. 29, Guelf. 1 (de altero nunc nobis non constat). Vulgo *sapientia* praeponitur. — *Cogita, quo loco sis*] Additur vulgo inde a Victorio et Manutio *cogita qui sis*, quae verba potiore iure denuo eiicientur, quam quo sunt intrusa. Nam absunt a codicibus mss. quotquot sunt, et omissa sunt, quae illius fuit veterum librorum observantia, a Stephano (Lamb.) videnturque omnino ex Divin. c. 6 temere huc translata esse.

legis Aciliae] Mendose Guelff. Leid. *leges Aciliae veniant*, expressit tamen Steph.

§. 52. *noctes diesque*] Vulgata scriptura *dies noctesque* propriam quandam defensionem habere videtur a naturali rerum ordine, quem sic commendat Quintilianus Inst. IX, 4, 23, ut iubeat dicere *viros ac feminas, diem ac noctem, ortum et occasum.* Bene ille quidem, sed tamen aliud in hoc Cicero secutus est, qui *noctes et dies* de Orat. I, 61 non singulariter dicit, ut Hebraeam rationem in auxilium advocare Gesnerus ad Quint. l. l. deberet, sed sic etiam lib. V in Verr. 43, 112 *cum lacrimans in carcere mater noctes diesque assideret.* Itaque non dubitavi Stephanianam lectionem exprimere utroque Guelf. firmatam.

patris vim] Vel haec ipsa verba indicant, eum Tribunum pl. fuisse. Nihil praeterea de eo constat. Sed eius socerum, huius Glabrionis avum, *Scaevolam*, Asconius dicit P. Mucium fuisse, Consulem a. 133 cum L. Calpurnio Pisone, qui primus iuris civilis scientia excelluit. Ferrarius contra disputat et *Q.* fuisse putat *Augurem*, 16 post illum fratrem patruelem annis Consulem, eique assentitur Garatonius, nullam gravio-

ceperis ad resistendum hominibus audacissimis; si avi Scaevolae prudentiam ad prospiciendas insidias, quae tuae atque horum famae comparantur; si soceri Scauri constantiam, ut ne quis te de vera et certa possit sententia demovere: intelliget populus Romanus, integerrimo atque honestissimo praetore, delectoque consilio, nocenti reo magnitudinem pecuniae plus habuisse momenti ad suspicionem criminis, quam ad rationem salutis.

Mihi certum est non committere, ut in hac causa 18
praetor nobis consiliumque mutetur. Non patiar rem 53
in id tempus adduci, ut Siculi, quos adhuc servi designatorum consulum non moverunt, cum eos novo exemplo universos arcesserent, eos tum lictores consulum vocent; ut homines miseri, antea socii atque amici populi Romani, nunc servi ac supplices, non modo ius suum fortunasque omnes eorum imperio amittant, verum etiam deplorandi iuris sui potestatem non habeant. Non sinam profecto, causa a me perorata, 54
quadraginta diebus interpositis, tum nobis denique re-

---

rem ob causam, quam quod ille *P.* senior fuisse videatur, quam ut nepotem instituere potuerit. Sed huius Glabrionis aetatem nescimus et videtur omnino secundum Cic. in Brut. 68 sero ad summos honores pervenisse. M. autem Aemilii *Scauri* principis senatus et in exercendis inimicitiis fortissimi, Consulis a. 115 et 107, ex Caecilia filiam a vitrico Sulla Glabrioni ereptam et Cn. Pompeio collocatam esse Plutarchus in Sulla c. 33 tradit. Ea tamen in domo Glabrionis pepererat M'. Glabrionem, cuius mentionem facit Asconius in comment. ad Ciceronis orationem p. M. Scauro.

§. 53. *adduci*] I. Fr. Gronovius Obs. V, 12 *duci* scribendum coniecit, et Ernestius in textum recepit, sed apte Garatonius contendit, ut dicatur *res in eum locum adducitur*, sic etiam *in id tempus* posse dici. — *eorum imperio*] Consulum intellige, non lictorum, quae Ernestii fuit opinio. Illi enim Verris patroni impedituri sunt, quominus Siculi fortunas recuperent, vel adeo calamitates suas fletu prosequantur.

spondere, cum accusatio nostra in oblivionem diuturnitatis adducta sit: non committam, ut tum haec res iudicetur, cum haec frequentia totius Italiae Roma discesserit, quae convenit uno tempore undique comitiorum, ludorum, censendique causa. Huius iudicii et laudis fructum et offensionis periculum, vestrum; laborem sollicitudinemque, nostram; scientiam, quid agatur, memoriamque, quid a quoque dictum sit, omnium puto esse oportere.

55 Faciam hoc non novum, sed ab iis, qui nunc principes nostrae civitatis sunt, ante factum, ut testibus utar statim: illud a me novum, iudices, cognoscetis,

---

§. 54. *respondere* Steph. Leid. ambo Guelf.; nam Ernestium, ut saepe, festinatio fefellit ut putaret in Guelf. 2 esse *responderi*, quae Lambini correctio Stephanianae lectionis est. Vulgares autem libri *respondeant*, quod si probatur, quidni etiam, subintellecto ex Consulum nomine Hortensio, et si quis alius Verri advocatus erit, *respondere?*

in oblivionem diuturnitatis] Librorum manuscriptorum et olim impressorum scripturam inepte corrupit Hervagiana (1534) fecitque *diuturnitate*, quod ceteri praeter Stephanum et Lambinum statim arripuerunt, repetitores adeo Lamb. *diuturnitatis* mendose ab aliis edi notarunt. Inde factum puto, ut recentem correctionem etiam Grutero persuaderent. At oratorie, si quid aliud, dici Ernestius et Garatonius facile intellexerunt, ut *necessitudinem sortis*, *omen communis famae atque sermonis* lib. II, 6 extr. *odium inimicitiarum* p. Mur. 27.

haec res] Adieci pronomen minime inutile ex utroque Guelf. edit. Stephani, Lagom. 29. 42. — *ludorum, censendique causa*] *Ludorum* primus P. Manutius edidit Asconii secutus explicationem, quod tam certam veritatis notam habet, ut, quamquam nulli codd. mss. auctores fiunt, neminem tamen nunc dubitaturum puto quin unice verum sit. Quod autem passive dixit *censendi causa* pro ut censerentur, non immemor fuit huius loci magnus Ruhnkenius ad Vell. II, 15, ubi *ad censendum* eadem ratione dicitur. Vide Gramm. nostram §. 658.

§. 55. *qui nunc principes*] Opportune Asconius L. et M. Lucullos appellat, quos accusatione laudem meruisse ipse Cicero de Off. 2, 14 et Acadd. IV init. tradidit. Sed quod addit grammaticus, L. Cottam ab iis accusatum esse, falli videtur: Plutarchi auctoritas certior est Servilium Augurem fuisse narrantis, quod iudicium Pighius ad a. 92 a. Chr. refert. Cf. Spaldingium ad Quintil. XII, 7, 4.

a me novum cet.] Lucullos dicit testibus statim usos esse, i. e.

quod ita testes constituam, ut crimen totum explicem; ubi id interrogando, argumentis, atque oratione firmavero, tum testes ad crimen accomodem: ut nihil inter illam usitatam accusationem atque hanc novam intersit, nisi quod in illa tunc, cum omnia dicta sunt, testes dantur, hic in singulas res dabuntur; ut illis quoque eadem interrogandi facultas, argumentandi dicendique sit. Si quis erit, qui perpetuam orationem accusationemque desideret, altera actione audiet: nunc id, quod facimus, (ea ratione facimus, ut malitiae illo-

---

edidisse *testes* (vid. lib. I c. 9 extr.) ut eos reus eiusque patronus interrogaret et refutaret si posset, cuius altercationis propria quaedam praecepta dedit Quintil. Instit. VI, cap. 4. Hoc se quoque facturum dicit Cicero: *testes ad crimen accommodabo;* sed novum hoc additurum, ut antea ipse crimen totum, i. e. generaliter, explicet, et suis testium interrogationibus admixta argumentatione firmet, itaque veritatem rerum in oculis quasi iudicum constituat. Luculli illi nimis orationi pepercerant, Ciceronis ratio ab oratione perpetua non abhorret, sed eam crebro interrumpit. Itaque lib. I, 11 init. ne desideratam quidem esse orationem perpetuam dicit: *Etenim sic me ipsum egisse memoria tenetis, ut in testibus interrogandis omnia crimina proponerem et explicarem.* Quod quomodo perfecerit, iam accuratius ostendit: *ut, cum rem totam in medio proposuissem* (id est h. l. *crimen totum explicare* quasi perpetua oratione) *tum denique testes interrogarem.* Hoc copiosius eam ob causam exposui, ut appareat quantopere verae sententiae noceat Hotomani coniectura, probata ea quidem a Lamb. et Garatonio, qui h. l. translato verbo *interrogando* sic scribendum censuit: *ita testes constituam, ut interrogando crimen totum explicem.* Neque enim breves has singulorum criminum propositiones interrupturus erat Cicero testium interrogationibus, sed eas perpetuae orationis speciem habere voluit, quamquam universa actio videri poterat testium interrogatio. Ceterum quod in lemmate Asconii *ut* additur ante *ubi*, quamquam sic etiam in Iannoctii codice prorsus incertae auctoritatis esse dicitur, probari non debuit: nam, ut omittam consensum Ciceronianorum codicum longe graviorem, nocet etiam sententiae, propterea quod ea, quae sequuntur, non explicandis prioribus inserviunt, sed accedunt nova.

illis] Verrem eiusque patronos dicit, quibus testes dantur. Sed antea in Guelf. 1 deest *testes* ante *dantur*.

ea ratione facimus] Non immerito Asconius in hac locutione offendit, sed quam putat medelam adhiberi posse, ut repetitum *facimus*

rum consilio nostro occurramus) necessario fieri intelligat. Haec primae actionis erit accusatio. Dicimus,
56 C. Verrem, cum multa libidinose, multa crudeliter in cives Romanos atque socios, multa in deos hominesque nefarie fecerit, tum praeterea quadringenties sestertium ex Sicilia contra leges abstulisse. Hoc testibus, hoc tabulis, privatis publicisque auctoritatibus ita vobis planum faciemus, ut hoc statuatis, etiamsi spatium ad dicendum nostro commodo, vacuosque dies habuissemus, tamen oratione longa nihil opus fuisse. Dixi.

---

deleatur, ea et ipsa displicet. Probaverunt eam tamen Hotom. et Lambinus, ceteri in parenthesi, quam induxit Gruterus, acquieverunt. Guelf. 1 non habet *ea*, omnes Lagom. *intelligant*.

§. 56. *atque socios*] Sic codices mss. longe plurimi, Lagom. praeter 42 omnes, Steph. Guelf. ambo. Vulgo *atque in socios*. Cf. ad Div. c. 13.

quadringenties] Lagom. omnes CCCC vel $\overline{CCCC}$: etiam Steph. CCCC. Nos ex Guelff. nihil adnotavimus. Sed res patet.

Dixi extremum, quod vel solius Asconii auctoritate addi poterat, extat etiam in Guelf. ant. et edit. Stephaniana. Nam de verbo sollemni abunde constat per Ciceronem har. oratt. lib. II, 30 et Quintilianum I, 5, 43: vide Spaldingii notam ad VI, 4, 7.

ACTIONIS SECUNDAE
SIVE
ACCUSATIONIS IN C. VERREM
LIBER PRIMUS.
[DE PRAETURA URBANA.]

ARGUMENTUM ASCONII PEDIANI, QUI DICITUR, EX EDITIONE GRAEVIANA DESCRIPTUM.

Deinceps haec omnia non dicta, sed scripta sunt contra eum: quod ita factum est. Fingit Cicero, adesse in iudicio Verrem comperendinatum, et respondere citatum, et defendi. In ceteris enim orationibus defensor futurus, accusationis officium his libris, qui Verrinarum [1]) nomine nuncupantur, compensare decrevit, et, quoniam accusare multos indecorum Tullio videbatur, in una causa vim huius artis et eloquentiae demonstrare. Nam et bene intelligentes omnem virtutem oratoriam, quaecunque in criminationibus constituta est, hic expressam vident: et contra ex hoc defensionum vim in ceteris orationibus et nervos eius ex hac virtute cognoscunt, quae in opprimendo exprimitur reo. Igitur rerum scena sic facta est, ut dicit Tullius, non autem acta res est. Adest, inquit, Verres, respondet, defenditur. Ergo cum prima actione accusatus sit ac defensus Verres, nunc, velut defensus iterum (sic enim mos erat) in altera actione, accusatur ad ultimum rursus oratione perpetua.[2])

---

1) In editione Ernestiana et ex ea in minore nostra vitiose *Verrinorum.*

2) Nimirum putavit hic enarrator, qui Asconius nominatur, in altera actione conversum fuisse dicendi ordinem, prioremque dixisse defensorem, post eum ultimo loco accusatorem. Vide eiusdem annotationem ad hunc libr. I, 9, 26. Sed falsam esse hanc opinionem ex male intellecto loco modo laudato ductam, probavit M. Ant. Ferratius Epistol. lib. I, 9, quae est de comperendinatione.

Crimina repetundarum et alia pleraque ex[3]) anteacta vita saepe firmantur: sumitur etiam hinc saepe defensio. Omnis enim confirmatio ab attributis personae et negotio sumi solet: ergo attributa personae maxime in anteacta vita quaeri solent, negotio[4]) in ipso crimine. Libros igitur pro qualitate criminum Tullius dividens, anteactis unum dedit, hunc scilicet solum, crimini ipsi repetundarum quattuor: unum de iure dicendo: alterum de re frumentaria: tertium de signis: quartum de suppliciis. Ad hanc enim similitudinem poeta Virgilius Minoem, iudicem apud inferos, tamquam si praetor sit rerum capitalium, quaesitorem appellat: dat ibi sortitionem, ubi urnam nominat; dat electionem iudicum, cum dicit consiliumque vocat; dat cognitionem facinorum, cum dicit vitasque et crimina discit.

Ergo hic liber, qui de anteacta vita est, statum necesse est coniecturalem habeat. Capita autem, quae ipse Tullius fecit dividendo totam hanc accusationem, sunt haec: primum in quaesturam; deinde in legationem et vicequaesturam;[5]) tertio in praeturam urbanam; quarto in praeturam Siciliensem. Nam cum omnes eius actus quaesturae nomine, legationis, praeturae urbanae, Siciliensisque, quadripartita librorum divisione cognoscantur; anteacta eius omnia hoc libro comprehensa sunt ad eorum fidem, quae post dicentur. Prooemia sane huius libri in simulatione constituta sunt, quasi verae accusationis, in Verrem audentem adesse atque defensum, in exhortatione iudicum ad recte iudicandum, tum in minis contra adversarios, et in exhibenda ratione officii sui, cur ita maluerit accusare, ut prima actione tantum testibus uteretur, quae omnia eiusmodi sunt, ut non tam nova dicere, quam dicta libri superioris instaurare videatur. Post haec omnia ipsius Ciceronis per honores Verris cum criminibus iunctos divisio per ordinem temporum currit.

---

3) Abest *ex* ab Asconii editione Aldina.

4) Edit. Aldina *negotii*, et antea absunt verba *personae et;* Hotomanus et Graevius *negotio;* recentiores (Verburg. Ernest. probante Garatonio) *negotium*, quasi postulante sententia. At *negotio* etiam ante dativo casu dictum puto.

5) Aldina *accusationem in legatione*, *vice quaesturae*, omissis reliquis.

Neminem vestrum ignorare arbitror, iudices, hunc 1
per hosce dies sermonem vulgi, atque hanc opinionem 1
populi Romani fuisse, C. Verrem altera actione re-
sponsurum non esse, neque ad iudicium affuturum.
Quae fama non idcirco solum emanarat, quod iste certe
statuerat ac deliberaverat non adesse; verum etiam,
quod nemo quemquam tam audacem, tam amentem,
tam impudentem fore arbitrabatur, qui tam nefariis cri-
minibus, tam multis testibus convictus, ora iudicum
aspicere, aut os suum populo Romano ostendere au-
deret. Est idem Verres, qui fuit semper, ut ad au- 2

---

§. 1. *responsurum non esse*] Male omnino Victorius *fuisse* ediderat, quem alii usque ad Gruterum secuti sunt. Priores et Stephanus (Lamb.) recte *esse*, quod et in nostris codd. omnibus legitur.

certe statuerat] Ernestius legendum esse *certo* pronuntiat, et videtur utique hoc sibi persuasisse, *certe* non posse sic cum verbis *sciendi* et *statuendi* coniungi. Quod adeo verum non est, ut, si computatio ineatur, etiam saepius *certe scio* quam *certo scio* inveniatur. Nam ut hoc loco *certe* codicum consensu facile defenditur, sic *certe scio* aut omnibus in libris aut in praestantissimis legitur pro Archia poeta extr. Phil. III, 6 extr. (in Vatic.) Epist. VII, 3 extr. Sallust. Catil. in orat. Caesaris, cap. 51, 16. Cf. nostrarum oratt. lib. III, 44 §. 104 ubi, cum *certe* in omnibus libris sit, Ernestius *certo* voluit, item III, 87 init. Discrimen autem, quod Garatonius ad locum Philipp. interesse statuit inter *certe* (certa quadam ratione) et *certo*, et per se obscurum est, et ipsum ad corrigendos potius locos, quam explicandos pertinet.

testibus convictus] Sic post Stephanum ediderat Lamb. pro vulg. *victus e vet. cod.;* idem e Cuiaciano notatum invenit Gruterus, Ernestius in Guelf. 2, sed tantum in utroque erat vett. editionum et Palatinorum codd. studium, ut verbum non Ciceronianum pro elegantiore amplecti mallent. Iam vero, postquam Garatonius annotavit, *convictus* apud anonymum interpretem et Priscianum (p. 1155 Putsch. lib. 18 p. 159 Krehl.) legi, de veritate eius lectionis nemo dubitavit. Eadem est in Guelf. ambobus, Lag. 29. 42, sed in illis non *testibus*, sed *iudicibus* (vel *indicibus) convictus*, mendose, opinor: nam *indicibus* in tota causa Verrina locus non est, iunguntur que *crimina et testes* et alibi et in his oratt. lib. I, 7 §. 20, lib. V, 16 *tot criminibus testimoniisque convictus*.

dendum proiectus, sic paratus ad audiendum: praesto est, respondet, defenditur: ne hoc quidem sibi reliqui facit, ut in rebus turpissimis cum manifesto teneatur, si reticeat et absit, tamen impudentiae suae pudentem exitum quaesisse videatur. Patior, iudices, et non moleste fero, me laboris mei, vos virtutis vestrae fructum esse laturos. Nam si iste id fecisset, quod prius statuerat, ut non adesset, minus aliquanto, quam mihi opus esset, cognosceretur, quid ego in hac accusatione comparanda constituendaque elaborassem; vestra vero
3 laus tenuis plane atque obscura, iudices, esset. Neque hoc a vobis populus Romanus expectat, neque eo potest esse contentus, si condemnatus sit is, qui adesse noluerit, et si fortes fueritis in eo, quem nemo sit ausus defendere. Immo vero adsit, respondeat; summis

---

§. 2. *sic paratus*] Steph. omisit *paratus*, et deesse eam vocem in Cuiaciano libro annotavit Gruterus. Sed quamvis ille liber bonus sit, non potest tamen omnis vitii expers haberi, sicut hoc loco convincitur a Guelff.

reliqui facit] Est e Stephani codice, clam per repetitiones Lamb. ad Gruterum propagatum. Nam antea *fecit*, quod in deterioribus codd. est, VII Lag. Huyd. Mein. aliis haud dubie. Hoc igitur locum obtinuit sed quod sequitur, *prius* pro vulg. *primo*, ignoratum est, quamquam et ipsum a Steph. et Lamb. editum et optimis libris confirmatum. Tantum valuit repetitorum istorum arbitrium.

quid ego in hac accusatione comparanda constituendaque elaborassem] Cogitabam aliquamdiu, *laborassem* esse emendandum, cum Cicero id dicere videretur, quantam ego curam, quantum laborem adhibuerim in hac accusatione constituenda. Sed diligenter pensitatis quae sequuntur quaeque anonymus de hoc loco dicit, recte se habere puto *elaborassem;* illud enim orator dicere voluit, se maius quiddam sibi agendum et elaborandum suscepisse: *elaborare* ad finem spectat, ut *quid elaborassem* idem sit ac quid laborando petivissem. Voluit enim non unum aliquem improbum, sed omnem improbitatem convincere et ulcisci. Cf. Goerenz. ad Cic. de Fin. I, 4, quocum Gernhard. ad Cic. de Sen. c. 7 extr. non ipsa quidem enarratione, sed allatis exemplis conspirat.

§. 3. *Neque hoc*] Cum sequatur alterum *neque*, tuto abiici potest *enim*, quod vulgo additur, sed deest in melioribus libris quattuor.

opibus, summo studio potentissimorum hominum de-
fendatur; certet mea diligentia cum illorum omnium cu-
piditate, vestra integritas cum illius pecunia, testium
constantia cum illius patronorum minis atque potentia:
tum demum illa omnia victa videbuntur, cum in con-
tentionem certamenque venerint. Absens si iste es- 4
set damnatus, non tam sibi consuluisse, quam invidisse
vestrae laudi videretur. Neque enim salus ulla rei pu- 2
blicae maior hoc tempore reperiri potest, quam popu-
lum Romanum intelligere, diligenter reiectis ab accu-
satore iudicibus, socios, leges, rem publicam senato-
rio consilio maxime posse defendi: neque tanta fortu-
nis omnium pernicies potest accidere, quam opinione
populi Romani rationem veritatis, integritatis, fidei, re-
ligionis ab hoc ordine abiudicari. Itaque mihi videor 5
magnam et maxime aegram et prope depositam rei pu-

---

§. 3. *cum illius pecunia*] Sic auctoribus Guelff. libris scribendum, non *istius*, vis est enim aliqua in repetitione eiusdem verbi. Et ediderant sic Steph. et Lambinus. Sed in edit. repetita, certe Santandreana, eius lectio typothetarum errore male indicatur, scribitur enim *istius*. Paulo post *omnia* addidi ex codd. Guelff. Lag. 29. 42, editione Steph. (Lamb.)

§. 4. *non tam sibi*] Interposuit *ipse* Naugerius ex aliquo libro mediocri, quod neque optimi neque deterrimi habent, meorum in uno Lag. 42 est. Quin eiiciendum sit, vix potest dubitari. Debebat enim potius *ipsi* esse propter oppositionem.

rei publicae maior] Sic verba collocata primum sunt in Stephaniana, sic deinde per repet. Lamb. propagatum. Antea *mai. reip.*

pernicies potest accidere] Laudat Ernest. hanc Ruhnkenii (ad Rutil. Lup. pag. 3) emendationem pro vulg. *accedere;* debebat tamen animadvertere eam P. Manutio potius tribuendam, ex cuius edit. (a. 1540) etiam Steph. et Lamb. receperunt. Nec desunt nostri codd. sed Guelf. 1 *potest pernicies* inverso ordine.

§. 5. *mihi videor magnam* cet.] Ex Nonio Marcello s. voce *deponere* p. 643 Goth. Hotomanus post *videor* inserendum censuit *iudices* et inseruit Lambinus; quem cum insequentes editores deseruissent, nuper denuo Garatonius extitit, qui id accuratius commendaret. Sane vox illa nec aliena est a sententia loci, et poterat facile ob propinquum *videor* excidere. Saepenumero enim in codd. mstis pro *iudices* scriptum invenias *vid. inde* vel, quae longius abeunt, *modo*, *iuxta*. Sed videtur

blicae partem suscepisse, neque in eo magis meae, quam vestrae laudi existimationique servisse. Accessi enim ad invidiam iudiciorum levandam vituperationemque tollendam, ut, cum haec res pro voluntate populi Romani esset iudicata, aliqua ex parte mea diligentia constituta auctoritas iudiciorum videretur; postremo, ut esset hoc iudicatum, ut finis aliquando iudiciariae con-
6 troversiae constitueretur. Etenim sine dubio, iudices, in hac causa ea res in discrimen adducitur. Reus est enim nocentissimus: qui si condemnatur, desinent homines dicere, his iudiciis pecuniam plurimum posse; sin absolvitur, desinemus nos de iudiciis transferendis recusare.

Tametsi de absolutione istius neque ipse iam sperat, nec populus Romanus metuit: de impudentia singulari, quod adest, quod respondet, sunt qui mirentur mihi, pro cetera eius audacia atque amentia, ne hoc

---

tamen anceps negotium contra tot Ciceronis codd. non grammatico, sed illius librariis credere.

postremo, ut esset hoc iudicatum, ut finis cet.] Locus male temptatus, in quo *ut esset hoc iudicatum* pro *utut* sive *utcunque* dictum esse Gronov. Observ. III, c. 6 docuit. Sic etiam Act. I, 8 §. 23 *quantam* p. *quantamcunque* dictum est. Alterum autem *ut*, unde verbum *constitueretur* pendet, redundat illud quidem, sed tamen locum suum facillime tuetur, cum tam multa verba intercesserint, ut ad rationem totius periodi demonstrandam paene necessarium sit. Cf. ad lib. II c. 6 §. 17. Ceterum Lambinus totum locum temere interpolavit, sed lectorem in annotatione admonuit, ut nemo id eum ex codd. fecisse debeat putare.

§. 6. *Reus est enim nocentissimus*] Ascon. locum sic laudat: *homo est enim nocentiss.* eamque lectionem Hotomanus sic cum Ciceronianorum omnium codd. copulavit, ut *Reus est enim homo nocentissimus* scribendum suaderet. Sed persuasit nemini praeter Lambinum.

condemnatur] Guelf. 2 *condempnatus sit.*

Tametsi] Guelf. 2 *etsi*, quod non sane contemno, neque enim raro orator hac voce pro *quamquam* in reprehendendis ante dictis utitur. Cf. ad lib. V, 31 §. 81. Sed etiam *tametsi* eodem modo c. 11 dicitur, et IV, 9.

pro cetera eius] Codd. deteriores, Lagom. omnes, Huyd. Mein. Ox. *propter eius audaciam atque amentiam*, quod et in vett. edd. usque

quidem mirandum videtur. Multa enim et in deos et
in homines impie nefarieque commisit, quorum scele-
rum poenis agitatur, et a mente consilioque deducitur.
Agunt eum praecipitem poenae civium Romanorum, 3
quos partim securi percussit, partim in vinculis neca- 7
vit, partim implorantes iura libertatis et civitatis in
crucem sustulit. Rapiunt eum ad supplicium dii pa-
trii, quod iste inventus est, qui e complexu parentum
abreptos filios ad necem duceret, et parentes pretium
pro sepultura liberum posceret. Religiones vero cae-
rimoniaeque omnium sacrorum fanorumque violatae, si-
mulacraque deorum, quae non modo ex suis templis
ablata sunt, sed etiam iacent in tenebris, ab isto re-
trusa atque abdita, consistere eius animum sine furore
atque amentia non sinunt. Neque iste mihi videtur 8
se ad damnationem solum offerre, neque hoc avaritiae
supplicio communi, qui se tot sceleribus obstrinxerit,
contentus esse: singularem quandam poenam istius im-
manis atque importuna natura desiderat. Non id so-
lum quaeritur, ut, isto damnato, bona restituantur iis,
quibus erepta sunt: sed et religiones deorum immor-
talium expiandae, et civium Romanorum cruciatus mul-
torumque innocentium sanguis istius supplicio luendus
est. Non enim furem, sed ereptorem; non adulterum, 9

---

ad annum 1534 legebatur, quo in duabus simul Vict. et Hervag. nostra lectio ex codice melioris familiae ducta comparet.

§. 7. *iste inventus est*] Priscian. lib. VII p. 742 Putsch. 307 Kr. quod *iste unus inventus est*, recepitque in textum Lambinus. Idem grammat. l. l. *ex complexu*, altero (lib. 18 p. 1155 P. p. 160 Kr.) *a comp.* utrumque male. Sed hae citationes, praesertim prior locus, ubi de forma Genitivi agitur, hanc habent vim, ut verbum *liberum* contra consensum Guelff. et Leid. tueantur, qui omittunt. Et tamen nescio quid nobis faciendum fuerit, cum abesse certe possit.

§. 8. *ad damn. solum offerre*] Verum hunc verborum ordinem ex Steph. (Lamb.) edit. et Guelf. ambobus restituimus. Vulgo *ad damnat. offerre solum.*

sed expugnatorem pudicitiae; non sacrilegum, sed hostem sacrorum religionumque; non sicarium, sed crudelissimum carnificem civium sociorumque, in vestrum iudicium adduximus: ut ego hunc unum eiusmodi reum post hominum memoriam fuisse arbitrer, cui damnar expediret.

4 Nam quis hoc non intelligit, istum absolutum, dii hominibusque invitis, tamen ex manibus populi Roman eripi nullo modo posse? Quis hoc non perspicit, prae clare nobiscum actum iri, si populus Romanus istiu unius supplicio contentus fuerit, ac non sic statuerit non istum maius in sese scelus concepisse, cum fan spoliarit, cum tot homines innocentes necarit, cum ci ves Romanos morte, cruciatu, cruce affecerit, cum prae donum duces, accepta pecunia, dimiserit, quam eos, s qui istum tot, tantis, tam nefariis sceleribus cooper

10 tum iurati sententia sua liberarint? Non est, non es in hoc homine cuiquam peccandi locus, iudices: noi is est reus, non id tempus, non id consilium, (metu

§. 9. *damnari exped.*] Ut animus furiis agitatus quiesceret solut poena. V. Gronov. ad Tacit. Ann. XV, 68.

tamen ex] Pro *tamen* edd. princ. et codd. deteriores *eum*. Nau gerius primus sic edidit, ut post eum omnes, solo excepto Stephan qui in codice suo, quod miror, *eum* videtur invenisse. Nam ex Guelff et Leid. nihil a vulgata scriptura diversum enotavi.

contentus fuerit] Sic Steph. et Lamb. adstipulantibus Guelff. La gom. 29 Leid. Prisciano p. 1155. Vulgo *erit*, quod primum se resti tuisse putavit Ernestius, quamvis multa in praef. de Lambiniana edit dixisset. Sed recte Garatonius nihil quidem interesse censuit, utrun *fuerit* an *erit* legeretur: est enim haud dubie tempus futurum.

spoliarit, necarit] Codices vulgares (Lagom. VII, Oxoniens. Mei ningensis) et edd. veteres usque ad Hervagianam et Victorianam eius dem anni 1534 *spoliaret, necaret*. Etiam diutius mansit eorundem codd scriptura *liberarent*, nam sic adhuc P. Manutius. Correxisse videtu primus Stephanus.

§. 10. *in hoc homine*] Accessit *hoc* primum in Hervagiana et Vi ctoriana, abest ab antiquioribus codicibusque vulgaribus, Lagom. VII Oxon. Iidem et Huyd. Meining. et Lag. 42 mox *nec actor*. Corre xit Naugerius.

ne quid arrogantius apud tales viros videar dicere,) ne actor quidem est is, cui reus tam nocens, tam perditus, tam victus, aut occulte surripi, aut impune eripi possit. His ego iudicibus non probabo, C. Verrem contra leges pecuniam cepisse? sustinebunt tales viri, se tot senatoribus, tot equitibus, tot civitatibus, tot hominibus honestissimis ex tam illustri provincia, tot populorum privatorumque litteris non credidisse? tantae populi Romani voluntati restitisse? Sustineant.
Reperiemus, si istum vivum ad aliud iudicium per- 11
ducere poterimus, quibus probemus, istum in quaestura pecuniam publicam, Cn. Carboni consuli datam, avertisse, quibus persuadeamus, istum alieno nomine a quaestoribus urbanis, quod priore actione didicistis, pecuniam abstulisse. Erunt, qui et in eo quoque audaciam eius reprehendant, quod aliquot nominibus de capite, quantum commodum fuerit, frumenti decumani detraxerit. Erunt etiam fortasse iudices,

---

§. 10. *pecuniam cepisse*] Guelf. 1 *pecuniam contra leges cep.* alter cum Lag. 29 et 27 vulgari ordine, sed et ipsi *pecuniam*, cum vulgo sit *pecunias.* Lex appellatur *de pecuniis captis III*, 30, sed ad damnationem sufficit *pecunia.*

tot equitibus] Vulgo additur *Romanis*, sed abest ab utroque Guelf. et Leid. videturque in hac testium enumeratione recte abesse, cum etiam *senatores* nudi praecesserint.

§. 11. *ad aliud iudicium — poterimus*] Intellige peculatus. Olim ante Stephanum editum fuit *potuerimus*, quod extat in Lagom. VII Heyd. nec in oblivionem venit nisi negligentia repetitorum Lamb. Alioquin nulla causa fuit cur mutaretur; quin etiam Heinrichio acutissimo critico in commentario ad Cic. libros de rep. p. 204 unice probatur. Cf. Gramm. nostram §. 510. At futurum quod simplex dicimus pertinet ad *reperiemus*, alterum pertineret ad *probemus*, utrumque verum est, sed nostrum rei aptius.

et in eo quoque] Addatur hic locus unicus quidem quantum scio apud Cic., sed indubius, aliis perpaucis, quos Forcellinus in lex. v. *et* citavit, Nep. Agesil. 6. Liv. 41, 24 fin. Celsi in praef. ad fin. Columellae in extr. praef. libri 12. Dubium est, quod adhuc legitur in plerisque edd. Cic. Epist. V, 2 versus fin. *addam et illud etiam*, nam *et* abest a codd. nonnullis.

qui illum eius peculatum vel acerrime vindicandum pu-
tent, quod iste M. Marcelli et P. Africani monumenta,
quae nomine illorum, re vera populi Romani et erant
et habebantur, ex fanis religiosissimis et ex urbibus so-
ciorum atque amicorum non dubitaverit auferre. Emer-
12 serit ex peculatus etiam iudicio: meditetur de ducibus
hostium, quos accepta pecunia liberavit; videat, quid
de illis respondeat, quos in eorum locum subditos domi
suae reservavit; quaerat non solum, quemadmodum
nostro crimini, verum etiam quo pacto suae confes-
sioni possit mederi; meminerit, se priore actione, cla-
more populi Romani infesto atque inimico excitatum,
confessum esse, duces praedonum a se securi non esse
percussos, se iam tum esse veritum, ne sibi crimini
daretur, eos ab se pecunia liberatos; fateatur id, quod
negari non potest, se, privatum hominem, praedonum
duces vivos atque incolumes domi suae, posteaquam
Romam redierit, usque dum per me licuerit, retinuisse:
hoc in illo maiestatis iudicio si licuisse sibi ostende-
rit, ego oportuisse concedam. Ex hoc quoque eva-
serit: proficiscar eo, quo me iam pridem vocat popu-
13 lus Romanus: de iure enim libertatis et civitatis suum
putat esse iudicium, et ratione putat. Confringat iste

---

§. 11. *et ex urbibus]* Addidi *et* ex edit. Steph. Lamb. v. c. ad marg. rep. Leid. Lag. 29. Ex Guelff. nihil enotavi, sed meam esse culpam puto. Post *dubitarit* fort. scribendum ex iisdem illis codd. et Guelf. 2, in quo mendose *dubitant*, sed Guelf. 1 vulgatum videtur exhibere.

§. 12. *de ducibus hostium]* Duplex crimen est, unum quod veros illos archipiratas dimisit, alterum quod innocentes mercatores in eorum locum subditos domi suae retinuit, quos duces praedonum videri vellet. Sic Ferratius pluribus verbis, a quo tamen in eo dissentio, quod illos non mercatores fuisse puto, sed viles piratas. Cf. V, 30 extr.

praed. a se] Sic nostri codd. omnes praeter unum Lag. 42, quod quamquam asperius sonat, fides postulat ut restituatur. Cf. V, 29 init. *ideo se securi.* — *retinuisse* Steph. (Lamb.) ambo Guelf. ut V, 29 extr. Vulgo *tenuisse.*

§. 13. *et ratione putat]* Facere non potui, quin unius Guelf. ant.

sane vi sua consilia senatoria, quaestiones omnium perrumpat, evolet ex vestra severitate: mihi credite, artioribus apud populum Romanum laqueis tenebitur. Credet iis equitibus Romanis populus Romanus, qui ad vos ante producti testes, ipsis inspectantibus, ab isto civem Romanum, qui cognitores homines honestos daret, sublatam esse in crucem dixerunt. Cre- 14
dent omnes v et xxx tribus homini gravissimo atque ornatissimo M. Annio, qui, se praesente, civem Romanum securi percussum esse dixit. Audietur a populo Romano vir primarius, eques Romanus, L. Flavius, qui suum familiarem Herennium, negotiatorem ex Africa, cum Syracusis amplius centum cives Romani cognoscerent lacrimantesque defenderent, pro testimonio dixit securi esse percussum. Probabit fidem et auctoritatem et religionem suam L. Suetius, homo omnibus ornamentis praeditus, qui iuratus apud vos dixit, multos cives Romanos in lautumiis istius imperio crudelissime per vim morte esse multatos. Hanc ego causam cum agam beneficio populi Romani de loco superiore, non vereor, ne aut istum vis ulla ex populi Romani suffragiis eripere, aut a me ullum munus aedilitatis amplius aut gratius populo Romano esse possit.

---

scripturam omnibus litteris expressam *ratione* pro vulg. *recte* in textum reciperem. Habet enim haud dubie non levem veritatis notam. Cf. Goerenz. ad Cic. de Fin. I, 10 §. 32. Sic de Off. III, 13 §. 55 *domus aedificata ratione*, sed imprimis frequens videtur fuisse *ratione facere* vel *fieri*. Exemplis a Goer. allatis adde ad Att. XII, 44 *quod domi te inclusisti, ratione fecisti*. Cf. libr. III in Verr. c. 84.

ante producti] Vulgo *antea*, sed *ante* Guelff. et edit. Steph. (Lamb.) Sic c. 8 *ante damnatorum*, I, 42 *ante facta*. Et solent sic imperiti librarii corrumpere: vid. editores ad lib. III de Off. 28 extr. de nat. deor. I, 15 med. nos ad lib. III, 81. IV, 47 init.

§. 14. *cum Syracusis*] Delevi *cum*, quod in edd. post *cum* additur, quia non legitur in utroque Guelf. Leid. aliis, et facile subintelligi potest. — *L. Suetius*] Lamb. codicem vet. annotat praeferre *Suetonius*, at Guelf. 1 *Senectius*, ex altero nihil annotavi.

6 Quapropter omnes in hoc iudicio conentur omnia:
15 nihil est iam, quod in hac causa peccare quisquam, iudices, nisi vestro periculo, possit. Mea quidem ratio cum in praeteritis rebus est cognita, tum in reliquis explorata atque provisa est. Ego meum studium in rem publicam iam illo tempore ostendi, cum longo intervallo veterem consuetudinem rettuli, et rogatu sociorum atque amicorum populi Romani, meorum autem necessariorum, nomen hominis audacissimi detuli. Quod meum factum lectissimi viri atque ornatissimi, quo e numero e vobis complures fuerunt, ita probaverunt, ut ei, qui istius quaestor fuisset, et ab isto laesus inimicitias iustas persequeretur, non modo deferendi nominis, sed ne subscribendi quidem, cum id postularet,
16 facerent potestatem. In Siciliam sum inquirendi causa profectus: quo in negotio industriam meam celeritas reditionis, diligentiam multitudo litterarum et testium

---

§. 15. *quo e numero]* Sic Steph. editio et Lambinus e vet. cod. et uterque Guelferbytanus. Vulgata lectione *quo in numero* offensio repetitae praepositionis vitatur, sed ea ipsa causa videtur fuisse corrigendi. Tum *probaverunt* iidem codd. et alii Lagom. pro forma contracta, in quorum tenui discrimine alia regula nulla esse potest, nisi ut libros alioquin probatos fideliter sequamur. Ut nunc probatur Guelf. 1 cum Steph. editione consentiens, adde etiam cum lemmate Asconii et Lagom. 29, quod exhibet *fuerunt* pro eo, quod adhuc circumfertur, *fuere*. Nam quae exempla huius formae in *ere* pro *erunt* exeuntis leguntur in his orationibus, ea omnia e melioribus libris corrigenda sunt: *abiecere* lib. I, 22, *dixere* lib. III, 24, *caruere* V, 52. Etiam in aliis libris Ciceronianis ex auctoritate codicum mss. corrige *fuere* in Cat. I, 4 init. Phil. II, 23 extr. (ex Vatic. et Tegerns.) *cessere* de Off. I, 22, *reddidere* Epist. IX, 25 (ex omnibus codd. Benedicti). Neque committam ut aliquis forte me ad ipsum Ciceronem in Orat. 47 amandet, qui intelligere quidem se quid verius sit, sed consuetudini auribus indulgenti libenter obsequi dixerit. Dixerit sane, at hic quaeritur item, quid verum sit, id est quid secundum fidem librorum mss. scripsisse videatur. Restabit igitur etiamnunc *fuere* orat. in Pis. 40 et Epist. IX, 21, *suscepere* contr. Rull. I, 4, *successere* de legg. I, 2. — *inimicitias iustas]* In Divinatione negarat iustas esse, certe non idoneas, propter quas Praetorem suum Quaestor in iudicium vocaret. Servit igitur causae.

declaravit, pudorem vero ac religionem, quod, cum venissem senator ad socios populi Romani, qui in ea provincia quaestor fuissem, ad hospites meos ac necessarios causae communis defensor deverti potius, quam ad eos, qui a me auxilium petivissent. Nemini meus adventus labori aut sumptui, neque publice, neque privatim, fuit. Vim in inquirendo tantam habui, quantam mihi lex dabat: non quantam habere poteram illorum studio, quos iste vexarat. Romam ut ex Si- 17
cilia redii, cum iste atque istius amici, homines lauti et urbani, sermones huiusmodi dissipassent, quo ani-

§. 16. *deverti]* Sic Stephanus primus, additque Lambinus esse in libris mss. omnibus, at Guelf. 2 cum Leid. *diverti;* ex Lagom. doleo nihil esse enotatum. Verum praestat non movere Camarinam.

qui a me] Guelf. 1 omittit *a*, etiam Stephaniana editio codicem fideliter secuta. Nam mendum esse persuasum mihi est. Vide tamen Burmann. ad Ovidii Metam. VII, 295. Tum Guelf. 2 *ac sumptui* falso, mox ambo *in* ante *inquirendo* omittunt, et Leid. dicitur habere *in quaerendo.* Leid. saepe mendosus, nec Guelf. 2 errorum expers, sed et optimi in talibus rebus peccant, quae observatio non erit inutilis, si quando necesse sit corrigere.

illorum studio] Corrigendum putavi invitis libris quod vulgo est *istorum studio, quos iste vexarat.* Nam si Verres est *iste*, non possunt illi, qui ei opponuntur, et ipsi *isti* vocari. Commutari autem pronomina *ille* et *iste* a librariis quaevis fere pagina clamat. Cf. nos ad III, 68. IV, 27 extr.

§. 17. *urbani]* Nova haec est significatio huius verbi, qua viginti annis post non se magis uti, quam iuniores significat, 8 epist. ad Appium Pulchrum: *te hominem non solum sapientem, verum etiam, ut nunc loquimur, urbanum.* Neque alibi apud eum legitur. Cf. Quintil. Instit. VIII, 3, 34 et Vavassorem de vi et usu quorundam vocabulorum s. v. *Aether*, huius tamen loci immemores. Appellantur igitur homines frequenter in circulis conviviisque elegantibus versantes, et *conversatione*, ut cum Quintiliano VI, 3, 17 loquar, eruditi ad inveniendum quid in quaque re ridiculi speciem habeat, ut tunc Ciceronis minas accusatorias suo more interpretantes deridebant.

huiusmodi] Sic plerique omnes codd. utriusque familiae, (nisi quod Steph. et Guelf. 2 *eiusmodi)* vulgo *huiuscemodi*, quod fere soliti sunt imperitiores et librarii et editores simplici formae praeferre, videtur enim, quod dicunt, *fortius* esse, sed saepius est φορτικόν. Cf. ad IV, 3. 8. 16.

mos testium retardarent, me magna pecunia a vera accusatione esse deductum, tametsi probabatur nemini, quod et ex Sicilia testes erant ii, qui quaestorem me in provincia cognoverant, et hinc homines maxime illustres, qui, ut ipsi noti sunt, sic nostrum unumquemque optime norunt: tamen usque eo timui, ne quis de mea fide atque integritate dubitaret, donec ad re-
7 iiciendos iudices venimus. Sciebam in reiiciendis iudicibus nonnullos memoria nostra pactionis suspicionem non vitasse, cum in ipsa accusatione eorum in-
18 dustria ac diligentia probaretur. Ita reieci iudices, ut hoc constet, post hunc statum rei publicae, quo nunc utimur, simili splendore et dignitate consilium nullum fuisse. Quam iste laudem communem sibi ait esse mecum: qui cum P. Galbam iudicem reiecisset, M. Lucretium retinuit; et, cum eius patronus ex eo quaereret, cur suos familiarissimos, Sex. Paeduceum, Q. Considium, Q. Iunium reiici passus esset, respondit, quod eos in iudicando nimium sui iuris sententiaeque
19 cognosceret. Itaque iudicibus reiectis, sperabam, iam

---

§. 17. *ad reiiciendos]* Steph. et hic et paulo post Participium per *un* scripsit, et esse sic in vet. cod. notatur in marg. Lamb. Nostrorum Guelf. 2 *reiciundos*, etiam Lag. 29 et aliquot e deterioribus *un*, Guelf. ant. vulgarem formam tuetur.

in ipsa] Sic libri mss. fere omnes, et editi usque ad repetitam Lambinianam, in qua correctorum aut negligentia aut Latinitatis falsa opinione est *ipsa in*, quod Gruterus male propagavit. Cf. ad III, 91 extr.

§. 18. *sibi ait]* Vulgo *ait sibi*, sed in nostra lectione, e duobus Guelf. Lagom. 29, Steph. (Lamb.) editione ducta, pronominis positio imprimis mihi Ciceroniana videtur.

cognosceret] Quod Ernestius certa coniectura legendum censuit *cognosset*, id iam olim ediderat Lambinus, cum in Steph. edit. fuisset *cognoscet*. Hoc quidem haud dubie e cod. ms. ductum: sed utrum esse debeat *cognosset* an *cognosceret*, omissa nota, qua syllaba *er* solet exprimi, prorsus incertum. Nostri libri praeter Lag. 29, qui aperte *cognosset* traditur exhibere, omnes *cognosceret*, neque adducor ut corrigam, quoniam de illo tempore intelligi potest. Interrogaverat Hortensius: Cur passus es reiici? Respondit Verres: „*Audio* homines religio-

onus meum vobiscum esse commune; putabam non solum notis, sed etiam ignotis probatam meam fidem esse et diligentiam. Quod me non fefellit. Nam comitiis meis, cum iste infinita largitione contra me uteretur, populus Romanus iudicavit, istius pecuniam, quae apud me contra fidem meam nihil potuisset, apud se contra honorem meum nihil posse debere. Quo quidem die primum iudices citati in hunc reum consedistis, quis tam iniquus huic ordini fuit, quis tam novarum rerum, iudiciorum, iudicumque cupidus, qui non aspectu consessuque vestro commoveretur? Cum in eo vestra 20
dignitas mihi fructum diligentiae referret, id sum assecutus, ut una hora, qua coepi dicere, reo audaci, pecunioso, profuso, perdito spem iudicii corrumpendi praeciderem; ut primo die, testium tanto numero citato, populus Romanus iudicaret, isto absoluto rem publicam stare non posse; ut alter dies amicis istius ac defensoribus non modo spem victoriae, sed etiam voluntatem defensionis auferret; ut tertius dies sic hominem prosterneret, ut, morbo simulato, non, quid responderet, sed quemadmodum non responderet, deliberaret. Deinde reliquis diebus his criminibus, his testibus, et urbanis et provincialibus, sic obrutus atque oppressus est, ut his ludorum diebus interposi-

---

sos esse ac suum iudicium sequi solere." Potest etiam illud esse pro *audivi*, sed sic loquimur haud raro.

§. 19. *tam iniquus]* Sic edit. Stephaniana, et annotavit Lambinus in nonnullis libris mss. legi. In eorum numero sunt Guelff. et Lag. 29 a pr. manu. Vulgo *inimicus*, quorum verborum confusione nihil frequentius. Cf. ad II, 69 §. 167. Post pro vulg. *conspectu* item Guelff. et Lag. 29 cum Steph. *aspectu*, et iidem omnes cum Lambino *vestra dignitas mihi*, cum vulgo alio ordine verborum sit *vestra mihi dignitas*.

§. 20. *isto absoluto]* Correxi vulgatum *ipso*, sine libris, sed satis certa ratione. Nam confundi scribendo etiam illa pronomina nimium multi loci testantur, quos quaeras in indice.

tis, nemo istum comperendinatum, sed condemnatum iudicaret.

8 Quapropter ego, quod ad me attinet, iudices, vici:
21 non enim spolia C. Verris, sed existimationem populi Romani concupivi. Meum fuit cum causa accedere ad accusandum: quae causa fuit honestior, quam a tam illustri provincia defensorem constitui et deligi? rei publicae consulere: quid tandem rei publicae honestius, quam in tanta invidia iudiciorum adducere hominem, cuius damnatione totus ordo cum populo Romano et in laude et in gratia posset esse? ostendere ac persuadere, hominem nocentem adductum esse: quis est in populo Romano, qui hoc non ex priore actione abstulerit, omnium ante damnatorum scelera, furta, flagitia, si unum in locum conferantur, vix cum huius parva
22 parte aequari conferrique posse? Vos, quod ad vestram famam, existimationem, salutemque communem pertinet, iudices, prospicite atque consulite. Splendor vester facit, ut peccare sine summo rei publicae detri-

---

§. 21. *quae causa fuit honestior]* Vulgo *iustior*, quod primi ediderunt Hervag. et Vict. 1534: antea *illustrior*, sicut legitur in deterioris familiae libris. Meliores *honestior*, quod habet etiam Steph. non Lambinus. Omnino nullus auctor relinquitur scripturae *iustior*, nisi forte Lag. 42, ex quo nihil est enotatum. Et hoc quidem perspicuum est, sed quod sequitur vulgo *quid iam reip. honestius* multam mihi quidem offensionem habet. Nam *honestum* h. l. non aptum est, debebat *utilius*, *salutarius*, cum praecessisset *consulere reip.* At nihil mutant codices. Verum *iam* non est in melioribus: Steph. ediderat *quod tam*, codicem opinor secutus, sensum non curans. Guelf. 1 *quod tamen res publicas*, alter *quod tñ re p.* Lag. 29 *tam*. Itaque verum putavi *tandem*.

posset esse] Sic Ciceroniana Latinitas postulabat et fides bonorum codicum. Vulgo *possit*. — *abstulerit*, i. e. priore actione intellexerit, cognoverit. Locutio de vita communi petita, quod Comicorum loci probant in lex., sed similiter non semel Cicero. Ceterum Guelf. 1 *qui hoc ex priore act. non abstulerit*, translato Adverbio ad Verbum.

si unum in locum] Sic Lamb. in marg. rep. edit. codicem secutus, nam sic ambo Guelf. et Lag. 29. Vulgo *si in unum locum*.

mento ac periculo non possitis. Non enim potest sperare populus Romanus, esse alios in senatu, qui recte possint iudicare, vos si non potueritis. Necesse est, cum de toto ordine desperarit, aliud genus hominum atque aliam rationem iudiciorum requirat. Hoc si vobis ideo levius videtur, quod putatis onus esse grave et incommodum iudicare: intelligere debetis, primum interesse, utrum id onus vosmet ipsi reieceritis, an, quod probare populo Romano fidem vestram et religionem non potueritis, eo vobis iudicandi potestas erepta sit. Deinde etiam illud cogitate, quanto periculo venturi simus ad eos iudices, quos propter odium nostri populus Romanus de nobis voluerit iudicare. Ve- 23
rum vobis dicam, id quod intellexi, iudices: homines scitote esse quosdam, quos tantum odium nostri ordinis teneat, ut hoc palam iam dictitent, se istum, quem sciant esse hominem improbissimum, hoc uno nomine absolvi velle, ut ab senatu iudicia per ignominiam turpitudinemque auferantur. Haec me pluribus verbis, iudices, vobiscum agere coegit non timor

---

§. 22. *reieceritis]* Mirum in utroque Guelf. et Leid. et edit. Stephani esse *relegeritis*, quo quid faciam nescio, nisi error est libri unde hi descripti. Nam ne *relegare* quidem satis aptum videtur. Post Steph. *venturi sumus* mendose.

nostri — nobis] Sic omnino scribendum fuit vel de coniectura, cum praecessisset *venturi simus*, non *sitis*. Exhibent autem non solum meliores, sed etiam complures ex deteriore familia, et editt. Stephani et Lambini. Eadem prorsus res est in eo quod sequitur *nostri ordinis:* libenter enim Cicero, ubi potest, sese consortem periculi facit iudicibus.

§. 23. *pluribus verbis, iudices]* Hoc loco collocant appellationem iudicum codices meliores et edd. Steph. et Lambini. Sed iidem codd. cum edit. Stephaniana fideli codicis exemplari addunt *res* sic: *Haec me res plur. verbis Iudices.* Deteriores codices cum editt. princ. et ipsi verbum odiosum habent, sed sic fere: *Haec me res pluribus, Iudices, verbis;* primus Naugerius et *res* abiecit et *Iudices* post *verbis* amandavit. Iam velim peritior aliquis excogitet, si quid in hac scriptura insit bonae frugis.

meus de vestra fide, sed spes illorum nova, quae cum Verrem a porta subito ad iudicium retraxisset, nonnulli suspicati sunt, non sine causa illius consilium tam repente esse mutatum.

9 Nunc, ne novo querimoniae genere uti possit Hor-
24 tensius, et ea dicere, *opprimi reum, de quo nihil dicat accusator; nihil esse tam periculosum fortunis innocentium, quam tacere adversarios;* et ne aliter, quam ego velim, meum laudet ingenium, cum dicat, *me, si multa dixissem, sublevaturum fuisse eum, quem contra dicerem; quia non dixerim, perdidisse:* morem illi geram, utar oratione perpetua; non quoniam hoc sit necesse, verum ut experiar, utrum ille ferat mole-
25 stius, me tunc tacuisse, an nunc dicere. Hic tu fortasse eris diligens, ne quam ego horam de meis legitimis horis remittam; nisi omni tempore, quod mihi lege concessum est, abusus ero, querere, deum atque hominum fidem implorabis, circumveniri C. Verrem, quod accusator nolit tamdiu, quamdiu liceat, dicere. Quod mihi lex mea causa det, eo mihi non uti non

---

§. 24. *et ea dicere] Id*, *hoc*, *ita* sic fere abundant, non pluralis *ea*. Itaque Ernestius voluit *ita* scribi. Verumtamen causa nulla est, cur non, cum duo sequantur, possit etiam *ea* pro *id* dici. Certe libri tacent.

innocentium] Lagom. omnes praeter 29 et editiones principes usque ad Naugerium *innocentum*. Idem primus adiecit *me*, quod non est in codd. deterioris familiae, praeter Lag. 29, quem saepe vidimus medium tenere. Verbo indicabo *protinus*, quod Graevius ex cod. Franciano post *querere* adiecit, in nullo esse praeterea libro ms.

non quoniam] In margine repetitae Lambinianae alios *non quod*, utrum habere an velle? traditur. Non ego spreverim, insolens enim *quoniam* pro *quod* vel *quo*, sed tamen neque editum neque scriptum librum reperio, qui mutet. Madvigius in append. crit. disputationis de Asconio Havn. 1828. p. 39 coniecit scribendum esse *non quo iam*.

§. 25. *det]* Asconii lemma *dedit*, quod Ernestio probabatur, non mihi, quippe generaliter dictum. Ceterum *non* ante *uti* omisit Steph.

licebit? Nam accusandi mihi tempus mea causa datum est, ut possem oratione mea crimina causamque explicare: hoc si non utor, non tibi iniuriam facio, sed de meo iure aliquid et commodo detraho. *Causam enim,* inquit, *cognosci oportet.* Ea re quidem, quod aliter condemnari reus, quamvis sit nocens, non potest. Id igitur tu moleste tulisti, a me aliquid factum esse, quominus iste condemnari posset? Nam causa cognita multi possunt absolvi: incognita quidem condemnari nemo potest.

Adimo enim comperendinatum — quod habet lex 26
in se molestissimum, bis ut causa dicatur, quod aut mea causa potius est constitutum, quam tua, aut nihilo tua potius, quam mea. Nam si bis dicere est commodum, certe utriusque commune est; si eum, qui posterius dixit, opus est redargui, accusatoris causa,

---

ex codice hac in parte cum Guelf. 2 mendoso, nam patet *non uti* coniunctim idem esse, quod *omittere.*

§. 26. *quod habet]* Protinus adiungit adversariorum refutationem, dum comperendinatum dicit esse vel gravissimum reo. Cuius rationis in occupandis obiectionibus admodum usitatae parum memor Ernestius novam periodum ab his verbis incepit et pro altero *quod* scripsit *id.* Ceterum qui appellatur Asconius ex hoc ipso loco videtur hausisse, quod dicit in altera actione mutato ordine patronum rei ante accusatorem verba fecisse, quem hac ipsa oratione et Fonteiana docte redarguit Ferratius. Cicero enim callide agit, cum pro se dicit esse, quod neque ad reum pertinebat, neque tamen iniuria, quia semel falli potest iudex; si id iterum futurum sit, facilius admonitus cavebit.

tua potius] Guelf. 1 *potius tua.* Idem *si bis est dicere commodum,* et *qui dixit posterius,* et, aliquot interiectis versibus, Guelf 2 *utram ergo,* et antiquior *condemnari tarde,* mutato verborum ordine. Haec omnia vera an falsa videantur parum refert. Sed *legem molliorem* miror adhuc tam leniter latam esse. *Mollem* dici legem quorsum pertinet, nisi ad reprehensionem, et eam quidem, in quam omnino leges capitales nunquam incidere possunt: *lenem* dixeris vel *mitem,* sed *mollis* non erit, quae poenam haud dubie gravem constituit. Itaque recipiendam putavi utriusque Guelf. scripturam *meliorem,* (a quo ne Lag. 29 quidem multum abit, in quo est *moliorem.)* explicans commodiorem ad rei defensionem.

ut bis ageretur, constitutum est. Verum, ut opinor, Glaucia primus tulit, ut comperendinaretur reus; antea vel iudicari primo poterat, vel amplius pronuntiari. Utram igitur putas legem meliorem? opinor illam veterem, qua vel cito absolvi, vel tarde condemnari licebat. Ego tibi illam Aciliam legem restituo, qua lege multi semel accusati, semel dicta causa, semel auditis testibus, condemnati sunt, nequaquam tam manifestis, neque tantis criminibus, quantis tu convinceris. Puta te non hac tam atroci, sed illa lege mitissima causam dicere. Accusabo: respondebis: testibus editis, ita mittam in consilium, ut, etiamsi lex ampliandi faciat potestatem, tamen isti turpe sibi existiment non primo iudicare.

10 Verum, si causam cognosci opus est, parumne co-
27 gnita est? Dissimulamus, Hortensi, quod saepe experti in dicendo sumus. Quis nos magnopere attendit unquam, in hoc quidem genere causarum, ubi aliquid ereptum aut ablatum a quopiam dicitur? nonne aut in

---

§. 26. *Glaucia primus*] Est C. Servilius Glaucia in Praetura occisus a. 100 a. Chr., cuius legem repetundarum nuper e fragmentis disiectis compositam et illustratam edidit Klenzius Ictus doctissimus. Eam quidem Acilia aliquot annis recentiorem esse, cum olim negasset Hotomanus, nimirum imperitae Asconii explicationi confisus, probavit Ernestius in clave. Iam quod hoc loco Cicero dicit, se Hortensio veterem legem restituere, si uti illa velit, dictum est non vere sed declamatorie, unde etiam illud est, *puta te non hac atroci lege causam dicere.* Quasi satis sit putare aliquem. Postulatus autem Verres est lege Cornelia, quae, nisi quod ad iudices pertinet, translata de Servilia iure existimatur.

§. 27. *a quopiam*] Sic primus Naugerius, ante quem *quopiam* legebatur, ut est in codd. deterioribus, Oxon. et Mein. *cuipiam.* Dubium est *a quopiam* active an passive dictum sit, ego passive puto, nam solet Cicero fere *auferre* non *alicui*, sed *ab aliquo* dicere. Sic lib. I, 4 §. 11. c. 8 §. 23. c. 22 §. 59. lib. III c. 36 §. 83. c. 85 §. 197. IV, 17 bis. 21 §. 90. Item *eripere* quamquam paulo rarius: lib. III c. 38 init. c. 49 init. Cf. ad I, 41 §. 106. Eandem constructionem verbi *abiudicare* a criticis nostris, quibus id verbum in deliciis est, velim magis servari.

tabulis aut in testibus omnis expectatio iudicum est? Dixi prima actione, me planum esse facturum, C. Verrem HS quadringenties contra leges abstulisse. Quid? hoc planius egissem, si ita narrassem: Dio quidam fuit Halesinus, qui, cum eius filio, praetore Sacerdote, hereditas a propinquo permagna venisset, nihil habuit tum neque negotii, neque controversiae. Verres, simulac tetigit provinciam, statim Messana litteras dedit, Dionem evocavit, calumniatores ex sinu suo apposuit, qui illam hereditatem Veneri Erycinae commissam esse dicerent, hac de re ostendit se ipsum cogniturum. Possum deinceps totam rem explicare, deinde 28
ad extremum id, quod accidit, dicere, Dionem HS decies centena milia numerasse, ut causam certissimam

---

§. 27. *contra leges*] Vulgo *contra legem.* Pluralem praebuerunt Goelff. codd. et Lag. 29, eumque ipsius auctoris consuetudo postulat, vid. Act. I extr. lib. I, c. 4 *contra leges pecuniam cepisse.* Erant enim iam complures, ne id fieret, leges latae.

Sacerdote] Hotomanus e suo codice hominem praenomine *C.* auget, nec iniuria; appellatur enim sic longe saepissime: si modo ille cod. alicuius momenti in re critica esset. Nunc et illum video plerumque cum deterrimis facere, et sunt tamen satis multi loci, ubi *Sacerdos* solo nomine appellatur, v. c. lib. III c. 92 ter. Et tamen non negabo, Hotomanianam scripturam vel coniecturae laudem mereri.

habuit tum] Adiecit *tum* Car. Stephanus (Lamb.) quamquam extat iam prius in Ascensiana, estque illa particula minime otiosa in melioribus omnibus.

Messana] Nihil certius quam *Messana* de coniectura Hotomani et aliorum olim hominum doctorum scribendum esse pro vulg. *Messanam*, quamquam libri mss. omnes in addenda littera *m* conspirant. Postulat hoc res ipsa, quoniam nihil propius Italiae quam Messana, probat etiam repetita eiusdem rei narratio lib. II c. 7. Itaque non magnopere quaeram, quam vere Lallemandus Ablativum in duobus codd. Pariss. extare tradiderit, nisi quod singulare videri merito debet, hominem ex istis praestantissimis libris nunquam quicquam protulisse, quod non alii prius invenerint.

§. 28. HS *decies*] Non prorsus omittendum esse puto, contra usum prope constantem Adverbio numerali addi h. l. *centena milia*, cum vulgo HS *decies*, *vicies* cet. simpliciter dicantur. Attigi hoc olim in Gramm. L. L. §. 115. Apud poetas quidem praeeunte Horatio Serm. I, 3, 15 de magna pecunia usitatum est *decies centena.*

obtineret, praeterea greges equarum eius istum abigendos curasse, argenti vestisque stragulae quod fuerit, curasse auferendum. Haec neque cum ego dicerem, neque cum tu negares, magni momenti nostra esset oratio. Quo tempore igitur aures iudex erigeret animumque attenderet? Cum Dio ipse prodiret, cum ceteri, qui tum in Sicilia negotiis Dionis interfuissent; cum per eos ipsos dies, per quos causam Dio diceret, reperiretur pecunias sumpsisse mutuas, nomina sua exegisse, praedia vendidisse; cum tabulae virorum bonorum proferrentur; cum, qui pecuniam Dioni dederunt, dicerent se iam tum audisse, eos nummos sumi, ut Verri darentur; cum amici, hospites, patroni Dionis, homines honestissimi, haec eadem se audisse dicerent.

29 Opinor, cum haec fierent, tum vos audiretis, sicut audistis; tum causa agi vere videretur. Sic a me sunt acta omnia priore actione, ut in criminibus omnibus nullum esset, in quo quisquam vestrum perpetuam accusationem requireret. Nego esse quicquam a testibus dictum, quod aut vestrum cuipiam esset obscurum,

---

§. 28. *vestisque*] A Stephaniana et Lambiniana edit. abest *que*, item a cod. Guelf. 1. Illae editiones postea *fuerat* pro *fuerit*. Tum *esset nostra* Guelf. 1.

eos nummos sumi] Sic et olim vulgatum est et restituit Steph. (Lamb.). Naugerius primus *eo* edidit, fortasse de coniectura, nam nostrorum codicum unus videtur habere Lag. 29, certe sententia non requirit. Quamquam *eo* nonnunquam apud Ciceronem pro *ideo* (non pro *inde*, quemadmodum Goerenzius scribit ad Acad. II, 17 extr.) sequente vel *ut* vel *quod* ponitur, sicut supra §. 22 et infra §. 37; item V, 30 §. 77, et 31 extr.

§. 29. *agi vere*] Sic Steph. (Lamb.) Lag. 29 ambo Guelf. alii. Vulgo abest *vere*. — *in crim. omnibus*] Omittunt *omnibus* Steph. edit. Leid. Guelf. ant. sed desideres tamen. Post *requireret* non nititur nisi melioris familiae codicum auctoritate, deteriores omnes et edd. vett. habent *requirat*.

aut vestrum cuipiam] Olim facile conieceram legendum *cuiquam*, nunc subdubito, quoniam lib. III, 31 §. 74 *nunquam Agyrinenses contra quemquam infimum civem Rom. dixisse aut fecisse quippiam*, sine ulla varietate codd. legitur.

aut cuiusquam oratoris eloquentiam quaereret. Etenim 11
sic me ipsum egisse memoria tenetis, ut in testibus interrogandis omnia crimina proponerem et explicarem, ut, cum rem totam in medio posuissem, tum denique testem interrogarem. Itaque non modo vos, quibus est iudicandum, nostra crimina tenetis, sed etiam populus Romanus totam accusationem causamque cognovit.

Tametsi ita de meo facto loquor, quasi ego illud mea voluntate potius, quam vestra iniuria adductus fecerim. Interposuistis accusatorem, qui, cum ego mihi 30
c et x dies solos in Siciliam postulassem, c et viii sibi in Achaiam postularet: menses mihi tres cum eripuissetis ad agendum maxime appositos, reliquum omne tempus huius anni me vobis remissurum putastis, ut, cum horis nostris nos essemus usi, tu, binis ludis interpositis, quadragesimo post die responderes, deinde ita tempus duceretur, ut a M'. Glabrione praetore et a magna parte horum iudicum ad praetorem alium iudicesque alios veniremus. Hoc si ego non vidissem, 31
si me non omnes noti ignotique monuissent, id agi, id cogitari, in eo elaborari, ut res in illud tempus reiiceretur: credo, si meis horis in accusando uti voluissem, vererer, ne mihi crimina non suppeterent; ne

---

§. 29. *in medio posuissem]* Vulgo *proposuissem*, sed nostrum edit. Steph. (Lamb.) et Lag. 29 et Guelff. exhibent, quod placuit et auctoritatis causa librorum, et ne idem verbum nimis prope rediret, et quod *in medio proponere* alibi apud Ciceronem non legitur, *in medio ponere* usitatum est. Nam legitur in Verr. lib. V, 61 §. 159, de orat. I, 3 §. 12, de nat. deor. 1, 6 init. — *accusationem]* Guelf. 1 *actionem*. Idem non *C et X*, sed *C et XXti*. Aliquot versibus post pro *tu* Guelff. et edit. Steph. *tum*.

§. 31. *Hoc si ego]* Naugerius et insecuti editores ediderunt *Haec*, Steph. *hoc* restituit e melioribus libris mss., quod et ab initio in editis fuerat, et in magna parte etiam deterioris familiae codd. est.

in eo elabor.] Vulgo *laborari*, id esset in angustiis versari, quod nondum verum est. Itaque praefero nunc scripturam Steph. Leid. Guelff. quae ad effectum rei pertinet. Cf. ad I, 1. IV, 38. V, 61. Lag. 29 *id ela orari*, Lag. 42 *id laborari*.

oratio deesset; ne vox viresque deficerent; ne, quem nemo prima actione defendere ausus esset, eum ego bis accusare non possem. Ego meum consilium cum iudicibus, tum populo Romano probavi; nemo est, qui alia ratione istorum iniuriae atque impudentiae potuisse obsisti arbitretur. Etenim qua stultitia fuissem, si, quam diem, qui istum eripiendum redemerunt, in cautione viderunt, cum ita caverent, si post Calendas Ian. in consilium iretur, in eam diem ego, cum potuissem vitare, incidissem?

32 Nunc mihi temporis eius, quod mihi ad dicendum datur, quoniam in animo est causam omnem exponere, habenda ratio est diligenter. Itaque primum illum
12 actum istius vitae turpissimum et flagitiosissimum praetermittam. Nihil a me de pueritiae suae flagitiis audiet, nihil ex illa impura adolescentia sua, quae qualis fuerit, aut meministis, aut ex eo, quem sui simillimum produxit, recognoscere potestis. Omnia

---

§. 31. *cum iudicibus]* Sic Steph. (Lamb.) et legitur in Guelf. 2, quamquam ab eo *tum*, quod sequitur, abest. Initio capitis dixerat *non modo vos, quibus est iudicandum, sed etiam populus Rom.* cui dicendi rationi adverbia *cum — tum* magis quam *tum — tum* respondent. Fateor quidem non semper ea αὐξήσει opus esse: at delectatur tamen Cicero intendendis oppositis.

§. 32. *flagitiis]* Additur vulgo *peccatisque*, minus maiori. Omisit autem Steph. et Lambinus, quin etiam repetitorum Lambinianorum negligentia deceptus Gruterus. Sed fecisse illos auctoritate librorum suorum, nunc docent Leid. et Guelff. Statim *de illa imp. adolescentia*, quod in marg. repet. Lamb. tamquam ipsius Lambini lectio laudatur, in nullo cod. ms. est.

ex eo] Asconii lemma *ex isto*, sed nullus codex Ciceronianus: recepit tamen Lambinus, nimirum quia Hotomanus probaverat.

produxit] filium intellige, tamquam deprecatorem patris periculi adductum in iudicium. Nam etsi fere *testes* produci dicuntur, tamen verbum latius patet, et apud Quintil. XI, 3, 174 hoc ipsum legimus in peroratione fieri solere, ut *pueri attollantur, propinqui producantur, vestes lanientur.* Hoc ne quis forte praeter rem commemoratum putet, lexica inspiciat, in quibus fere hic locus ita explitur, ut producere pro *procreare* dictum velint. Illa vero significatio poetica est, a Cicerone aliena.

praeteribo, quae mihi turpia dictu videbuntur, neque solum, quid istum audire, verum etiam, quid me deceat dicere, considerabo. Vos, quaeso, date hoc et concedite pudori meo, ut aliquam partem de istius impudentia reticere possim. Omne illud tempus, quod 33
fuit, antequam iste ad magistratus remque publicam accessit, habeat per me solutum ac liberum. Sileatur de nocturnis eius bacchationibus ac vigiliis; lenonum, aleatorum, perductorum nulla mentio fiat; damna, dedecora, quae res patris eius, aetas ipsius pertulit, praetereantur; lucretur indicia veteris infamiae; patiatur eius vita reliqua, me hanc tantam iacturam criminum facere. Quaestor Cn. Papirio consule fuisti abhinc an- 34
nos quattuordecim: ex ea die ad hanc diem quae fe-

---

§. 33. *perductorum*] Asconius ad h. l. „*Lenones* sunt scortorum, *perductores* etiam invitarum personarum et in quibus stupra exercita legibus vindicantur." Satis igitur perspicuum, esse illos pravae libidinis adiutores, qui a nostratibus *Kuppler* vocantur. De Verre adolescente cf. V, 13 §. 33, estque idem crimen obscenum, quod in C. Antonium Phil. II, 18 Cicero iacit: *Sumpsisti virilem togam, quam statim muliebrem stolam reddidisti.* — *lucretur indicia*, i. e. condonabo ei, dum non commemoro et persequor.

patiatur] Volebam et ipse aliquando corrigere *patitur* vel *patietur*, cuiusmodi aliquid Schützius coniecisse videtur, nam eius annotatio a typographis male descripta est: verum nunc non opus videtur et aliquid concinnitati orationis datum intelligo.

§. 34. *Cn. Papirio consule*] Vulgo *consuli*, quod et Asconius tradit in aliis exemplaribus legi, dum ipse tamen *consule* explicat de tempore. Hinc vide quantum auctoritatis merito tribuas Guelf. ant., in quo expressis litteris *consule* legatur. Verum esse hoc inde intelligitur, quod cui Verres Quaestor fuerit mox Cicero pluribus verbis nec quasi repetens dicit, cum hoc quidem loco de temporis tantum termino, unde crimina sua repetiturus sit, dicat. Quod vero annus ab uno Consule appellatur, eam habet causam, quod, cum alter Consul Cinna ineunte anno, certe aliquanto ante medium et solstitium aestivum, occisus esset, (vide Appianum de bell. civil. I, 78,) *Carbo, nullo suffecto collega solus toto anno Cos. fuit.* Verba sunt Velleii lib. II c. 24.

annos quattuordecim] Servata communi Rom. numerandi ratione debebat *quindecim* dicere, siquidem Consules illi fuerunt L. Cornelius Cinna quartum, Cn. Carbo iterum a. 84, haec autem oratio habita a. 70.

cisti, in iudicium voco. Hora nulla vacua a furto, scelere, crudelitate, flagitio reperietur. Hi sunt anni consumpti in quaestura, et legatione Asiatica, et praetura urbana, et praetura Siciliensi. Quare haec eadem erit quadripartita distributio totius accusationis meae.

13 Quaestor ex senatusconsulto provinciam sortitus es: obtigit tibi consularis, ut cum consule Cn. Carbone esses, eamque provinciam obtineres. Erat tum dissensio civium; de qua nihil sum dicturus quid sentire debueris: unum hoc dico, in eiusmodi tempore ac sorte statuere te debuisse, utrum malles sentire atque defendere. Carbo graviter ferebat, sibi quaestorem obtigisse hominem singulari luxuria atque inertia; verumtamen ornabat eum beneficiis officiisque omnibus.

Sed hic ipse annus criminum, quae quidem in iudicium vocentur, expers est. Itaque *ad hanc diem* minus accurate intelligendum.

a furto, scelere] Edd. vett. usque ad Steph. (excepta tamen Hervagiana 1534) *a scelere*, quod et est in codd. deterioribus, Lagom. quidem praeter 42 omnibus. Gruterum, vulgaris lectionis vindicem, fefellit saepe mihi memorata repetitae Lamb. negligentia.

quadripartita distributio] Sic *divisio bipartita* apud Varr. de L. L. V (IV) 3, *tripartita* apud Cic. de Off. III, 2 legitur.

beneficiis officiisque omnibus] Verba *officiisque* primum eodem anno simul e codd. mss. prolata ab Hervag. et Victor. insequentibus editoribus omnibus suo loco non indigna habita sunt, donec Ernestius delevit, quod in edd. principibus, quibus nihil non tribuit, ea non invenisset. Nam quod addit: „nec habent id verbum msti meliores, ut Erf. Dr." nondum mihi intelligere contigit, quos codices dixerit, multo minus cur eos *meliores* appellarit. Nam Erfurtensis certe in hac orationum Verrinarum parte nullus est, nec libri Dresdensis alibi in annotationibus mentionem factam video. Repetivit tamen bona fide ista ab Ernestio temere posita Beckius, quamquam in praefatione consarcinanda, ubi de codicibus harum oratt. dicit, nihil attulit. Ceterum Lambinus et ipse verba, de quibus dicimus, omisit, nullam aliam ob causam, noli quaerere, nisi quod Hotomanus librorum veterum omnium (i. e. impressorum) lectionem *beneficiis omnibus* se probare scripserat: nam omissa verba *officiisque* recte leguntur in edit. Steph. duobus Guelf. Lag 29. desunt autem in Huyd. et Mein. et septem deterioribus Lagom. cum cod. 42. *Officia* autem etiam in eum, qui dignitate minor sit, posse conferri docet Garaton. collatis l. [illegible] XIII Epist. 9 et 24.

Ne diutius teneam: pecunia attributa, numerata est: profectus est quaestor in provinciam: venit expectatus in Galliam ad exercitum consularem cum pecunia: simulac primum ei occasio visa est, (cognoscite hominis principium magistratuum gerendorum et rei publicae administrandae,) aversa pecunia publica, quaestor consulem, exercitum, sortem, provinciamque deseruit. Video 35
quid egerim: erigit se: sperat, sibi auram posse aliquam afflare in hoc crimine voluntatis dissensionisque eorum,

---

§. 34. *Ne diutius teneam]* *Vos teneam* temere edidit Lamb. uti capite 11 *ne me vox viresque deficerent.*

expectatus in Galliam] Hoc verbb. ordine Steph. (Lamb.) et Guelf. uterque. Vulgo *in Gall. exp.* Deinceps secundum unum Guelf. antiquiorem in textus descriptione verba *quaestor consulem* omiseram, et *que* abieceram, defectum coniunctionis non parum ad hanc membratim dicendi formam pertinere ratus. Videbatur etiam *quaestor* interpretandi causa adiectus esse, ut *sors* explicaretur, quod verbum cum a vett. editionibus et codd. deterioris familiae abesset, primus adiecit Stephanus. Nunc lectoribus permittendum videtur, qui figuram συναθροισμὸν agnoscent, vid. Quintil. VIII, 4, 26. Quod ad historiam pertinet, *simulac primum occasio ei visa est* oratorie explicandum, nam haud dubie Verres non antequam Sulla in Italiam cum exercitu redisset, Carbonem deseruit, id quod inseq. anno 83 factum est, quo Cn. Carbo provinciam Proconsul obtinuit.

§. 35. *voluntatis dissensionisque]* Quod vulgo nunc post P. Manutium editur *assensionisque*, non nititur nisi lemmate Asconii, incerta prorsus auctoritate. Neque *assensio* locum habet, nisi quis ante quippiam contenderit. Sed Ernestium et Garatonium in eo puto errasse, quod *voluntatem* ad Verrem referentes, cui illi Sullani faverent, similiter *assensionem* quoque dici opinabantur. Mihi quidem et *voluntas* simpliciter dictum videtur, quod quis de re publica sentiat, et *dissensio* referri ad civium partes diversas. Itaque verterim „Meinung und verschiedene Ansicht." Hac igitur Verres se sperat adiutum iri. Sed mendum in illis verbis inest: *sperat sibi auram posse afflari.* Nam *aura* sive *ventus* (siquidem *ventum popularem* similiter dicit Cicero p. Cluentio c. 47) non *afflatur* sed *afflat;* potest aliquis afflari aurā, quoniam ventus non modo *alicui*, sed etiam *aliquem* afflare dicitur, quin etiam poetica licentia aliqua res potest afflari alicui, v. g. amor et pulchritudo Veneris quasi halitu, sed *aura* cum sit illud, quod afferat aliquid v. c. opem et auxilium, ipsa certe non potest alicui afflari, id est afferri sive dari. Itaque scribendum est aut *sperat se aura posse afflari,* aut *sibi auram posse afflare,* intransitive, ut dicimus,

quibus Cn. Carbonis mortui nomen odio sit: quibus illam relictionem proditionemque consulis sui gratam sperat fore. Quasi vero id cupiditate defendendae nobilitatis aut studio partium fecerit, ac non apertissime consulem, exercitum, provinciamque compilarit, et propter impudentissimum furtum aufugerit. Est enim obscurum et eiusmodi factum eius, ut possit aliquis suspicari, C. Verrem, quod ferre novos homines non potuerit, ad nobilitatem, hoc est ad suos, transisse, nihil fecisse
36 propter pecuniam. Videamus, rationes quemadmodum rettulerit. Iam ipse ostendet, quamobrem Cn. Carbo-
14 nem reliquerit: iam se ipse indicabit. Primum brevitatem cognoscite. *Accepi,* inquit, *vicies ducenta triginta quinque milia quadringentos X et septem num-*

---

quae optimis scriptoribus frequentissima constructio est. Sic igitur feci leni mutatione. Nam confusione illarum terminationum nihil in libris manuscriptis frequentius. Vide ad V, 18 §. 46; 40 §. 103: et cf. III, 3.

mortui] Interfecti potius iussu Cn. Pompeii Lilybaei. Cf. Cic. Epist. IV, 21. — *relictionem]* Codices mss. omnes et editi usque ad Victor. *reiectionem.* Mendum est vulgare, cf. ad §. 22 et ad I, 55 §. 145, III, 55 §. 127 et App. IV §. 72. Sed Stephanus tamen pro religione sua edidit.

ferre novos homines] Olim vulgati et VII Lagom. Huyd. Mein. deteriorum deterrimi *terrere novos homines. Ferre* primum ediderunt simul Victor. et Hervag. Extremo cap. *iudicabit* Lagom. omnes.

§. 36. In numeris acceptae et expensae pecuniae multa confusio librorum mss. est, sed nulla tamen causa cur Lambinus glorietur se restituisse, quod dudum ante ipsum in Cratandr. 1528 factum est. Nimirum cum librorum consensu constet DC milia reliqua facta esse, et expensa esse *vicies CC milia*, in reliquis utrum XXXV an XXXXV mil. et utrum X et VII an X et VI nummi sint, perinde est, modo pariter utroque loco. Omnes autem libri mss. quarum scripturis utimur, in eo mendosi sunt, quod in pecunia expensa *quingenta* milia habent pro *sexcentis*, quae ratio postulat; et quod priore loco *XXXV* sive *XXXV* milia omittunt. Guelf. 1 omisis mediis *vicies ducenta quinque milia quadringentos decem sex nummos reliqui arimini sexcenta milia:* alter expensam sic claudit *quadraginta milia quinque quadringentos decem sex nummos.* Videtur igitur *quadraginta* recipiendum, *decem sex* num alibi dicatur ignoro. Aliud restat ut diiudicemus, ferendumne sit in expensa HS *mille — milia*, pro quo nonnulli, in primis I. Fr. Gronovius, scribi iusserunt *de-*

mos: dedi stipendio, frumento, legatis, pro quaestore, cohorti praetoriae, HS *mille sexcenta triginta quinque milia quadringentos X et septem nummos: reliqui Arimini* HS *sexcenta milia.* Hoc est rationes referre? hoc modo aut ego, aut tu, Hortensi, aut quisquam omnium rettulit? Quid hoc est? quae impudentia? quae audacia? quod exemplum ex tot hominum rationibus relatis huiuscemodi est? Illa tamen HS sexcenta milia, quae ne falso quidem potuit, quibus data essent, describere, quae se Arimini scribit reliquisse, quae ipsa HS sexcenta milia reliqua facta sunt, neque Carbo attigit, neque Sulla vidit, neque in aerarium relata sunt. Oppidum sibi elegit Ariminum, quod

---

cies. Agnosco rationem, sed vulgatam scripturam nostrorum negotiatorum consuetudine defendo, qui, priusquam alterum mille conficiatur, per centenarium numerum progredi soleant.

pro quaestore] Sic Asconius in lemmate, additque: *Id est pro officio quaestorio: significat autem quaestoris annonas.* Inde cum vulgo esset *proquaestoribus* (Guelf. 2 divisis verbis), recipiendum censuerunt Lamb. et Garatonius: neque enim de pluribus Quaestoribus vel unius vicariis quicquam audiri, aptamque esse verborum circuitionem ne *mihi* scriberet.

quisquam omnium] Cratandrinae corrector, qui antea numeros bene restituisset, hic peccavit, quod contra librorum omnium auctoritatem *hominum* edidit, idque vitium cum Steph. (Lamb.) sustulisset, fraude repet. Lamb. adhuc haeret. Solet sic Cicero, v. c. II, 48 §. 119, aut addit *mortalium: quisquam omnium mortalium.* Guelf. 2 Leid. tamen *quispiam.*

relatis huiuscemodi] *Relictis*, quod in edd. princ. ex deterrimis est (VII Lag.), correxit mature Naugerius, sed *huiuscemodi* δεικτικῶς in optimis solis, utroque Guelf. Steph. unde accepit Lamb., tacentibus repetitoribus. Non premendum tamen, in Guelf. 1 esse *rationibus redditis.*

ne falso quidem primus P. Manutius: superiores ex codd. deterioribus, Oxon. Huyd. Lagomarsinianis omnibus, etiam Lag. 29 et Leidensi, *neque falso quidem.* Non debet inutilis esse haec nota ad similes locos alios.

describere, i. e. variis nominibus dividere, his vel illis expensum referre. Levissimum est, quod Ursinus e cod. suo protulit commendavitque, *perscribere.*

tum, cum iste rationes referebat, oppressum direptumque erat: non suspicabatur, id quod nunc sentiet, satis multos ex illa calamitate Ariminensium testes nobis in
37 hanc rem reliquos esse. Recita denuo. P. LENTULO, L. TRIARIO QUAESTORIBUS URBANIS. RES RATIONUM RELATARUM. Recita. *Ex s. c.* Ut hoc pacto rationem referre liceret, eo Sullanus repente factus est, non ut honos et dignitas nobilitati restitueretur.

---

tum cum] *Tum* primus adiecit Victorius et abest a Lag. VII et 42. Huyd. Factum hoc est triennio post M. Tullio, Cn. Dolabella Coss. ante Chr. 81. composita per Sullam dictatorem re publica. Et Ariminum quidem in numero municipiorum fuisse, quibus bello captis Sulla agros ademerit, civitatem adimere cum voluerit nequiverit, effici videtur orat. de domo c. 30 p. Caec. 35.

§. 37. *Quaestoribus urbanis*] Mazochius in comm. ad tabulas Heracl. p. 343, quod in illis invenisset, mentionem fieri *Quaestoris urbani* eiusve qui aerario praefuturus esset, negavit, recte ambos urbanos dici et utrique curam aerarii adscribi, quoniam urbanum tantummodo exactionibus fiscalibus praefuisse vult. In qua re ille quidem calidius pronuntiavit, ut hic ipse locus docet. Sed verum hucusque videtur esse, quod alter accepti tabulas, alter expensi cum ipsius aerarii cura coniunctos confecerit, in re quidem rationum relatarum uterque concurrerit. Et *P. Lentulum Suram* exactionibus praefuisse, maximis illo tempore propter divendita proscriptorum bona, fidem facit Plutarchus, qui in vita Cic. c. 17 magnam pecuniam publicam ab eo perditam et amissam tradit, quapropter cum a Sulla graviter corriperetur, pueriliter deprecatum. L. autem Triarius ille est, qui postea L. Lucullo legatus bello Mithridatico et legionem, cui praeerat, et vitam ipse amisit (p. leg. Man. 9), pater C. Triarii, excellentissimo ingenio praediti (Brut. 76.)

Quae sequuntur *Res rationum relatarum* iure inscriptionem codicis esse putant, neque Hotomanum quisquam audiet, qui cum nesciret, quid verbo *res* faceret, *Verris rationum relatarum* scribendum censuit, et certum sibi socium traxit Lambinum. Periphrasis est, cuius exempla laudat Vossius in libro de construct. c. 7 Phaedri IV, 7, 4 et aptius Plauti Amphitr. II, 2, 1 *Satin' parva res est voluptatum in vita praequam quod molestum est.* Iam *Ex S. C.* initium videtur esse capitis eius, quod ad ipsum Verrem pertinebat. Cf. ad V, 21, 54. Guelf. 1 autem *R ex 6 u'*, unde factum in Leid. *Romae* ex nota male intellecta.

Quodsi illinc inanis profugisses, tamen ista tua fuga nefaria, proditio consulis tui conscelerata iudicaretur. Malus civis, improbus consul, seditiosus homo Cn. Carbo fuit. Fuerit aliis: tibi quando esse coepit? Posteaquam tibi pecuniam, rem frumentariam, rationes omnes suas exercitumque commisit. Nam si tibi antea displicuisset, idem fecisses, quod anno post M. Piso. Quaestor cum L. Scipioni consuli obtigisset, non attigit pecuniam, non ad exercitum profectus est; quod de re publica sensit, ita sensit, ut nec fidem suam, nec morem maiorum, nec necessitudinem sortis laederet. Etenim si haec perturbare omnia et permiscere 15
volumus, totam vitam periculosam, insidiosam, infe- 38
stamque reddemus; si nullam religionem sors habebit, nullam societatem coniunctio secundae dubiaeque for-

---

§. 37. *conscelerata*] Delectatur hoc verbo Cicero, ubi res fortius exprimenda est. Edidimus autem sic pro vulg. *scelerata* ex Guelff. Leid. Lag. 29 Stephaniana et Lambini v. c. in marg. rep.

L. Scipioni] Edd. vett. usque ad annum 1534 et codicum deterior familia (excipio Lag. 29) *L. Pisoni.* Res aperta est, sed diversitatem librorum agnoscas *M.* autem *Pisonis* laudandi opportunitate cupide utitur Cicero, quod et adolescens illum quasi rectorem studiorum (cf. Asconium ad orat. in L. Pisonem c. 26) et postea iucundissimum amicum Athenis (cf. lib. V de Fin. init.) habuerat, et hoc ipso tempore multus de eo sermo hominum videtur fuisse, quippe qui inseq. anno ex Hispania triumphum egerit praetorius. Hoc illustri dignitatis initio M. Piso tamen post Ciceronem aetate longe minorem remansit, neque Consul factus est nisi biennio post illum a. 61.

§. 38. *et permiscere*] *Ac perm.* Steph. (Lamb.) edidit et habet Guelf. 2. — *insidiosam*] Hanc cum Graevio recepi Lambini emendationem a plerisque probatam, nam quod in libris mss. omnibus legitur *invidiosam,* non congruit sententiae. Esset enim *vita invidiosa* haud dubie cui invideretur, id est quae aliquo aut bono aut malo hominum animos offenderet, sed h. l. vita esse debet, quae alterius culpa, nullis in ea re suis partibus, petitur. Quod autem ab edd. P. Manutii et C. Stephani verbum hoc abest, id ad casum potius quam ad rationem rettulerim, neque enim ulla iusta causa est cur omittatur.

societatem coniunctio] i. e. si, qui munere publico quasi coniugati sunt, eam coniunctionem, cum externa sit, ad animum pertinere

tunae, nullam auctoritatem mores atque instituta maiorum. Omnium est communis inimicus, qui fuit hostis suorum. Nemo unquam sapiens proditori credendum putavit. Ipse Sulla, cui adventus istius gratissimus esse debuit, ab se hominem atque ab exercitu suo removit: Beneventi esse iussit apud eos, quos suis partibus amicissimos esse intelligebat, ubi iste summae rei causaeque nocere nihil posset. Ei postea praemia tamen liberaliter tribuit: bona quaedam proscriptorum in agro Beneventano diripienda concessit: habuit ho-
39 norem ut proditori, non ut amico fidem. Nunc, quamvis sint homines, qui mortuum Cn. Carbonem oderint: tamen hi debent, non, quid illi accidere voluerint, sed quid ipsis in tali re metuendum sit, cogitare. Commune est hoc malum, communis metus, commune periculum. Nullae sunt occultiores insidiae, quam eae, quae latent in simulatione officii, aut in aliquo necessitudinis nomine. Nam eum, qui palam est adversarius, facile cavendo vitare possis: hoc vero occultum,

---

non putabunt, ut discidium quoddam animi et corporis in his vitae communis negotiis inducere videantur. Sic *sors* tamquam externa opponitur *religioni*. Quam vim oppositorum cum parum intelligerent, plerique recentiores interpretes I. Fr. Gronovii coniecturam *sanctitatem* cupide amplexi sunt. Cogitaverunt enim de *sancta societate* Ennii apud Ciceronem lib. I de Off. 8. Sed ne sic quidem *sanctitas* ipsa dicitur, quae vel ad iura mortuorum pertinet vel animi integritatem viventium significat.

Nemo unquam] Guelf. 1 *neque unquam*. Post idem *nihil nocere posset*, ceteri *nocere nihil*.

habuit honorem] Cave simpliciter ad verbum intelligas. *Honos* mercedis (quamquam aliquantum honestioris) significationem habet, quae pro opera praestita solvitur. Sic p. Rosc. Am. 37 *nonne satis fuit his gratias agi, denique, ut perliberaliter ageretur, honoris aliquid haberi?* et ad Tironem Epist. (XV) 9 *Curio misi, ut medico honos haberetur.*

§. 39. *Nam eum, qui*] Lag. 29 *nam qui*, Guelf. 2 *nam cum* sine *qui*.

intestinum ac domesticum malum, non modo existit, verum etiam opprimit, antequam prospicere atque explorare potueris. Itane vero? tu, cum quaestor ad ex- 40
ercitum missus sis, custos non solum pecuniae, sed etiam consulis, particeps omnium rerum consiliorumque fueris, habitus sis in liberum loco, sicut mos maiorum ferebat, repente relinquas? deseras? ad adver-

---

§. 39. *non modo non existit*] Sic omnes libri, sed equidem multo praestare censuerim, si alterum *non* deleatur. Quid enim? *Non existere* si coniungas, nihil aliud est nisi *latere*. Quae haec autem constructio: *hoc malum occultum non modo latet, verum etiam opprimit?* Quanto melius, si cum extremis *antequam prospicere possis* etiam hoc primum coniunxeris: non modo existit, antequam prospicias, verum etiam opprimit, antequam cavere possis? Nihil puto manifestius esse. Si quis autem audax hoc facinus putaverit, negationem delere vel addere, quo facile tota sententia pervertatur, is, quamvis singulare videatur, tamen velim sibi persuadeat, nihil in libris scriptis esse frequentius quam addi aut omitti illam negandi particulam adversante sententia. Conferat Spaldingium ad Quintil. IV, 2, 29 et quos ille laudat; Cic. orat. c. 3 init. ubi nuper lis, quam compositam putabamus, utrum *cadunt* an *non cadunt* legendum esset, renovata est; circumspiciat etiam codicum in his ipsis orationibus varietates ad Div. c. 9 §. 31, ad lib. I, 9 §. 25. 18 extr. et quae annotavimus ad lib. I, 25 et IV, 57. Insignia eius rei exempla duo sunt in ipso limine librorum de rep. nuper repertorum, ubi codex habet: *qui sunt procul ab aetatis huius memoria, commemorare eos desino, ne quis se aut suorum aliquem praetermissum queratur.* Scribendum est *non procul*, ni velis *procul* dictum esse pro *prope*, quod ne Heinrichio quidem credo, praeter veteres glossas Graecas parum accuratas non niteuti nisi neque mendoso loco Nepotis in Pausania extr. In altero autem loco Ciceronis de rep. c. 2 *Nihil enim dicitur a philosophis, quod quidem recte honesteque dicatur, quod ab his partum confirmatumque sit, a quibus civitatibus iura descripta sunt*, editores, quotquot sunt, delicias non agunt, sed fortiter addunt *non* post *quod*. Sed supersunt aliquot alii loci, quibus idem remedium adhibendum: Phil. XIII, 12 extr. *illud tamen verum, quod in hoc Planco proverbii loco dici solet, perire eum non posse, nisi ei crura fracta essent: fracta sunt et vivit;* scribendum est *illud tamen non verum.* Liv. X, 31 extr. sic editur: *Quinam sit ille, quem non pigeat longinquitatis bellorum scribendo legendoque, quae gerentes non fatigaverunt?* Sententia postulat, ut *non* ante *pigeat* deleas, nec tamen hoc facies sine aliqua codd. auctoritate.

sarios transeas? O scelus! o portentum in ultimas terras exportandum! Non enim potest ea natura, quae tantum facinus commiserit, hoc uno scelere esse contenta: necesse est semper aliquid eiusmodi moliatur: necesse est in simili audacia perfidiaque versetur.

41. Itaque idem iste, quem Cn. Dolabella postea, C. Malleolo occiso, pro quaestore habuit, (haud scio, an maior etiam haec necessitudo fuerit, quam illa Carbonis, ac plus iudicium voluntatis valere, quam sortis debeat,) idem in Cn. Dolabellam, qui in Cn. Carbonem fuit. Nam quae in ipsum valebant crimina, contulit in illum, causamque illius omnem ad inimicos accusatoresque detulit: ipse in eum, cui legatus, cui pro quaestore fuerat, inimicissimum atque improbissimum testimonium dixit. Ille, miser cum esset, Cn. Dolabella,

---

§. 40. *in ultimas terras exportandum*] Ern. *deportandum* scribendum ratus, quoniam alterum in bonam partem, velut de mercibus, dicatur, de aliorum scriptorum, non Ciceronis usu videtur cogitasse, apud quem *deportare* vix aliter quam *decedere* usurpatur, si quis quid ex provincia et longinquis terris Romam et in patriam refert. Cf. ad divin. 9 et ad libr. III, 61. Contra *exportare*, quid impedit, quominus in commune de bonis malisque rebus dicatur, et *amovendi* generalem significationem habeat?

§. 41. *in ipsum — in illum*] Multa confusio est pronominum in libris, maior tamen in editis quam in manuscriptis. Nam horum quidem deterior pars *in ipsum — in istum*, melior sicut nunc a Stephano habemus. Editiones autem principes, quippe quae ex deterioribus codd. ductae sint, *ipsum — istum*, Vict. et Hervag. *ipsum — illum*, P. Manutius *istum — illum*, donec tandem litem scriptura meliorum a Steph. proposita composuit.

Cn. Dolabella] Nomen hominis, quod in libris mss. omnibus legitur, primus abiecit Naugerius, neque posthac praeter Stephanum, a codd. auctoritate non recedentem, quisquam inventus est, qui eius patrocinium susciperet, Garatonius adeo recenti iudicio interpolationis manifesto damnatum putavit. Sed cum grave sit sine ullo codd. indicio sic pronuntiare, tum aliud quoque est, quod nomen adiectum tueatur. Nam si quaeras, quemadmodum insequentia coniungantur, incipere apodosin a verbis *tum multo ex maxima parte* invenies, non.

cum proditione istius nefaria, tum improbo et falso
eiusdem testimonio, tum multo ex maxima parte istius
furtorum ac flagitiorum invidia conflagravit. Quid hoc 16
homine faciatis? aut ad quam spem tam perfidiosum, 42
tam importunum animal reservetis? qui in Cn. Carbonem sortem, in Cn. Dolabellam voluntatem neglexerit ac violarit, eosque ambos non solum deseruerit, sed etiam prodiderit atque oppugnarit. Nolite, quaeso, iudices, brevitate orationis meae potius, quam rerum ipsarum magnitudine, crimina ponderare. Mihi enim properandum necessario est, ut omnia vobis, quae mihi

---

ut vulgo fit, a primis illis *tum proditione*, quoniam *tum*, praecedente *cum*, ter referri vix Latinum est; scribendumque ideo esse cum Steph. et Guelf. ant. *cum proditione*, qua re efficitur, ut protasis eiusdem fere spatii sit atque apodosis. Iam, si hoc fit, simul intelligitur, quam utilitatem habeat interiectum nomen, nimirum ne concurrant ambo *cum*, et cur Dolabella *miser* appelletur. Cicero enim nunc quidem totam Dolabellae calamitatem Verri imputat, et illum dicit primum afflictum atque oppressum esse, quod Verres contra eum extiterit, deinde damnatum earum maxime rerum causa, quas Verres, cum ei legatus fuerit, fecerit. Ceterum *ac falso* Steph. Guelf. 2 Lag. 29, sed *etiam*, quod nunc vulgo adiicitur post *multo*, consensu omnium fere codicum (nam ex meis unus Lag. 45 tuetur) delevi: primum inveni in repet. Lamb.

§. 42. *aut ad quam]* Sic primum editum est a. 1534 ex aliquo bono libro, nam priores editt. et codd. deteriores Pall. Oxon. Huyd. Hein. Lag. VII cum 42 *ad aliquam*.

in Cn. Carbonem — in Cn. Dolabellam] Haec est omnium omnino librorum mss. lectio, etiam editionum veterum; nam P. Manutius primus *in Cn. Carbone — in Cn. Dolabella* de coniectura edidisse videtur, quod cum Gruterus et Graevius correxissent, denuo reduxit Ernestius, *sortem erga aliquem* coniungi posse negans. Illa vero non coniunguntur, sed oratio densata quodammodo est: cum in utrumque inimicus consurgeret, in altero sortis religionem, in altero suam ipse voluntatis fidem neglexit. *Voluntas* enim haud dubie est Verris, uti superiore capite *iudicium voluntatis* est, quod sua sponte ipse Verres tulit.

eosque ambos] Lag. 29, cod. Cuiacianus apud Gruterum, Steph. editio *ambo*, quod inutili verborum circuitu Lambinus commendat. Obstat quominus recipiamus Guelff. et Leid. consensus. Post Stephanus edidit *non modo deseruerit*, Guelf. 2 et Lag. 29 *non modo deseruit*.

43 constituta sunt, possim exponere. Quamobrem, quaestura istius demonstrata, primique magistratus et furto et scelere perspecto, reliqua attendite. In quibus illud tempus Sullanarum proscriptionum ac rapinarum praetermittam; neque ego istum sibi ex communi calamitate defensionem ullam sinam sumere: suis eum certis propriisque criminibus accusabo. Quamobrem, hoc omni tempore Sullano ex accusatione circumscripto, legationem eius praeclaram cognoscite.

17 Posteaquam Cn. Dolabellae provincia Cilicia con-
44 stituta est: o dii immortales! quanta iste cupiditate, quibus allegationibus illam sibi legationem expugnavit? id quod Cn. Dolabellae principium maximae calamitatis fuit. Nam ut iste profectus est, quacunque iter fecit, eiusmodi fuit, non ut legatus populi Romani, sed ut quaedam calamitas pervadere videretur. In Achaia (praetermittam minora omnia, quorum simile forsitan alius quoque aliquid aliquando fecerit: nihil dicam, nisi singulare, nisi quod, si in alium reum diceretur, incredibile videretur,) magistratum Sicyonium nummos poscit. Ne sit hoc crimen in Verrem: fecerunt alii:

§. 43. *propriisque*] Guelf. 1 omittit *que:* nescio an aliquid sit. *hoc omni tempore — circumscripto*] „Sublato, circumducto, praetermisso: alias decepto significat." Ascon. Cf. de Fin. III, 9 §. 31.

§. 44. *Cn. Dolabellae*] Hic Praetor in urbe fuit a. 81, et Ciliciae praefuit a. 80 et 79, donec P. Servilius Cos. a. 79, qui in hac causa iudicat, ei successit. Certe alterius, qui inter illos interiaceat, mentio non fit apud rerum auctores. Eum igitur, paternum inimicum (vide Ascon. ad Cic. orat. p. M. Scauro *post duas partes orat.)*, repetundarum accusavit et damnavit a. 78 M. Aemilius Scaurus. Alter est Dolabella, Consul a. 81, quem repetundarum ex Macedonia, in qua provincia triumphum de Thracibus meruerat, anno 77 accusavit C. Iulius Caesar iuvenis XXIII annum agens, neque tamen damnavit.

ut iste profectus est] Edd. principes et codd. deteriores *est* omittunt; addidit Naugerius. Sed Steph. et codd. Guelf. 2 Lag. 29 Lamb. v. c. in margine *ut est profectus.* — *poscit*] Sic Steph. (non Lamb.) ambo Guelf. (tantum quod mendose in recent. *possit)* Vulgo *poposcit.*

cum ille non daret, animadvertit. Improbum, sed non 45
inauditum. Genus animadversionis videte: quaeretis, ex quo genere hominem istum iudicetis. Ignem ex lignis viridibus atque humidis in loco angusto fieri iussit: ibi hominem ingenuum, domi nobilem, populi Romani socium atque amicum, fumo excruciatum, semivivum reliquit. Iam quae iste signa, quas tabulas pictas ex Achaia sustulerit, non dicam hoc loco: est alius mihi locus ad hanc eius cupiditatem demonstrandam separatus. Athenis audistis ex aede Minervae grande auri pondus ablatum: dictum hoc est in Cn. Dolabellae iudicio: dictum? etiam aestimatum. Huius consilii non modo participem C. Verrem, sed principem fuisse reperietis.

Delum venit. Ibi ex fano Apollinis religiosissimo 46
noctu clam sustulit signa pulcherrima atque antiquissima, eaque in onerariam navem suam coniicienda curavit. Postridie cum fanum spoliatum viderent ii, qui Delum incolebant, graviter ferebant: est enim tanta apud eos eius fani religio atque antiquitas, ut in eo loco ipsum Apollinem natum esse arbitrentur: verbum

---

§. 45. *hominem istum*] Sic legitur in libris mstis, quantum constat, omnibus, at *ex quo genere hominum* ex coniectura Hotomani edidit Lamb. (in ipsa editione, quod repetitores *aliis* adscribunt,) Aldus nepos, et revocavit Ernestius. Non displicet, neque tamen causam idoneam video.

ad hanc eius — separatus] Sic Steph. et libri Guelff. et Leid. et palimpsestum Taurin. apud Peyron. p. 216. Vulgo olim *ad hanc cupiditatem — servatus*, Lamb. ediderat *ad hanc istius cup. separatus*, sed unde *istius* acceperit, non dicit, *separatus* esse in tribus mss. dicit. Orationem de signis intelligi manifestum est, quamquam in ea de his Achaicis signis non dicit, at cupiditatem certe hominis abunde demonstrat.

§. 46. *onerariam navem suam*] Invidiose dictum, quasi ad hunc ipsum usum sibi iam tum, cum proficisceretur, navem comparasset. Etiam *coniiciendi* verbum auget invidiam.

in eo loco] Omissa praepositione *eo loco* Guelf. 1. Cf. ad libr. IV, 52, 116.

tamen facere non audebant, ne forte ea res ad Dola-
18 bellam ipsum pertineret. Tum subito tempestates coortae sunt maximae, iudices, ut non modo proficisci, cum cuperet, Dolabella non posset, sed vix in oppido consisteret; ita magni fluctus eiiciebantur. Hic navis illa praedonis istius, onusta signis religiosis, expulsa atque eiecta fluctu, frangitur in litore: signa illa Apollinis reperiuntur: iussu Dolabellae reponuntur: tempestas sedatur: Dolabella Delo proficiscitur.

47 Non dubito, quin, tametsi nullus in te sensus humanitatis, nulla ratio unquam fuit religionis, nunc tamen, in metu periculoque tuo, tuorum tibi scelerum veniat in mentem. Potestne tibi ulla spes salutis commoda ostendi, cum recordaris, in deos immortales quam impius, quam sceleratus, quam nefarius fueris? Apollinemne tu Delium spoliare ausus es? illine tu templo, tam antiquo, tam sancto, tam religioso manus impias ac sacrilegas afferre conatus es? Si in pueritia non his artibus ac disciplinis institutus eras, ut ea, quae litteris mandata sunt, disceres atque cognosceres, ne postea quidem, cum in ea ipsa loca venisti, potuisti accipere id, quod est proditum memoria ac litteris,

---

§. 46. *Delo*] Edd. principes usque ad a. 1534 *de loco* ex codd. deterrimis, Lag. VII Huyd. Oxon.

§. 47. *illine*] A Guelf. antiquiore *ne* encliticum abest.

ac disciplinis] Sic Steph. (Lamb.) Guelf. ambo, Lag. 29.

proditum memoria ac litteris] i. e. quod et audivimus et legimus. Est enim pro vulg. *memoriae* scribendum *memoria* ex Guelf. 2 et Lag. 29, quia *litteris* haud dubie Ablativus est. Nam litterae semper produnt aliquid (vid. p. Planc. 39) et nos *per illas*, sive *illis* (Abl.), prodimus aliquid posteris nostris, ipsis quidem litteris i. e. earum usui prodere ineptum est. Sic item proditur aliquid sive propagatur memoria, continua quadam traditione de patribus ad liberos. Sed hoc non eo valere debet, quasi non recte etiam dicatur *memoriae prodere* simpliciter. Immo cum verbo activo vix aliter dicere possis, si quid scribis *ad memoriam posteritatis*, ut Cic. de orat. III, 4 §. 14 se dicit L. Crassi sermonem paene postremum *memoriae* prodere velle. Ve-

Latonam ex longo errore et fuga, gravidam, et iam ad 48
pariendum temporibus exactis, confugisse Delum, atque ibi Apollinem Dianamque peperisse: qua ex opinione hominum illa insula eorum deorum sacra putatur, tantaque eius auctoritas religionis et est, et semper fuit, ut ne Persae quidem, cum bellum toti Graeciae, diis hominibusque indixissent, et mille numero

---

rum cum passivo verbo utrumque recte dicitur, et *memoriae proditum est*, subintellecto Ablativo rei, qua id factum est, qui quidem fere sunt libri, et *memoria proditum est*, ubi quid non scriptum, sed a maioribus acceptum et fida custode rerum propagatum est. Ut est apud Cic. lib. I de orat. 40 §. 181 de Mancino Consulari, quem Tribunus pl. Senatu prohibuit, *quia memoria sic esset proditum, quem — pater patratus dedidisset, ei nullum esse postliminium.* Caes. de bell. Gall. V, 12 *Britanniae pars interior ab iis incolitur, quos natos in insula ipsa memoria proditum dicunt*, ad quem locum Oudendorp. alios complures laudat, ubi *memoria proditum* aut legatur adhuc in editis exemplaribus, aut in codicum varietatibus scripturae extet. Adde etiam Moseri annotationem ad Cic. de rep. II, 31 ea, quae ipse olim de hac re disputavi, recolentis.

§. 48. *ad pariendum temporibus exactis*] Vulgo *et iam ad pariendum vicinam, temp. exactis.* Sed omisit *vicinam* Steph. et abesse a cod. Cuiaciano notavit Gulielmus apud Gruterum. Quo codice cum Lambinus et ipse usus sit, miror hominem, qui alibi Stephanum per bona mala sequatur, in hac eximia scriptura ab instituto suo descivisse. Neque Garatonium puto, si Stephanianam editionem et in hoc ipso loco consensum codicum Guelferbytanorum et Lagomars. 29 (a prima manu) cognovisset, pro eximia qua excelluit Latinitatis peritia, nostram scripturam damnaturum fuisse. Nam etsi fateor me nescire, quorum Comicorum testimonia Gulielmus hic praedicet, unum certe apud ipsum Ciceronem idoneum exemplum ex vetere poeta tragico legimus lib. III de orat. 58 — *ego tum gravida Expletis iam fere ad pariendum mensibus.* Qui illo loco sunt *menses expleti ad pariendum*, hic sunt *tempora exacta*, quae Asconius explicat *menses exactos.* Sed quis unquam audivit de muliere *ad pariendum vicina?*

confugisse] restituit Lambinus cum libros mss. tum Hotomani coniecturam secutus. Et hic quidem prudenter annotat *ex fuga — fugisse* ineptum esse, *confugisse* autem, cum erroris finem significet, admodum convenire. Verum *fugisse* in Naugerianam, unde reliqui propagarunt, negligentia potius quam consulto videtur immigrasse, certe librorum mss., quorum varietatibus utimur, nullus habet.

navium classem ad Delum appulissent, quicquam conarentur aut violare, aut attingere. Hoc tu fanum depopulari, homo improbissime atque amentissime, audebas? Fuit ulla cupiditas tanta, quae tantam extingueret religionem? et, si tum haec non cogitabas, ne nunc quidem recordaris, nullum esse tantum malum, quod non tibi pro sceleribus tuis iamdiu debeatur?

19 In Asiam vero postquam venit, quid ego adven-
49 tus istius prandia, coenas, equos, muneraque commemorem? Nihil cum Verre de cotidianis criminibus acturus sum. Chio per vim signa pulcherrima dico abstulisse: item Erythris, et Halicarnasso. Tenedo (prae-

---

§. 48. *violare aut attingere*] De Persis satis constat, vid. Herodot. lib. VI, 96 sq. At fecerunt alii Persarum populares, vel Graeci potius mercenarii, Archelao et Menophane ducibus, Mithridatico bello, octo ferme ante hunc Verris adventum annis. Vide Appianum bell. Mithrid. c. 28, Pausaniam in Laconicis c. 23, Strabonem X, 5, 4. Verumtamen factum hoc est non praedandi cupiditate, sed inter funestissimum civium dissensum, dominante Athenis Aristione, cum Romani negotiatores Delum insulam et ab illo et a Mithridate defenderent.

fanum depopulari] Edidit Lamb. *depeculari* contra codd. auctoritatem; itaque non sine causa in repetita editione ista scriptura aliis tribui videtur. Cf. ad Act. pr. 4. Ceterum uterque Guelf. *depopulare* mendose, nam verbum quidem ipsum apud Ciceronem nusquam activam formam habet.

ulla cupiditas] Olim *illa*, etiam Stephanus, quia sic cum plerisque codd. deterioribus etiam Lag. 29 et Guelf. 2: sed pauci ex vulgaribus, Hotomanianus, Pal. 2, *ulla*, secundum quos de sententia Hotom. edidit Gruterus. Auctor fit nunc etiam Guelf. antiq. et Lag. 42. Tum Guelf. 1 male *non* addit ante *recordaris*. Extremo capite *tamdiu* pro vulg. *iamdiu* Steph. et ambo Guelf. frequenti errore.

§. 49. *adventus*] Genitivum puta pro *in eius adventu*, quod ne prorsus supervacuum putes moneri, lege Gulielmi notam a ceteris silentio praetermissam, qui pluralem numerum intellexerit. Sed *equos* nisi Asconii auctoritas tueretur, dubitantis quemadmodum explicandum esset, multi opinor invenirentur, qui emendari vellent. Nunc monente eodem Asconio, de Asianorum equorum eximio pretio intelligunt, et *munera* subintellecto *alia* explicant. Et nescio tamen, an vehicularii potius equi intelligendi sint iusto plures et acerbius imperati.

tereo pecuniam, quam eripuit) Tenem ipsum, qui apud Tenedios sanctissimus deus habetur, qui urbem illam dicitur condidisse, cuius ex nomine Tenedus nominatur: hunc ipsum, inquam, Tenem, pulcherrime factum, quem quondam in comitio vidistis, abstulit magno cum gemitu civitatis. Illa vero expugnatio fani antiquissimi 50
et nobilissimi Iunonis Samiae, quam luctuosa Samiis fuit? quam acerba toti Asiae? quam clara apud omnes? quam nemini vestrum inaudita? de qua expugnatione cum legati ad C. Neronem in Asiam Samo venissent, responsum tulerunt, eiusmodi querimonias, quae ad legatum populi Romani pertinerent, non ad praetorem, sed Romam deferri oportere. Quas iste tabulas illinc, quae signa sustulit? quae cognovi egomet apud istum

---

§. 49. *Tenem ipsum]* Scriptores Graeci fere Τέννην appellant, et hoc quoque loco codd. vulgares et edd. principes usque ad Naugerium *Tennem*. A patre Cycno, Neptuni filio, qui Colonis imperitabat in Troade, propter suspicionem amoris novercae expulsus, parvam civitatem Tenediorum condidit. Vide haec et alia μυθολογούμενα apud Pausaniam X, 14, Diodorum Siculum V, 83, Stephanum Byzantinum s. v. Τένεδος. Cf. interpr. Strab. lib. 8 de Corintho p. 380 extr. Ceterum non est omittendum, haec quidem furta secundum rerum similitudinem, non temporis ordinem narrari, siquidem Samum haud dubie ex provincia decedens depopulatus est, nec Tenedum attigisse videtur, cum primum in Pamphyliam proficisceretur.

in comitio] „Licebat enim mutua haec signa deportare Romam Aedilibus ad ornatum ludorum et rursum sociis reportare." Ascon. Cf. III, 4 §. 9 *signis et tabulis forum comitiumque ornari*, et de C. Claudii aedilitate cum aliis rebus tum peregrinis ornamentis magnificentissima IV, 3 §. 6 et 59, §. 133. Neque non est verisimile, illam ipsam aedilitatem ad annum 99 pertinentem h. l. intelligi.

§. 50. *Iunonis Samiae]* Strabo lib. XIV, 1, 14 — τὸ Ἡραῖον, ἀρχαῖον ἱερὸν καὶ νεὼς μέγας, ὃς νῦν πινακοθήκη ἐστί· χωρὶς δὲ τοῦ πλήθους τῶν ἐνταῦθα κειμένων πινάκων, ἄλλαι πινακοθῆκαι καὶ ναΐσκοι τινές εἰσι, πληρεῖς τῶν ἀρχαίων τεχνῶν· τό τε ὕπαιθρον ὁμοίως μεστόν ἐστι τῶν ἀρίστων ἀνδριάντων κ. τ. λ.

apud omnes] Edd. vett. usque ad P. Manutium et codd. deterrimi Lag. VII (i. e. non 29 et 42) Oxon. Huyd. Mein. et alii haud dubie, qui silentur. *apud deos.* Iidem Lagom. VII et Huyd. *in* omittunt, in editis addidit *iam* Naugerius.

in aedibus nuper, cum obsignandi gratia venissem.
51 Quae signa nunc, Verres, ubi sunt? illa quaero, quae apud te nuper ad omnes columnas, omnibus etiam intercolumniis, in silva denique disposita sub divo vidimus. Cur ea, quamdiu alium praetorem cum iis iudicibus, quos in horum locum sortitus esses, de te in consilium iturum putasti, tamdiu domi fuerunt? posteaquam nostris testibus nos, quam horis tuis, uti malle

---

§. 51. *in silva]* Recte Ascon. explicat de *viridario*, loco infructuosis arboribus opaco: et fortasse ipsum *impluvium* est, cap. 23 extr. Ernestius in edd. vett. pro eo *in insula* legi tradidit, primumque mutasse Aldum. Sed quas editiones dixerit ignoro, nam in omnibus quibus utor (etiam Ascens. 1511) *in sylva* perspicue legitur, nec alioquin illud probabile est.

disposita sub divo vidimus] Sic omnes Ciceronis codd., verum Asconius *sub dio* legit, et explicuit non sane accurate, Graecos *τὸν Δία* dixisse, inde *hoc dium* (sic recentiores edd. at vetustissimae *hic dius) huius dii* cet. per omnes casus declinari, cum aliter non inveneris nisi Ablat. casu *sub dio.* Alio Ciceronis loco e libro deperdito ap. Columellam, praef. libri 12, itidem legitur *sub dio*, sed num idem in libris mstis fuerit non docemur. Quantae dissensiones eruditorum de scriptura vocis apud Horatium sint, vide apud Garatonium, nos veterem potius h. l. scripturam tuemur.

sortitus esses] Sic edidi de coniectura mea: codd. vulgares cum editionibus veteribus *subsortitus es*, meliores (Steph. Guelff. nisi quod Guelf. 1 *in horum loco demsortitus es) sortitus es*, omnes quidem *es.* Quod cum non conveniret, Hotomanus de Asconii interpretatione „Metellum cum iudicibus, quos in horum locum, quemadmodum supra dixit, subsortiturum se Verres esse credebat" coniecit *subsortiturus eras*, idque singulari constantia ceteri expresserunt. Verum propius ad manum Ciceronis accedere videtur, quod malui *esses* pro *es*, quarum formarum confusio in propinquo est: et Coniunctivus illud ipsum exprimit, quod Asconius significabat, credidisse Verrem. Utrum illa autem *sortitio* an *subsortitio* in locum eorum, qui anno exacto munere publico impediuntur, proprie vocari debeat, incertum est: nos utrumque putamus fieri posse.

horis tuis] i. e. omni tempore legibus nobis concesso, quod ut consumerem dicendo tu postulabas et ad absolutionem tuam pertinere arbitrabare. Sic explico, quod sane, si absit, non desiderem: neque Asconius legisse videtur: sed libri quidem omnes tenent, et oppositio inest concinna.

vidisti, nullum signum domi reliquisti, praeter duo, quae in mediis aedibus sunt; quae ipsa Samo sublata sunt. Non putasti me tuis familiarissimis in hanc rem testimonia denuntiaturum, qui tuae domi semper fuissent; ex quibus quaererem, signa scirentne fuisse, quae non essent? Quid tum hos de te iudicaturos arbitra- 20
tus es, cum viderent, te iam non contra accusatorem 52
tuum, sed contra quaestorem sectoremque pugnare? Qua de re Charidemum Chium testimonium priore actione dicere audistis: sese, cum esset trierarchus, et Verrem ex Asia decedentem prosequeretur, iussu

---

§. 51. *tuae domi semper]* Vulgo *saepe*, sed auget invidiam scriptura meliorum codd. Steph. utriusque Guelf. Antea Guelf. ant. *familiaribus* pro *familiarissimis*.

§. 52. *quaestorem]* intellige urbanum, de cuius in hac re officio fragmentum legis Serviliae est: — *cum qui ex hac lege condemnatus erit, Quaestor praedes facito det de consilii maioris partis sententia, quanti ei censuerint; si praedes dati non erunt, bona eius facito publice possideantur conquiranturque*, pag. 68 edit. Klenz. Apud Livium lib. 38 extr. *In bona deinde L. Scipionis possessum publice quaestores* (i. e. urbanum et eum qui aerario praeerat) *praetor misit*, quamquam illud iudicium non fuit repetundarum, sed peculatus potius. De *sectoribus* a secando dictis vide Ernestium in clave.

Qua de re Charidemum Chium cet.] Totum hoc colon orationis usque ad verba *non ad se pertinere* Ernestius hinc sustulit ac supra post primum factam mentionem direptionis Samicae collocavit. Non sane inepte, sed me quominus sequar impedit partim omnium codd. et veteris interpretis consensus, cuius explicationes vulgarem ordinem sequuntur, partim etiam ratio aliqua, quam mihi videor afferri posse pro vulgata. Nimirum verba *Quas iste tabulas illinc, quae signa sustulit?* certe ad priora illa accurate pertinent, quae, cuiusmodi illa *expugnatio* fuerit, exponunt. His autem verbis dictis sive scriptis abripuit oratorem indignatio et dolor, omnes illas res nunc remotas esse, ut longiorem parenthesin, quam par erat, sed parenthesin tamen faceret, qua conclusa iam ad superiora redit, seque quamvis illa abscondita sint, tamen habere dicit, quo tum probet abrepta esse.

trierarchus] primum et simul Vict. et Hervagiana: antea fuit *Aristarchus* e codd. vulgaribus, Lag. VII et 42, Meining. quorum h. l. mentio fit, et aliis, qui in ridiculo mendo non nominantur.

Dolabellae fuisse una cum isto Sami; seseque tum scire spoliatum esse fanum Iunonis et oppidum Samum; posteaque se causam apud Chios, cives suos, Samiis accusantibus, publice dixisse; eoque se esse absolutum, quod planum fecisset, ea, quae legati Samiorum dicerent, ad Verrem, non ad se, pertinere.

53 Aspendum vetus oppidum et nobile in Pamphylia scitis esse, plenissimum signorum optimorum. Non dicam illinc hoc signum ablatum esse et illud: hoc dico, nullum te Aspendi signum, Verres, reliquisse; omnia ex fanis, ex locis publicis, palam, spectantibus omnibus, plaustris evecta exportataque esse. Atque etiam illum Aspendium citharistam, de quo saepe audistis id, quod est Graecis hominibus in proverbio, quem omnia intus canere dicebant, sustulit, et in intimis suis

---

§. 52. *se causam — publice dixisse]* Insolitum hoc est, quapropter Ernestius, si quidem a Cicerone profectum esset, cum praecedente potius verbo *accusantibus* coniungi iussit. Cui rei obstat verborum collocatio. *Publice causam dicere* dictum est pro reum esse in causa publica, nam publicam certe *causam* fuisse ne Ernestius quidem negaret, qui dixisse quidem *privatim* potius hominem, cum ipse accusatus esset, scripsit.

§. 53. *plaustris evecta exportataque]* *Exportata* cum Steph. (Lamb.) scripsi e codd. Guelff. et Lag. 29 pro vulg. *asportata*, convenit enim melius cum *evecta*. Schol. anonym. *avecta export.* exhibet. Quod *plaustris* scripsi pro vulg. *plostris*, secutus sum Guelf. 1 et Lag. 42 et lemma Schol. anonym. ceteri enim, quibus utor, codices *plostris* retinent. Sed verbum diphthongo scribitur item libr. I de div. 27, videturque *plostrum* prioris aetatis esse, siquidem et Priscianus p. 562 *antiquum* dixit, et Vespasianus Imperator apud Sueton. in vita c. 22 morem vulgi secutus reprehenditur. Ceterum *plaustra* iam hac et insequenti aetate vehicula oneribus portandis et usu deformia esse Mazochius in comment. tabul. Heracl. pag. 366 sqq. multis docuit.

omnia intus canere] Eo proverbio non utitur nisi ipse Cicero orat. II in Rullum c. 26 de eo, qui quicquid facit ad suum tantum commodum refert: *atque hoc carmen*, ait, *hic tribunus pl. non vobis, sed sibi intus canit: habet socerum — huic subvenire vult.* Originem Asconius tradit esse hanc, quod reliqui citharistae, cum canant, utraque manu utantur, dextra, qua plectrum chordis admoveant,

aedibus posuit: ut etiam illum ipsum suo artificio su-
perasse videatur. Pergae fanum antiquissimum et san- 54
ctissimum Dianae scimus esse: id quoque a te nuda-
tum ac spoliatum esse, ex ipsa Diana, quod habebat
auri, detractum atque ablatum esse dico.

Quae, malum, est ista tanta audacia atque amen-
tia? quas enim sociorum atque amicorum urbes adi-
sti legationis iure et nomine, si in eas vi cum exer-
citu imperioque invasisses, tamen, opinor, quae signa
atque ornamenta ex his urbibus sustulisses, haec non
in tuam domum, neque in suburbana amicorum, sed
Romam in publicum deportasses. Quid ego de M. Mar- 21
cello loquar, qui Syracusas, urbem ornatissimam, ce- 55
pit? quid de L. Scipione, qui bellum in Asia gessit,
Antiochumque, regem potentissimum, vicit? quid de
T. Flaminino, qui regem Philippum et Macedoniam
subegit? quid de L. Paullo, qui regem Persen vi ac

---

sinistra cuius digitis chordas carpant, hic autem Aspendius universam cantionem sinistra tantum manu perficere visus sit. Quod unde sit petitum video equidem, sed neque ad hunc locum neque ad ipsum proverbium explicandum valere arbitror. Itaque sic puto: citharista ille tam scite factus erat, ut cantum excitatum prorsus percipere atque intelligere videretur, quod cum spectatoribus non item contingeret, sibi illum canere dicebant, unde dictum ad eos translatum, qui agerent quippiam, cuius utilitas ad neminem alium praeter ipsos perveniret. Hunc igitur musicum suo ipsius artificio superavit Verres, dum sibi illum interius etiam, in intimis aedibus, canere iussit.

suo artificio edidit Steph. (Lamb.) inverso verborum ordine, et legitur in utroque Guelf.

§. 54. *atque ornamenta]* Steph. (Lamb.) *et quae orn.* Guelf. 1 *et ornamenta.*

§. 55. *de T. Flaminino]* Sic Lambinus in marg. repet. edit. secundum Hotom. legi iussit, nam antea frequentissimo vitio, quod et in Lagom. omnibus invenitur, legebatur *Flaminio*, et praenomen aberat, quod non fere solet abesse nec a ceterorum nominibus abest.

Paullo] Edd. vett. usque ad Lambinum et eius repet. *Paulo* secundum codd. plerosque, Lag. VII et 29.

virtute superavit? quid de L. Mummio, qui urbem pulcherrimam atque ornatissimam, Corinthum, plenissimam rerum omnium, sustulit, urbesque Achaiae Boeotiaeque multas sub imperium populi Romani dicionemque subiunxit? Quorum domus, cum honore ac virtute florerent, signis et tabulis pictis erant vacuae: at vero urbem totam templaque deorum omnesque Italiae partes illorum donis ac monumentis exornatas videmus.
56 Vereor, ne haec forte cuipiam nimis antiqua et iam obsoleta videantur: ita enim tum aequaliter omnes erant huiusmodi, ut haec laus eximiae virtutis et innocentiae non solum hominum, verum etiam temporum illorum esse videatur. P. Servilius, vir clarissimus, maximis rebus gestis, adest de te sententiam laturus: Olympum vi, copiis, consilio, virtute cepit, ur-

---

§. 55. *Corinthum]* Pertinet huc Strabonis locus lib. 8 p. 381 ab Hotomano laudatus, quo geographus, postquam se Bacchum ab Aristide pictum, qui Corinthiorum olim fuerat, Romae in aede Cereris vidisse dixit, sic pergit: *Σχέδον δέ τι καὶ τὰ τῶν ἄλλων ἀναθημάτων τῶν ἐν Ῥώμῃ τὰ πλεῖστα καὶ ἄριστα ἐντεῦθεν ἀφῖκται· τινὰ δὲ καὶ αἱ κύκλῳ τῆς Ῥώμης πόλεις ἔσχον.*

ac virtute] Vulgo *et*, nos secuti sumus ambos Guelf. quibuscum Steph. (Lambinique) editio et Lag. 29 consentiunt. Sic fuit antea *vi ac virtute*. — *templaque]* Vulgo abest *que*, ac defendi facile potest, sed nostrum iidem, quos modo appellavi, optimi libri: et ipsa forma coniungendi — *que* — *que* ultra scribas est.

§. 56. *ne haec forte cuipiam]* Sic fuit scribendum, nam putat ore aliquem. Apud Sallustium quidem bell. Iug. 45 *ne quisquam ordine egrederetur* prohibentis est, quapropter Garat. eo loco non debebat uti. Sed non est in hoc quidem loco contendendum, siquidem omnes libri mss. quos accuratius novimus, ambo Guelf. IX Lag. *quispiam* exhibent; Naugerius primus *quisquam* dedit, de coniectura puto.

aequaliter] Sic Guelf. 1 solus, ut videtur, nam reliqui scripti cum editis *aequabiliter*, sed verum tamen: neque enim *pro portione* tum homines integri fuerunt, sed re vera pariter omnes.

adest de te sententiam laturus] Omisi *est*, quod vulgo additur, quia duo Lambini codd. (sic in annot. ad h. l.) Leid., ambo Guelf. edit. Steph. non habent, et oratio sine illa vocula, quamquam contracta, tamen aeque bene procedit. — *Olympum* restituit P. Manutius et post

bem antiquam et omnibus rebus auctam et ornatam. Recens exemplum fortissimi viri profero: nam postea Servilius imperator populi Romani Olympum, urbem hostium, cepit, quam tu in iisdem illis locis legatus quaestorius oppida pacata sociorum atque amicorum diripienda ac vexanda curasti. Tu, quae ex fanis re- 57
ligiosissimis per scelus et latrocinium abstulisti, ea nos videre, nisi in tuis amicorumque tuorum tectis, non possumus: P. Servilius, quae signa atque ornamenta ex urbe hostium, vi et virtute capta, belli lege atque imperatorio iure sustulit, ea populo Romano apportavit, per triumphum vexit, in tabulas publicas ad aerarium perscribenda curavit. Cognoscite ex litteris publicis hominis amplissimi diligentiam. [Recita. RATIONES RELATAE P. SERVILII.] Non solum numerum signorum, sed etiam uniuscuiusque magnitudinem, figuram, statum, litteris definiri vides. Certe maior est virtutis victoriaeque iucunditas, quam ista voluptas, quae percipitur ex libidine et cupiditate: multo diligentius habere dico Servilium praedam populi Romani, quam te tua furta notata atque perscripta.

---

cum alii, cum vett. editiones et libri msti, ut videtur, omnes, et hic et paulo post nobiliorem urbem *Olynthum* appellent. Vide Strab. lib. XIV p. 671. Stephanus tamen *Olynthum* reduxit.

in iisdem illis locis] libri mss. omnes (tantum quod Guelf. 1 *iisdem* omittit) atque adeo editi omnes, donec repetitores Lambiniani per negligentiam *illis* perire passi sunt, quem errorem Gruterus ad hanc aetatem propagavit.

§. 57. *et latrocinium]* Edd. vett. et codd. infimi, VII Lag. Huyd. (fortasse alii) *et per latrocinium*. Sustulerunt praepositionem Stephanus et Lambinus, quod cum repet. Lamb. siluissent, Gruterus non animadvertit. — *diligentiam]* Sequitur hic in deterioribus libris mss. editisque omnibus *Recita.* RATIONES RELATAE P. SERVILII. Sed haec verba absunt ab utroque Guelf. et Leid. et adiecta puto ab eo, qui aliquid certe hic recitatum voluerit. Itaque uncis inclusi, ut significarem de fide eorum verborum parum constare.

atque perscripta] Vulgo minus apte *descripta*, neque enim *describere* eam habet in bona Latinitate significationem, quam modo plu-

22 Dices, tua quoque signa et tabulas pictas orna-
58 mento urbi foroque populi Romani fuisse. Memini: vidi simul cum populo Romano forum comitiumque ad-

---

ribus verbis Cicero explicuit, quaecunque ad externam alicuius rei speciem pertinent notare (Germ. beschreiben), sed aut ad distribuendas partes certumque rei ordinem instituendum spectat, aut morum notationem et quasi repraesentationem (quod nostrates *schildern* dicunt) significat. Contra *perscripta*, quod in edit. Stephani et Guelff. et duobus Lambini codd. inventum est, bene convenit cum proximo verbo. Apud Velleium quidem II, 37 est *omnis pecunia — descripta publicis litteris* pro *perscripta*, sed Velleius est, non Cicero. Sed quod idem Lambinus scribi voluit *notatam et perscriptam*, quod referretur ad *praedam*, rationi repugnat, nec opus est allatis quibusdam singularibus exemplis redargui. Sunt enim plane duo membra: Servilius praedam *notatam* habet, Verres furta *notata* habet, quae si in unum contrahuntur, necesse est nomen adiectivum ad proximum construatur. Quodsi sic esset: Servilium diligentius habere suam praedam, quam tua furta *notata*, tum dubitari posset, an *notatam* verius esset, (sicut iure dubitatur in orat. pro leg. Man. 5 *Corinthum patres vestri, totius Graeciae lumen*, utrum *extinctum* an *extinctam esse voluerunt* legatur) revocandusque esset grammaticus ad eos locos, ubi praedicati aut verbum aut adiectivum referretur non ad primarium nomen, sed ad nomen appositum vel interiectum, qua de re dixi in Gramm. L. L. §. 370 not. quatenus ad verbum spectat. De adiectivi numero et genere confer, quem ibi laudavi, Io. Mich. Heusingerum ad locum Nepotis in Them. 7: *Atheniensium urbem, ut propugnaculum oppositum esse barbaris*. Sic dubitant apud Cic. in Bruto 75, ubi de Caesaris commentariis, *nudi sunt*, ait, *recti et venusti, omni ornatu orationis tamquam veste detracta*, et habent sane quod dubitent. Hoc autem loco dubitationi locus relictus non est.

§. 58. *Dices* cet.] „Oratoria κλάσει hanc sibi obiecit quaestionem, quae genus confessionis in se habet. Nam Aedili atque Praetori Hortensio et item Metellis rapta ex provinciis signa ad ornandum forum et comitium commodaverat Verres." Ascon. Qua de causa hoc non sit verisimile, lege apud Ferratium Epist. IV, 3, cuius accuratam disputationem ad h. l. Garatonius excerpsit. Ille igitur pertinere ad ipsius Verris praeturam urbanam ostendit, in qua ludos Apollinares ei faciendos fuisse vel ex Livii lib. 25, 12 constat. Atque eo anno (74 a. Chr.) propter bellum Mithridaticum denuo exortum haud dubie multi legati Graecarum civitatum Romae fuerunt. Quod autem dicit, dominos istos iudiciorum (unum autem Hortensium intelligit) tum se eidem studio deditos esse declarasse, Ferratius recte ad cupiditatem spectandi refert, cuius insigne exemplum ipse Verres praebuit lib. IV, 15.

ornatum, ad speciem magnifico ornatu, ad sensum cogitationemque acerbo et lugubri. Vidi collucere omnia furtis tuis, praeda provinciarum, spoliis sociorum atque amicorum. Quo quidem tempore, iudices, iste spem maximam reliquorum quoque peccatorum nactus est. Vidit enim eos, qui iudiciorum se dominos dici volebant, harum cupiditatum esse servos. Socii vero 59
nationesque exterae spem omnium tum primum abiecerunt rerum ac fortunarum suarum, propterea quod casu legati ex Asia atque Achaia plurimi Romae tunc fuerunt, qui deorum simulacra, ex suis fanis sublata, in foro venerabantur, itemque cetera signa et ornamenta cum cognoscerent, alia alio in loco lacrimantes intuebantur. Quorum omnium hunc sermonem tum esse audiebamus: *Nihil esse, quod quisquam dubitaret de exitio sociorum atque amicorum, cum quidem viderent in foro populi Romani, quo in loco antea, qui sociis iniurias fecerant, accusari et condemnari solebant, ibi esse palam posita ea, quae ab sociis per scelus ablata ereptaque essent.*

---

§. 58. *adornatum — magnifico ornatu]* Hanc similium verborum compositionem non ferens Lambinus Participium deleri voluit contra codices, defendit Garatonius, quamquam plura miscens. Effluxisse puto Ciceroni, non elegantiam quandam in ea re quaesitam. Conferri iubet Garaton. lib. IV, 3, sed illo loco tot verba interiecta sunt, ut offendi nemo possit.

iudiciorum se dominos] Quantum fieri potest maxime variatur in horum verborum ordine: Asconius enim et Anonymus *qui se iudiciorum dom. dici volebant*, vulgares edd. *qui iudic. dominos se dici volebant*, Steph. et Lamb. *qui iudiciorum se dici dom. volebant.* In qua varietate ego codd. Guelff. cum Lag. 29 secutus sum, neque tamen veterum interpretum rationem contemnam.

§. 59. *abiecerunt* dudum edidit Stephanus eumque secutus Lambinus in vera editione, sed in repetitionis margine, omissa editionis mentione, *vet. cod.* tantum sic habere notatum est. Habent etiam ambo Guelferbytani et Lag. 29. Vulgo *abiecere*. Cf. supra ad cap. 6.

itemque] Ambo Guelf. *item qui*, quod non placet, quia nulla causa est repetendi cum vi aliqua pronominis. Cf. etiam ad libr. IV c. 11 extr.

60 Hic ego non arbitror illum negaturum, signa se plurima, tabulas pictas innumerabiles habere: sed, ut opinor, solet haec, quae rapuit et furatus est, nonnunquam dicere se emisse: quoniam quidem in Achaiam, Asiam, Pamphyliam sumptu publico et legationis nomine mercator signorum tabularumque pictarum
23 missus est. Habeo et istius et patris eius accepti tabulas omnes, quas diligentissime legi atque digessi, patris, quoad vixit, tuas, quoad ais te confecisse. Nam in isto, iudices, hoc novum reperietis. Audimus, aliquem tabulas nunquam confecisse; quae est opinio hominum de M. Antonio falsa: nam fecit diligentissime:

---

§. 60. *se plurima]* Sic Stephanus (Lamb.) Lag. 29. Guelf. antiquior. Vulgo *sese*. — *quoniam quidem]* εἰρωνεία μετὰ συγχωρήσεως Ascon. Sed apud eundem adiicitur breviterque explicatur *cum imperio et securibus*, quae verba P. Manut. et Lamb. post *nomine* posuerunt, Lambinus tamen stellulis affixis notavit, ceteri editores eam ob causam non receperunt, quia legatus *imperium ac secures* non haberet. Contra Garatonius docte disputavit, nec tamen aliud quicquam conficere potuit, nisi legatos saepe inveniri apud scriptores cum lictoribus et potestate etiam propria aliqua, tamquam legatos populi Romani: *imperium* tamen *et secures* legatis tribui, non facile aliquis probare poterit. Praeterea h. l. offendit nimia epithetorum copia, certe non debebat addi tamquam magnum aliquid *legationis nomine*, cum iam *imperium ac secures*, longe formidolosissima illa quidem in vetere orbe terrarum, posita essent. Itaque illa verba puto e libro IV c. 4, ubi in simili sententia recte de praetore leguntur, huc a curioso quodam interprete translata esse. Nam si annotator iste verus esset Asconius, nae ille praeclaram disputandi materiam nactus esset, quam pro eximia eius doctrina ad alias orationes praetermittere non solet.

accepti tabulas videtur dicere communiter de tabulis *accepti et expensi*, ut est p. Rosc. Com. 1, nam hoc quidem loco de expenso agitur. Alibi *tabulas* fere dicit. Mirum est, quod Asconius tradidit legi etiam *ab eo* pro *habeo*, et *accepi* pro *accepti*, extare hodie in plurimis libris mss., nam *abeo* Lag. 6, *accepi* Oxon. Mein. Huyd. omnes Lagom. et vero etiam Leidensis. Edit. Iunt. sola *habeo accaepi et istius* cet.

de Antonio] Citat Asconius *de M. Ant.*, nescio an rectius, sed pessime interpretatur de filio, quod de patre verum erat. Sed ipse Cicero providit ne quis errare posset, cf. de orat. II, 23 §. 97.

verum sit hoc genus aliquod minime probandum. Audimus, alium non ab initio fecisse, sed ex tempore aliquo confecisse: est aliqua etiam huiusce rei ratio. Hoc vero novum et ridiculum est, quod hic nobis respondit, cum ab eo tabulas postularemus, usque ad M. Terentium et C. Cassium consules confecisse, postea destitisse. Alio loco, hoc cuiusmodi sit, considerabi- 61
mus: nunc nihil ad me attinet: horum enim temporum, in quibus nunc versor, habeo tabulas, et tuas, et patris. Plurima signa pulcherrima, plurimas tabulas optimas deportasse te, negare non potes: atque utinam neges! Unum ostende in tabulis aut tuis aut patris tui emptum esse: vicisti. Ne haec quidem duo signa pulcherrima, quae nunc ad impluvium tuum stant, quae multos annos ante valvas Iunonis Samiae steterunt, habes quomodo emeris; haec, inquam, duo, quae

---

§. 60. *consules confecisse]* Consules illi fuerunt a. 73 a. Chr., quo ipso anno Verres Siciliae praeesse coepit. Pronomen omissum Lambinum offendit, nam in margine repet. *se confecisse* scribendum existimat. Verum Cicero etiam aliis locis sine idonea causa Accusativum in hac constructione omittit: Act. I, 8 §. 23 *Hic alios negasse audere, alios respondisse non putare id perfici posse*, lib. I, 33 §. 84 *respondit in hoc iudicio non persequi*, item I, 38 §. 97. 45 §. 117. II, 38 §. 93. cf. ad Divin. c. 12, et ad lib. II c. 33.

§. 61. *optimas]* primus Stephanus (Lamb.) edidit et negligentia repet. Lamb. permanavit. Deest enim in omnibus Lagom. praeter 29 et procul dubio in reliquis eius sectae, quamquam solus Huydecoperanus commemoratur.

ante valvas] Sic Stephanus et laudatur in margine Lambinianae repetitae sic esse in *v. c.* Est etiam in duobus Guelf. et Lag. 29 a prima manu. Vulgo. *ad valvas.* Inepte antea Stephanus *ad pluvium*, sed, opinor, codicem secutus.

habes quomodo emeris] Singulare dicendi genus pro habes in tabulis, sive perscripsisti, fortasse negotiatorum proprium. Lambinus in editione, quam ipse curavit, *habes dicere quomodo emeris* correxerat, sed postea annotationem scripsit, qua ellipsin agnosceret, ut non sine consilio haec quidem varietas lectionis ab repetitoribus omissa videatur.

in aedibus tuis sola iam sunt, quae sectorem expectant, relicta ac destituta a ceteris signis.

24 At, credo, in hisce solis rebus indomitas cupidi-
62 tates atque effrenatas habebat: ceterae libidines eius ratione aliqua aut modo continebantur. Quam multis istum ingenuis, quam multis matribus familias in illa taetra atque impura legatione vim attulisse existimatis? Ecquo in oppido pedem posuit, ubi non plura stuprorum flagitiorumque suorum, quam adventus sui vestigia reliquerit? Sed ego omnia, quae negari poterunt, praetermittam; etiam haec, quae certissima sunt et clarissima, relinquam: unum aliquod de nefariis istius factis eligam, quo facilius ad Siciliam possim aliquando, quae
63 mihi hoc oneris negotiique imposuit, pervenire. Oppidum est in Hellesponto Lampsacum, iudices, in primis Asiae provinciae clarum et nobile; homines autem ipsi Lampsaceni cum summe in omnes cives Romanos

---

§. 62. *ingenuis]* Subintellige puellis, virginibus, ex opposito. Turpiter fecit Lambinus, quod in vera editione *pueris* adiecit, nam, ut temeritatem omittam, scire debebat, de illo quidem flagitii genere in tota accusatione sileri. — *ecquo]* Cratander primus edidit, antea vulgari vitio, quod etiam codd. deterioris familiae omnes obsidet, *et quo.*

quam adventus sui] Intellige aliarum rerum, quae ad eius adventum pertinerent. Sed nescio, quid sit, quod in melioribus libris omnibus (et edit. Steph.) *quam* omittitur.

§. 63. *in Hellesponto]* Praepositionem, quae abest ab edd. principibus et Lag. praeter 29 omnibus, item Huyd. et aliis haud dubie eius familiae, primus addidit Naugerius. — *Lampsacum]* Graecis constanter est Λάμψακος, etiam Romanis scriptoribus, ut nesciam num quis alius praeter Ciceronem terminationem ac genus mutaverit.

cum summe] Cum pro *tum* ediderat Stephanus et Lambinus in priore editione, tacentibus repetitoribus, denuo Graevius, quem ceteri relinquere non debebant. Est enim hic transitus ad illum ipsum, de quo maxime dicendum, Ciceroni et optimis quibusque scriptoribus familiarissimus; et legitur sic in utroque Guelferbytano et Lag. 29. Sed incredibile dictu est, quotiens in hoc genere vulgares etiamnunc editiones mendosae sint: nam sicut nos ex optimis libris correximus har. oratt. lib. II, 20 §. 49, 43 §. 107, 45 §. 111; sic apud Livium, qui copiis

officiosi, tum praeterea maxime sedati et quieti, prope praeter ceteros ad summum Graecorum otium potius, quam ad ullam vim aut tumultum accommodati. Accidit, cum iste a Cn. Dolabella efflagitasset, ut se ad regem Nicomedem regemque Sadalam mitteret, cumque iter hoc sibi magis ad quaestum suum, quam ad rei publicae tempus accommodatum depoposcisset, ut illo itinere veniret Lampsacum, cum magna calamitate et prope pernicie civitatis. Deducitur iste ad Ianitorem quendam hospitem, comitesque eius item apud ceteros hospites collocantur. Ut mos erat istius, atque ut eum suae libidines flagitiose facere admonebant,

---

Drakenborchianis uti voluerit, restituet in libro I, c. 26 *cum aetas viresque, tum avita quoque gloria stimulabant*, c. 40 *cum commune Romani nominis, tum praecipue id domus suae dedecus fore*; in II c. 17 *cum ira maiore belli, tum viribus etiam auctis*, c. 26 *fessi cum itinere, tum populatione nocturna*, multisque aliis locis. Cf. tamen ad nostrum libr. IV, c. 66 init.

regemque Sadalam] Nicomedes rex ille est, cuius mortui testamento a. 75 Bithynia provincia populi Romani facta est. Sadala aliunde non est notus. Sed apud Caesarem Bell. Gall. III, 4 *Cotys* est Thraciae rex, qui filium suum Sadalam cum equitibus ad Caesarem miserat. Huius Cotyis patrem (vel fratrem natu maiorem, malim tamen patrem) non male opinatur Garatonius hunc *Sadalam* fuisse. Atque hanc puto itineris suscepti causam fuisse, ut illi reges Cn. Dolabellae ad bellum Ciliciense auxilia mitterent. — *iter hoc]* Guelf. 1 *hoc iter*.

ut eum suae libidines flagitiose facere admonebant] In vett. edd. legitur *libidines flagitiosae facere admonuërant*, a quibus discesserunt Stephanus et Lambinus *admonebant* edentes, Lambinus quidem duobus codd. suis (Cuiac. dicit Gulielmus) usus, tum Graevius, cum *flagitiose* e cod. Franc. reciperet. Nos utramque hanc varietatem coniunximus, codd. Guelff. secuti, quorum alter tamen *commonebant*. Adiungit Lallem. Parisinos duos, in quibus itidem Adverbium pro Adiectivo fuerit. Sed haec quidem una incurva lineola discernuntur, uti sciunt qui aliquando codicem veterem inspexerunt. Quid iam in hoc loco offendere possit, non intelligo, mihi quidem omnia bene procedere videntur. Praeterea *uti videant* a Stephano est, priores edd. et codd. Lag. omnes *ut videant*. Pro *ecqua* Guelf. 2 *si qua*, praeterea nulla scripturae varietas e libris meis annotatur. Sed editiones tamen veteres, quibus utor, omnes (et Steph.) usque ad Lambinianam et eius repet. *ecquae*. Vide Voss. de analog. lib. IV, p. 209.

statim negotium dat illis suis comitibus, nequissimis
turpissimisque hominibus, uti videant et investigent,
ecqua virgo sit aut mulier digna, quamobrem ipse
Lampsaci diutius commoraretur. Erat comes eius Ru-
64 brius quidam, homo factus ad istius libidines, qui miro
artificio, quocunque venerat, haec investigare omnia
solebat. Is ad eum rem istam defert, Philodamum
esse quendam, genere, honore, copiis, existimatione fa-
cile principem Lampsacenorum: eius esse filiam, quae
cum patre habitaret, propterea quod virum non habe-
ret, mulierem eximia pulchritudine; sed eam summa
integritate pudicitiaque existimari. Homo, ut haec au-
divit, sic exarsit ad id, quod non modo ipse nunquam
viderat, sed ne audierat quidem ab eo, qui ipse vi-
disset, ut statim ad Philodamum migrare se diceret
velle. Hospes Ianitor, qui nihil suspicaretur, veritus,
ne quid in ipso se offenderetur, hominem summa vi

---

§. 63. *quamobrem ipse — commoraretur]* Offendit haud dubie Imperfectum post duo Praesentia, sed tamen non recte fecisse puto Ernestium, cum, quid ipse scripturus esset cogitans, corrigeret contra omnes libros *commoretur.* Constat enim Ciceronem haud raro post Praesens in narratione ad Imperfectum Coni. transire, quasi rediens ad veram temporum rationem. Sic II, 15 *adversarii postulant, ut in eam rem iudices dentur ex his civitatibus, quae in id forum convenirent:* item II, 39 *rogat eos atque orat, ne oppugnent filium, de Sthenio ne laborent: confirmat his curaturum se esse, ne quid ei noceretur,* ubi male Ernestius *noceatur* esse sibi corrigendum putavit. Sed idem recte correxit *ipse* pro vulg. *iste*, quamquam dudum ante eum sic dederat Stephanus (Lamb.) ex codd., quoniam legitur in utroque Guelferbytano et Lag. 29.

§. 64. *virum non haberet]* aut mortuo illo, aut ipsa dimissa.

in ipso se offenderetur] Sic edd. principes. Nauger. edidit *in ipso se offenderit*, eaque lectio obtinuit usque ad Stephanum, qui veterem restituit e libris melioribus. Lambinus *ne quid in se offenderit* edidit, Gruterus et Graevius Naugerianam repetiverunt, quamquam ille Cuiacianum et Pal. priorem, hic utrumque Francianum pro vetere laudarunt, sed Graevius nondum contentus *in ipso offenderit* maluit. Ernestius denique Guelferbytano (2) nostram firmavit. Tantum fuit contentionis de re facili ad diiudicandum. Nam *offenderit* quin reiiciendum sit, ne-

retinere coepit. Iste, qui hospitis relinquendi causam
reperire non posset, alia sibi ratione viam munire ad
stuprum coepit: Rubrium, delicias suas, in omnibus
eiusmodi rebus adiutorem suum et conscium, parum
laute deversari dicit; ad Philodamum deduci iubet.
Quod ubi est Philodamo nuntiatum, tametsi erat igna- 65
rus, quantum sibi ac liberis suis iam tum mali con-
stitueretur, tamen ad istum venit; ostendit, munus il-
lud suum non esse: se, cum suae partes essent ho-
spitum recipiendorum, tum ipsos tamen praetores et
consules, non legatorum asseclas, recipere solere. Iste,
qui una cupiditate raperetur, totum illius postulatum
causamque neglexit: per vim ad eum, qui recipere non
debebat, Rubrium deduci imperavit. Hic Philodamus, 26

---

minem nunc propter temporum consecutionem dubitare puto, debebat certe *offenderet*. Sed utrum *ne quid in ipso se offenderet*, an *offenderetur* velis, perinde est: usitatius illud est, sed alterum hoc quidem loco manuscriptorum auctoritate munitius nec alioqui insolitum. De inv. II, 2 *stultitia visa est, a bene inventis alicuius recedere, si quo in vitio eius offenderemur*. Cf. Menken. in miscell. nov. Lips. Vol. I p. 530. Verres igitur offendit vel offenditur aliqua re sive (κατὰ) aliquid in ipso hospite suo.

§. 65. *tametsi erat ignarus]* Editiones veteres, una excepta Naugeriana, *tametsi non erat ignarus*, vel (Crat. Hervag.) *tametsi erat non ignarus*, etiam Stephanus. Denuo Lambinus, sicut Victorius et Hotom. iusserant, negationem eiecit, et Gruterus rationi vel potius testimonio Nonii Marcelli s. v. *constituere* obsecutus est. Mirum tamen etiam in codd. longe plurimis (neque enim desunt de numero eorum nisi tres Lagom. ex deterioribus et Guelf. ant.) negationem addi. Sed vide supra ad c. 15, §. 39. Librarii quod ipsi sciebant etiam Philodamum divinasse volebant.

iam tum] Ernestius in his verbis offendit, eaque hoc quidem loco deleri, et *iam* ad ea quae sequuntur transferri voluit, ut scriberetur *iam suum non esse*. Miror virum ingeniosum in eiusmodi coniecturis tempus lusisse. *Iam tum* facile explicatur de primo illo initio maximae calamitatis. Nam quamvis tum Verres nondum de supplicio cuiusquam cogitaret, flagitiosae tamen eius libidines eo evaserunt, ut tota Philodami domus pessundaretur. Verbum *mali* omisit Steph., quia abfuit a vetere cod. quo utebatur, cuius rei fidem facit Guelf. 2.

posteaquam ius suum obtinere non potuit, ut humanitatem consuetudinemque suam retineret, laborabat. Homo, qui semper hospitalissimus amicissimusque nostrorum hominum existimatus esset, noluit videri ipsum illum Rubrium invitus domum suam recepisse: magnifice et ornate, ut erat in primis inter suos copiosus, convivium comparat: rogat Rubrium, ut, quos ei commodum sit, invitet, locum sibi soli, si videatur, relinquat: etiam filium suum, lectissimum adolescentem, foras ad propinquum suum quendam mittit ad coenam.
66 Rubrius istius comites invitat: eos omnes Verres certiores facit, quid opus esset: mature veniunt: discumbitur: fit sermo inter eos, et invitatio, ut Graeco more

---

§. 65. *domum suam recepisse]* Vulgo legitur *in domum suam*, sed illud e melioribus codd. ediderunt Stephanus et Lambinus, adstipulantibus ambobus Guelf. Leid. Lag. 29 Cuiaciano apud Gruterum. Non equidem dico praepositionem additam a Ciceronis usu abhorrere, nam p. Arch. 3 Graevius recte edidit *cum in domum suam receperunt*, quod in optimo libro Erfurtensi ipse inveni, sed *domum meam*, *domum suam* frequentius est, cum saepissime etiam *domum* cum Genit. sine praepositione dicatur, quos locos collegi in Gramm. §. 400.

mittit] Edd. princ. et codd. vulgares *mitteret*, quod ut consistere posset, Naugerius addidit *ut* in principio membri. Post veram scripturam a Steph. primum editam neque hoc neque alio quodam remedio opus est. Nam Stephaniana lectio iam Cuiac. (apud Gruterum) et amborum Guelf. et Lag. 29 testimoniis firmatur. Post Steph. (Lamb.) *ad prop. quendam suum*, nullus meorum.

§. 66. *Graeco more]* Quid sit Graeco more bibere personatus Asconius videtur velle accurate exponere, sed diversa miscet, nec Hotomanus rem aperte pronuntiat. Significat Cicero illum *propinandi* morem, ceteris Graecis praeter Lacedaemonios, adde etiam Romanis sub Caesaribus, usitatum, ut appellarent eum, cui bene volentes biberent, eique praegustatum poculum traderent ebibendum. Cf. Ciceronem in Tusc. disp. I, 40 de Theramene venenum propinante pulchro Critiae. Quem morem non sane in quovis propinatore gratum nostra aetas ita correxit, ut compingendis poculis et symbolice quasi mutandis nec superbi videamur et ἐκ τοῦ αὐτοῦ bibamus. Lacedaemonii enim, ut alius quidam poeta Critias apud Athenaeum X, 41 dicit, ἔπινον τὴν αὐτὴν κύλικα, caventes quod fieri solebat in illa laetitia: εἶτ' ἀπὸ τοιούτων πόσεων γλώσσας τε λύουσιν εἰς αἰσχροὺς μύθους.

biberetur: hortatur hospes: poscunt maioribus poculis: celebratur omnium sermone laetitiaque convivium. Posteaquam satis calere res Rubrio visa est, *Quaeso,* inquit, *Philodame, cur ad nos filiam tuam non intro vocari iubes?* Homo, qui et summa gravitate, et iam id aetatis, et parens esset, obstupuit hominis improbi dicto: instare Rubrius: tum, ut aliquid responderet, negavit moris esse Graecorum, ut in convivio virorum accumberent mulieres. Hic tum alius ex alia parte: *Enimvero ferendum hoc quidem non est; vocetur mulier:* et simul servis suis Rubrius, ut ianuam clauderent, et ipsi ad fores assisterent, imperat. Quodubi 67
ille intellexit id agi, atque id parari, ut filiae suae vis afferretur, servos suos ad se vocat: his imperat, ut se ipsum negligant, filiam defendant; excurrat aliquis,

---

§. 66. *calere res]* i. e. matura esse, bene procedere, cui opponitur *frigere*, parum recte procedere. Locutio generalior est, quam ut Hotomanus ad vinum, quod convivas calefaceret, referre debuerit, quamquam idem scite observavit, Ciceronem illius convivii apud Demosthenem de falsa legat. p. 402 sq. Bekk. §. 196, in quo Olynthia mulier ab Aeschine et Phrynone loris caedi iussa sit, descriptionem imitatum esse. Ibi est ὡς δὲ προῄει τὸ πρᾶγμα καὶ διεθερμαίνοντο — ὕβριν τὸ πρᾶγμα καὶ οὐκ ἀνεκτὸν εἶναι.

hominis improbi dicto] Maluit Ernestius *improbe dicto*, sine causa idonea. — *tum ut]* Vulgo interiicitur *ille*, sed abest ab edit. Steph. et ab utroque Guelf. et Lambini vet. cod. nec opus esse, si minor interpunctio sit, facile senties.

enimvero ferendum hoc quidem] Apposite loco hoc Donatus usus est ad Terentii Andr. 1, 3 init. et verbum *enimvero* dicit „*significationem habere nimium permoti atque irritati animi.*“ Graeci 'Αλλὰ τοῦτο δή, Germ. Nun das ist doch. Sed addendam putavi post pronomen voculam *quidem*, ex Guelff. et Cuiaciano apud Gruterum et edit. Steph.; solet enim fere apud Ciceronem adiici, ubi accentu opus est. Est etiam in Lag. 29. Post Lag. 42 *et vocetur.*

§. 67. *Quodubi ille intellexit id agi]* *Quod* ad orationem continuandam pertinet, fere ut Germ. *nun*, cum sine accentu dicitur. Laudantur in lexicis Ciceronis loci in Verrem IV, 66, de Orat. 2, 49, sed quam frequens etiam cum aliis coniunctionibus sit, vide in Gramm. nostra §. 799.

qui hoc tantum domestici mali filio nuntiet. Clamor interea fit tota domo inter servos Rubrii atque hospitis. Iactatur domi suae vir primus et honestissimus: pro se quisque manus affert: aqua denique ferventi a Rubrio ipso Philodamus perfunditur. Haec ubi nuntiata sunt filio, statim exanimatus ad aedes contendit, ut et vitae patris et pudicitiae sororis succurreret. Omnes eodem animo Lampsaceni, simul ut hoc audierunt, quod eos tum Philodami dignitas, tum iniuriae magnitudo movebat, ad aedes noctu convenerunt. Hic lictor istius Cornelius, qui cum eius servis erat a Rubrio quasi in praesidio ad auferendam mulierem collocatus, occiditur, servi nonnulli vulneran-

---

§. 67. *filio nuntiet]* Vulgo *filio suo nuntiet*, sed abest *suo* a codd. Guelff. et Lag. omnibus, haud dubie etiam a ceteris deterioribus, quorum Meining. laudatur. Adiecerat primus Naugerius, servarantque reliqui secure praeter unum Stephanum. — *Clamor interea fit tota domo inter servos Rubrii atque hospitis]* Purgavi hunc locum additamento, quod sumptum e Iulii Rufiniani libello de figuris (p. 222 Ruhnk.) Hotomanus primus recipiendum censuit, *pugna inter servos* cet. Nam huius scriptoris fides in laudandis veterum auctorum locis non tam mihi explorata est, ut integram vocem ab eo contra omnes libros Ciceronianos recipere velim, praesertim cum narrationis ordini etiam obsit: nam a clamore demum ad manus veniunt.

vir primus et honestiss.] Adiicitur vulgo *et homo honestissimus*, ac potest aliquod discrimen constitui, ut *homo* ad naturam moresque, *vir* ad rem publicam referatur. Cic. Epist. VII, 5 *probiorem hominem, meliorem virum.* Cf. Divinat. 17 §. 56. Verum abest istud verbum a Leid. Guelff. Lag. 42, et omisit Stephanus, quapropter tutum non videtur servare. Sed *vir primus* offensionis aliquid mediae aetatis editoribus habuit, nam P. Victorius, seu quisquis edit. Iunt. 1534 curavit, et P. Manutius adversus librorum mss. auctoritatem substituerunt *vir optimus.* Paulo melius Lambinus e Nonio Marcello sub voce *iactare* dedit *primarius.* Quibus omnibus opus non est, quoniam *homo primus* legitur etiam II, 4 et 8; III, 71; V. 63 quo quidem loco nunc male editur *primario homini.*

Haec ubi nuntiata sunt filio] Hoc ordine Guelf. 1, meliore, puto, quam qui vulgo est, *haec ubi filio nuntiata sunt*, quem praeferrem, si aliud nomen sequeretur aut pronomine aliquo idem filius exprimeretur.

audierunt] Sic Steph. (Lamb.) et codices Guelff. et Lagom. omnes praeter 42. Eadem forma est etiam II, 42 §. 102 et IV, 41 extr. Vulgo *audiverunt.* Post *cum Philodami dignitas* Lag. 29 et Steph.

tur, ipse Rubrius in turba sauciatur; iste, qui sua cupiditate tantos tumultus concitatos videret, cupere aliqua evolare, si posset. Postridie homines mane in 27
contionem conveniunt: quaerunt, quid optimum factu 68
sit: pro se quisque, ut in quoque erat auctoritatis plurimum, ad populum loquebatur: inventus est nemo, cuius non haec et sententia esset et oratio: *Non esse metuendum, si istius nefarium scelus Lampsaceni ulti vi manuque essent, ne senatus populusque Romanus in eam civitatem animadvertendum putaret. Quodsi hoc iure legati populi Romani in socios nationesque exteras uterentur, ut pudicitiam liberorum servare ab eorum libidine tutam non liceret, quidvis esse perpeti satius, quam in tanta vi atque acerbitate versari.*
Haec cum omnes sentirent, et cum in eam rationem 69
pro suo quisque sensu ac dolore loqueretur, omnes ad eam domum, in qua iste deversabatur, profecti sunt: caedere ianuam saxis, instare ferro, ligna et sarmenta circumdare, ignemque subiicere coeperunt. Tum cives Romani, qui Lampsaci negotiabantur, concurrunt: orant Lampsacenos, ut gravius apud eos nomen legationis, quam iniuria legati putaretur; sese intelligere

---

§. 68. *homines mane — conveniunt]* Sic Steph. editio et Cuiac. et ambo Guelf. Vulgo *mane hom. veniunt.* IV, 29 *cum in consilium frequentes convenissent.* — *ut in quoque]* Edd. principes et codd. deteriores (Lag. VII et 42) *quoquo.* Bene correxit iam Naugerius. Vide Gramm. nostram §. 709. — *cuius non haec et sententia esset et oratio]* Recte sic vulgo legunt, at Guelf. 2 *ratio* habet, ut Stephanus et Lambinus ediderunt, quamvis in Lambinianae repet. margine ea scriptura *aliorum* dicatur. Itaque nescio an sententiam ipse Lamb. mutarit, quod aliis haud dubie locis accidit. Paulo post de eadem re *haec cum omnes sentirent, et cum in eam rationem pro suo quisque sensu ac dolore loqueretur.*

§. 69. *ignemque subiicere]* Steph. et ambo Guelf. *ignemque circum subicere* (sic), molesta eiusdem praepositionis repetitione. Mox *tunc cives* Steph. Guelf. 2: et additur in Guelf. 1 nomen *Lampsaceni* post *homini scelerato pepercissent.*

hominem illum esse impurum ac nefarium, sed, quoniam nec perfecisset, quod conatus esset, neque futurus esset Lampsaci postea, levius eorum peccatum fore, si homini scelerato pepercissent, quam si legato non pepercissent.

70 Sic iste, multo sceleratior et nequior, quam ille Hadrianus, aliquanto etiam felicior fuit: ille, quod eius avaritiam cives Romani ferre non potuerunt, Uticae domi suae vivus exustus est: idque illi merito accidisse existimatum est, ut laetarentur omnes, neque ulla animadversio constitueretur: hic sociorum ambustus incendio, tamen ex illa flamma periculoque evolavit; neque adhuc causam ullam excogitare potuit, quamobrem commiserit, aut quid evenerit, ut in tantum periculum veniret. Non enim potest dicere, cum seditionem sedare vellem, cum frumentum imperarem, cum stipendium cogerem, cum aliquid denique rei publicae causa gererem; quod acrius imperavi, quod animadverti, quod minatus sum. Quae si diceret, tamen

---

§. 69. *nec perf. — neque]* Lambinus bis *neque* posuit, veritus, opinor, quod et Ernestium video vereri ad Pisonianam c. 15 ut *nec — neque* recte opponi possint. Verum sic est in epist. ad Att. II, 19 et debet esse de amic. c. 22 §. 84. Idem Lambinus quod est har. oratt. II, 37 §. 91 *neque — nec*, corrigere adversus codd. temptavit.

§. 70. *quam ille Hadrianus]* Plene vocabatur C. Fabius Hadrianus, ut liquet Orosio V, 20 et epitomatore Liviano collatis. Sed reticet orator, aliam causam fuisse cur scelus illud impunitum manserit, quod accidit inter civilia Marianarum Sullanarumque partium bella, (Mario minore et Carbone Coss. ut Freinshemius res ordinavit,) nec dubium est, quin grata res Sullanis evenerit. Ceterum scripsi cum Stephano (Lamb.) *ferre non potuerunt* pro vulg. *potuerant*, quia narrationi aptius est et codd. fere omnium auctoritate munitur. — *idque illi merito]* Puto enim carere nos posse additamento vulgarium librorum editorum *ita*, quod vulgo post *idque* ponitur, sed in Steph. editione et in Guelf. ambobus cum Leid. deest. In edit. principibus (Ven. 1499, Ascens. 1511) legitur *id itaque illi*, in Iuntina factum est *idque ita illi*, Lambinus autem *idque illi ita* edidit. — *cum aliquid]* Cf. Gramm. nostram §. 710 et harum oratt. V, 8, 19.

ignosci non oporteret, si nimis atrociter imperando sociis in tantum adductus periculum videretur. Nunc 28
cum ipse causam illius tumultus neque veram dicere, 71
neque falsam confingere audeat; homo autem ordinis sui frugalissimus, qui tum accensus C. Neroni fuit, P. Tettius, haec eadem se Lampsaci cognosse dixerit; vir omnibus rebus ornatissimus C. Varro, qui tum in Asia militum tribunus fuit, haec eadem ipsa se ex Philodamo audisse dicat: potestis dubitare, quin istum fortuna non tam ex illo periculo eripere voluerit, quam ad vestrum iudicium reservare? Nisi vero illud dicet, quod et in testimonio Tettii priore actione interpellavit Hortensius: (quo tempore quidem signi satis dedit, si quid esset, quod posset dicere, se tacere non

---

§. 71. *ordinis sui frugalissimus]* i. e. ordinis plebeii, cui convenit etiam talis laus frugalitatis, sicut laudantur ex eodem homines *parci* et *sobrii*, *diligentes* et *attenti* (intellige ad quaestum honestum) *navi* et *industrii*, *prompti* et *experientes*. Quod ad hominem *frugalissimum* pertineat, comparativum gradum non apud Ciceronem, positivum apud nullum omnino scriptorem inveniri inter doctos constat. Cf. Quintil. Instit. 1, 6, 17 cum Spaldingii annotatione.

Tettius] Sic hominem primus appellavit Naugerius, antea erat *Petricius*, *Petirius*, *Petilius*, quae nomina sunt etiam in mss. Sed eorum varietates recensere inutile est, cum duo tantum aliquam auctoritatem habeant, *Pettius*, ut est apud Steph. et in Pariss. AC, sive *Pectius* Cuiac. Guelf. 2, et *Tettius*, quod in plerisque libris mss. inventum est. In lapidibus sunt et *Pettii*, et *Peccii*, et *Tettii*, sed hi quidem certissimi. Vide Reines. Inscriptt. I, 10. In Guelf. 2 porro legitur *tunc*, quod et in Lag. 42 est et ediderat Steph. Sed paulo post omnes libri *tum*. — *militum tribunus]* Cunctatus sum aliquamdiu revocare hunc verborum ordinem, quem exhiberi ab utroque Guelf. et duobus Pariss. BC et edit. Steph. vidissem, quia nondum alium locum cognovi, quo legitimus quasi ordo *trib. mil.* mutaretur. Sed inest fortasse quaedam oppositio adversus illum apparitorem Praetoris.

in testimonio Tettii] Ne dicam de nomine novis erroribus obnoxio (plerique enim deteriorum *Cettii*, Iunt. *Cecilii)*, verborum ordo est *in Tettii testim.* apud Steph. et in codd. Guelf. 2, Lag. 29. 42. Pariss. tribus. Sed *interpellavit* hic liberius cum neutro pronominis dictum est pro *interiecit*, *interpellans admonuit*. — *quo tempore quidem]* Guelf. 2 *quo tempore ipse quidem*.

posse; ut, quamdiu tacuit in ceteris testibus, scire omnes possemus, nihil habuisse quod diceret:) hoc tum dixit, Philodamum et eius filium a C. Nerone
72 esse damnatos. De quo ne multum disseram, tantum dico, secutum id esse Neronem et eius consilium, quod Cornelium lictorem occisum esse constaret: putasse non oportere esse cuiquam, ne in ulciscenda quidem iniuria, hominis occidendi potestatem. In quo video, Neronis iudicio non te absolutum esse improbitatis, sed illos damnatos esse caedis.

Verum ista damnatio tamen cuiusmodi fuit? Audite, quaeso, iudices, et aliquando misereremini sociorum, et ostendite, aliquid his in vestra fide praesidii
29 esse oportere. Quod toti Asiae iure occisus esse videbatur istius ille, verbo lictor, re vera minister im-

---

§. 71. *tacuit in ceteris testibus]* Codd. deteriores (Lag. VII. Pall. Franciani, Oxon. Huyd. Mein.) et edd. principes *quamdiu in ceteris rebus scire*, i. e. omisso verbo *tacuit*. Naugerius fecit *quamdiu in ceteris rebus tacuerit*, id quod servatum est usque ad Stephanum, et postea repositum. Qui libri verbum addunt, (Pariss. tres, Lag. 29. 42) eo loco collocant, quo nos fecimus, sed *testibus* non exhibent nisi Cuiac. (in var. lectt.) Leid. Paris. C. ambo Guelf. Post *filium eius* non ut vulgo *eius fil.* omnes boni, sed *multum* pro vulg. *multo* optimi tantum, Steph. (et Lamb. cum suo v. c. in marg. repet.) Leid. uterque Guelf. Paris. C. — *hoc tum dixit]* Lambinus ad priora continuanda edidit *sed hoc tum dixit*, non male, sed contra codices, uti facile intelligimus, cum tot ex diversis generibus nobis praesto sint. Neque opus est eo fulcro, quoniam tota oratio adiuvat.

§. 72. *cuiquam]* Hoc loco pronomen posuit Stephanus, cum in prioribus editionibus librisque mss. deterioribus ante *hominis* collocaretur. Repetitorum Lamb. negligentia Gruterum fefellit. Sed idem Steph. tamen *cuique*, Lag. 29 *cuipiam*, ambo mendose.

occisus esse videbatur] Sic Guelf. 1. Vulgo omittitur *esse*. — *re vera minister — cupiditatis]* Pro *re vera* in Guelf. 1 est *vere*, cuius significationis et oppositionis nullum ego simile exemplum invenio. Sed miror quod Lambinus in annotatione scribit, suos libros veteres habere *voluptatis* pro *cupiditatis*, neque enim ea lectio ex ullo alio libro msto laudatur nec videtur a Cicerone profecta esse. Error fortasse in hac re versatur, et recte fecit Lambinus, quod vulgatam servavit.

probissimae cupiditatis: pertimuit iste, ne Philodamus Neronis iudicio liberaretur: rogat et orat Dolabellam, ut de sua provincia decedat, ad Neronem proficiscatur: se demonstrat incolumem esse non posse, si Philodamo vivere atque aliquando Romam venire licuisset. Commotus est Dolabella: fecit id, quod multi 73
reprehenderunt, ut exercitum, provinciam, bellum relinqueret, et in Asiam, hominis nequissimi causa, in alienam provinciam, proficisceretur. Posteaquam ad Neronem venit, contendit ab eo, ut Philodami causam cognosceret. Venerat ipse, qui esset in consilio, et primus sententiam diceret; adduxerat etiam praefectos et tribunos militares suos, quos Nero omnes in consilium vocavit; erat in consilio etiam aequissimus iudex ipse Verres; erant nonnulli togati creditores Graecorum, quibus ad exigendas pecunias improbissimi cuiusque legati plurimum prodest gratia. Ille miser de- 74
fensorem neminem reperire poterat. Quis enim esset aut togatus, qui Dolabellae gratia, aut Graecus, qui eiusdem vi et imperio non moveretur? Accusator autem apponitur civis Romanus de creditoribus Lampsacenorum, qui, si dixisset, quod iste iussisset, per eiusdem istius lictores a populo pecuniam posset exigere. Cum haec omnia tanta contentione, tantis copiis agerentur; cum illum miserum multi accusarent, nemo defenderet; cumque Dolabella cum suis praefectis pugnaret in consilio; Verres fortunas agi suas diceret;

---

§. 74. *defensorem neminem reperire]* Sic Steph. (Lamb.) Guelf. ant. Pariss. B C: vulgo *defensorem reperire neminem.* — *civis Rom. de creditoribus Lampsacenorum]* Asconianae notulae praefigitur *et ex creditoribus*, quod Lambinus pro perpetua eius consuetudine in textum recepit, male, opinor: nam nisi ex interpretatione veteris enarratoris quid legerit apparet, istis librariis tantum tribuere auctoritatis adversus omnes libros Ciceronianos periculosum est. Sic etiam Garaton. iudicat.

tantis copiis agerentur] Saepe sic accusatorum *copiae* dicuntur de opibus ceterisque praesidiis, quibus ad condemnandum reum utuntur.

idem testimonium diceret, idem esset in consilio, idem
accusatorem parasset: haec cum omnia fierent, et cum
hominem constaret occisum, tamen tanta vis istius in-
iuriae, tanta in isto improbitas putabatur, ut de Phi-
30 lodamo amplius pronuntiaretur. Quid ego nunc in al-
75 tera actione Cn. Dolabellae spiritus, quid huius lacri-
mas et concursationes proferam? quid C. Neronis, viri
optimi atque innocentissimi, nonnullis in rebus animum
nimium timidum atque demissum? qui in illa re quid
facere potuerit, non habebat, nisi forte, id quod omnes

---

§. 74. *idem accusatorem parasset]* Guelf. 2 et Leid. *pararet*. Paulo post Lambinus edidit *tanta in isto improbitas esse putabatur*, ubi vulgo et rectius quidem *esse* deest.

§. 75. *in altera actione]* Editiones veteres usque ad Hervagianam *in alteram actionem* habent. Qui illam curavit primus de coniectura certissima, an ex melioribus libris, Ablativos edidit, eumque secuti sunt Manutius, Stephanus, Lambinus. Gruterus ad veteres sordes rediit, quas Ernestius tamquam de suo denuo eluit, cum Graevio (ex cod. Franc. et Asconii lemmate sic emendanti) operae non paruissent. Est etiam in utroque Guelf. — *et concursationes]* Usque ad Stephanum e codd. deterioris familiae *concursiones* edebatur, quod Hotomanus verissima coniectura emendavit, cf. Drakenborchium ad Liv. V, 40. IX, 24. XXXV, 49 a Garatonio laudatum de permutatione eorum verborum. Sed Stephanus tamen nihil nisi codicis scripturam expressit, nec Lambinus illum secutus audaciae crimen amplius sustinebit, cuius rei fidem faciunt ambo Guelf. nostri. — *nimium timidum]* Sic libri mss. fere omnes (certe meorum unus Lag. 6 dissentit): Naugerium puto offensum in simili verborum terminatione, eam solam habuisse causam cur corrigeret *nimis timidum*, quem adhuc praeter Stephanum et Lambinum reliqui omnes secuti sunt. Frustra, nam cum frequentissime Cicero *nimium* pro *nimis* dicat, tum ne concursum quidem similiter desinentium verborum veretur: p. Planc. 33 §. 82 *nimium me gratum esse concedam.*

quid facere potuerit, non habebat] Ex edd. vett. et libris mstis nihil auxilii ostenditur ad hunc locum corrigendum, nam quod Ernestius dicit, codicem Guelf. (recentiorem) valde corruptum esse, id eo redit, quod pro *qui* in illo libro mendose *quid* legitur. Correctionis autem indigere videtur propter insolitam temporum constructionem: *potuerit* — *habebat*, quapropter Ernestius *quid faceret* vel *quid facere posset* volebat. Confer tamen Coelii locum apud Quintil. Inst. VI, 3, 41 *Hic subsecutus quomodo transierit, utrum rate an piscatorio navigio, nemo sciebat*, ubi pro legitima consecutione temporum expectes *transisset*.

tum desiderabant, ut ageret eam rem sine Verre et
sine Dolabella. Quicquid esset sine his actum, omnes
probarent: tum vero quod pronuntiatum est, non per
Neronem iudicatum, sed per Dolabellam ereptum ex-
istimabatur. Condemnatur enim perpaucis sententiis
Philodamus et eius filius. Adest, instat, urget Dola-
bella, ut quamprimum securi feriantur, quo quam mi-
nime multi ex illis de istius nefario scelere audire pos-
sent. Constituitur in foro Laodiceae spectaculum acer- 76
bum et miserum et grave toti Asiae provinciae; gran-
dis natu parens adductus ad supplicium; ex altera
parte filius: ille, quod pudicitiam liberorum; hic, quod
vitam patris famamque sororis defenderat. Flebat uter-
que, non de suo supplicio, sed pater de filii morte,
de patris, filius. Quid lacrimarum ipsum Neronem
putatis profudisse? quem fletum totius Asiae fuisse?
quem luctum et gemitum Lampsacenorum? securi esse
percussos homines innocentes, nobiles, socios populi Ro-
mani atque amicos, propter hominis flagitiosissimi sin-
gularem nequitiam atque improbissimam cupiditatem?

---

§. 75. *et sine Dolabella]* Addidi praepositionem ex Steph. (Lamb.) editione, Lag. 29 et Guelf. antiq., nam qui recentiorem exaravit, mendose aliquot verba omisit. Sed *ereptum*, i. e. vi extortum, perfectum, ut recte Graevius. — *condemnatur — perpaucis sententiis]* Ernestius: „intellige supra numerum eorum, qui absolverant." — *quam minime multi]* Multos iam audisse fatetur, sed veretur ne eorum numerus amplior etiam fiat.

§. 76. *in foro Laodiceae]* Cur *Laodiceae?* Quia illa extrema fere provinciae Ciliciae urbs erat, vid. ad cap. 38: damnati autem illis dedi solebant, quos iniuria affecissent, ipsum autem iudicium factum videtur Lampsaci. Nomen *Laodicia* scribitur apud Stephanum, quia sic cum multis deterioribus codd. nonnulli etiam boni, ut v. c. in marg. Lamb. et Lag. 29, non Guelff. — *grandis natu]* Edidit Lambinus *hinc grandis* cet. ex coniectura propter sequens *ex altera parte.*

pudicitiam liberorum] Universe dixit, quod proprie ad unam filiam pertinet: cf. supra c. 15 §. 40 sed imprimis p. leg. Man. c. 12. In ipso verbo nulla codd. varietas, sicut nec V, 42 §. 109, quamquam *liberum* fere dici ipse Cicero in orat. c. 46 tradidit.

77 Iam, iam, Dolabella, neque me tui, neque tuorum liberum, quos tu miseros in egestate atque in solitudine reliquisti, misereri potest. Verresne tibi tanti fuit, ut eius libidinem hominum innocentium sanguine lui velles? Idcircone exercitum atque hostem relinquebas, ut tua vi et crudelitate istius hominis improbissimi pericula sublevares? Quod enim eum tibi quaestoris in loco constitueras, idcirco tibi amicum in perpetuum fore putasti? Nesciebas, ab eo Cn. Carbonem consulem, cuius re vera quaestor fuerat, non modo re-

---

§. 77. *Iam, iam, Dolabella, neque me tui, neque tuor. liberum misereri potest]* Sic edidi cum Graevio ex libris mstis et Quintil. Inst. IX, 1, 16 et Asconio ad Div. c. 7, quamquam hic quidem pro *misereri potest* brevitatis, ni fallor, causa *miseret* laudat. Et primum *me* in codd. vulgaribus et editt. vett. praeter Stephanianam deest, sed loco, quo ea vox posita est, offensus Lambinus *me neque tui* scripsit, quod idem, si reciperet, malle se dixit Ernestius. Frustra, quoniam omnis sonus vel sic facile in vocem *tui* conquiescit. Simile quid et alibi et lib. V, c. 44 init. invenies. Tum etiam turbas apud editores verbum *misereri* impersonaliter adhibitum excitavit. Nam cum in editt. principibus et codd. vulgaribus sic, ut nos edidimus, legeretur (praeter illud *me* insertum et *liberum*, quod primum in Hervagiana pro olim vulgato *liberorum* apparuit), extitit iam Nicol. Angelius, qui Iuntinam curavit, et mox Naugerius, qui pro priore *iam*, ne subiectum personale orationi deesset, *nemo* corrigerent. Nec Lambinus auctoritate librorum contentus fuit, sed cum *iam*, *iam* restituisset, *miserere* tamen edidit, qui Infinitivus verbi *miseret* esset. Frustra haec omnia suscepta esse, ne priscis auctoritatibus utar, quas Lexicographi collegerunt, ipsius Ciceronis locus e melioribus codd. emendatus satis probat, p. Lig. c. 5: *cave te fratrum, pro fratris salute obsecrantium, misereatur.*

hominum innocentium] Ante Stephanum et Lambinum *innocentum* edebatur, quae forma apud poetas quidem frequens est, sed a Ciceronis usu abhorret, cf. Goerenz. ad lib. I de Fin. c. 18 extr.

quaestoris in loco constitueras] In loco pro vulg. *in locum* edidit Steph. (Lamb.) sed nemo eum adhuc secutus est, quamvis *in loco* non solum in paucis melioris fidei libris (ut in utroque Guelf. et Leid.) sed etiam in vulgaribus sit, quorum e numero Oxon. Huydec. laudabantur, nunc accedunt etiam Lagom. septem. Mihi quidem *constituere in loco* prorsus Ciceronianum videtur, ut vulgo *ponere* et *collocare* cum praepos. *in* et Ablativo casu coniunguntur. *Constituere in munere* in libro de petit. Consulatus legitur c. 9. — *cuius re vera quaestor fuerat]*

lictum, sed etiam spoliatum auxiliis, pecunia, nefarie oppugnatum et proditum? Expertus igitur es istius perfidiam tum, cum se ad inimicos tuos contulit, cum in te homo ipse nocens acerrimum testimonium dixit, cum rationes ad aerarium, nisi damnato te, referre noluit.

Tantaene tuae, Verres, libidines erunt, ut eas ca- 31
pere ac sustinere non provinciae populi Romani, non 78
nationes exterae possint? Tune, quod videris, quod audieris, quod concupieris, quod cogitaris, nisi id ad nutum tuum praesto fuerit, nisi libidini tuae cupiditatique paruerit, immittentur homines? expugnabuntur domus? civitates non modo pacatae, verum etiam sociorum atque amicorum, ad vim atque ad arma confugient, ut ab se atque a liberis suis legati populi Romani scelus ac libidinem propulsare possint? Nam quaero abs te, circumsessusne sis Lampsaci, coeperitne domum, in qua deversabare, illa multitudo incendere; voluerintne legatum populi Romani comburere vivum Lampsaceni? Negare non potes. Habeo enim testimonium, quod apud Neronem dixisti; habeo,

---

Vulgo *fuit*, pro quo sane malis *erat*. At illud Steph. (Lamb.) edidit, comprobantibus Guelff. et Lag. 29. — *spoliatum auxiliis, pecunia]* i. e. auxiliis, quae pecunia continebantur, quam eandem sententiam etiam adiecta coniunctione *auxiliis et pecunia* exprimere potuisset. Sic et Asconius interpretatus est, cuius annotatione P. Manutius et Hotomanus cum assecla suo Lambino male abusi sunt, ut alteram vocem delerent. Neque potest offendere, quod duo nomina sine coniunctione ponuntur, quippe quod in orationibus saepe fiat.

cum se ad inimicos tuos contulit] Adiicitur in codd. Guelf. duobus *cum ipse se* cet. librarii oculis, ut videtur, ad proxime sequentia aberrantibus. Stephanus (Lamb.) tamen expressit ex simili libro suo.

§. 78. *atque a liberis]* Vulgo *ab*, sed sequimur Guelf. 1 cum Steph. edit. et plurimis deterioribus codd. Guelf. 2 Lag. 29 *atque liberis*. Post *ac libid.* Steph. (Lamb.) primus edidit, adstipulantibus nostris aliisque. Antea *atque*. — *testimonium, quod]* Vulgo legitur *test. tuum, quod;* vocem, qua facile carueris, eiecit Stephanus (Lamb.)

79 quas ad eundem litteras misisti. Recita hunc ipsum locum de testimonio. TESTIMONIUM C. VERRIS IN ARTEMIDORUM. *Non multo post in domum.* Bellumne populo Romano Lampsacena civitas facere conabatur? deficere ab imperio ac nomine nostro volebat? Video enim et ex iis, quae legi et audivi, intelligo, in qua civitate non modo legatus populi Romani circumsessus, non modo igni, ferro, manu, copiis oppugnatus, sed aliqua ex parte violatus sit, nisi publice satisfactum
80 sit, ei civitati bellum indici atque inferri solere. Quae fuit igitur causa, cur cuncta civitas Lampsacenorum

---

consentientibus Guelff. nostris. Verum Asconii notulae praefigitur amplius etiam *testimonium publicum tuum*, quod frustra mihi Garaton. defendere videtur. Nam alia res est, ubi quid ab Asconio explicatur, et ubi praescribitur tantummodo.

§. 79. *Recita hunc ipsum locum de testimonio. Testimonium C. Verris in Artemidorum. Non multo post in domum.* Absunt haec a codd. Guelferbytanis, sed quoniam in aliis codicibus omnibus et edd. vett. item in editione Stephaniana leguntur, retinenda censui. Sed quae praeterea in medio adiecta leguntur: *Recita ex Verris litteris ad Neronem. Ex litteris C. Verris ad C. Neronem* ea fluxerunt ex solius Hotomani opinione, et a Lambino primo temere sunt in ordinem recepta, pro perpetua eius ac servili obedientia erga illum. Gruterus certe cancellis a ceteris separaverat, sed Ernestius parum sibi constans eos ipsos sustulit.

Lampsacena civitas facere conabatur — volebat] Sic recte et bene codd., quos optimos appellare soleo, ambo Guelf. Cuiac. (apud Guliel. et Grut.) fortasse Leid., et ex eorum aliquo Steph. Lamb. Graevius. Nec opus esset quicquam annotare, ni deteriorum librorum corruptelae etiam editores in transversum egissent. Illi enim cum mendose exhiberent *conabantur* et *volebant*, partim etiam *Lampsaceni*, factum est iam in Ascensiana 1511 *Lampsaceni cives* et propagatum est ad Gruterum usque et Ernestium, qui cum quod unice verum est in Guelf. suo invenisset, istis tamen obsoletis libris parere maluit. Ceterum tota Ernestii annotatio, quam de his librorum varietatibus fecit, et ipsius et typothetarum negligentia pessime descripta est.

non modo legatus] Verba *non modo* non suo loco posita esse facile concesseris Hotomano. Codd. nihil mutant. Itaque confer, quod supra de *neque* minus accurate collocato annotavimus.

§. 80. *cur cuncta civitas Lampsacenorum — concurrerit]* Edd. vett. usque ad Hervagianam et Victorianam eiusdem anni *concurrerent*,

de contione, quemadmodum tute scribis, domum tuam concurrerit? Tu enim neque in litteris, quas Neroni mittis, neque in testimonio causam tanti tumultus ostendis ullam: obsessum te dicis, ignem allatum, sarmenta circumdata, lictorem tuum occisum esse dicis, prodeundi tibi in publicum potestatem factam negas: causam huius tanti terroris occultas. Nam si quam Rubrius iniuriam suo nomine, ac non impulsu tuo et tua cupiditate fecisset, de tui comitis iniuria questum ad te potius, quam te oppugnatum venirent. Cum igitur, quae causa illius tumultus fuerit, testes a nobis producti dixerint, ipse celarit: nonne causam hanc, quam nos proposuimus, tum illorum testimonia, tum istius taciturnitas perpetua confirmat?

Huic homini parcetis igitur, iudices, cuius tanta 32
peccata sunt, ut ii, quibus iniurias fecerit, neque le- 81
gitimum tempus expectare ad ulciscendum, neque vim tantam doloris in posterum differre potuerint? Circumsessus es. A quibus? A Lampsacenis: barbaris hominibus, credo, aut iis, qui populi Romani nomen contemnerent. Immo vero ab hominibus et natura et

---

quemadmodum in codd. vulgaribus est (Lag. VII), tum coeptum est edi *concurreret*, eaque lectio servata est usque ad Graevium et Ernestium, qui consulere se Ciceronis integritati putarent, si veteres sordes, cum meliora in promptu essent, restituerent. Nam quod Ernestius dixit, esse similia exempla, nimirum verborum collectivorum cum plurali coniunctorum, de Livio verum est, de Cicerone prorsus falsum, qua de re dixi in Gramm. L. L. §. 366. Quid igitur fiet? Reddendum videlicet Ciceroni, quod Gruterus e Cuiaciano notavit, quodque Steph. et illum secutus Lambinus dudum ediderunt, *concurrerit:* idem in utroque Guelf. legitur, quamvis Ernestius in altero *concurrerent* esse scripserit, porro in Lag. 29, cum in 42 saltem sit *concurreret.* Ceterum *tuam*, quod omisit Steph. (Lamb.), est in omnibus codd. quorum scripturis utor.

tum illorum] Stephaniana editio et Lag. 29 *cum:* nullus praeterea alius liber.

§. 81. *legitimum tempus]* i. e. cum provincia decessisset Romamque rediisset. Vide Garatonium prudenter adversus Hotomanum disputantem.

consuetudine et disciplina lenissimis, porro autem populi Romani condicione sociis, fortuna servis, voluntate supplicibus: ut perspicuum sit omnibus, nisi tanta acerbitas iniuriae, tanta vis sceleris fuisset, ut Lampsaceni moriendum sibi potius quam perpetiendum putarent, nunquam illos in eum locum progressuros fuisse, ut vehementius odio libidinis tuae quam lega-
82 tionis metu moverentur. Nolite, per deos immortales, cogere socios atque exteras nationes, hoc uti perfugio, quo, nisi vos vindicatis, utentur necessario. Lampsacenos in istum nunquam ulla res mitigasset, nisi eum poenas Romae daturum credidissent. Etsi talem acceperant iniuriam, quam nulla lege satis digne persequi possent: tamen incommoda sua nostris committere legibus et iudiciis, quam dolori suo permittere maluerunt. Tu mihi, cum circumsessus a tam illustri civitate sis propter tuum scelus atque flagitium; cum coegeris homines miseros et calamitosos, quasi desperatis nostris legibus et iudiciis, ad vim, ad manus, ad arma confugere; cum te in oppidis et civitatibus amicorum non legatum populi Romani, sed tyrannum libidinosum crudelemque praebueris; cum apud exteras nationes imperii nominisque nostri famam tuis pro-

---

§. 81. *quam legationis metu]* Sic uterque Guelf. et editio Stephani (Lamb.), vulgo inverso ordine, quod non propterea quia *odio libidinis tuae* praecesserit, rectius videri debet. Eam enim varietatem scriptor noster amat.

§. 82. *possent]* Sic codd., quorum quidem extant testimonia, omnes. Primus *poterant* fecit Naugerius contra elegantiam orationis Ciceronianae, nec Steph. (Lamb.) animadverterunt posteri editores.

nostris committere legibus] Nostris restituerunt Graevius et Ernestius ex edd. vett. et codicibus suis; recte, nam *vestris* nulla idonea auctoritate nititur, quamvis editiones veteres omnes obtineat. Silendum tamen non est, Lambinum primum *nostris* edidisse, sed in marg. repet. editionis ea non illius, sed *al.* lectio vocatur. — *cum te in opp.] Te* primus addidit P. Manutius ex aliquo meliore, nam vulgares omnes (Lag. VII et 42, Huyd.) omittunt.

bris flagitiisque violaris; cum te ex ferro amicorum populi Romani eripueris, atque ex flamma sociorum evolaris: hic tibi perfugium speras futurum? Erras: ut huc incideres, non ut hic conquiesceres, illi te vivum exire passi sunt.

Et ais, iudicium esse factum, te iniuria circum- 33
sessum esse Lampsaci, quod Philodamus cum filio con- 83
demnatus sit. Quid? si doceo, si planum facio, teste homine nequam, verum ad hanc rem tamen idoneo — te ipso, inquam, teste docebo, te huius circumsessionis tuae causam et culpam in alios contulisse, neque in eos, quos tu insimularis, esse animadversum. Iam nihil te iudicium Neronis adiuvat. Recita, quas ad Neronem litteras misit. EPISTOLA C. VERRIS AD NERONEM. *Themistagoras et Thessalus.* Themistagoram et Thes-

---

§. 82. *ex flamma]* Sic Guelff. Steph. Lambini v. c. in marg. rep. Vulgo *e*. Post Guelf. 1 *evolaveris*.

§. 83. *te ipso, inquam, teste docebo]* Ernestius, ut orationis membra in eandem formam coirent, quae nunc disparia videntur, correxit *doceo*. Sed neminem potest naturalis illa sermonis inconcinnitas offendere, cuius haud raro exempla inveniuntur, modo interrogationis signa tollantur. Nam etiam prius illud *Quid? si doceo* nihil aliud est nisi forma mutata: *age igitur docebo*.

culpam in alios contulisse, neque in eos, quos tu insimularis, esse animadversum] Hoc loco cum Lambino et Garatonio, accurate hac de re disputante, Asconii auctoritatem codicibus nostris praeferre non dubitavi. Nam cum vulgo et *transtulisse* et *insimularas* legatur, vetus enarrator ita ut edidimus non solum laudat, sed etiam interpretandi ratione omnem corruptelae suspicionem, quam Gruterus iniecit, removet. Et *transtulisse* quidem per se ferri potest, sed *insimularis* quin multo praestet Plusquamperfecto, nemo potest dubitare. (Itaque etiam P. Manutius recepit.) Accedit quod in utroque Guelf. *insimulares* legitur, quo quasi gradu ad probandam lectionem nostram uti possimus. Lag. 29 *insimulabas*.

Recita, quas ad Neronem litteras misit. Epistola C. Verris ad Neronem. Themistagoras et Thessalus] Desunt haec verba in utroque Guelf., sed cum non obsint certe et apud Steph. inveniantur, nunc quidem servanda putavi. Sed in seqq. *Recita* alterum, quod vulgo verbis *Ab accusatore rogatus* praeponitur, ab iisdem illis Guelff. et

salum scribis populum concitasse. Quem populum? Qui te circumsedit: qui te vivum comburere conatus est. Ubi hos persequeris? ubi accusas? ubi defendis ius nomenque legati? In Philodami iudicio dices id
84 actum? Cedo mihi ipsius Verris testimonium: videamus, quid idem iste iuratus dixerit. *Ab accusatore rogatus respondit, in hoc iudicio non persequi: sibi in animo esse, alio tempore persequi.* Quid igitur te iuvat Neronis iudicium? quid Philodami damnatio? Legatus cum esses circumsessus, cumque, quemadmodum tute ad Neronem scripsisti, populo Romano communique causae legatorum facta esset insignis iniuria, non es persecutus: dicis tibi in animo esse alio tempore persequi. Quod fuit id tempus? quando es persecutus? Cur imminuisti ius legationis? cur causam populi Romani deseruisti ac prodidisti? cur iniurias tuas, coniunctas cum publicis, reliquisti? Non te ad senatum causam deferre, non de tam atrocibus

---

Steph. abest, et delevimus propterea quod ab ipso potius Cicerone dicta videntur quae sequuntur. Ceterum Asconius laudat *interrogatus*, quod de teste sane est usitatius, quam alterum illud, verum lib. IV, 8 et c. 67 pr. *rogantur* testes Mamertini, al. Itaque non inmerito, cum Asconii annotatio nihil de ipso verbo contineat, dubitari potest, an illud ex interpretatione in verba praescripta translatum sit.

scribis] Steph. (Lamb.) ex codd. melioribus, quod in textum repetitae Lambinianae receptum Gruterum fefellit, itaque pervasit. Antea *scribit*.

§. 84. *te iuvat*] Lambinus in margine repetitae edit. scripsisse indicatur *adiuvat*, quod si verum est, referatur ad curas posteriores. Sed *iuvat* satis frequens est pro *adiuvat*. — *insignis iniuria*] Melior haec verborum collocatio videtur, quam quae in vulgatis libris ingrato sono offendit *iniuria insignis*, et auctoritatis non parum habet a Stephaniana (Lamb.) et codd. Guelff. et Lag. 29. — *Non te ad senatum*] Deteriores libri (Lag. VII et 42. Mein. Huyd.) *nonne*, quod editiones veteres obtinuit usque ad Hervagianam. Nam adhiberi etiam simplex *non* in eiusmodi interrogationibus constat. Tum *concitarent* scripsi ex iisdem libris melioribus (Steph. Guelff. Lag. 29) quod ad querimoniam Verris melius pertinet, quam quod vulgo editur *concitarant*.

iniuriis conqueri, non eos homines, qui populum con-
citarent, consulum litteris evocandos curare oportuit?
Nuper, M. Aurelio Scauro postulante, quod is Ephesi 85
se quaestorem vi prohibitum esse dicebat, quo minus
e fano Dianae servum suum, qui in illud asylum con-
fugisset, abduceret, Pericles Ephesius, homo nobilis-
simus, Romam evocatus est, quod auctor illius iniu-
riae fuisse arguebatur: tu, si te legatum ita Lampsaci
tractatum esse senatum docuisses, ut tui comites vul-
nerarentur, lictor occideretur, ipse circumsessus paene
incenderere; eius autem rei duces et auctores princi-
pes fuisse, quos scribis, Themistagoram et Thessa-
lum: quis non commoveretur? quis non ex iniuria,
quae tibi esset facta, sibi provideret? quis non in ea
re causam tuam, periculum commune agi arbitraretur?
Etenim nomen legati eiusmodi esse debet, quod non
modo inter sociorum iura, sed etiam inter hostium
tela incolume versetur.

---

§. 85. *M. Aurelio Scauro]* Fortasse eo, qui Cos. fuit a. 646 u. c. 108 a. Chr., nam *nuper* quod dicit, paulo longioris temporis esse potest, cf. Divin. extr. c. 20; quod illic dicitur *nuper* factum, eo ipso anno 108 factum est, ut hoc *nuper* quattuordecim ferme annis remotius fuerit. Potest tamen etiam ad filium illius pertinere nobis ignotum, sed non debet referri ad M. Scaurum, Dolabellae accusatorem, qui ex Aemilia gente et principis illius bis Consulis filius fuit. Haec Ferratius accurate, ut omnia.

illius iniuriae — arguebatur] Sic Stephaniana (Lamb.) editio et codd. Guelff. cum Lag. 29, vulgo, male concurrentibus litteris, *iniuriae illius*, et *argueretur.* Hoc quidem non displicet, sed constantia servanda erat. — *duces et auctores principes]* In hac scriptura libri omnes et mss. et olim editi videntur convenire. Primus Naugerius *duces et auctores et principes* edendum curavit, quod adhuc obtinuit in plerisque omnibus, et rectius est haud dubie quam quod Ernestius maluisse se dicit *duces, auctores et principes.* Quidni potius coniunctionem prorsus sustulit, ut simile fieret illi, quod est in Epist. lib. X, 6 extr. *Senatui bonisque omnibus auctorem, principem, ducem praebeas?* Sed praestat *principes* Adiectivum putare et ad utrumque Substantivum referre. — *Themistagoram]* Graeca terminatione — *an* edidit Stephanus, *et legitur* in Lag. 29.

34 Magnum hoc Lampsacenum crimen est libidinis
86 atque improbissimae cupiditatis: accipite nunc avaritiae propemodum in suo genere non levius. Milesios navem poposcit, quae eum praesidii causa Myndum prosequeretur. Illi statim myoparonem egregium de sua classe, ornatum atque armatum dederunt. Hoc praesidio Myndum profectus est. Nam, quid Milesiis

---

§. 86. *accipite nunc]* In Guelferb. 2 *vero* pro *nunc* legitur, quod idem in marg. repet. Lamb. est, tamquam *aliorum*, sed ipsius est Lambini. Nimirum, quod non semel animadvertisse mihi videor, Lambini vet. cod. in his prioribus libris magis etiam cum recentiore Guelferbytano consentit, quam cum antiquiore.

quae eum — prosequeretur] Cum sit ipsius Verris et oratio et consilium, debebat esse non *eum*, sed *se*. Sed non raro scriptores hoc pronominis reflexivi usu neglecto, omissa quasi alterius persona, ad suam in hac quidem parte redeunt. Sic, ne aliorum Latinitatis auctorum exempla colligam, ipse Cicero de orat. I, 54 de Socrate: *respondit sese meruisse, ut amplissimis honoribus et praemiis decoraretur, et ei victus quotidianus in prytaneo publice praeberetur;* p. Sext. 24 §. 54 *ne noctem quidem consules inter meum discrimen et eorum praedam interesse passi sunt.* Cf. lib. II, 62 §. 151. lib. IV, 39 §. 84. Alterius cuiusdam generis exemplis minus utor, quod ubi consequentia quaedam significatur, in arbitrio scriptorum positum videtur esse, utrum eam ex animo subiecti an ex suo velint proferre, quamquam Cicero, cum reflexiva significatione pronominis *ipsius* simpliciter positi non delectetur, etiam in hac re propriam alteri pronomini reflexivo sedem esse voluit. Qualia sunt p. Flacco 20 §. 47 *neminem adeo infatuare potuit, ut ei nummum ullum crederet.* Phil. VI, 3 §. 6 *Non is est Antonius: nam si esset, non commisisset, ut ei senatus, tamquam Hannibali initio belli Punici denuntiaret, ne oppugnaret Saguntum.* de leg. agr. II, 1 *plerique autem hoc perficiunt, ut tantum maioribus eorum debitum esse videatur, unde etiam quod posteris solveretur redundaret,* quibus facile *ipsi, ipsorum* inducere posses, si hoc ut insequentis aetatis scriptoribus, ita Ciceroni placeret.

Myndum] Cariae urbem. Sed quod in navigatione vix quinque milliarium Germanicorum prope littus praesidii causa navem armatam secum proficisci iussit, ostendit, illum ipsum locum praedonibus maxime infestum fuisse. Confirmat Strabo libro XIV, 1 §. 7 πρόκειται δὲ (τῇ Μιλήτῳ) ἡ Λάδη νῆσος πλησίον, καὶ περὶ τὰς Τραγαίας νησία, ὑφόρμους ἔχοντα λῃσταῖς. Ceterum Garatonius recte indicat factum illud videri, cum Verres ex Thracia in Ciliciam reverteretur, non Romam decederet.

lanae publicae abstulerit, item de sumptu in adventum, de contumeliis et iniuriis in magistratum Milesium, tametsi dici tum vere, tum graviter et vehementer potest, tamen dicere praetermittam, eaque omnia testibus integra reservabo: illud, quod neque taceri ullo modo, neque dici pro dignitate potest, cognoscite.
Milites remigesque Miletum Myndo pedibus reverti iu- 87
bet: ipse myoparonem pulcherrimum, de decem Milesiorum navibus electum, L. Magio et L. Fannio, qui

---

§. 86. *quid Milesiis lanae publicae abstulerit]* Lambinus *publice* legendum putavit, temere, quid enim est *publice auferre?* Miletus et olim tingendi arte celebris erat (cf. Colum. VII, 2), nec hodie ea ars in illis regionibus exerceri desiit. Videtur igitur *lana publica* esse, quae cum redisset ex publicis pascuis, in officinis tinctoriis item publicis pretiosis coloribus infecta esset. Cf. de hac Verris domesticae elegantiae cura lib. IV, 26. Silere noluimus in Lag. 29 *a Milesiis* inventum esse, cf. supra ad c. 10. Sed solus sic sibi sapere videtur. Neque accipimus, quod idem liber, sed cum Steph. (Lamb.) editione, praebet, *cum vere*, neque enim eiusmodi res est, ut multum referat. — *potest]* quo loco nunc quidem vulgo positum est, fluxit a Steph. per Lambinianas repetitiones. Nam deteriores codd. et edd. vett. post *ullo modo* collocant.

§. 87. *myoparonem pulcherrimum]* Nomen bellici navigii satis frequens in his orationibus, imprimis piratici. Sed descriptionem frustra petiveris ex rudi mole Schefferiana. Appianus de bell. civ. V, 95 Octaviam fratri Augusto narrat donasse a marito Antonio petitos decem φασήλους τριηρετικοὺς, ἐπιμίκτους ἔκ τε φορτίδων νεῶν καὶ μακρῶν, quos eosdem Plutarchus in vita Antonii c. 35 μυοπάρωνας appellat. Uno remorum ordine instructos fuisse ex aliis locis videtur apparere, ubi biremibus et triremibus opponuntur.

L. Magio et L. Fannio] Edd. princ. *L. Mario L. Rabio*, Naugerius fecit *L. Magio et L. Rabio*, a quo non descivit nisi Lambinus *L. Magio et L. Fannio* edens. Nam Stephanianam editionem pro ipso codice habeo. Libri autem mss. deteriores *L. Maio et L. Rabio*, (quamquam Gruterus in Pall. *Magio* fuisse testatur) meliores cum Steph. *L. Mario et L. Fabio*. Sed cedant in hac re Ciceroniani codices Asconio et consensui Appiani in bello Mithrid. c. 68 et Orosii VI, 2 *Magium* et *Fannium* (Ascon. *Phannium*) appellantium. Est quidem in illis quoque scriptoribus codicum aliqua dissensio, sed alia nec tanta, videturque satis composita esse. Erant autem hi homines Marianarum partium in Asia reliquiae (ex Fimbriano exercitu Oros. ait) cumque il-

Myndi habitabant, vendidit. Hi sunt homines, quos nuper senatus in hostium numero habendos censuit: hoc illi navigio ad omnes populi Romani hostes, usque a Dianio, quod in Hispania est, ad Sinopam, quae in Ponto est, navigaverunt.

O dii immortales! incredibilem avaritiam, singularemque audaciam! Navem tu de classe populi Romani, quam tibi Milesia civitas, ut te prosequeretur, dedisset, ausus es vendere? Si te magnitudo maleficii, si te hominum existimatio non movebat: ne illud quidem cogitabas, huius improbissimi furti, sive adeo nefariae praedae, tam illustrem ac tam nobilem civi-
88 tatem testem futuram? An, quia tum Cn. Dolabella in eum, qui ei myoparoni praefuerat, Milesiisque rem gestam renuntiarat, animadvertere tuo rogatu conatus est, renuntiationemque eius, quae erat in publicas litteras relata illorum legibus, tolli iusserat: idcirco te

---

lae partes duce Sertorio in Hispania revixissent, Mithridatis cum Sertorio huc illuc commeantes societatem composuerunt.

vendidit] Sic simpliciter non credo hoc Ciceroni. Quid? si negotiatoribus illis civitas Milesiorum debebat, ut pignoris capiendi ius haberent? Improbe Verrem fecisse credibile est, sed causam certe aliquam probabilem fuisse necesse est, cur Dolabella in illum, qui renuntiasset, tamquam calumniatorem animadvertere conaretur.

a Dianio — ad Sinopam] Urbis nomen in editis magis est varium, quam in mss. Nam cum olim *Sinopam* scriberetur, in Victoriana extitit *Sinopem*, unde Ernestius fecit *Sinopen*, Graevius *Sinopam* restituit. Omnis auctoritas pro Latina forma est, sed aeque certe *Sinopen* est pro leg. Man. c. 8. *Sinopem* nihil est. *Dianium* promontorium est Hispaniae (*Διάνιον* Strabo lib. 3 p. 159) sinum Sucronensem occidentem versus terminans, altum et arduum, in quo templum Dianae Ephesiae et urbs a Massiliensibus condita, hodie *Denia*. Sed libri mss. plerique et edd. principes *ab Diano*, Naugerius nomen correxit, sed Steph. inepte libro suo obsecutus *diarino* edidit. Ego autem *a Dianio* dedi secundum Guelf. ant.

si te hominum] Abest *te* a Guelf. 2 et Lag. 29 (a pr. manu) et Stephaniana (Lamb.) editione. Ut non desiderarem, si deesset, ita non deleo, cum Guelf. antiquior et melior sileatur. Latet enim pronomen post coniunctionem cum vi repetitam.

ex hoc crimine elapsum esse arbitrabare? Multum te 35
ista fefellit opinio, et quidem multis in locis. Sem- 89
per enim existimasti, et maxime in Sicilia, satis cautum tibi ad defensionem fore, si aut referri aliquid in litteras publicas vetuisses, aut, quod relatum esset, tolli coegisses. Hoc quam nihil sit, tametsi ex multis Siciliae civitatibus priore actione didicisti, tamen etiam in hac ipsa civitate cognosce. Sunt illi quidem dicto audientes, quamdiu adsunt ii, qui imperant: simulac discesserunt, non solum illud perscribunt, quod tum prohibiti sunt, sed etiam causam adscribunt, cur non tum in litteras relatum sit. Manent istae litterae Mileti, manent, et, dum erit illa civitas, manebunt.
Decem enim naves iussu L. Murenae populus Mile- 90
sius ex pecunia vectigali populo Romano fecerat, si-

---

§. 88. *elapsum esse arbitrabare]* Sic legebatur olim usque ad repetitiones Lambinianas, in quibus primum inveni *arbitrabere*, fortasse typographorum mendo. Sed ex illis in ceteras editiones fluxit, donec Ernestius hoc quidem correxit, novum autem vitium corrigendo intulit, dum fecit *elapsurum esse arbitrabare*. Omnino tota oratio de illo tempore est, quo in Asia versabatur Verres: ecquid tu illo tempore arbitrabare te omne iam crimen effugisse cet. Et sic libri mss. ad unum omnes.

§. 89. *satis cautum tibi ad defensionem fore]* Sic pro Caecina c. 4 *quo mulieri esset res cautior.* — *priore]* Steph. sola *priori*.

simulac discesserunt] Hoc facile alicui minus verum videatur: neque enim illi simulac Praetor ex illa urbe ad aliam quandam provinciae partem se convertit, quod factum est, litteris publicis perscribunt: esset enim periculosum, si enuntiaretur: sed tum demum libertate sua uti possunt, cum magistratus successore accepto totam provinciam reliquit ac *decessit*. Itaque sic putavi aliquando emendandum esse, et inveni postea etiam in altero Guelferbytano; verum omisi tamen, quoniam *discedere* universe dictum videri potest, in quo et *decessio* insit.

causam] Lag. 29 *causas*.

§. 90. *ex pecunia vectigali populo Romano fecerat]* Quod nunc quidem legitur *populi Romani*, scriptorum librorum nulla certa auctoritate nititur, nec in edd. vett. est, quae aut *P. R.* aut *Po Ro* habent. Primus sic edidit Naugerius, inde per Manutianas, Stephanianas, Lambinianas edd. usque ad recentiores migravit. Sed Dativus disertos ha-

cut pro sua quaeque parte Asiae ceterae civitates: quamobrem unam ex decem, non praedonum repentino adventu, sed legati latrocinio, non vi tempestatis, sed hac horribili tempestate sociorum amissam, in litteras publicas rettulerunt. Sunt Romae legati Milesii, homines nobilissimi ac principes civitatis, qui, tametsi mensem Februarium et consulum designatorum nomen expectant, tamen hoc tantum facinus non modo negare interrogati, sed ne producti quidem reticere poterunt: dicent, inquam, et religione adducti, et domesticarum legum metu, quid illo myoparone factum sit; ostendent, C. Verrem in ea classe, quae contra piratas aedificata sit, piratam ipsum consceleratum fuisse.

---

bet auctores Pall. libros et Oxon. et duos Guelf., et si loci sensum spectes, unice verus est. Nam supra Milesios navem *de sua classe* dedisse scripsit, quod naves populo Romano debebant, sicut Asconius interpretatur, neque verisimile est, earum navium causa aliquid ceteris vectigalibus populi Romani detractum esse. Imperabantur enim naves civitatibus, ex suis vectigalibus populo Romano praestandae. Miror de Lagomarsinianis codd. nihil notari.

tametsi mensem Februarium et consulum designatorum nomen expectant] Figura Zeugma est, cum expectandi verbum, quod ad rem futuram insequentis anni Februarium mensem pertinet, etiam ad rem praesentem adhibeatur, iam enim designati sunt Consules Q. Hortensius et Q. Metellus. Itaque generalior illius verbi notio utrique adiungatur: suspensi sunt animis propter instantem mensem Februarium, quo legationes in senatu audiuntur, et potentiam Consulum designatorum, Verri amicorum. Hoc et olim nonnullis videtur displicuisse, quoniam Asconius legi etiam *extimescunt* annotavit, et Hotomanus, utraque lectione coniuncta, scribendum censuit *mensem Febr. expectant, et nomen — extimescunt.* Recepit Lamb. in prima editione, sed in repetita editione brevis annotatio eius legitur, qua se iam nihil mutari velle significat. De verbo *expectare* medio sensu atque adeo cum metuendi notione adhibito, conf. Cortium ad Sallust. Iug. XIV, nr. 11. Eadem res est in verbo *sperare* et Graeco ἐλπίζειν.

sed ne producti quidem] i. e. ita ut illis facultas modo dicendi, quae sciant, detur, nam cum interrogati iureiurando ad dicendum adiguntur, iam necessitas quaedam infertur. — *domesticarum legum]* Sic Steph. et codd. meliores, antea *leg. domest.* Negligentia Lamb. repet. facta est vulgata.

C. Malleolo, quaestore Cn. Dolabellae, occiso, 36
duas sibi hereditates venisse arbitratus est, unam quae- 91
storiae procurationis; nam a Dolabella statim pro quaestore iussus est esse: alteram tutelae; nam, cum pupilli Malleoli tutor esset, in bona eius impetum fecit. Nam Malleolus in provinciam sic copiose profectus erat, ut domi prorsus nihil relinqueret; praeterea pecunias occuparat apud populos, et syngraphas fecerat; argenti optimi caelati grande pondus secum tulerat; (nam ille quoque sodalis istius erat in hoc morbo et cupiditate;) grande pondus argenti, familiam magnam, multos artifices, multos formosos homines reliquit. Iste, quod

§. 91. *C. Malleolo — occiso]* Non dicit a quo: credo ab hostibus, nam ut putem auctorem consulto suspicioso verbo usum esse, non persuadet mihi Asconius. Ridicule multi codd. deteriores (Lag. VII praeter 5 et 6) *a Cn. Dolabella* exhibent. — *sic copiose profectus erat]* Offendit in his aliquid Ernestium, ut *copiose* glossam esse arbitraretur. Quod non facile puto eum cuiquam probaturum, sed tamen *sic* hoc modo pro *tam* adhiberi rarum est. Cic. de senect. 8 *Graecas litteras sic avide arripui, ut.*

pecunias occuparat] i. e. fenore collocaverat (Suet. Aug. 39) apud civitates, fenori illis dederat — ut exerceretur pecunia neque otiosa esset, observante Hotomano. *Syngraphas facere* Ernestius recte ad privatos homines, quibus Mall. pecuniam crediderat, pertinere statuit, Graecumque eum morem fuisse iam Hotomanus ostenderat, cum Romae litteris obligatio fieret nominibus transcribendis in accepti et expensi codicibus. Quae et illius et Savinii Iurisperitissimi nuper explicata opinio (vide Savinii dissertationem de Rom. contractu litterali in Actis Acad. Berol. an. 1816) insigniter confirmata est repertis Gaii Institutionibus, ubi lib. III §. 134, postquam de transcripticiis nominibus dictum est, et quaesitum num iis etiam peregrini obligarentur, additur: *Praeterea litterarum obligatio fieri videtur chirographis et syngraphis, i. e. si quis debere se aut daturum se scribat, ita scilicet, si eo nomine stipulatio non fiat, quod genus obligationis proprium peregrinorum est.* Hoc autem interesse inter *chirographum* et *syngraphum* Salmasius de usuris cap. 6 p. 133 edit. Elsev. docuit, quod chirographis simpliciter testamur debere nos aliquid alicui, cui is servandus datur, syngraphus autem ceteras quoque debiti condiciones continet et binis exemplaribus scriptus et ab utroque signatus utrique contrahentium traditur, cet.

multos formosos homines reliquit] Ernestius correxit *reliquerat*

argenti placuit, invasit; quae mancipia voluit, abduxit; vina, ceteraque, quae in Asia facillime comparantur, quae ille reliquerat, asportavit; reliqua vendidit, pe-
92 cuniam exegit. Cum eum ad HS vicies quinquies redegisse constaret, ut Romam rediit, nullam litteram pupillo, nullam matri eius, nullam tutoribus reddidit; servos artifices pupilli cum haberet domi, circum pedes autem homines formosos et litteratos, suos esse dicebat, se emisse. Cum saepius mater et avia pueri postularent, uti, si non redderet pecuniam, nec rationem daret, diceret saltem, quantum pecuniae Malleoli

---

ob praecedentia *fecerat — tulerat*. At illa quidem ex alio tempore sunt, hoc postremum narrationem continuat. Idem vir doctus paulo post frequentibus orationis caesuris offensus verba *quae ille reliquerat* ab interpolatore addita putavit. Verum necessaria esse ad sententiam negari non potest, et pronominis relativi repetitio etiam alibi toleratur. Post Guelf. ant. addit *et* ante *pecuniam exegit*.

§. 92. *ad HS vicies quinquies]* Sic nunc fere editur iussu Hotomani, et recte quidem; sed codd. cum *quinquies* omnes expressis litteris scribant, *vicies* tamen numerorum notis exhibent, quamquam sunt etiam qui duplici scribendi ratione coniuncta, sicut est in Guelf. 2, *XXD quinquies* habeant, quod debebat aut *XX quinquies* esse, aut *XXD milia*, ut est supra cap. 14. Inde monstra diversae scripturae nata sunt, quae persequi non est necesse. Ceterum *eum* post *cum* additum est primum a Lambino et per repetitas eius editiones propagatum, in quo quamquam me offendit, quod a Stephano deficitur, relinquere tamen eum nolui, quia in Guelf. ant. et Lag. 29. 42 pronomen videtur inventum esse, in reliquis autem deest, nec magnopere requirerem, cum absit etiam alibi v. c. II, 65 extr.

nullam litteram — reddidit] i. e. nullam, ne paucis quidem litteris confectam, rationem reddidit. Sed ingeniose Schützius *nullam libellam* coniecit, ut est lib. II c. 10 *ecquis Volcatio, si sua sponte venisset, unam libellam dedisset?* Quid igitur erit? Mihi quidem, si de redditione pecuniae sermo esset, diversae personae non placerent, rationem vero reddere potuit cui vellet illorum. — *suos esse dicebat, se emisse]* Sentiri facile puto nativam elegantiam loci, quam corrupit Lambinus, cum correxisset *suos esse, se emisse dicebat*.

redderet pecuniam nec rationem daret] Ernestius cum *rationem dare* hoc sensu nusquam se reperisse diceret, verba commutata esse censuit, scribendumque esse *daret pecuniam nec rationem redderet*. Duos locos Lexica subministrant, quamquam non sane idoneorum au-

deportasset: a multis efflagitatus aliquando dixit HS decies: deinde in codicis extrema cera nomen infimum in flagitiosa litura fecit: expensa Chrysogono servo HS sexcenta milia accepta pupillo Malleolo rettulit.

---

ctorum, Plauti in Trinummo IV, 2, 30 et Varronis de L. L. lib. 5, 9 ex censoria formula *si quis pro se sive altero dari rationem volet.*

a multis efflagitatus] Praepositionem addidi ex codd. Guelff. et Lag. 29, sicut Stephanus (Lamb.) e suis fecerat. *Multis* esset „multis verbis," sed melius videtur ac fortius, hominem a multis amicis Malleoli appellatum dici. *Flagitare aliquem,* ut sit vehementius aliquid ab aliquo poscere, non rarum est, *efflagitare* sic apud Ciceronem non invenitur, sed nihil impedit, quominus dici possit. Auctor Bell. Hisp. c. 29: *aequitas loci adversarios efflagitabat, ut tali condicione contenderent ad victoriam.*

expensa Chrysogono servo HS *sexc. milia accepta pupillo Malleolo rettulit]* Servum esse Verris Asconius censet, nec ipse puto aliter simplex hoc nomen intelligi posse. Huic igitur Verris servo, Hotomanus et Graevius interpretantur, solutam esse illam pecuniam, non a Verre, sed aliunde, ex nominibus nimirum Malleoli, vel ex bonis divenditis, ita ut *expensa* non coniungant cum *rettulit*, sed absolute intelligant. Quam interpretationem, licet ad difficultatem rei tollendam accommodatam, non possum amplecti eam ob causam quod sequentia *quomodo Chrysogono expensa lata sint* apertissime indicant, quod et ipsa verborum structura et sermonis usus in hac re suadet, *expensa rettulit* eodem modo esse coniungendum et explicandum ut *accepta rettulit.* Eandem igitur pecuniae summam, quam in altero nomine Chrysogono se dedisse Verres scripsit, in altero accepisse se Malleoli pupilli nomine notavit. Cur autem Chrysogono solverit vel expensa retulerit, dicere nemo facile potest, verum satis est, quod et ipsum Ciceronem mirari eam rem videmus. Fortasse servus ille Verri a rationibus erat, eique Romam profecturo dominus omnem illam Malleoli pecuniam alicubi tuto collocandam tradidit (nam rerum nexus postulat, ut eodem ferme tempore et acceptam Malleolo pecuniam et expensam Chrysogono rettulerit, i. e. cum etiamtum in provincia versaretur). Postea igitur veterator in urbem reversus moras nectere coepit, et vix a multis flagitatus tandem illam pecuniam, detracta denuo parte aliqua, heredibus Malleoli solvit. Miratur autem Cicero haec quattuor, et iudicum ea de re suspiciones movet, primum quod, cum antea decies se accepisse dixisset, postea sexcenta tantum scripta in codice suo ostenderit, deinde quod ipsa DC milia simplici summa, nec plus nec minus, fuerint, tum quodnam istud negotium cum Chrysogono sit, denique de litura tabularum. Lambinus locum sibi non intellectum foede interpolavit; quadringenta enim illa milia, quae Verres de HS decies detraxisse

Quomodo ex decies HS sexcenta sint facta; quomodo DC eodem modo quadrarint, ut illa de Cn. Carbonis pecunia reliqua HS sexcenta facta sint; quomodo Chrysogono expensa lata sint; cur id nomen infimum in li-
93 turaque sit, vos existimabitis. Tamen HS sexcenta milia cum accepta rettulisset, HS quinquaginta milia soluta non sunt; homines, posteaquam reus factus est, alii redditi, alii etiam nunc retinentur; peculia omnium vicariique retinentur.

---

narratur, illum Chrysogono iussit expensa referre. Quasi hoc quicquam Verri profuerit, si pecuniam servo (suo an alieno perinde est) expensa rettulerit. Si alicui dedit, certe acceperat: itaque tenetur reddere, cuius nomine acceperit. Sed in istis nugis diutius non commemorabor, hoc tantum annotabo ex nota Graevii apparere, eum Lambini veram editionem non tractasse. Nam eum laudat tamen, quod coniecturam in textu non posuerit. Ille vero posuit, ut cetera fere omnia, quae repetitae editionis curatores in his primis orationibus in margine habent, ita tamen, ut *quadringenta*, non vitiose, ut repetitores, *quadraginta* ediderit. Convertam igitur locum imperitiorum causa Germanice sic: Er stellte auf dem letzten Blatte seines Rechnungsbuches ganz unten an einer schmählich radirten Stelle das Anerkenntnifs dieser Schuld so aus, dafs er die seinem Sclaven Chrysog. ausgezahlten 600000 Sest. dem jungen Malleolus gut schrieb.

facta sint] Garatonius *facta sunt* restituendum censet, quod fuit in edd. vett. usque ad annum 1534 (Vict. Hervag.) nimirum quia haec orator memoriae causa addit, ut recordentur auditores de simili fere ratione reddita consularis pecuniae, cap. 14. Sic haud dubie intelliges: verum coniunctivus a proximis trahitur, et optimorum librorum consensu firmatur.

§. 93. HS *quinquaginta milia soluta non sunt]* Vulgo legitur *quinque milia*, quod Ernestius ita explicat, ut Verrem *ne quinque milia quidem solvisse heredibus* putet, quod certe verum non est, tum verborum causa, tum quod facile intelligitur, Verrem, quae ex codice Malleoli nomine se accepisse confiteretur, ea non reddere nec voluisse nec potuisse. Solvit igitur illam pecuniam, sed *quinquaginta milia* inde detraxit, noli dubitare, certis de causis. *Quinque* si retinuisset, vix hoc mentione dignum videretur, sed *quinquaginta* non Lambinus de coniectura, sed ante eum certissimus auctor Stephanus edidit libris suis iubentibus, nam sic Lallem. unus Parisiensis habet, et quod magis me movet (nam Lallem. fides multis locis dubia est) uterque Guelferbytanus et Lag. 29.

Haec est istius praeclara tutela. En, cui tuos li- 37
beros committas: en memoria mortui sodalis: en me-
tus vivorum existimationis. Cum tibi se tota Asia
spoliandam ac vexandam praebuisset; cum tibi expo-
sita esset omnis ad praedandum Pamphylia: conten-
tus his tam opimis rebus non fuisti: manus a tutela,
manus a pupillo, manus a sodalis filio abstinere non
potuisti. Iam te non Siculi, non aratores, ut dicti-
tas, circumveniunt, non hi, qui decretis edictisque tuis
in te concitati infestique sunt: Malleolus a me pro-
ductus est, et mater eius atque avia; quae miserae,
flentes, eversum a te puerum patriis bonis esse dixe-
runt. Quid expectas? an dum ab inferis ipse Malleo- 94
lus existat, atque abs te officia tutelae, sodalitatis fa-

---

§. 93. *en memoria mortui sodalis: en metus* cet.] Nescio an ex duobus Lambini codd. (dicere videtur Steph. edit. et Cuiacianum) et vetustiore Guelf. edere debuerim *en memoriam — en metum*, cum ne recentior quidem Guelf. et Lag. 29 prorsus dissentiant, quippe qui *memoria — metum* habeant. Sed movit me Ciceroniani sermonis consuetudo, apud quem nusquam non *en* cum Nominativo coniungatur, ne *ecce* quidem Accusativum post se habeat, nisi uno loco de Fin. 2, 30 in vulg. edd. *Ecce miserum hominem, si dolor summum malum est.* Sed illo loco noli dubitare, quin cum optimis libris *ecce* deleas et exclamationis signum addas. Nihil egit Goerenzius, qui *en miserum hominem* Ciceroni obtruderet.

vexandam praebuisset] Vulgo *tradidisset*, nec quicquam annotatur. Sed *praebuisset* Stephanus (Lamb.) edidit, et ego in duobus Guelf. inveni, cui consensui optimorum librorum parui. — *opimis rebus]* Deteriores et edd. principes *optimis*, quod correxit Naugerius. Sed en Stephanus restituit, quia in suo libro invenerat, cuius rei fidem facit Guelf. 2 et Lag. 29. Nimirum ne boni quidem ab eiusmodi vitiis immunes sunt. — *quae miserae, flentes — dixerunt]* *Misere* cum simplici vocali in nonnullis libris mstis (uno Lamb. ambobus Franc. recent. Guelf.) legi mirum non est, quam *ae* nusquam fere non cum lineola curva scribatur *ę*. Sed *misere flere* in hac oratione ridiculum aliquid habet: itaque *miserae* coniungendum cum pronomine, *flentes* ad verbum referendum.

§. 94. *ipse Malleolus]* Sic meliores codd. omnes, et Steph. Lamb. ediderunt, neque tamen adhuc quisquam animadvertit, quamquam ipse Cicero paulo post eodem redit. Vulgo *ille Mall.* — *abs te]* Desunt

miliaritatisque flagitet? Ipsum putato adesse. Homo avarissime et spurcissime, redde bona sodalis filio, si non quae abstulisti, at quae confessus es! Cur cogis sodalis filium hanc primam in foro vocem cum dolore et querimonia emittere? cur sodalis uxorem, sodalis socrum, domum denique totam sodalis mortui, contra te testimonium dicere? cur pudentissimas lectissimasque feminas in tantum virorum conventum insolitas invitasque prodire cogis? Recita omnium testimonia.

TESTIMONIUM MATRIS ET AVIAE.

38 Pro quaestore vero quomodo iste commune Mi-
95 lyadum vexarit, quomodo Lyciam, Pamphyliam, Pisidiam Phrygiamque totam frumento imperando, aesti-

---

haec apud Stephanum et Lambinum, quia abfuerunt a codice pari Guelf. 2. Item Steph. et Guelf. 2 *at* omittunt. — *emittere]* Lamb. edidit *mittere* contra codd. nostros. *Mittere vocem* procul dubio usitatius, sed *emittere* quoque probum: ad Her. IV, 53 *vocem emittat* immerito a Graevio correctum est, cum sic in omnibus mstis esse Oud. confirmet. Vix dignum, quod annotetur nisi ut Stephani simplicitas cognoscatur, illum edidisse *amittere*, nam Lag. 29 *admittere*, ut ex simili mendo possis de Steph. codice coniecturam facere. — *lectissimasque feminas]* Edebatur usque ad Victor. et Hervag. *electissimus*, quod et est in codd. deterioribus (Lag. VII). Quin illi recte, dubium esse nequit, nam *lectus* epitheton honorificum est, cum virorum, tum imprimis mulierum. Cf. v. c. lepidum sermonem Aspasiae apud Cic. de Invent. I, 31. *Electus* sic non dicitur.

§. 95. *commune Milyadum] Commune* τὸ κοινὸν Graece esse ut apud Polyb. saepe τὸ κοινὸν τῶν Ἀχαιῶν legitur, interpretes annotant, cf. ad II, 46, sed nihil dicunt de forma vocis *Milyadum*. Regio ista inter Lyciam et Phrygiam et Pamphyliam sita vocatur ἡ Μιλυὰς, incolae Graece sunt οἱ Μιλύαι sive Μίλυες (vide Steph. Byzant.), non Μιλυάδαι, ut debebat, si *Milyadum* pro *Milyadarum* dictum putaretur. Tamen hoc necesse est, nam *Milyades* tertia declinatione nemo existimabit. Sic in Rull. II, 19 *Phaselitum* pro *Phaselitarum* positum commemoravit Schneiderus in Gramm. Lat. p. 24.

Phrygiamque totam] Itaque tres dioeceses, Cibyratica, Apameensis, Synnadensis, Ciliciae provinciae adiectae erant, sicut item cum Cicero illi provinciae praeesset. Nam alias Asiae attribuebantur. Vide Sigonium de antiquo iure provinc. lib. I cap. 11, collatum cum Perizon. in Animadv. histor. p. 56 edit. Harless.

mando, hac sua, quam tum primum excogitavit, Siciliensi aestimatione afflixerit, non est necesse demonstrare verbis. Hoc scitote: his nominibus, quae res per eum gestae sunt, cum iste civitatibus frumentum, coria, cilicia, saccos imperaret, neque ea sumeret, proque his rebus pecuniam exigeret, his nominibus solis Cn. Dolabellae HS ad tricies litem esse aestimatam. Quae omnia, etiamsi voluntate Dolabellae fiebant, per istum tamen omnia gerebantur. Consistam in uno nomine: multa enim sunt ex eodem genere. Recita. DE 96
LITIBUS AESTIMATIS CN. DOLABELLAE PR. PECUNIAE REDACTAE. QUOD A COMMUNI MILYADUM. Te haec coegisse, te aestimasse, tibi pecuniam numeratam esse dico: eademque vi et iniuria, cum pecunias maximas cogeres, per omnes partes provinciae te tamquam aliquam calamitosam tempestatem pestemque pervasisse demonstro. Itaque M. Scaurus, qui Cn. Dolabellam accu- 97
savit, istum in sua potestate ac dicione tenuit. Homo adolescens cum istius in inquirendo multa furta ac fla-

---

§. 95. *per eum]* Steph. *per hunc*, ut est in Lamb. *v. c.* et Lag. 29. Leid. *per ipsum*, ex quo facere possis *per istum*, sed varietas pronominum *iste* et *is* non potest offendere. Nam mox *Volumen eius rerum actarum isti ostendit*, vide etiam supra c. 26 extr. 51 init. 53 extr. al. — *proque his rebus]* Sic meliores. Vulgo *pro* sine coniunctione. Sed eam ubi negatio antecesserit saepe pro *sed* poni, satis constat. — *multa enim]* Accessit *enim* per Steph. et codd. meliores, solita ratione per repet. Lamb. Grutero subministratum.

§. 96. *Cn. Dolab. Pr.]* Litterae P. R. solitas turbas fecerunt, dum alii *pop. Rom.* intellexerunt. Accedit quod mendose in cod. Steph. et Lag. 29 *pecuniam* est, et in Guelf. 1 *pecunia redacta est.* Inde concinnavit Lambinus somnia sua *Pr. pecuniaque populo Rom. redacta.* Sed taedet propemodum ubi a Steph. et cod. vet. destituitur ineptientis. Titulus est generalis, deinde singularis.

§. 97. *Homo adolescens]* Ernestius sic Ciceronem augendi causa et quasi admirantem dixisse putat. Equidem contra reprehendendi et excusandi causa. Cur enim tam multus esset in sua ratione contraria probanda? Scaurus ulciscendi Dolabellae cupidus nihil non sibi permissum putabat, ut illum paternum inimicum damnaret.

gitia cognosceret, fecit perite et callide: volumen eius rerum gestarum maximum isti ostendit: ab homine, quae voluit, in Dolabellam abstulit: istum testem produxit: dixit iste, quae velle accusatorem putavit. Quo ex genere mihi testium, qui cum isto furati sunt, si uti voluissem, magna copia fuisset; qui ut se periculo litium coniunctione criminum liberarent, quo ego vellem descensuros pollicebantur. Eorum ego volunta-
98 tem omnium repudiavi. Non modo proditori, sed ne perfugae quidem locus in meis castris cuiquam fuit. Forsitan meliores illi accusatores habendi sint, qui haec omnia fecerunt. Ita est: sed ego defensorem in mea persona, non accusatorem maxime laudari volo. Rationes ad aerarium, antequam Dolabella condemnatus est, non audet referre: impetrat a senatu, ut dies sibi prorogaretur, quod tabulas suas ab accusatoribus Dolabellae obsignatas diceret, proinde quasi excri-

---

§. 97. *dixit iste — putavit]* Absunt haec verba a libris mss. vulgaribus, et addidit primus Naugerius, bono aliquo codice, quod saepe vidimus, usus. Ambo Guelf. ante *produxit* adiiciunt *protulit*.

§. 98. *Forsitan — habendi sint]* edidi ex Guelf. antiquiore et Lag. 29 pro vulg. *sunt*, cum animadvertissem eam dictionem a Cicerone, etymi ratione habita, ita cum Coniunctivo modo coniungi solere, ut non meminerim, nuncubi ab hac quasi lege sua discesserit. Nam harum oratt. lib. II, 3 iure nostro ex optimo codice *sentiamus* dedimus pro vulg. *sentimus*. Cf. etiam ad IV, 56. Atque tot sunt loci, ubi Coniunctivus, nisi eum ipsius particulae natura affici dicas, vix aliter explicari potest, velut IV, 21 *quae forsitan vobis parvae esse videantur*, V, 2 *quod debeam forsitan obtinere*, in Bruto c. 8 extr. *quae forsitan laus sit*, ad Attic. epist. XII, 18 *quae res forsitan sit refricatura vulnus meum* al. Cf. etiam Drakenborch. ad Livium III, 47, 5 et V, 52, 5 et nos ad Quintil. II, 16, 11 Suppl. Adiecimus deinde ex edit. Steph. (Lamb.) quod etiam legitur in Guelff. Leid. Lag. 29 *Ita est*. Neque enim raro sic sibi ipse respondet orator.

prorogaretur] Sic primus Naugerius, antea quod est in deterioribus codd. *prorogarentur*; sed etiam Steph. sic in codice suo mendose invenerat, quoniam edidit, et in Lag. 29. Sed idem Steph. paulo post *te lecto eo* pro *eiecto eo* absurde. — *proinde quasi]* primus edidit Lambinus, consentientibus mss. nostris, sed ille tamen perpetuo sic

bendi potestatem non haberet. Solus est hic, qui nunquam rationes ad aerarium referat. Audistis quae- 39
storiam rationem tribus versiculis relatam, legationis non, nisi condemnato et eiecto eo, qui posset reprehendere; nunc denique praeturae, quam ex senatus consulto statim referre debuit, usque ad hoc tempus non rettulit. Quaestorem se in senatu expectare di- 99
xit; perinde quasi non, ut quaestor sine praetore possit rationem referre, (ut tu, Hortensi, ut omnes,) eo-

---

sibi scribendum putavit, et verbum *perinde* prorsus ex Cicerone sustulit, nisi sicubi eius oculos fefellit, ut de Off. III extr. Fuisse contra alios, qui *proinde* deleri vellent, vide apud Graevium ad Epist. X, 24 et Drakenborchium ad Liv. II, 58 init. et nos in Gramm. Lat. §. 282. Nunc quidem in editionibus et aliorum scriptorum et Ciceronis summa inconstantia est, sicut paulo post cap. inseq. iidem editores, qui h. l. Lambinum secuti sunt, *perinde quasi* servarunt, ubi nos nunc quidem ex plerisque Lagomarsinianis item *proinde* dedimus, quamquam in Guelf. 1 et Lag. 48 *perinde*, in Guelf. 2 et Lag. 5. 6 *deinde* legitur. Lib. III, 87 extr. *proinde quasi*, sed III, 19 *perinde loquor quasi* in omnibus est. Videturne aliquid ad eam rem facere, utrum ea verba coniuncta an separata sint? Quamquam apud Terentium Phorm. II, 3, 35 certum est *proinde expiscare quasi non nosses.* Mihi si quid statuendum est in ea re, *perinde* videtur esse pariter, *proinde* similiter, Germ. perinde *gleich, so*, proinde *verhältnifsmäfsig, demgemäfs*, ut malim sane *proinde quasi* et *proinde ac* scribi, ubi de similitudinis, ut ita dicam, abusu in re falsa sermo sit. Mitto plura, sed apud Quintilianum dico *proinde ac* codicum auctoritate ubique firmari. Cf. Oudendorp. ad Caes. de bell. civ. III, 1.

§. 99. *Quaestorem]* Intellige alterum, ne cum Lambino contra librorum fidem corrigas *quaestores. — ut quaestor sine praetore possit rationem referre]* Ernestius primus controversiam de loco movit, quam ut diiudicemus, hoc primum statuendum videtur, utrum saepius fieri solitum sit, ut Quaestor sine Praetore, an Praetor sine Quaestore rationem referret? Illud longe dico frequentius factum esse. Nam cum Praetores et Consules saepe plus uno anno in provincia manerent, Quaestoribus singulis annis succederetur, apparet Quaestores plerumque sine Praetore rationem rettulisse. Quo igitur pertinet illud *ut tu, Hortensi, ut omnes?* Nimirum ad Quaestores: nam *omnes* dicit pro *plerosque omnes* augendi causa. Hinc procedens Cicero, inversa re, licere dicit, ut etiam Praetor sine Quaestore referat: verum si hoc omnes Praetores fecissent, qua tandem iuris specie Verres in senatu se Quaestorem suum expectare dicere potuisset? Ernestius igitur et sensum et

dem modo sine quaestore praetor. Dixit, idem Do-
labellam impetrasse. Omen magis patribus conscri-
ptis, quam causa placuit: probaverunt. Verum quae-
stores quoque iampridem venerunt: cur non rettuli-
sti? Illarum rationum ex ea faece legationis quaesto-
riaeque tuae procurationis illa sunt nomina, quae Do-
labellae necessario sunt aestimata. EX LITIBUS AESTI-
100 MATIS DOLABELLAE PR. ET PRO PR. Quod minus Dola-
bella Verri acceptum rettulit, quam Verres illi expen-

---

structuram loci corrupit, cum post *Praetore* interpunxit et alteram periodi partem non a verbis *eodem modo*, sed a *posset* incipere indicaret. Sed in errorem incidit, quod *posset* contra Latini sermonis leges esse intellexerat. Debere enim *potest*, cum de re certa dicatur. Verum hoc est, sed succurrunt duo codd. Guelf. in quibus *possit* legitur, quod si Ernestius animadvertisset, non eum amplius Indicativum desideraturum fuisse puto. Neque enim multum hic Coniunctivus a sensu Indicativi differt. Ita prorsus, ut nunc edidi, olim dedit Lambinus: verum in margine repet. scripsisse, sive voluisse secundis curis, traditur *ut Quaestor sine Praetore potest — eodem modo possit sine Quaestore Praetor*, addito semel verbo. Codd. autem *possit* propemodum omnes, sed pro *ut* fere habent *et*, olim editi *et — possit*, donec Vict. Hervag. *ut — posset* fecerunt, Steph. *et — possit*.

idem Dolabellam impetrasse] Impetravit igitur, ut ne prius rationem referret, quam Quaestor advenisset, i. e. ipse Verres. Ille autem tantum aberat, ut Praetorem suum in iudicio adiuvaret, ut eum destitueret et ad accusatores transiret. — *omen magis patrib.]* Sic restitutam primum vidi in Victoriana, priores ex codicibus deterioribus (nam auctores fiunt plerique Lagom.) dederunt *imperasse omnem (s. omne) magistratibus conscriptis qua causa placuit.*

Ex litibus aestimatis Dolabellae Pr. et pro Pr.] Restitui lectionem vett. editionum codicumque omnium, pro qua primus Graevius ex Franc. pr. dedit, quod sane nec ipsum displicet *Pr. pop. Rom.* Sed illi libro tantum fidei non tribuerim: et rem ipse Graevius dubiam facit, qui tamquam ex eodem codice praeterea *pecuniae redactae* addiderit. Nam haec verba cum in nullo libro legantur, tum aperte ex Hotomani nota accesserunt, collatis quae supra c. 38 leguntur. Quare non animadversa Garatonius de significatione huius formulae disputat, contenditque significari pecunias e bonis damnati redactas. At supra *redactae pecuniae* certe idem valent quod *exactae* a sociis. Nostro autem loco *Praetorem et Propraetorem* vocari Dolabellam mihi quidem non mirum videtur, cum dubitari nequeat, quin homo etiam ipsius Praeturae criminibus accusatus sit.

sum tulerit, HS quingenta triginta quinque milia; et quod plus fecit Dolabella Verrem accepisse, quam iste in suis tabulis habuit, HS ducenta triginta duo milia; et quod plus frumenti fecit accepisse istum, HS decies et octingenta milia, quod tu, homo callidissimus, aliud in tabulis habebas. Hinc illae extraordinariae pecuniae, quas nullo duce, tamen aliqua ex particula investigamus, redundarunt: hinc ratio cum Q. et Cn. Postumis Curtiis, multis nominibus, quorum in tabulis iste habet nullum: hinc HS quaterdecies P. Tadio

---

§. 100. *et quod — et quod]* Utroque loco Lambinus coniunctionem omisit, nullis suis codd. laudatis ac discrepantibus meis.

quod — callidissimus, aliud] *Aliud* dictum puta pro *aliter*, ut orator istam pecuniam in Verris rationibus non omnino quidem praeteritam dicat, sed ita relatam, ut Dolabellae non prodesset. Hoc ita statuere mihi quidem videtur multo facilius esse, quam locum violentis correctionibus immutare. Lambinus de coniectura Hotomani edidit *quod plus frumenti fecit accepisse istum, quam tu homo cast. in tabulis habebas*, HS *decies et octing. milia*, ut fere illius viri opiniones fidei librorum praeferre solet. Quod Ernestius volebat *id* pro *quod*, nihil prorsus ad tollendam difficultatem facit. Neque Wyttenbachii coniectura in Bibl. crit. Amstel. I, 1 p. 214 *aliis in tabulis* loco satis succurrit, cum Verres, in quibuscunque tabulis illud rettulisset, certe, si rettulisset, nomen illud agnosceret. Sed hoc laetatus sum, eruditum Batavum in vulgari lectione *homo castissimus* offendisse, ac voluisse *cautissimus*, nam *castitas* certe huc non pertinet, ubi integritatem requiras. Sed medetur Guelf. vetustior *callidissimus* exhibens.

cum Q. et Cn. Postumis Curtiis] Vulgo *Postumiis*, *Curtiis*. Sed cum paulo post soli Curtii legantur, de Postumiis argentariis nihil alibi inveniatur, nihil mihi verisimilius visum est, quam legendum esse de coniectura Fulvii Ursini *Postumis Curtiis*, quod et P. Manutio et Garatonio placuit. Unum hoc dubitationem poterit movere, quod non fere apud Ciceronem agnomen ipsi nomini gentilicio praeponitur, quamvis id saepe apud posteriores fieri soleat. Sed potest tamen *Postumus* pro altero quasi praenomine haberi. Ceterum *cum* in deterioribus libris mss. et editionibus vett. deest, legitur primum in marg. Cratandr. dein in textu Vict. (non Hervag.), alia codd. ludibria *(quoque)* mature sunt emendata.

quorum in tabulis iste habet nullum] intellige: quorum nominum nullum iste in suis tabulis habet, ne Genitivum cum tabulis coniungas.

hinc HS quaterdecies P. Tadio numeratum] Sic scribendum esse

numeratum Athenis, testibus planum faciam: hinc empta apertissime praetura; nisi forte id etiam dubium
101 est, quomodo iste praetor factus sit. Homo scilicet aut industria, aut opera probata, aut frugalitatis existimatione praeclara, aut denique, id quod levissimum est, assiduitate; qui ante quaesturam cum meretricibus lenonibusque vixisset, quaesturam ita gessisset, quemadmodum cognovistis, Romae post quaesturam illam nefariam vix triduum constitisset, absens non in oblivione iacuisset, sed in assidua commemoratione omnibus omnium flagitiorum fuisset: is repente, ut Romam venit, gratis praetor factus est? Alia porro pecunia, ne accusaretur, data. Cui sit data, nihil ad me, nihil ad rem pertinere arbitror: datam quidem esse tum inter omnes recenti negotio facile constabat.
102 Homo stultissime et amentissime, tabulas cum conficeres, et cum extraordinariae pecuniae crimen subter-

---

docuit I. Fr. Gronovius de pec. vet. II, 3 et III, 1. Vulgo usque ad Lallem. et Ernestium *numerata:* atque sic in omnibus codd. est, praeter Guelf. vetust., e quo nihil ab Ernestiana recensione diversum enotavi. Sed etiamsi ex hoc silentio nihil statuere velis, res tamen a Gronovio tot locis optimorum auctorum, et ipsius Ciceronis firmata est, ut dubitare non possis, quin vocem *Sestertium* cum Adverbiis numeralibus coniunctam pro nomine substantivo singularis numeri ac generis neutrius habeas. Explicandae illius locutionis rationem aliam inire poteris atque Gronovius, sed loquendi usum ita obtinuisse, quamvis velis, negare non poteris.

§. 101. *Homo scilicet]* Ernestius in hac periodo offendit adeo ut corrigere vellet. Nimirum non tulit, oratorem, qui initio ironice loqui coepisset, mox vere ac simpliciter loqui. Sic autem fere fit in longiore ambitu verborum, neque potest vitiosum haberi. De *assiduitate* i. e. assidua in urbe et in oculis civium commoratione ad honoris petitionem utili et requiri solita vide orat. p. Mur. 9 §. 21. Verres autem neque praesens civibus sese commendaverat, neque absens saltem famam bonam habuerat. — *cui sit data]* Haec verba cum absint ab edd. vett. quoniam quidem non leguntur in codd. deterioribus (Lag. VII et 42 et Huyd. reliquis haud dubie), ex aliquo meliorum vel Ascon. lemmate primum accesserunt in Victor. et Hervag. simul.

§. 102. *extraordinariae pecuniae crimen]* In edd. vett. et codd. vul-

fugere velles, satis te elapsurum omni suspicione arbitrabare, si, quibus pecuniam credebas, iis expensum non ferres, neque in tuas tabulas ullum nomen referres, cum tot tibi nominibus acceptum Curtii referrent? Quid proderat tibi, te expensum illis non tulisse? An tuis solis tabulis te causam dicturum existimasti?

Verum ad illam iam veniamus praeclaram praetu- 40
ram, criminaque ea, quae notiora sunt his, qui adsunt, 103
quam nobis, qui meditati ad dicendum paratique venimus; in quibus non dubito, quin offensionem negligentiae vitare atque effugere non possim. Multi enim ita dicent: *de illo nihil dixit, in quo ego interfui: illam iniuriam non attigit, quae mihi, aut quae amico meo facta est, quibus ego in rebus interfui.* His omnibus, qui istius iniurias norunt, hoc est, populo Romano universo, me vehementer excusatum volo, non

---

garis scripturae auctoribus (Lag. VII. Huyd. Oxon.) legitur *extraordinaria pecunia*, ablativo casu, quod Ferratius ita defendit, ut ipsam pecuniam extraordinariam crimini esse neget. At in magistratu sane suspecta esse debet, neque ea dicitur, quae in tabulis accepti relata non sit, sed quae *extra ordinem* venerit. Tum vero absolute *crimen* intelligi nequit. Sed omnis dubitatio ex eo orta videtur, quod Ferratius ac Garatonius Manutii illam esse correctionem putarent. At dudum ante Manutium sic editum est in Hervag. 1534 et Gryph. 1539, nec est omnino ullius editoris emendatio, sed certa scriptura codicum manu exaratorum, qui meliorem familiam sequuntur. Leid. tamen *iudiciaria pecunia*, mendose, ut solet.

satis te elapsurum omni suspic. arbitrabare] Vox *satis* Ernestium commovit, sive ad *elapsurum* sive ad *arbitrabare* pertineret. Nos minus offendit, qui *satis elabi* dictum putemus pro satis facile, satis recte.

§. 103. *aut quae]* Abest *quae* ab edd. vett. et codd. vulgaribus (Lag. VII Huyd. Mein. etiam Leid.) primum addiderunt Vict. et Hervag.

quibus ego in rebus interfui] Praepositionem omittit Guelf. vetustior, quod nescio an alicui magis ex usu Ciceronis videatur. Verum et paulo ante, et Epist. XIII, 36 *qua in re ego interfui*, et aliis locis *interesse in aliqua re* legitur. Ceterum imitationem hanc esse Demosthenis in Midiana p. 559 perite indicavit Ernestius.

negligentia mea fore, ut multa praeteream, sed quod alia testibus integra reservari velim, multa autem propter rationem brevitatis ac temporis praetermittenda existimem. Fatebor etiam illud invitus, me prorsus, cum iste punctum temporis nullum vacuum peccato praeterire passus sit, omnia, quae ab isto commissa sunt, non potuisse cognoscere. Quapropter ita me de praeturae criminibus auditote, ut ex utroque genere, et iuris dicendi, et sartorum tectorum exigendorum, ea postuletis, quae maxime digna sunt eo reo, cui parvum ac mediocre obiici nihil oporteat.

104 Nam ut praetor factus est, qui auspicato a Chelidone surrexisset, sortem nactus est urbanae provin-

---

§. 103. *Fatebor etiam illud invitus]* Ernestius vix se dubitare dicit, quin Cicero *haud invitus* scripserit: mirum, hominem eruditum non vidisse, haec accusatorie dicta esse, cum semetipse orator quasi reprehendat, quod non omnia rei furta ac flagitia perscrutari potuerit. Omnino autem multa hoc loco accusatoris personae quam veritati aptiora sunt. — *commissa sunt]* Edit. Steph. (Lamb.) Guelff. et Lag. 29 a pr. manu *sint*. Non probo, nam quin vere commissa sint, orator non dubitat: circumlocutio est unius verbi *peccatorum*. — *ex utroque genere]* Guelff. Leid. Steph. *ex* omittunt. — *iuris dicendi]* Sic edd. vett. etiam Steph. et Lamb. cum codicibus longe plurimis, quoniam e meis solus Lag. 42 relinquitur, qui vulg. *dicundi* tueatur.

digna sunt] Dubitaveram an recte correxisset Ernestius *sint*, et firmat emendationem cod. vet. in marg. Lambini. Nunc videtur iudicium de rebus esse debere oratoris, non sola postulatio iudicum, incerti eventus. *Sunt* reliqui codd. et Guelff. eique scripturae Garatonius etiam a Prisciano auctoritatem conciliat (pag. 1153 Putsch., 156 Tomi II ed. Krehlii), sed grammaticum quamvis optimo codice usum putemus, hoc loco crimen premit plurium locorum in unum confusorum. Ex eodem Garat. *aut mediocre* pro vulg. *ac med.* affert et probat, non commemorat omitti *est* ab eo post *nactus*.

§. 104. *auspicato a Chelidone surrexisset]* Salse atque acerbe hominem perstringit, qui cum sacra facere deosque venerari primo mane debuerit, ab impudica muliere ad comitia profectus sit. Sic de Divin. I, 16 *Nihil fere quondam maioris rei nisi auspicato, ne privatim quidem, gerebatur.* Amphibolia inest in *surgendo:* nam sedentes auspicabantur. Similis alia turpitudo, et publica quidem, est Verris V, 13 extr.

ciae, magis ex sua Chelidonisque, quam ex populi Romani voluntate. Qui principio qualis in edicto constituendo fuerit, cognoscite. C. Annius Asellus mor- 41
tuus est, C. Sacerdote praetore. Is cum haberet unicam filiam, neque census esset, quod eum natura hor-

---

§. 104. *ex sua Chelidonisque]* Sic libri mss. meliores et Steph. Vulgo *et Chelidonis.*

C. Annius] Omnes codices, quibus utor, Steph. et editt. princ. *C.* praenomen habent, sed altero loco c. 44 *P.* est, nec quicquam diversae scripturae notatur. Itaque cum alteruter corrigendus sit, malui *Gaium* facere, antiquioris Guelf. causa, quo mox (in fine proximae paragraphi) destituimur, et quod sic etiam lib. II c. 7 extr. librorum auctoritas postulat. Graevius etiam Praetorem eodem nomine appellat, cum ediderit *C. Annio Sacerdote.* Fecisse eum puto ex auctoritate codicis Franc., nam postea ita scriptum in Oxon. ψ inventum est, neque ex Lagom. quicquam a Graeviana lectione diversum enotatur. Sed maior Guelff. et Steph. auctoritas esse debet.

neque census esset] Pertinet ad legem Voconiam, qua constitutum erat, ne quis, qui centum milia aeris census esset, mulierem heredem testamento institueret. (Neque enim illam legem etiam ad successionem ab intestato pertinuisse cognovimus.) Illam census summam, neque h. l. ubi prorsus supervacuum fuisset, neque post c. 42 addidit orator, propterea quod in illa civitatis opulentia nemo fere civium, cuius de hereditate ambigeretur, illam summam non expleret. Voconii quidem aetate, a. Chr. 169, res aliter se habebat, verumtamen haec certe Tribuni mens fuerat in lege ferenda, ut ea tenerentur quicunque aliquid in bonis haberent, neque soluti essent, nisi tenues cives. Itaque non multum a veritate Perizonius in diss. de lege Voconia, et qui eum secuti sunt, Graevius et Ernestius et Bachius lib. 2, c. 2, §. 40, abhorrebant, cum statuerent, in illa lege censum nullum constitutum fuisse, sed *censos* vocatos esse omnes omnino cives Romanos. Auctor certe epitomes Livianae lib. 41 sic scribit: Q. Voc. Saxa Tr. pl. legem tulit, *ne quis mulierem heredem institueret;* et Augustinus de Civ. Dei. III, 21 similiter latum dicit, *ne quis heredem filiam faceret, nec unicam.* A veritate, inquam, si communem usum intelligas, sed longe tamen abhorrebant, si rem accurate explicare volebant. Nam ut omittam nullam causam fuisse, cur Voconius cives Romanos nova ratione *censos* appellaret, nisi ipse legis aliquam calumniam ostendere vellet, quae certe tum ei in mentem venire non poterat: obstat Dionis Cassii locus lib. 56, 10, quem Perizonius falso explicare, quam ad vulgarem rationem recte intelligere maluit. Locus, ne quis quaerat, hic est: καθ' ὃν (legem Voconiam) οὐδεμιᾷ αὐτῶν (mulierum) οὐδενὸς ὑπὲρ δύο ἥμισυ μυριάδας οὐσίας κληρονομεῖν ἐξῆν. Κληρονο-

tabatur, lex nulla prohibebat, fecit, ut filiam bonis suis

μεῖν οὐσίας ὑπὲρ δύο ἥμισυ μυριάδας (intellige Drachmum) οὐδενὸς nihil aliud est nisi *heredem fieri* alicuius, qui censum habeat maiorem (aut non minorem) quam centum milium HS, non, ut Perizonius voluit, ex alicuius mortui bonis plus quam centum milia HS accipere. Vide I. Fr. Gronovium de pec. vet. III, 16, qui in eo tantum errat, quod Graecam verborum constructionem parum recte intellexit, nam κληρονομεῖν non cum Genit. personae sed rei coniungitur, et οὐδενὸς ab οὐσίας pendet. Cf. etiam Iac. Gronovium ad Gellium lib. XX, 1. Obstat etiam Asconiana interpretatio ad h. l. corrupta quidem, ut facile cum Wielingio ipsum Asconium sic scripsisse neges, sed quae tamen eruditum fontem sapiat, *censum vocari qui centum milia HS possideat.* Obstat denique recenti memoria repertus Gaius, cuius verba Instit. lib. 2 §. 274 haec sunt: *Item mulier, quae ab eo, qui centum milia aeris census est, per legem Voconiam heres institui non potest.* Patet igitur, a Voconio certum definitum esse censum, sed Ciceronem brevitatis causa et quia in Senatore (vid. lib. II, 7 §. 21) de illo censu dicere nihil attinebat, de censendo tantum, non de modo census locutum esse. Eum autem modum aliter Dio et Asconius, aliter Gaius definiunt, illi enim Sestertium hic aeris s. assium c milia fuisse tradunt. Quo in dissensu equidem, quamvis in ea re discedendum mihi sit a Savinii, prudentissimi viri, opinione in dissert. de lege Voconia Act. Acad. Berol. anni 1820, non dubitaverim tamen Gaium sequi: primum quod de lege tamquam suo tempore valente loquitur, deinde quod ille census centum milium aeris olim primae classis plebis fuerat. Addiderim etiam hoc, in legibus illa aetate verisimile videri veterem numerandae pecuniae rationem servatam esse. Progrediente quidem aetate nemo pecuniam paulo maiorem assibus computabat. Itaque, ne dicam de Asconiana notula, ipse Cassius in abolita (ἐξῆν enim dicit) et lege et omni plebis censendae ratione facile HS intelligere poterat, ubi asses olim fuerant. Nam omnino ne iusto diutius in illo census modo immoremur, cito lex illa eo tantum valere coepit, ut testamentorum faciendorum ratio, relicta muliere, commutaretur. Quod enim directo per testamentum fieri non poterat, ut heres mulier fieret, id vulgo fidei commisso per heredem fiduciarium fieri coepit. (Lege Gaii Inst. lib. 2 de heredit. fideicommissariis, cf. Cic. de Fin. 2, 17.)

Aliam vero legis Voconiae eludendae rationem h. l. habemus. Nam cum in lege *censendi* vox adhibita esset, quamvis illa ex Voconii mente idem ferme valeret quod *possidere*, et in Senatore census, qui a Censoribus fieret, non esset expectandus, C. Annius tamen, cum sua bona in censu non professus esset, se illa lege non teneri putabat. Sed quaeritur, utrum nunquam census, an proximo illo quinquennio sive potius a proximis Censoribus census non fuerit. Hanc quidem sententiam et vetus interpres et plerique hodie tuentur. Sed parum recte,

heredem institueret. Heres erat filia. Faciebant omnia

---

ut mihi videtur. Nam neque hoc loco alteroque paulo post quicquam de proximis Censoribus dicitur, quod certe debebat, nec in ipsa lege hunc calumniandi locum relictum esse, verisimile est. *Neque census esset*, nihil amplius, orator dicit, h. e. nunquam ex quo pater familias sive sui iuris factus est. Atque hoc facile fieri potuisse intelligo. Homo mortuus est anno ante Verrem praetorem, i. e. 679 u. c. Proximi ab eo tempore Censores fuerant L. Philippus et M. Perperna a. 668, superiores a. 665 P. Crassus et L. Caesar, a quibus nullam populi partem censam esse ipse Cicero pro Arch. c. 5 tradit. Creati enim fuerant novorum civium causa, neque rem perficere poterant. Ante hos lustrum conditum est a. 662 a Cn. Domitio et L. Crasso. Ponamus igitur, C. Annium a. 663 patrem familias factum esse, eumque a. 668 rei publicae causa abfuisse, (cf. p. Arch. l. l.) fortasse in exercitu Sullano, aut in magistratu quodam provinciali: (Pighius certe nescio quibus rationibus ductus eum Quaestorem facit eo anno) facile intelliges quomodo fieri potuerit, ut nunquam census sit. Itidem Annia illa, quam c. 43 Cicero dicit, quoniam censa non esset, heredem filiam instituisse nuper, i. e. a. 683 vel 684, quo hasce oratt. scripsit, vidua fieri potuit post a. 668 nec unquam, cum nulli interea Censores essent, censeri. Atque haec quidem sic erant a me ante hos ferme decem annos scripta. Nunc repertis Ciceronis de re publica libris nova quaedam eaque multis disputationibus obnoxia difficultas orta est. Nam lib. III, c. 10 L. Furius contra iustitiae fundamentum in re publica disputans cum iuris mutabilitatem exemplo legis Voconiae de mulierum legatis et hereditatibus ostendisset, sic pergit: *quae quidem ipsa lex, utilitatis virorum gratia rogata, in mulieres plena est iniuriae. Cur enim pecuniam non habeat mulier? cur virgini Vestali sit heres, non sit matri suae? Cur autem, si pecuniae modus statuendus fuit feminis, P. Crassi filia posset habere, si unica patri esset, aeris millies, salva lege; mea tricies non posset?* Secundum quem locum video doctissimos hodie iuris Rom. interpretes existimare, lege Voconia exceptam fuisse unicam filiam eique rei maximam auctoritatem ab hoc ipso, quem tractamus, orat. Verrinae loco comparare. Quod si verum esset, praetor Verres non iniquus, sed amens fuisset, qui contra legem Anniae conaretur hereditatem detrahere, quae ad ipsam non callida et si quaeris improba interpretatione sed ipso iure pertineret, neque intelligeretur, cur orator tam multa de censendo et non censendo diceret, multo maiorem iniustitiam omitteret. Verum res non sic se habet. Queritur Philus lege Voconia ne effici quidem illud, ut pecuniae quidam modus mulieribus constituatur, nam ad Crassi divitis filias (duas enim habebat) tantum pecuniae pervenire posse *salva lege* per legatum, quantum ad suam non perveniret, si liceret sibi eam heredem instituere. Nam finge P. Crassum bis millies possedisse, ex eiusdem illius legis Voconiae

cum pupilla, legis aequitas, voluntas patris, edicta praetorum, consuetudo iuris eius, quod erat tum, cum
105 Asellus est mortuus. Iste, praetor designatus, (utrum admonitus, an temptatus, an, qua est ipse sagacitate in his rebus, sine duce ullo, sine indice, pervenerit ad hanc improbitatem, nescio: vos tantum hominis auda-

---

capite de legatis mulierum millies ad filiam, *si unica ei esset*, non *quod* unica esset, pervenire potuit, (dum ne minus ad heredem,) cum pauper Furius integrum suum tricies filiae testamento relinquere non posset. Neque hoc loco orationis Verrinae verba *cum haberet unicam filiam* legis causa, sed patriae caritatis narrationisque continuandae gratia adduntur, ad ipsam legem non pertinent nisi haec: *cum census non esset.* Sic non cogimur accusare veteres Ictos, quod tanti momenti exceptionem nobis non tradiderint, neque Augustinum condemnabimus, qui cum legis iniquitatem ex hac ipsa re, quod ne unicae quidem filiae parceretur, probare vellet, in vulgari interpretandi ratione prorsus cum Cicerone pugnaret.

quod eum] Eum cum deesset in vetustioribus, additum inveni primum in Vict. et Hervag. simul, haud dubie ex aliquo libro melioris familiae, nam deteriores omnes omittunt. — *Faciebant omnia cum pupilla, legis aequitas* cet.] Priscian. lib. XVIII p. 1189 Putsch., §. 231 Krehl. locum sic laudat, ut *puella* et *leges* habeat. Utrumque Graevius contra Ciceronianos libros in textum recepit, propterea quod nulli tutores laudarentur, et c. 42 init. *legibus* fecisse Annius testamentum, item c. 44 bona patria *legibus* tradita liberis dicerentur. Sed magnopere erravit: *legibus* enim illis locis nihil aliud est, nisi quod nos dicimus gesetzmäfsig, nullis legibus violatis, salvis legibus, ut Cic. ait II, 55. Sic c. 44 *leges sinunt;* lib. 2, 13 *si legibus erat iudicium constitutum;* c. 18. *hereditas legibus venerat;* c. 56 *erant enim tum censores legibus facti.* Nullae leges pro puella erant, Voconia etiam maxime adversabatur, si quis eam recte interpretaretur: verum *legis aequitas* pro illa erat, i. e. aequa legis Voconiae interpretandae ratio: hoc enim *aequum* est apud Ictos, ubi *iuri* opponitur; neque tam impudens fuit Verres, ut contra leges puellae hereditatem eriperet, sed sui lucri causa, quod ceteri non fecissent, aequitati minus consuluit, exceptione de censendo sublata. Quo tutius Prisciani lectionem reiiciamus, accedit Ernestii admonitio de concinnitate membrorum, quae admissa illa turbaretur. Utrum vero *puella* an *pupilla* scribatur, non multum h. l. interest, sed Graevii ratio parum valida est. Nam tutores certe paulo post nominantur.

§. 105. *an, qua est ipse sagacitate]* Optimam hanc lectionem praebent Guelf. 2 Leid. Steph. (Lamb.) editio, cum vulgo esset *iste.* Voces has etiam alibi commutari vidimus cap. 37. Praecesserat *iste*, quo ingratior repetitio accideret.

ciam amentiamque cognoscite:) appellat heredem L. Annium, qui erat institutus secundum filiam: non enim mihi persuadetur, istum ab illo prius appellatum: dicit, se posse ei condonare edicto hereditatem; docet hominem, quid possit fieri. Illi bona res, huic vendibilis videbatur. Iste, tametsi singulari est audacia, tamen ad pupillae matrem summittebat: malebat pecuniam accipere, ne quid novi ediceret, quam ut hoc edictum tam improbum et inhumanum interponeret. Tutores, pecuniam praetori si pupillae nomine dedis- 106 sent, grandem praesertim, quemadmodum in rationem inducerent, quemadmodum sine periculo suo dare possent, non videbant: simul et istum fore tam improbum non arbitrabantur: saepe appellati, pernegaverunt. Iste ad arbitrium eius, cui condonabat hereditatem ereptam a liberis, quam aequum edictum conscripserit, quaeso, cognoscite. *Cum intelligam, legem Voconiam...* Quis unquam crederet mulierum adversarium Verrem futurum? an ideo aliquid contra mulieres fe-

---

§. 105. *audaciam amentiamque]* Inverso ordine Lambini v. c. ad marg. rep. et Guelf. 1, ex altero nihil notavi: neque placet.

condonare edicto hereditatem] Invidiose dictum, nam sic profecto ipse Verres non diceret. — *malebat]* In hoc verbo Guelf. antiquior quem priorem voco, deficit. Omissa extrema parte huius libri et integris altero et tertio, sequitur exordium libri quarti: *Venio nunc.*

§. 106. *cui condonabat]* Sic Steph. Leid. Guelf. 2 Lag. 29. Vulgo *condonarat.* Sunt et aliae varietates: Priscian. *condonaverat*, Lag. 27 et 42 *condonaret.* Sed in sequentibus plura ex iisdem illis optimis restituimus, adstipulante etiam Prisciano: *a liberis* pro vulg. *liberis*, *conscripserit* pro simplici *scripserit.* — *crederet mulierum adversarium Verrem futurum?]* Imperfectum pro Praeterito positum esse observat Ernestius, quamquam Romanum auctorem, si praeterito tempore uti voluisset, potius *quis credidit* vel *quis crediderat* dicturum fuisse puto, quam quod Ernestius scripsit *quis credidisset.* Idem recte animadvertit, *unquam* non ad *crederet*, sed ad sequentia pertinere, quod propter illud Ipsum Imperfectum necesse videtur ita putare. Neque tamen placet, quod *crederet* duobus commatis quasi cancellis a cetera oratione seiunxit. Melius Lambinus ac veteres editores videntur fecisse,

cit, ne totum edictum ad Chelidonis arbitrium scriptum videretur? *Cupiditati hominum* ait *se obviam ire.* Quis potius, non modo his temporibus, sed etiam apud maiores nostros? quis tam remotus fuit a cupiditate? Dic, quaeso, cetera: delectat enim me hominis gravitas, scientia iuris, auctoritas. *Qui ab A. Postumio Q. Fulvio censoribus postve ea . . . . fecit, fe-*
107 *cerit.* Quis unquam edixit isto modo? quis unquam

---

qui totum hunc verborum complexum sine interpunctione scriberent. Ceterum Stephani (et Lambini) ordinem verborum illi, qui in ceteris edd. est, *Verrem mulierum adversarium futurum*, cum propter eius librorum auctoritatem (nam e libris esse fidem facit Guelf. 2 et Lag. 29 consensus) tum propter duplicem sonum, qui verbis apte dispositis existit, praeferendum putavi.

se obviam ire] Sic restituit Naugerius ex bono aliquo libro, nam deteriores et editt. principes (VII Lag. cum 42 Pall. duo, Franc. unus, Huyd., sed nisi fallitur etiam Cuiacianus apud Gruterum) *obviare.* Verbum est labentis vel lapsae potius Latinitatis; nam apud Quintil. Decl. 307 videtur item pro *obviatum est legi* scribendum esse *obviam itum est*, certe a Ciceroniana aetate prorsus abhorret. Cf. annotationes interpretum ad Sallust. Iugurth. 5. Icti tamen veteres frequentant similiter factum verbum *certiorare.* — *Quis potius* cet.] intellige „illud fecerit, ut hominum cupiditati occurrat, quam tu, Verres." Vulgatam lectionem „*Quid potius*" explicares subaudito „facias" sive „faciat Verres," sed non convenit commemoratio antiqui temporis. Nostra lectio codicum est melioris familiae, Cuiaciani et Guelf. 2 et edit. Steph. Adde tres Pariss. apud Lallem. si tantum illi tribuas. Deteriores codd. Lagom. certe, et edd. principes usque ad Naugerium *qui* exhibent. In sequentibus *fuit* abest a Guelf. 2, sed videtur hic esse error librarii, cum nulli praeterea codd. adiuvent.

Qui ab A. Postumio, Q. Fulvio censoribus postve ea . . . . fecit, fecerit] Mox ipse Voconius dicitur lege sanxisse, qui post eos censores census esset, ne heredem faceret virginem aut mulierem, nec dubium est quin eosdem censores in lege dixerit, quos Verres in edicto habuit. Itaque satis belle nunc interpretantur (cum Garatonio, interpretum principe, mihi res est) ut omnia videantur concinere, legem Voconiam latam esse a. Chr. 169 (u. c. 585) Censoribus C. Claudio Pulchro, Ti. Sempronio Graccho, a quibus cum legem suam initium capere Voconius voluerit, scripsisse: qui censi essent post A. Postumium Q. Fulvium Censores, i. e. post annum ante Chr. 174, u. c. 580. Gravissimum insuper calculum addere Ciceronem in libro de senect. c. 5, ubi Cato sic loquitur: *Ennius autem Caepione et Philippo iterum Coss.* (id est

eius rei fraudem aut periculum proposuit edicto, quae

---

a. Chr. 169) *mortuus est: cum ego quidem LXV annos natus legem Voconiam voce magna et bonis lateribus suasissem.* Sed ego non possum non veterem denuo lapidem movere, quo me quasi invitum hic ipse locus, quo de agitur, trahit. Nam si *ab A. Post. Q. Fulvio Censoribus* significat *post illos Censores*, quae haec erit loquendi ratio *post hos aut postea?* Necesse esset deleta praepositione scribere *A. Postumio, Q. Fulvio Censoribus.* Sic enim omnes loquuntur. Sed ne sic quidem verum est, nam Censorum magistratus pro simplici temporis determinatione adhiberi nequit: Censorum est censere: qui incepit *qui a Censoribus* — is continuasse existimandus est — *census est* vel *erit.* Itaque haec verba *qui a Censoribus — fecit, fecerit* non possunt unum quasi membrum orationis efficere: pertinent ad diversa, mediis omissis. Nam orator edicti verba ea recitat, quae reprehendenda ipsi videntur, omnique vi incumbit in tempus praeteritum *fecit*, cetera, quae ad reprehensionem non pertinent, praetermittit. Eaque sic fere explebo (non contendo de singulis verbis, ne de toto quidem hoc capite, nam quis hoc praestiterit?) sed ita tamen explebo: *Qui ab A. Postumio Q. Fulvio Censoribus postve ea C mil. aeris plusve censi sunt, erunt, quive cum censi non sint, in Senatum eundi vel equo publico merendi vel suffragii in prima classe ferendi ius habuerunt, habent, si quis eorum virginem mulieremve heredem fecit fecerit* — sequitur: *illi virgini mulierive hereditatis nec petitionem nec possessionem dabo.* Quod autem arbitror legem Voconiam anno a. Chr. 174, u. c. 580 Coss. Sp. Postumio Albino, Q. Mucio, latam esse, initiumque fuisse et illius legis et Verrini edicti a Censoribus A. Postumio, Q. Fulvio, qui illo anno creati sunt, haec causa est. Livium constat ex epitome libri historiarum XLI ad a. 174 rettulisse de lege Voconia, sed aiunt hoc ab eo factum esse, quod falsam de aetate Catonis opinionem habuerit. Utrum autem verisimilius est, Livium in continua rerum gestarum narratione invenire non potuisse, quo anno tam celebris lex lata sit, ut ob eam rem ad computationem Catonianae vitae annorum ei confugiendum fuerit, an Ciceronem, cum recte de Catonis aetate sibi comperisse videretur, in rebus quae ad hanc pertinerent cum cetera rerum memoria comparandis errasse? Livii quidem liber XLI lacer est, ut semet ipse iam de anno legis latae defendere non possit, sed ne in Catonis quidem aetate eum errasse mihi persuadeo. Catonem obisse a. 149 Marcio et Manilio Coss. consentitur, Livius autem nonagenarium, Cicero quinque et octoginta annos natum decessisse tradit. Vide de hoc dissensu Drakenborch. ad Livii lib. 39, 40. Nihil aliud dicam, nisi Livio auctore Quaestorem eum fuisse XXXV, Praetorem XLI, Consulem XLIV aetatis anno, Cicerone teste Consulem undequadragesimo. Utrum probabilius videtur in homine novo et mul-

neque post edictum, neque ante edictum provideri po-
42 tuit? Iure, legibus, auctoritate omnium, qui consule-
bantur, testamentum C. Annius fecerat, non improbum,
non inofficiosum, non inhumanum: quodsi ita fecisset,
tamen post illius mortem nihil de testamento illius novi
iuris constitui oporteret. Voconia lex te videlicet de-
lectabat? Imitatus esses ipsum illum Q. Voconium, qui
lege sua hereditatem ademit nulli neque virgini, neque
mulieri: sanxit in posterum, *qui post eos censores cen-*

---

tis multorum inimicitiis petito? LXV annos natus Cato legem Voconiam suasisse traditur a Cicerone de Senect. 5, hoc videtur ab ipso Catone didicisse, sed quod addit factum id esse Caepione et Philippo iterum Coss. (i. e. a. 169) in eo decepit eum ratio de Catonis anno natali, quem quinquennio propiorem sibi facit. Verumtamen quid hoc est, quod in ipsa lege Voconia Cicero fuisse tradit (§. 107) *qui post eos Censores census esset?* Hoc sic explico: legem tulisse Voconius initio a. 174, fortasse iam extremo anno 175 promulgasse videtur, Censoribus nondum creatis; eamque ob causam sic scripsisse, qui post eos Censores, quorum tum comitia futura essent, factos, creatos, C milia aeris censi essent, ne quis eorum virginem mulieremve heredem institueret. Vetuit certe de futuro, neque enim, quod a Livio disces, Censores illo anno lustrum condiderunt, Senatum et equestrem ordinem recensuerunt, plebis censum insequenti anno perfecerunt. Nam hic Livii mos est, ut singulis annis primum quid foris, deinde quid in urbe publice a magistratibus gestum sit enarret, post de legibus aliisque civilibus rebus quasi per saturam referat.

Ceterum vulgo verba *fecit*, *fecerit* repetuntur: nos omisimus, quia absunt a Guelf. et Leid. item ab Huydecop. et aliis fortasse. Neque iis opus est, quod orator ipsa verba recitata de pluribus delegerat.

§. 107. *quae neque]* Sic primum Vict. simul et Hervag. antea *quod neque*, sicut est in Lag. omnibus et Huyd. Mein. Oxon. ut non desint nisi Guelf. 2 Leid. Steph., e quibus nihil a vulg. nunc scriptura diversum enotavi.

non improbum, non inofficiosum, non inhumanum] Inofficiosum testamentum proprie dicitur, quod contra officium pietatis factum est, in quo liberi aut parentes immerito aut exheredati aut praeteriti sunt. Testamentum *improbum* et *inhumanum*, quod proprie dictum sit, nescio nec invenio, sed ad condiciones cernendae hereditati adiectas pertinere videtur. — *Q. Voconium* esse, non *C.* unus editorum olim vidit Lambinus. Vide Cic. pro M. Balbo c. 8, Liv. in epit. libri 41. *Ipsum illum]* primus Steph., antea, ut est in deterioribus, *illum ipsum*.

sus esset, ne quis heredem virginem neve mulierem faceret. In lege Voconia non est *fecit, fecerit,* ne- 108
que in ulla praeteritum tempus reprehenditur, nisi eius rei, quae sua sponte scelerata et nefaria est, ut, etiamsi lex non esset, magnopere vitanda fuerit. Atque in his ipsis rebus multa videmus ita sancta esse legibus, ut ante facta in iudicium non vocentur. Cornelia testamentaria, nummaria, ceterae complures; in quibus non ius aliquod novum populo constituitur, sed sancitur, ut, quod semper malum facinus fuerit, eius quaestio ad populum pertineat ex certo tempore. De iure vero 109
civili si quis novi quid instituit, is omnia, quae ante acta sunt, rata esse patitur. Cedo mihi leges Atinias,

---

§. 108. *et nefaria]* Sic Steph. Lag. 29. Vulgo *ac nefaria.*
in his ipsis rebus] Sic edidit Lambinus, recte opinor, cum in vulg. esset *in his rebus*, in melioribus autem sicut Guelf. 2 Lag. 29 Steph. *in ipsis rebus.* Sic de Off. III, 1, 9 in textu recte legitur *ex his ipsis*, in codd. Guelff. optimis *ex ipsis.* — *Cornelia testamentaria, nummaria, ceterae complures]* Cum Hotomano intellige *sunt*, i. e. huius generis: nam ut ablativi fiant, cum Ernestio vix cuiquam placebit *ceteris compluribus* corrigere. Quoniam ambae illae leges *Corneliae* essent, Lambinus in prima editione vocem istam penitus delevit, postea sententia mutata alterutrum iubet, aut delere, aut corrigere *Corneliae.* Quam inutilis talis corrigendi libido sit, vel hoc loco intelligitur, nam orator non sine causa *Corneliam* in sing. numero dixisse videtur, quod revera una lex fuit *de falso*, cuius capitibus plura similia continebantur. Vide Pauli sentent. recep. lib. V tit. 25 in Schulting. Iurispr. Anteiust. p. 513. — *populo constituitur]* Lamb. edidit *in populum*, sane temere. — *quaestio ad populum pertineat]* i. e. ea de re iudicium publicum habeatur, ut recte Graevius explicat. Hotomanus coniecit et Lambinus pro perpetua eius erga Hotomanum observantia in textum recepit, *ad Praetorem.*

§. 109. *instituit, is omnia — patitur]* Magnopere editiones variant, sensu ipso non variante. Edd. principes et codd. vulgares *si quid novi quis instituit: omnia* cet. sed anno 1534 edi coeptum est *si quis novi quid.* Pronomen *is* autem nondum in edit. P. Manutii anno 1540 est; primus id adiecit Stephanus sed cum negatione: *is non omnia — patitur.* Quae nunc vulgata scriptura est, a repetitoribus Lamb. est, eaque sive postremis Lambini curis sive forte videtur esse emendatissima, nihil certe ab ea diversum e Guelff. et Lag. 29 com-

Furias, Fusias, ipsam, ut dixi, Voconiam, omnes praeterea de iure civili: hoc reperies in omnibus statui

---

paret, et in Leid. esse *is*, abesse *non* diserte traditur. Longe autem maior variantium lectionum copia ex Asconii notula et Prisciano p. 1153 Putsch. Tom. II p. 157 Krehlii accessit et in editiones migravit. Nam Asconius, qualis nunc quidem circumfertur, interrogative laudat *rata esse non patietur?* in Aldino autem exemplari est *rata esse patietur:* Priscianus, ubi ex professo de vi subiunctivi agit, hunc locum exempli causa allatum sic refert: *de iure vero civili, si quis novi quid instituerit* (διατυχώσειεν ἄρα) *is non omnia, quae ante acta sunt, rata esse patiatur*, et interpretationem addit „*non debet pati rata esse*" prorsus contra loci sententiam, nisi, quod fecit Lambinus, interrogandi signum adiicias. Sed ne Coniunctivus quidem *instituerit* placet. Quocirca ego nihil tutius video, quam in codd. Ciceronianorum emendata lectione consistere, nam si quis ex his omnibus pro suo iudicio novam quandam scripturam sibi concinnaverit: nae is a veritate longius etiam recesserit, quam qui horum quamvis arripuerit.

leges Atinias, Furias, Fusias] Haec est et principum editionum et codd. mstorum quantum scimus omnium lectio (nisi quod Lag. 29 *Affinias*, et *Sufias* (pro *Fusias)* habet, et 42 *Furias* omittit.) Pro ea Naugerius edere coepit *Fuffias*, eam opinor rationem secutus, quod *Fusius* idem nomen esset quod *Furius*, retinueruntque insequentes editores (etiam Stephanus), donec Hotomanus *Fuffias* leges nullas esse ostendit et vocem delendam censuit. In hac sententia ceteri editores acquieverunt, ita ut Gruterus et Graevius, quod vocem in textu reliquerunt, inviti fecisse videantur. Neque tamen illud satis tutum mihi videtur. Nam quod dicunt idem nomen esse *Furius* et *Fusius*, nihil impedit, quin huic vel illi aut homini aut legi proprium factum sit, ut leges complures Claudias et Clodias diversas legimus, quamvis haud dubie Claudius idem sit quod Clodius. Legem *Fusiam* aliam non habemus, nisi quae dicitur *Fusia Caninia* de numero servorum testamento manumittendorum, argumenti maxime ad hunc locum apti; eam hic ex altera parte significari, facile possem contendere, verum non liquet de eius aetate, nec prorsus absonum fuerit, si quis alius legis Fusiae intercidisse memoriam existimet, cum ne Atiniae quidem de testamentis extet. Sed de lege Furia et de Voconiae legis ea parte, quae ad legata pertinet, deque earum reliquarumque legum continuatione etiam antiquitatis studiosus cum fructu Ed. Gansii, Antecessoris Berolinensis, librum de iure hereditario leget Tom. II p. 189 sqq. Sed praeterea causam habeo, cur hoc loco verbum deleri nolim. Ea ex orationis tenore ducitur, quod duo legum nomina aures non explent, tria saltem requiruntur. Quod sequitur *ipsam ut dixi Voconiam*, nisi compluribus enumeratis tamquam cumulandi gratia adiectum esset, inopiam potius oratoris, quam vim et artem proderet.

ius, quo post eam legem populus utatur. Qui plurimum tribuunt edicto, praetoris edictum legem annuam dicunt esse. Tu edicto plus complecteris quam lege. Si finem edicto praetoris afferunt Calendae Ian., cur non initium quoque nascitur a Calendis Ian.? An in eum annum progredi nemo poterit edicto, quo praetor alius futurus est: in illum, quo alius praetor fuit, regredietur?

Ac si hoc iuris non unius hominis causa edixis- 110
ses, cautius composuisses. Scribis *si quis heredem* 43
fecit, fecerit. Quid si plus legarit, quam ad heredem heredesve perveniat, quod per legem Voconiam ei, qui census non sit, licet? cur hoc, cum in eodem genere

---

§. 109. *quo post] Quod* codd. vulgares et edd. principes. Emendavit Naugerius. — *Calendae Ianuarii — a Calendis Ianuarii]* Si hoc loco *Ianuariae* et *Ianuariis* scribere velis, habebis ex parte certe auctorem ms. Franc. pr., in quo Graevius *Ianuariis* invenit. Apud Quintil. V, 10 §. 76 locum nostrum laudantem vulgo quidem *Ianuarii* legitur, sed in edit. Campani sic est, ut iam fere eruditorum consensus decrevit. Drakenborch. quidem ad Liv. 4, 37 et 41, 16 plerisque locis apud illum scriptorem Adiectivi formam inveniri dicit, ut aliquot aliis, ubi in libris non inveniatur, ex coniectura restituendam putet. Oudendorp. ad Sueton. Othon. 2 Domit. 13 in scripturae diversitate et ipse Adiectivum probat, quamvis altero loco, cum posset edere, praetermiserit. Itaque tutissimum videbatur de sententia Garatonii ad Phil. III, 1 scribere per compendium *Ian.*, uti fere probatissimi libri.

cur non initium quoque nascitur] Nascatur apud Quintilianum est, idque recepit Lambinus. Id ego nolui imitari, quam anceps Quintiliani sit auctoritas saepe ex memoria locos laudantis, saepe expertus. Sed post *initium* omisi vocem nimium saepe repetitam *edicti* ex auctoritate libri Guelf., quamquam ex aliis nihil affertur.

§. 110. *non unius hominis causa]* Vulgo *non unius causa hominis*, quod per se non damnaverim, sed sequenda erat auctoritas Lag. 29 Guelf. 2 et Steph. (Lamb.) Infra c. 45 *edictum unius hominis causa conscriptum esse.* Antea pro *ac* unus Lag. 29 *at.* — *Quid si]* Sic P. Manutius et reliqui praeter Gruterum ex mss. melioribus ut Lag. 29 Guelf. 2. Olim fuerat *quod si.* Guelf. etiam *leget*, Lag. 42 *legaverit.* — *ei, qui census non sit, licet]* nimirum quia interpretabantur legem, in qua de censendo dictum esset, ad incensos non pertinere. *Licere* igitur dicit, quod non expressis verbis vetitum est. Scripturam hanc in vett. edd. et codicibus, quantum nobis innotuit, omnibus extantem, (nisi quod libri vulgares *eius* pro *ei* exhibent,) sublata negatione

sit, non caves? Quia non generis, sed hominis cau sam verbis complecteris; ut facile appareat, te preti esse commotum. Atque hoc si in posterum edixisses minus esset nefarium, tamen esset improbum: sed tun vituperari posset, in dubium venire non posset: nem enim committeret. Nunc est eiusmodi edictum, u quivis intelligat, non populo esse scriptum, sed C. An
111 nii secundis heredibus. Itaque cum a te caput illu tam multis verbis mercenarioque prooemio esset or natum, ecquis est inventus postea praetor, qui iden illud ediceret? Non modo nemo edixit, sed ne me tuit quidem quisquam, ne quis ediceret. Nam pos te praetorem multi testamenta eodem modo fecerunt in his nuper Annaea. Ea de multorum propinquorun

---

primus, ut videtur, P. Manutius corrupit. Lambinus verum restitui sed qui repetitam editionem curarunt ad priores sordes redierunt, do nec Gruterus lectionem stabilivit. — *verbis complecteris]* Sic Steph Lag. 29 Leid. Vulgo *amplecteris*, quod etsi non prorsus abiiciendun sit, longe tamen rarius hoc sensu dicitur. — *te pretio esse commo tum]* Num alibi sic dicatur, nescio, sed quin ita dici possit, non es mihi dubium. Herelius tamen in Ruperti libro Philolog. Magaz. Tom. p. 86 coniecit *corruptum.* — *in dubium venire non posset]* Quid edictumne, quod tum dicit potuisse vituperari? At ipsum edictum i dubium non venit, verum testamenta, quorum de veritate dubitabatu Sentio igitur, oratorem concinnitatis causa paulo negligentius locutun esse. Supra in eadem periodo Ursinus Graevio persuasit, ut ex illiu codice et *atqui* et *tantum* pro *atque* — *tum* reciperet. Utrumqu merito a reliquis editoribus improbatum est, quamquam *atqui* in Huyd esse traditur et nihil a Graeviana scriptura diversum e Lag. enotatum est.

§. 111. *mercenarioque prooemio]* Coniunctionem *que* addidi e Lag. 29 et Steph. (Lamb.) edit. Nam et ipsum caput, quod supra adum brare conati sumus, multorum verborum fuisse necesse est, si quider illud Verres efficeret, ut ne posthac calumnia in verbo *census* fieret. *qui idem illud ediceret]* Sic edidit Steph. (Lamb.) et concinun Guelf. 2 Lag. 29 pro eo quod vulgo est *illud idem.* — *Annaea]* Si Steph. Guelf. 2. Vulgo *Annia*, quae si fuisset propinqua vel soror il lius *Annii*, Cicero novam aliquam invidiam ex ea re duxisset. Prae stat igitur ex bonis libris aliud nomen recipere. Lagomarsiniani lib varie corrupti sunt, Leid. et Lag. 29 etiam *ea* omittunt aut cum no mine confundunt.

sententia, pecuniosa mulier, quod censa non erat, testamento fecit heredem filiam. Iam hoc magnum iudicium hominum de istius singulari improbitate, quod C. Verres sua sponte instituisset, id neminem metuisse, ne quis reperiretur, qui istius institutum sequi vellet: solus enim tu inventus es, cui non satis fuerit corrigere voluntates vivorum, nisi etiam rescinderes mortuorum. Tu ipse ex Siciliensi edicto hoc sustu- 112
listi; voluisti ex improviso, si quae res natae essent, ex urbano edicto decernere. Quam postea tibi tu defen-

§. 111. *Iam hoc magnum iudicium hominum de istius singulari* cet.] In hoc ultimo verbo alter cod. Guelf. desinit et Leid. neque quicquam praeterea Steph. in vulg. textu mutavit, qui insignis consensus animadvertendus est. Sed priusquam a codd. illis relinquamur, non parum momenti addunt Prisciano p. 1153, ut *iam* legatur pro *itaque*. *Iam hoc* est hoc primum, sequitur *tu ipse ex Siciliensi edicto hoc sustulisti*, quo altera, qua se Verres prodiderit, ratio additur. Paulo post Lambinus *C. Verres*, praenomine ex Prisciano, qualis ante Krehlium fuit, addito. Sed habet etiam Lag. 29, nec videntur homines aliter loqui debuisse.

qui istius institutum sequi vellet] Non sine causa Ernestio verba *istius institutum* displicuerunt, cum idem contineant, quod antea erat *quod Verres instituisset*. Neque tamen propterea deleverim, quoniam interdum scriptores, quod praecessit, alio modo in eadem periodo repetere solent. — *rescinderes mortuorum]* i. e. tu non solum ea parte edicti, qua futurum tempus spectas, perficis ne homines libera voluntate uti queant, sed altera parte etiam in praeteritum tempus regrederis, et quod olim libere testatum erat, rescindis. Sed ego tamen sentire mihi videor, in hac periodo deesse nomen oppositum *voluntatibus*, et corruptionem hic versatam esse ostendunt Lagom. codicum scripturae varietates, quorum 1. 6. 14. 45. 48 *voluntatis* omittunt, 29 pro eo habet *testamenta*, 27 *viv. volunt.* Puto *testamenta* addenda esse, sed in altera parte sententiae ante *mortuorum*.

§. 112. *Quam postea tibi tu defensionem relinquebas]* Nimirum si cui mulieri in provincia hereditatem ademisset, ut dicere posset, se ex urbano edicto suo decrevisse. In qua defensione maxime sibi ipse nocuit, quod aliter in provinciali atque in urbano edicto scripsisset. Sic etiam P. Manutius. Verum Garatonius hanc ipsam Verris defensionem putat fuisse, quod in edicto provinciali illud caput omiserit, ideoque dicere posset: venia dignus sum, erravi, sed errorem ipse meum in edicto provinciali correxi. Sed haec nulla prorsus defensio est ad-

sionem relinquebas, in ea maxime offendisti, cum tuam auctoritatem tute ipse edicto provinciali repudiabas.

44 Atque ego non dubito, quin, ut mihi, cui filia maxime cordi est, res haec acerba videatur atque indigna, sic unicuique vestrum, qui simili sensu atque indulgentia filiarum commovemini. Quid enim natura nobis iucundius, quid carius esse voluit? quid est dignius, in quo omnis nostra diligentia indulgentiaque

---

versus accusatorem: nam errasse Praetorem Rom. in edicto componendo capitale ac flagitiosum est, praesertim cum ab auctoritate priorum sua sponte deflexisset. Nihil aliud vult Cicero, nisi ut eo Verrem adigat, ut fateatur se non recte fecisse, quod in edicto urbano hereditates mulieribus ademerit. Utrum errasse, an lucri cupiditate improbe fecisse censendus esset, deinde facile existimari poterat. Ceterum vulgo nunc *tu tibi*, postquam sic ediderunt simul Victor. et Hervag. Antea editi et scripti Lagom. omnes (etiam 29, qui nunc optimus censeri debet) *tibi tu*. — *in ea maxime offendisti]* Edidit Graevius *in eam:* invitus, iudice Garatonio.

§. 112. *Atque ego]* Abest *ego* a Lag. 29. Sed principium huius capitis tantam Ernestio visum est constructionis difficultatem habere, ut ad violentam admodum correctionem descenderet. Nam cum Coniunctivus *videatur* offendit, quod nihil habet unde pendeat, cumque intelligeret eum pendere debere a vocula *quin*, omnia haec verba *res haec acerba videatur atque indigna* in finem reiecit. Sed ego existimo in duplici enuntiatione, ubi idem verbum primum indicativo, deinde coniunctivo modo ponendum sit, posse etiam, si media quaedam intercesserint, semel tantum verbum poni, verum coniunctivo modo. V. c. si dicere velis *non dubito quin, quod ego feci, idem tu feceris*, non possis pro eo dicere *non dubito, quin, quod ego, idem tu feceris*, sed verbis aliquot interiectis, ut quo Coniunctio revera pertineat, paulo evanescat, dicere poteris: *non dubito quin, quod ego, qui hanc rem mediocriter intelligo, fecerim, idem tu, qui illam rem omnium optime videris didicisse*. *Feci* non dices, neque enim ex Indicativo aeque facile intelligitur Coniunctivus, ut contra. Non nego etiam in altera enuntiatione Coniunctivum semel poni posse, quod h. l. Ernestius voluit. Sed nostrae rationis simillimum exemplum habes cap. 39 init., ut ibi ex optimis codd. restituimus. — *diligentia indulgentiaque]* Diligentiam recte interpretatur Graevius de parentum studio, ut rem faciant liberisque relinquant. Nostri *sorgen* sic dicunt. Cf. lib. II, 3 §. 7. Pro *indulgentia* Herelius in Wideburgii phil. Mag. T. 1 p. 87 scribi voluit *industria:* male. *Indulgentia* in universum est parentum amor erga liberos, quemadmodum *pietas* liberorum in parentes. Omnem indu-

consumatur? Homo importunissime, cur tantam iniu- 113
riam C. Annio mortuo fecisti? cur hunc dolorem cineri eius atque ossibus inussisti, ut liberis eius bona patria, voluntate patris, iure, legibus tradita, eriperes, et, cui tibi esset commodum, condonares? Quibuscum vivi bona nostra partimur, iis praetor adimere, nobis mortuis, bona fortunasque poterit? *Nec petitionem, inquit, nec possessionem dabo.* Eripies igitur pupillae togam praetextam? detrahes ornamenta non solum fortunae, sed etiam ingenuitatis? Miramur, ad arma contra istum hominem Lampsacenos isse? miramur istum de provincia decedentem clam Syracusis profugisse? Nos si alienam vicem pro nostra iniuria doleremus, vestigium istius in foro non esset relictum.
Pater dat filiae: prohibes: leges sinunt: tamen te in- 114
terponis: de suis bonis ita dat, ut ab iure non abeat. Quid habes, quod reprehendas? nihil, opinor. At ego concedo: prohibe, si potes; si habes qui te audiat; si potest tibi dicto audiens esse quisquam. Eripias tu voluntatem mortuis, bona vivis, ius omnibus? Hoc populus Romanus non manu vindicasset, nisi te huic

---

striam in liberis consumere quam inepte Latinis auribus sonet, facile intelliget, qui cogitaverit, industriam praecipue in perficiendo atque elaborando spectari.

§. 113. *Nec petitionem — nec possessionem dabo]* Petitionem Praetor *dat*, cum permittit ut quis ab aliquo petat, i. e. iure eum persequatur, *non dat*, ubi negat se in ea re iudices daturum. — *sed etiam ingenuitatis]* Quia tum non habebant, unde sibi insignia illa ingenuitatis compararent. — *pro nostra iniuria]* i. e. proinde ac si nobis ipsis iniuria esset illata. Pro Rosc. Am. 21 *prorsus ut vestro consessu et hoc conventu pro summa solitudine abuteretur*, i. e. quasi summa esset solitudo. Cf. etiam Gramm. nostram §. 453. — *vestigium istius in foro non esset relictum]* Negationem denuo addidit Gruterus, quoniam et in edd. vett. et in libris mstis esset. Mediae aetatis editores, Manutius, Car. Stephanus, Lambinus omiserant, signo interrogandi addito.

§. 114. *vindicasset]* Sic fecit Naugerius, adstipulantibus, ut videtur, Lag. 29. 42. Ceteri Lagom. codd. et edd. principes *vindicandum esset*, quod nihil est, nisi forte velis scribere *vindicatum isset*.

tempori atque huic iudicio reservasset? Posteaquam ius praetorium constitutum est, semper hoc iure usi sumus: si tabulae testamenti non proferrentur, tum, uti quemque potissimum heredem esse oporteret, si is intestato mortuus esset, ita secundum eum possessio daretur. Quare hoc sit aequissimum, facile est dicere: sed in re tam usitata satis est ostendere, omnes antea ius ita dixisse, et hoc vetus edictum translaticiumque esse.

45 Cognoscite hominis aliud in re vetere edictum no-
115 vum: et simul, dum est unde ius civile discatur, ado-
lescentes in disciplinam ei tradite: mirum est hominis
ingenium, mira prudentia. Minucius quidam mortuus
est ante istum praetorem: eius testamentum erat nul-
lum: lege hereditas ad gentem Minuciam veniebat. Si

---

§. 114. *tum uti quemque potiss. — si is intestato mortuus esset]* Sic libri mss. (nisi quod Lag. 29 *tunc)* et olim editi omnes. Primum Victor. et Hervagiana simul de lemmate Asconii *proximum quemque* exhibuerunt, post Hotomanus verba *si is intestato mortuus esset* prorsus absona esse et ex annotatione Asconii huc irrepsisse, reliquis editoribus omnibus persuasit. Sic errore error paritur: nam Asconium hunc mutilum et nullius bonae frugis librorum consensui in re manifesta praeferri minime oportuit. Quod autem Hotomanus queritur, quod esset *is* non habere quo referretur, facile solvitur, si ad *heredem esse* subintelligas *alicui*. Itaque iam non video, quid in certa scriptura librorum quemquam possit offendere. Verres se filiae possessionem daturum negaverat: id contra ius Praetorium esse dicit Cicero, quo si tabulae proferrentur, bonorum possessio secundum tabulas daretur; si non proferrentur, secundum successionem ab intestato. Nimirum Praetor naturali illi aequitati consulebat, cuius patronum se Cicero quoque profitetur, quaeque tandem veterem iuris duritiem perfregit.

facile est dicere] Vulgo *docere*, quod est a Naugerio. Nam libri Lag. omnes praeter unum 42 (cuius in hac oratione nulla est auctoritas) *dicere* exhibent, neque causam video, cur ab iis discedamus.

§. 115. *hominis aliud]* Hoc ordine Lag. 29, qui liber nunc longe optimus est, vulgo *aliud hominis*. Item post ille cum edit. Lamb. *in discipl. ei*, cum vulgo sit *ei in disc*. — *lege hereditas ad gentem]* *Legem* intellige eam, unde omnis iurisprudentia Rom. fluxit XII tabu-

habuisset iste edictum, quod ante istum et postea omnes habuerunt, possessio Minuciae genti esset data: si quis testamento se heredem esse arbitraretur, quod tum non extaret, lege ageret in hereditatem; aut, pro praede litis vindiciarum cum satis accepisset, sponsionem faceret, ita de hereditate certaret. Hoc, opinor, iure et maiores nostri, et nos semper usi sumus. Videte, ut hoc iste correxerit. Componit edictum iis verbis, ut 116
quivis intelligere possit, unius hominis causa conscriptum esse: tantum quod hominem non nominat, causam quidem totam perscribit, ius, consuetudinem, ae-

---

larum, ex qua etiam legitimi heredes vocantur. Hi igitur legitimi heredes cum non essent Minucio, i. e. cum neque sui heredes essent, nec agnati, lege XII tabularum hereditas pertinebat ad gentiles. Vide Gaii Instit. III §. 17. Sunt autem *gentiles* secundum Scaevolam apud Cic. in Topicis c. 6 *qui inter se eodem nomine sunt, qui ab ingenuis oriundi sunt, quorum maiorum nemo servitute servivit, qui capite non sunt deminuti.* Observatione autem dignum, Ciceronis aetate gentilicium ius mansisse adhuc, quod sua quidem Gaius dicit totum in desuetudinem abisse. Praetoria hoc factum videtur eadem illa aequitate, qua si legitimi heredes non essent, etiam cognati ad bonorum possessionem vocarentur. Hic autem intestatus non dicitur mortuus esse Minucius, sed testamentum tum non comparuisse, debebat igitur nihilominus bonorum possessio dari, quasi is intestatus decessisset. — *lege ageret in hereditatem aut]* Codicum scriptura constat. Quod interpretes explicandi causa hic illic corrigere conati sunt, sibi habeant. Tu confer Gaii Instit. lib. IV §. 91: *In rem actio duplex est, aut enim per formulam petitoriam agitur, aut per sponsionem. Si quidem per formulam petitoriam agitur, illa stipulatio locum habet, quae appellatur iudicatum solvi: si vero per sponsionem, illa, quae appellatur pro praede litis et vindiciarum,* et §. 94 *Ideo autem appellata est pro praede litis et vindiciarum stipulatio, quia in locum praedium successit, qui olim, cum lege agebatur, pro lite et vindiciis, id est, pro re et fructibus a possessore petitori dabantur. Litis vindiciarum* igitur usitata in talibus formulis omissione coniunctionis dictum est. Sed Lag. 29 post *litis* addit: *fidei usores fructuum.* Volebat qui haec interpretanda sibi sumpsit *fideiussores fructuum.*

§. 116. *intelligere possit]* Lag. 29 *int. posset.* — *causam quidem totam perscribit]* Graevius e primo Franc. cui accedunt Huyd. et Meining. *proscribit* voluit, vix Latine.

quitatem, edicta omnium negligit. EX EDICTO URBANO. *Si de hereditate ambigitur . . . si possessor sponsionem non faciet.* Quid id ad praetorem, uter possessor sit? nonne id quaeri oportet, utrum possessorem esse oporteat? Ergo quia possessor est, non moves possessione; si possessor non esset, non dares! Nusquam enim scribis, neque tu aliud quicquam edicto complecteris, nisi eam causam, pro qua pecuniam ac-
117 ceperas. Iam hoc ridiculum est: *si de hereditate ambigitur, et tabulae testamenti obsignatae non minus multis signis, quam e lege oportet, ad me proferentur, secundum tabulas testamenti potissimum posses-*

---

§. 116. *si possessor sponsionem non faciet]* Editio Lambiniana cum repetitionibus et Gruteriana pro *si* habent *et*, quod a Lambino invectum puto, quia in cod. invenisset, sicut est in Lag. 29, *si et poss.* Ferre poteris alterutrum, sed melius est *si*, propterea quod praecessisse videtur membrum, quo de praedibus diceretur, si ad sponsionem faciendam ille paratus esset. Porro Asconius locum sic interpretatur, ut verbum *est* subintelligendum esse dicat: *si possessor est, sponsionem non faciet.* Sed bene fecerunt ceteri editores, quod a tam quaesita dicendi ratione abhorruerunt. Ernestius solus sic interpunxit. Tantamne igitur Verris amentiam existimavit esse, ut si quis quovis modo hereditatem teneret, eum ne ad iudicium quidem cum eo, qui eandem hereditatem legibus peteret, descendere pateretur? Illud certe cogitari nequit. Nihil aliud h. l. reprehendit Cicero, quam quod Verres certi cuiusdam hominis causa voce possessoris abusus sit, et eum hoc nomine appellarit, qui possidendi, ante rem iudicatam, ius non haberet. Possessio debebatur genti Minuciae; alter ille bona occupaverat sine iure: sed Verris edicto hoc assequebatur ut pro possessore esset. Si quaeris, quid boni ex ista temporaria possessione homini contingere potuerit, unum hoc vetere proverbio respondeo: Beati possidentes! In Verris edicto subintelligam: *eum qui petet in possessionem ire iubebo.* — *nonne id quaeri]* Huyd. et Lag. omnes praeter 29 *nomine*, item edd. principes usque ad Naugerium. Itaque non dubitabis fortasse ex eodem Lag. 29 recipere *complecteris* pro vulg. *amplecteris*, quod idem vitium supra c. 43 §. 110 animadvertimus.

§. 117. *si de hereditate ambigitur]* Sic scribe, ut constet sibi edictum, quod et in codd. propemodum omnibus et in edd. vett. est. Futurum tempus in textum Lamb. repetitionum irrepsit, inde Gruterus propagavit, neque tamen celabo esse in Lag. 29. 42.

sionem dabo. Hoc translaticium est: sequi illud oportet, *si tabulae testamenti non proferentur.* Quid ait? *Se ei daturum, qui dicat heredem esse.* Quid ergo interest, proferantur, necne? Si protulerit, uno signo ut sit minus, quam ex lege oportet, non des possessionem: si omnino tabulas non proferet, dabis. Quid nunc dicam? Neminem unquam hoc postea alium edixisse? Valde sit mirum, neminem fuisse, qui istius se similem dici vellet. Ipse in Siciliensi edicto hoc non habet; exegerat enim iam mercedem: item ut illo edicto, de quo ante dixi, in Sicilia de hereditatum possessionibus dandis edixit idem, quod omnes Romae, praeter istum. EX EDICTO SICILIENSI. *Si de hereditate ambigitur. . .*

Ac, per deos immortales, quid est, quod de hoc 46
dici possit? Iterum enim iam quaero abs te, sicut 118
modo in illo capite Anniano de mulierum hereditatibus, nunc in hoc de hereditatum possessionibus, cur ea capita in edictum provinciale transferre nolueris? Utrum digniores homines existimasti eos, qui habita-

---

§. 117. *possessionem dabo]* Vulgo *hereditatem dabo*, quod Hotomanus quippe Ictus recte falsum dixit, quoniam hi, quibus ex successorio edicto bonorum possessio datur, heredes non sunt, sed heredis loco constituuntur beneficio praetoris, quae verba sunt Ulpiani Tit. XXVIII, 12. Item Gaius III §. 32 *Praetor heredes facere non potest.* Itaque Hotomanus *possessionem hereditatis* scribendum esse censuit, sed ipsum verbum, quo opus est, exhibet Lag. 29, ex cuius aliquo pari etiam Lambinus ediderat, quem adhuc Hotomano obtemperasse putavimus. — *qui dicat heredem esse]* Delevi quod vulgo legitur *se*, (videlicet *qui se dicat)* invitus, sed obtemperandum fuit libris mss. et olim (usque ad annum 1534) editis omnibus. Vide supra ad c. 23.

unquam hoc] Adieci *hoc* fide Lag. 29. Lambinus eandem vocem post *valde*, ubi et Priscianus habet p. 1154 Putsch. sed sic: *valde hoc est mirum.*

§. 118. *Ac, per deos]* Sic Lag. 29, vulgo *at*, quasi hoc contrarium sit. Sententia cum vi continuatur, quod significat copulativa coniunctio in principio posita, et imprimis quidem *atque.* Lambinus deinde *item* ante *nunc*, et *esse* ante *existimasti* addidit, contra codd. nostros.

bant in provincia, quam nos, qui aequo iure uteremur? an aliud Romae aequum est, aliud in Sicilia? Non enim hoc potest hoc loco dici, multa esse in provinciis aliter edicenda: non de hereditatum quidem possessionibus, non de mulierum hereditatibus. Nam utroque genere video non modo ceteros, sed te ipsum totidem verbis edixisse, quot verbis edici Romae solet. Quae Romae magna cum infamia, pretio accepto, edixeras, ea sola te, ne gratis in provincia male audires, ex edicto Siciliensi sustulisse video.

119 Et, cum edictum totum eorum arbitratu, quamdiu fuit designatus, componeret, qui ab isto ius ad utilitatem suam nundinarentur: tum vero in magistratu contra illud ipsum edictum suum sine ulla religione decernebat. Itaque L. Piso multos codices implevit earum rerum, in quibus ita intercessit, quod iste aliter atque ut edixerat decrevisset. Quod vos oblitos esse

---

§. 118. *quam nos qui — uteremur]* Hotomanus *uterentur* voluit, quem Graevius incondite disputans non refutavit, Ernestius magnopere probavit. Itaque nuper Kreblius in codicum Priscianorum dissensu lib. XVIII §. 117 *uterentur* recipere non dubitavit. Eum nos non secuti sumus, propterea quod apud Ciceronem ne ulla quidem scripturae varietas est, et hanc rationem, ut verbum ad ultimum et proximum nomen referatur, vel praecipue Latinam esse putamus. Cic. de Off. 1, 23 *Bellum sic suscipiatur, ut nihil aliud nisi pax quaesita videatur.* Alia exempla vide in Gramm. nostra §. 370. Cf. c. 22 §. 58 annot.

Nam utroque genere] Lamb. adiecit *in*. Post *edici* abest a Lag. 29.

§. 119. *edictum totum]* Alteram vocem omittit Lag. 29. Sed post idem optime *ipsum* addit, quod sententia requirit. — *aliter atque ut edixerat]* Hoc est *varie ius dicere*, quod ne fieret, quadriennio post C. Pisone, M'. Glabrione Coss. (a. Chr. 67, u. c. 687) diligentius cavit C. Cornelius Trib. pl. Asconius in argum. orat. Cic. p. C. Cornelio maiestatis reo: *Aliam deinde legem Cornelius, etsi nemo repugnare ausus est, multis tamen invitis, tulit, ut Praetores ex edictis suis perpetuis ius dicerent: quae res tum gratiam ambitiosis Praetoribus, qui varie ius dicere assueverant, sustulit.* Dio Cass. lib. XXXVI, 23 ἐξηγήσατο κατ᾽ ἀρχάς τε εὐθὺς αὐτοὺς τὰ δίκαια, οἷς χρήσονται, προλέγειν, (hoc quidem lege sancire non opus fuit,) καὶ

on arbitror, quae multitudo, qui ordo ad Pisonis sel-
m isto praetore solitus sit convenire; quem iste col-
egam nisi habuisset, lapidibus coopertus esset in foro.
ed eo leviores istius iniuriae videbantur, quod erat in
equitate prudentiaque Pisonis paratissimum perfugium,
uo sine labore, sine molestia, sine impensa, etiam
ine patrono homines uterentur. Nam, quaeso, redite
n memoriam, iudices, quae libido istius in iure di-
endo fuerit, quae varietas decretorum, quae nundi-
atio, quam inanes domus eorum omnium, qui de iure 120
ivili consuli solent, quam plena ac referta Chelido-
is: a qua muliere cum erat ad eum ventum, et in
urem eius insusurratum, alias revocabat eos, inter
quos iam decreverat, decretumque mutabat, alias in-
ter alios contrarium sine ulla religione decernebat, ac
proximis paulo ante decreverat. Hinc illi homines erant,
qui etiam ridiculi inveniebantur ex dolore. Quorum
lii, id quod saepe audistis, negabant mirandum esse,
us tam nequam esse verrinum; alii etiam frigidiores 121
erant, sed, quia stomachabantur, ridiculi videbantur
esse, cum Sacerdotem execrabantur, qui verrem tam

ηδὲν ἀπ' αὐτῶν καρατρέχειν. De intercessione magistratuum Cic. de legg. III, 3 et 4 plus semel *ni par maiorve potestas prohibessit; par maiorve potestas plus valeto.* Exempla ex rerum memoria collegit Hotom. ex Caesare de bell. civ. III, 20, Valerio Maximo VII, 7.

praetore solitus sit convenire] In omnibus codd. et edd. princ. usque ad Naugerium additur *esse* ante *solitus sit.*

§. 120. *iure dicendo]* Sic codd. longe plurimi et Lag. 29. et edd. vett. omnes, etiam Lamb. cum repetitionibus. — *ac referta]* Vulgo atque, sed sequor codd. Lagom. omnes et lemma Asconii. — *contrarium — ac]* Quod Ernestius negavit sibi videri Adiect. *contrarium* cum *ac* posse coniungi, vide Schelleri Observatt. p. 51.

§. 121. *id quod saepe audistis]* Vulgo *ut audistis*, nihil aliud, ed Lag. 1. 6. 14. 45. 46 *ut* omittunt, unus 29 (et olim Fulvii Ursini liber) quod nos Cicerone dignissimum censuimus. Miror autem, quid sit, quod Garaton. sic etiam Lambinum aliquando edidisse tradidit, nam neque in ipsius editione neque in repetit. ullum eius rei vestigium.

nequam reliquisset. Quae ego non commemorare (neque enim perfacete dicta, neque porro hac seve tate digna sunt,) nisi vos illud vellem recordari, isti nequitiam et iniquitatem tum in ore vulgi atque communibus proverbiis esse versatam.

47 In plebem vero Romanam utrum superbiam pri
122 commemorem, an crudelitatem? sine dubio crudelit gravior est atque atrocior. Oblitosne igitur hos p tatis esse, quemadmodum sit iste solitus virgis plebe Romanam concidere? Quam rem etiam tribunus pl bis in contione egit, cum eum, quem iste virgis c ciderat, in conspectum populi Romani produxit: cui

---

§. 121. *neque enim perfacete dicta]* Apparet igitur, actum egiss qui scriptorem nostrum de his iocis vituperaret, qui quidem, cum ip recte intelligeret, quid venustum et facetum esset locoque convenir non ex sua persona, sed ut stomachantibus concedi posset, eiusmo dictis uteretur. Vide Quintil. Inst. VI, 3 init. Habet enim stomach ille aliquid ioco simile, ut idem ait extremo cap. illo. Neque tamen n ipse simile dictum de iure refert in epist. lib. IX, 18 ad Paetum. C terum codd. plerique omnes *perfacile dictum*, quod emendavit Naug.

§. 122. *memorem]* Rarissimum apud Ciceronem, *memorare* aliqu pro commemorare, nam lib. II de Legg. 24 extr. verba sunt ex antiq lege vel illius similia, nec relinquitur nisi har. oratt. lib. IV, 48. Itaque ga deo Lag. 29 (nam Huyd. tantum non tribuerem) remedium afferre lene, se quod ea auctoritate destitutus adhibere non audeas, ut *commemorem* scr batur. — *tribunus plebis]* Eum appellat Asconius M. Lollium Palicanur qui imprimis operam dedit, ut Tribunicia potestas, qualis ante lege Corneliam fuisset, restitueretur. Inisse autem hunc Tribunatum pleb a. 72 extremo, L. Gellio Cn. Lentulo Coss., et gessisse a. 71, Cn. Orest et P. Lentulo Coss., triennio post Verrem praet. urb., intelligitur ex e quod Cn. Pompeio ex Hispania reverso a. 71 contionem populi dediss traditur ab Asconio ad Act. I, 15, et verisimile fit ex ordine rerum na ratarum lib. II, 41. Eiusdem mentio fit in loco, quem Sallustianum pu tant ex historiis, apud Quintil. Inst. IV, 2 init. ubi cf. Spaldingium i eo tamen errantem, quod illum Palicanum diversum putat ab hoc Cice roniano. Corrigenda potius vulgaris apud Quintil. scriptura fuit secu dum meliorum librorum auctoritatem.

in conspectum populi Rom. produxit] Sic unus Lag. 29. Vulg *in prospectum:* contra sermonis usum. Nam *prospectus* cum sit facul

rei cognoscendae faciam vobis suo tempore potestatem. Superbia vero qua fuerit, quis ignorat? quemadmodum 123
is tenuissimum quemque contempserit, despexerit, liberum esse nunquam duxerit? P. Trebonius viros bonos et honestos complures fecit heredes: in his fecit suum libertum. Is A. Trebonium fratrem habuerat proscriptum. Ei cum cautum vellet, scripsit, ut heredes iurarent, se curaturos, ut ex sua cuiusque parte ne minus dimidium ad A. Trebonium fratrem illum proscriptum perveniret. Libertus iurat: ceteri heredes adeunt ad Verrem: docent, non oportere se iurare: facturos esse, quod contra legem Corneliam esset, quae

---

tas in longinquum prospiciendi, *adimi* quidem et *impediri* recte dicitur, sed nemo constituitur in prospectu, sed in conspectu populi, nisi forte hominem velis esse pro pertica vel alio signo in editis locis sublato. Sic et venire in conspectum dicuntur, non in prospectum, qui tamquam testes prodeunt, infra c. 58 init. Ex eodem libro illo *quem iste virgis ceciderat* paulum mutato verborum ordine pro eo qui fuit *virgis iste* recepimus. — *suo tempore]* Intelligit librum V extr. quamquam de illo plebeio Romae virgis caeso ibi non dicit, sed genus tantum eius crudelitatis persequitur. Hoc apte Ferratius, qui et conferri iussit, quod supra cap. 17 orator se dicturum de signis ex Achaia sublatis alio loco professus est nec fecit.

§. 123. *qua fuerit]* Lag. 29 et plerique etiam deteriores editionesque veteres usque ad Victorianam *quae fuerit*. Sed non convenit ei quod sequitur *quemadmodum is contempserit*, quamquam in eo Lamb. fecit *iste* contra libros. — *viros bonos* dicit, i. e. rei publicae, qualis tum constituta erat, amicos, nobilitatis fautores, ne P. Trebonium ipsum iudices Marianarum partium asseclam clandestinum putarent. Itaque misericordia erga proscriptum illum miserum excitatur, cui ne bene quidem sentiens frater unde vitam toleraret suppeditare posset. Lag. 29 *plures*. — *in his fecit]* Verbum abesse posse facile concedimus, debere non arbitramur: pertinet enim ad gratae cuiusdam negligentiae speciem. — *facturos esse]* Lag. 29 *id fact. esse.*

contra legem Corneliam] Liquido hic Corneliam appellat, quam p. Rosc. Am. 43 dubitabat, utrum Valeriam (Valerii Flacci interregis s. 82) an Corneliam diceret, de proscribendis malis civibus. Ac videtur vulgo Cornelia dicta esse, quod cum reliquis huius generis, quae ad constituendam rem publicam pertinerent, coniuncta esset. Admisi autem emendationem Ernestianam *vetaret* pro *vetat*, quod libri omnes

proscriptum iuvari vetaret. Impetrant, ut ne iurent
dat his possessionem. Id ego non reprehendo. Ete
nim erat iniquum, homini proscripto, egenti, de fra
ternis bonis quicquam dari. At ille libertus, nisi e:
testamento patroni iurasset, scelus se facturum arbi
124 trabatur. Itaque ei Verres possessionem hereditati
negat se daturum, ne posset patronum suum proscri
ptum iuvare; simul ut esset poena, quod alterius pa
troni testamento obtemperasset. Das possessionem ei
qui non iuravit: concedo: praetorium est. Adimis tu
ei, qui iuravit: quo exemplo? Proscriptum iuvat. Lex
est; poena est: quid ad eum, qui ius dicit? Utrum
reprehendis, quod patronum iuvabat eum, qui tum in
miseriis erat; an, quod alterius patroni mortui voluntatem conservabat, a quo summum beneficium acceperat? Utrum horum reprehendis? Et hoc tum de sella
vir optimus dixit, *Equiti Romano tam locupleti libertinus sit homo heres?* O modestum ordinem, quod
illinc vivus surrexit!

125 Possum sexcenta decreta proferre, in quibus, ut ego pecuniam non dicam intercessisse, ipsa decretorum novitas iniquitasque declarat. Verum, ut ex uno

---

habent, quoniam oratori hanc quasi admonitionem iudicum tribuere molestum videtur. — *At ille]* Codd. *et*, illud ex coniectura Hotomani omnibus laudata receperat Ernestius.

§. 124. *Lex est; poena est]* Lege Ernestium in clave s. v. *iurisdictio*, hoc demonstrantem, iurisdictionem praetoris urbani et peregrini versatam esse in solis causis privatis, iisque ita propriam fuisse, ut publicis quaestionem. — *O modestum]* Omittunt interiectionem P. Manutius, Lambinus, nescio qua de causa; libri enim habent.

§. 125. *sexcenta]* Sic primum comparet in Victor. 1534, antea *sexaginta*, et libri mss. omnes LX. Sed res dubia non est, et accedit vetus laudator huius loci Donatus ad Terent. Phorm. IV, 3, 63 *proinde sexcentas mihi dicas scribito.* Notis etiam hic infinitus numerus scribi solitus, quamvis nobis displiceat: unde in nostris editt. Epist. ad Att. II, 5 *quid de vobis historiae ad annos DC praedicent* haesit.

de ceteris coniecturam facere possitis, id quod priore actione cognostis, audite. C. Sulpicius Olympus fuit. 48
Is mortuus est C. Sacerdote praetore, nescio an ante quam Verres praeturam petere coeperit. Fecit heredem M. Octavium Ligurem. Ligur hereditatem adiit: possedit Sacerdote praetore sine ulla controversia. Posteaquam Verres magistratum iniit, ex edicto istius, quod edictum Sacerdos non habuerat, Sulpicii patroni filia sextam partem hereditatis ab Ligure petere coepit. Ligur non aderat. L. frater eius causam agebat: aderant amici, propinqui. Dicebat iste, nisi cum muliere decideretur, in possessionem se ire iussurum. L. Gellius causam Liguris defendebat: docebat, edictum eius

§. 125. *C. Sulpicius Olympus]* Libri mss. (de Lagom. dico) fere omnes *Sulpitius*, item omnes *Olympiis* vel *Olimpiis*, sic et edd. princ. Naugerius *Sulpitius Olympius*, et sic mansit donec Lambinus auctore Turnebo in Advers. lib. XXIV, 32 correxit. Nomen enim in veteribus lapidibus invenitur, *Olympius* offensioni fuisset. — *Ligur]* Lag. 29 a pr. manu *Ligus*, item post. Utraque forma in usu est.

sextam partem hereditatis] Lex (XII tab.) de hereditate liberti, si is testamentum fecisset, patrono nihil dabat, si intestatus mortuus esset nec suos heredes relinqueret, totam. Praetor, nisi libertus naturales liberos relinqueret, sive is intestatus decesserat sive testamentum fecerat, dimidiae partis bonorum possessionem dabat patrono et eius liberis virilis sexus, feminae ab hoc iure exclusae erant. Sic Ulpian. XXIV, 4, 5. Verum medebatur etiam huic rei eadem illa, quam supra attigimus, Praetoris aequitas, quod Icti recentiores omisisse videntur, cum Verre auctore filiae patroni saltem tertiae partis eius, quod ad filios perveniret, possessio daretur. Atque hoc videtur posthac servatum esse, donec lex Papia Poppaea mulieribus, quae ius trium liberorum haberent, eadem commoda in hac re, quibus masculi utebantur, concessit. Sed hic de aequitate ipsius edicti non agitur, sed iniuria notatur, quod illa hereditas priore anno venerat. Quamquam et in ea re Verres habebat quod defenderet: petitio enim annua est. Cf. Gai. IV, §. 110. Non tamen earum rerum, quarum petendi ius tum non competebat. — *amici, propinqui]* Lambinus interiecit *et* contra libros.

decideretur] Codd. Lag. (praeter 42) omnes et Huyd. *deciderentur.* Vulgatam primus edidit Naugerius, qui si *deciderent* fecisset, non minus probari posset. — *se ire iussurum]* Franc. pr. et Lagom. praeter 5. 42 *se ire missurum*, unde arbitror fuisse *se missurum.*

non oportere ad eas hereditates valere, quae ante eum praetorem venissent; si hoc tum fuisset edictum, fortasse Ligurem hereditatem aditurum non fuisse. Aequa postulatio, summa hominum auctoritas pretio su-
126 perabatur. Venit Romam Ligur: non dubitabat, quin si ipse Verrem convenisset, aequitate causae et auctoritate sua commovere hominem posset. Domum ad eum venit: rem demonstrat: quam pridem sibi hereditas venisset, docet: quod facile in causa aequissima homini ingenioso fuit, multa, quae quemvis commovere possent, dixit: ad extremum petere coepit, ne usque eo suam auctoritatem despiceret gratiamque contemneret, ut se tanta iniuria afficeret. Homo Ligurem accusare coepit, qui in re adventicia atque hereditaria tam diligens, tam attentus esset: debere eum aiebat suam quoque rationem ducere; multa sibi opus esse, multa canibus suis, quos circa se haberet. Non possum illa planius commemorare, quam ipsum Ligurem
127 pro testimonio dicere audistis. Quid enim, Verres? utrum ne his quidem testibus credetur? an haec ad

---

§. 125. *ad eas hereditates]* Mediam voculam in Gruteriana typographorum errore a reliquis editoribus non animadverso excidisse notavit Garatonius. Recte, neque ipse repeto, nisi ut ne quis nobis vitio vertat quod addidimus. Ceterum Lamb. ex Prisciano *in eas hereditates* male.

§. 126. *homini ingenioso]* Multi codd. (Lag.) deteriores *negotioso*. Sed statim *commovere* pro vulg. *movere* Lag. 29, quod cum fortius sit, recipiendum putavimus. — *suam quoque rat. ducere]* Fulv. Ursinus *sui* videtur ipse maluisse, dum alios ait voluisse. Vereor ut Latinum sit, certe Cicero ad Atticum lib. VIII post epist. 11 pag. 770 Ern. *meam rationem duxi*. — *multa canibus]* Lag. 42 *multa et canibus*. *Canes* dicit rerum fructuosarum investigatores, ut lib. IV, 21 §. 47. Et confer similitudinem per hyperbolen V, 56 §. 146.

§. 127. *credetur]* Nihil certius quam sic legendum esse. Verum Ernestius *crederetur*, typographorum opinor errore, quamquam sic forte multi codices et edd. principes usque ad Naugerium. Post *non credimus M. Octavio* Lag. 29: debebat certe *credemus*, et fortasse sic verum est.

rem non pertinent? Non M. Octavio? non L. Liguri? Quis nobis credet? cui nos? quid est, Verres, quod planum fieri testibus possit, si hoc non fit? An id, quod dicunt, leve est? Nihil levius, quam praetorem urbis hoc iuris in suo magistratu constituere, omnibus, quibus hereditas venerit, coheredem praetorem esse oportere. An vero dubitamus, quo ore iste ceteros homines inferiore loco, auctoritate, ordine, quo ore homines rusticanos ex municipiis, quo denique ore, quos numquam liberos putavit, libertinos homines solitus sit appellare, qui ob ius dicendum M. Octavium Ligurem, hominem ornatissimum loco, nomine, virtute, ingenio, copiis, poscere pecuniam non dubitarit?

In sartis tectis vero quemadmodum se gesserit, 49
quid ego dicam? Dixerunt, qui senserunt: sunt alii, qui dicant: notae res atque manifestae prolatae sunt
et proferentur. Dixit C. Fannius, eques Romanus, 128
frater germanus Q. Titinii, iudicis tui, tibi se pecu-

§. 127. *omnibus quibus]* Additur vulgo *omnibus iis*, quod sustulimus auctoritate Lag. 29. Idem cum plerisque aliis Lag. post *dicendum* pro eo quod vulgo nimis superstitiose scribunt *dicundum*.

loco, nomine] Omisi quod vulgo interponitur *ordine*, quod abest a Lag. 29 et in reliquis Lagom. praeter unum 6 locum mutat. Neque eo opus est, cum *locus* ipse nihil aliud sit nisi ordo equester.

in sartis tectis] Sarta tecta substantive h. l. dicta sunt, sicut est Epist. XIII, 11 *quibus* (vectigalibus) *sarta tecta aedium sacrarum locorumque communium tueri possint*, quasi dicas Germanice die *Baulichkeiten*. Alias fere adiective dicitur aedem vel aliud aedificium *sartum tectum tradere, exigere*, *in baulichem Zustande*, ut et parietes et tecta *(Dach* und *Fach* nostrates) integra sint. — *se gesserit]* Sic Lag. 29. Vulgo *sese*. Ex eodem post *atque manifestae* pro vulg. *ac man.* dedimus, etiam in his minoribus constantiam aliquam secuti. Tum vulgo *proferuntur:* nos *proferentur* (sicut in margine repet. coniecerat Lambinus) scribendum censuimus ex plerisque Lag. inter quos tamen non est Lag. 29, postulante sententia. Nimirum post habitam orationem perpetuam.

§. 128. *iudicis tui]* Libri mss. Lagomarsiniani omnes *iudiciis tuis*, item Huyd. et edd. princ. usque ad Naugerium. Cod. Iannoctii apud Garatonium *iudicis huius tui*, nisi haec est emendatio, qualis et Lambino denuo recensenti in mentem videtur venisse.

niam dedisse. Recita testimonium C. Fannii. Nolite C. Fannio dicenti credere: noli, inquam, tu, Q. Titini, C. Fannio, fratri tuo, credere: dicit enim rem incredibilem: C. Verrem insimulat avaritiae et audaciae quae vitia videntur in quemvis potius quam in istum convenire. Dixit Q. Tadius, homo familiarissimus patris istius, non alienus a matris eius genere et nomine: tabulas protulit, quibus pecuniam se dedisse ostendit. Recita nomina Q. Tadii. Recita testimonium Q. Tadii. Ne tabulis quidem Q. Tadii nec testimonio credetur? Quid igitur in iudiciis sequemur? quid est aliud, omnibus omnia peccata et maleficia concedere, nisi hoc, hominum honestissimorum testimoniis et virorum bonorum tabulis non credere?

129 Nam quid ego de cotidiano sermone querimoniaque populi Romani loquar? de istius impudentissimo furto, seu potius novo ac singulari latrocinio? ausum esse in aede Castoris, celeberrimo clarissimoque monumento, quod templum in oculis cotidianoque aspectu populi Romani positum est, quo saepenumero senatus convocatur, quo maximarum rerum frequentissimae cotidie advocationes fiunt, in eo loco, in ser-

---

§. 128. *C. Fannio]* Hic et post codices Lag. praeter unum levissimum *Cn.* pronomen exhibent, antea item bis *C.*

§. 129. *in aede Castoris]* antiquissima, siquidem Livius eam in pugna ad lacum Regillum (a. 499 a. Chr.) votam, et XVI annis post dedicatam tradidit lib. II, 20. 42. Refecta est a L. Metello Dalmatico. Vide infra c. 59 et Ascon. ad orat. p. M. Scauro. Vocabatur quidem Castoris, sed erat etiam fratris Pollucis, vide lib. V extr. Sueton. Caes. 10, Caligul. 22. Nimirum ille Iovis, hic Tyndarei filius, cedebatque divino sanguini humanus. — *positum est]* Sic Lag. 29. Vulgo *est positum.* — *advocationes fiunt]* i. e. quo multi cotidie homines coeunt, advocati in consilium ab hoc vel illo privato aut magistratu (quale exemplum habes lib. III, 7 extr.) *Advocat* enim qui consilium vel opem ab hominibus petit, et *advocatio* coetus est congregatorum. Minus recte Garatonius de Senatu convocato intellexit: cur enim bis eadem res? nec illud publicum consilium *advocatio* est.

mone hominum, audaciae suae monumentum aeternum relinquere? Aedem Castoris, iudices, P. Iunius habuit 50
tuendam de L. Sulla Q. Metello consulibus. Is mor- 130
tuus est: reliquit pupillum parvum filium. Cum L. Octavius C. Aurelius consules aedes sacras locavissent, neque potuissent omnia sarta tecta exigere, neque ii praetores, quibus erat negotium datum, C. Sacerdos et M. Caesius: factum est senatusconsultum, quibus de sartis tectis cognitum et iudicatum non esset, uti C. Verres P. Coelius praetores cognoscerent et iudicarent. Qua potestate iste permissa, ut ex C. Fannio et ex Q. Tadio cognovistis — verumtamen cum esset omnibus in rebus apertissime impudentissi-

---

§. 130. *L. Sulla, Q. Metello consulibus]* Quia c. 55 intelligitur P. Iunium aedem tuendam redemisse a Censoribus L. Marcio, M. Perperna, ipsis quinque annis ante Sullam iterum Consulem (a. 80), interpretes hoc loco haeserunt et Garatonius tandem sibi remedium reppperisse visus est, cum coniunxit *L. Sulla — Coss. is mortuus est.* Sed huic rei vel insolita verborum collocatio obest, neque ad rem pertinet quando ille mortuus sit. Verissime Ernestius de repetita locatione primo transacto quinquennio intellexit, cum Censores non essent in civitate. Idque nunc certius etiam fit praeclara scriptura Lag. 29 *de L. Sulla*, quam noli putare ab interpolatore esse. *Tuendum habuit* idem est quod *redemerat*, et praepositioni *de* proprius quidam locus, nec tamen is vulgaris, est cum verbis *emendi* et *conducere.* Vide lex.

L. Octavius, C. Aurelius] Illi Consules fuerunt a. 75 a. Chr. quinquennio post ultimam locationem, ad quos, cum itidem nulli essent censores, negotium locandi et exigendi devenit. Et locaverunt illi quidem, mortuo P. Iunio, aedem Castoris tuendam L. Rabonio, qui antea illius socius fuerat, unde apparet, tum quoque non fere nisi gravem aliquam ob causam a vetere redemptore recedi solitum esse. Sed molestius negotium exigendi Coss. non perfecerant, nec praetores illis substituti: unde factum est ut extraheretur, et ad praetores insequentis anni perveniret, extra ordinem ab senatu ad hoc negotium delectos. Itaque Verris negotium fuit, aedem exigere et probatam sollemniter novo redemptori tradere. — *P. Coelius]* Sic Lag. 29, reliqui duobus exceptis *Celius.* Post Fannii praenomen in Lagom. praeter unum 45 omnibus est *Cn.*

verumtamen cum esset] Orationis forma homines doctos, qui has orationes ediderunt aut illustrarunt, offendit, et quemvis offendere po-

meque praedatus, hoc voluit clarissimum relinquere iudicium latrociniorum suorum, de quo non audire ali-
131 quando, sed videre cotidie possemus. Quaesivit, quis aedem Castoris sartam tectam deberet tradere. Iunium ipsum mortuum esse sciebat: scire volebat, ad quem illa res pertineret. Audit pupillum esse filium. Homo, qui semper ita palam dictitasset, pupillos et pupillas certissimam praedam esse praetoribus, optatum negotium sibi in sinum delatum esse dicebat. Monumentum illa amplitudine, illo opere, quamvis sartum tectum integrumque esset, tamen aliquid se inventurum, in quo moliri praedarique posset, arbitrabatur.

---

test. Sed equidem ante omnia hoc dicam, codicum mss. nullam omnino varietatem esse. Tum una mihi interpretandi ratio, si Latini sermonis indoles atque usus servari debeat, relinqui videtur, ut ipsum Ciceronem interrupisse inceptam orationem, et quasi ad aliena delapsum sese revocasse statuas. Huic rei servire particulam *verumtamen*, vide, si placet, apud Hor. Tursellinum p. 908 et in Gramm. nostra §. 736. Quod nisi sic statuas, excidisse aliquid librariorum culpa censendum erit. Nam transpositiones et correctiones verborum, quas Hotomanus, Lambinus, Ernestius, Garatonius temptaverunt, cum audaciores sint, tum ne satisfaciunt quidem auribus. Et miror equidem, quid sit quod, cum Hotomanus dudum eam rationem inierit, quae, si verba transponenda essent, unice comprobari deberet, eius ratio ab reliquis turbata sit. Ille enim sic voluerat: *Qua potest. iste permissa, ut ex — cognovistis, cum esset omnibus in rebus — praedatus, tum vero hoc voluit* cet. Verum Lambinus, ne non et ipse aliquid excogitasse videretur, pessime edidit *qua potest. iste permissa, ut — cognovistis, tum vero, cum esset omnibus in rebus — praedatus, hoc voluit clarissimum relinquere* cet., qua re quod Hotomanus recte instituerat, ut *cum — tum vero* inter se responderent, pessumdedit sine ullo emolumento. Quod autem Ernestius et Garatonius voluerunt, *cum esset omnibus in rebus — praedatus, ut — cognovistis, verumtamen hoc voluit* cet. sermonis legibus refragatur, propterea quod *verumtamen* in apodosi sic simpliciter sine ellipsi poni nequit. Sed nihil opus est eiusmodi remediis, si oratorem in hac re non dico negligentius, sed tamen solutius dixisse censeamus, ut ei semet ipsum revocare licuerit. — *hoc voluit* cet.] Factum accusatorie ad consilium transfertur.

§. 131. *se inventurum]* Pronomen *se* comparet in Vict. 1534 (non in Herrag.) et ex uno Lagom. 29 firmatur.

L. Rabonio aedem Castoris tradi oportebat: is casu 132
pupilli Iunii tutor erat testamento patris: cum eo sine
ullo intertrimento convenerat iam, quemadmodum tra-
deretur. Iste ad se Rabonium vocat: quaerit, ecquid
sit, quod a pupillo traditum non sit, quod exigi de-
beat. Cum ille, id quod erat, diceret, facilem pupillo
traditionem esse, signa et dona comparere omnia, ipsum
templum omni opere esse integrum: indignum isti vi-
deri coepit, ex tanta aede tantoque opere se non opi-
mum praeda, praesertim a pupillo, discedere. Venit 51
ipse in aedem Castoris: considerat templum: videt un- 133
dique tectum pulcherrime laqueatum, praeterea cetera
nova atque integra. Versat se: quaerit, quid agat.
Dicit ei quidam ex illis canibus, quos iste Liguri di-
xerat esse circa se multos, tu, Verres, hic quod mo-
liare nihil habes, nisi forte vis ad perpendiculum co-
lumnas exigere. Homo omnium rerum imperitus quae-
rit, quid sit ad perpendiculum. Dicunt ei, fere nul-
lam esse columnam, quae ad perpendiculum esse pos-
sit. Nam mehercule, inquit, sic agamus: columnae ad

---

§. 132. *L. Rabonio]* In nomine permultae codicum varietates, ut facile est putare; duae tantum manent, *Habonius* Lag. 29, *Kabonius* 1. 5. 14. *Habonius* etiam apud Priscianum est p. 1155 Putsch. nec a Krehlio *Rabonius* editur nisi de coniectura. — *sine ullo intertrimento]* Verbum hoc uno loco apud Ciceronem legitur, et differre dicit Asconius a *detrimento*, quatenus ad utriusque partem pertineat et dantis et accipientis. Intellexit fortasse comparatione instituta fieri intertrimentum, sicut nostrates dicunt *Verlust*, cum perdit aliqua res cum altera comparata. Damnum lucro opponitur, detrimentum ei quod maius meliusve fit, intertrimentum ei, quod exactis rationibus superesse debet. — *id quod erat]* Lag. 29 *id* omittit: male, opinor. Post libri mss. omnes cum edd. princ. *comparare.* Naugerius fecit *comparere.*

§. 133. *considerat templum]* Notandum videtur meorum codd. in uno Lag. 29 inventum esse verbum *considerat*, ceteri cum edd. princ. usque ad Naug. omittunt. Sed ab illo tamen rursus *pulcherrime* abest.

nihil habes] Lag. 29 *non habes.* — *Nam mehercule]* Sic mss. omnes: ex editis Victor. Manutiana (1540), Lambin. repet. et ex iis Gruteriana *Iam.* Restituerunt *nam* recte Graevius et Ernestius. Sic

134 perpendiculum exigantur. Rabonius, qui legem nosset, qua in lege numerus tantum columnarum traditur, perpendiculi mentio fit nulla, et qui non putaret sibi expedire, ita accipere, ne eodem modo tradendum esset, negat, id sibi deberi: negat oportere exigi. Iste Rabonium quiescere iubet, et simul ei nonnullam spem societatis ostendit: hominem modestum et minime pertinacem facile coercet: columnas ita se exacturum esse
135 confirmat. Nova res atque improvisa pupilli calamitas nuntiatur statim C. Mustio, vitrico pupilli, qui nuper est mortuus, M. Iunio patruo, P. Tettio tutori, homini frugalissimo. Hi rem ad virum primarium, summo officio ac virtute praeditum, M. Marcellum, qui erat pupilli tutor, deferunt. Venit ad Verrem M. Marcellus: petit ab eo pro sua fide ac diligentia pluribus verbis, ne per summam iniuriam pupillum Iunium fortunis patriis conetur evertere. Iste, qui iam spe atque opinione praedam illam devorasset, neque ulla aequitate orationis, neque auctoritate M. Marcelli commo-

---

lib. II, 29 *Dic, inquit: illi adesse non possunt. Nam hercule, inquit Q. Minucius, me quoque Petilius, ut sibi in consilio adessem, rogavit.* III, 85 *Mihi frumento non opus est: nummos volo. Nam speraveram, inquit arator, me ad denarios perventurum.* Per ellipsin eum in respondendo usum explicandum esse iam fere consentitur. Germanice dixeris *Ja.*

§. 134. *tradendum esset]* Sic Priscian. p. 1155, nisi quod addit *sibi*, et Lag. 29. Vulgo *reddendum*, sed in hoc negotio redditio, quasi de meo aliquid, sive quod in meum usum conversum fuerit, exhibeam, locum habere non videtur. Corruptionem h. l. versatam fuisse fidem faciunt Lagom. 5. 6. 27. 42, in quibus est *credendum.*

§. 135. *P. Tettio]* Vulgo per omnia *Potitius* vocatur, sed plurimus codicum dissensus, dum plerique Tetium, Tettium, Tectium, alii, sed inconstanter, Petitium, Potitium, Pontium appellant. Lag. 29 sibi constat et habet *Tettium:* itaque eundem esse puto, qui supra testis fuit in crimine Lampsaceno, cap. 28. — *fortunis patriis]* Sic meorum unus Lag. 29. Ceteri *patris*, quod et editiones veteres usque ad annum 1534 exhibent. Tum *atque opinione* Lag. 29 pro vulg. *et opinione.*

tus est. Itaque, quemadmodum ostendisset, se id ex-
acturum esse respondit. Cum sibi omnes ad istum al- 136
legationes difficiles, omnes aditus arduos ac potius in-
terclusos viderent, apud quem non ius, non aequitas,
non misericordia, non propinqui oratio, non amici vo-
luntas, non cuiusquam auctoritas pro pretio, non gra-
tia valeret: statuunt, id sibi optimum esse factu, quod
cuivis venisset in mentem, petere auxilium a Chelidone,
quae isto praetore non modo in iure civili privatorum-
que omnium controversiis populo Romano praefuit, ve-
rum etiam in his sartis tectisque dominata est. Ve- 52
nit ad Chelidonem C. Mustius, eques Romanus, pu- 137
blicanus, homo cum primis honestus: venit M. Iunius,
patruus pueri, frugalissimus homo et castissimus: ve-
nit homo summo honore, pudore et summo officio,

---

§. 136. *pro pretio]* Sic libri mss. omnes, et videtur explicari posse, ut sit tantum quantum pretium, pretii loco, quasi si sic dixerim: laus tua valet mihi pro mercede, pro pretio. Lambinus de coniectura aliorum edidit *prae pretio*, idemque Graevius et Ernestius probarunt. Aures tamen reclamant. — *in his sartis tectisque]* Sic addita copula Asconius non solum citat, sed explicat etiam „*ut esset plenum dictum.*" Hac observatione quid faciam nihil magnopere habeo, sed demonstrat tamen, quid in libris fuerit. Itaque Garatonius nuper commendavit et editionem veterem laudavit: ego addo, sic fuisse vulgo usque ad Naugerium, qui de coniectura mutavit. Nam Lagom. quidem codd. omnes praeter unum ignobilem 1. copulam addunt. In eiusmodi formulis constat cum omissio particulae usitata fuerit, tum licuisse tamen eam addere ubi videretur. Sic Cicero *pro praede litis vindiciarum* supra dixit, Gaius *litis et vindiciarum.*

§. 137. *venit homo summo honore* cet.] Haec verba sic a Cicerone profecta esse non ego praestiterim, immo multae sunt causae ut negem. Inelegans enim compositio verborum et aeque defectu atque abundantia laborans. Tum codices mss. parum constant: nam primum Lag. 29 *venit* hic omittit, deinde ab eodem Lag. 29 et 48 omnia haec *summo honore, pudore et summo* absunt, item *et* in plerisque codd. omittitur. Quae cum ita sint, optimum factu iudicaverim, si quis, recisis mediis, nihil reliquerit nisi *venit homo spectatissimus ordinis tui.* Hoc patet, illum Tettium ne equitem quidem Rom. fuisse, et *ordinem*, cuius spectatissimus fuisse dicitur, fuisse plebeium. (Cf. §. 124 extr.)

spectatissimus ordinis sui, P. Tettius tutor. O multis acerbam, o miseram atque indignam praeturam tuam! Ut mittam cetera, quo tandem pudore tales viros, quo dolore, meretricis domum venisse arbitramini? qui nunquam ulla condicione istam turpitudinem subissent, nisi officii necessitudinisque ratio coegisset. Veniunt, ut dico, ad Chelidonem. Domus erat plena: nova iura, nova decreta, nova iudicia petebantur: *mihi det possessionem: mihi ne adimat: in me iudicium ne det: mihi bona addicat:* alii nummos numerabant, alii tabulas obsignabant: domus erat non meretricio con-
138 ventu, sed praetoria turba referta. Simulac potestas primum data est, adeunt hi, quos dixi. Loquitur Mustius: rem demonstrat: petit auxilium: pecuniam pollicetur. Respondit illa, ut meretrix, non inhumane: libenter, ait, se esse facturam, et se cum isto diligenter sermocinaturam: reverti iubet: tum discedunt: postridie revertuntur: negat illa posse hominem exorari: permagnam eum dicere ex illa re pecuniam confici
53 posse. Vereor, ne quis forte de populo, qui priore actione non affuit, haec, quia propter insignem turpi-

---

Itaque ne illud quidem improbandum, quod Madvigius in Epist. ad Orellium p. 39 censet, deleto verbo *honore*, homo *summo pudore et summo officio* scribendum esse.

qui nunquam ulla] Sic Lag. 29 quod interpolatorem non sapere videtur. Vulgo *qui nullo*. — *tabulas obsignabant]* Intelligendum videtur de syngraphis, quibus illi sese Verri debere profiterentur, quas Salmasius de Usuris c. 6 p. 153 docet trium testium anulis obsignari solitas, nec datam esse ab iis exceptionem pecuniae non numeratae.

§. 138. *non inhumane]* Priscianus p. 1010 Putsch. citat *non inhumaniter*, sed Ciceroniani libri nihil mutant. Alioquin facile se tueri posset, nam sic etiam Epist. ad Q. fr. III, 1 §. 6. Lag. 29 paulum mutato verbb. ordine *et cum isto se*.

priore actione] Sic omnes codd. nostri praeter unum 45, item editiones principes et Lambiniana: *priori* a Naugerio est Usitatiorem Ciceroni alteram formam per *e* vocalem esse, nemo facile negabit, et hoc quidem *priore actione* perpetuum in his libris esse dico. Citare locos non opus est, qui sunt innumeri.

tudinem sunt incredibilia, fingi a me arbitretur: ea vos antea, iudices, cognovistis. Dixit iuratus P. Tettius, 139
tutor pupilli Iunii: dixit M. Iunius tutor et patruus: Mustius dixisset, si viveret, sed pro Mustio recenti re de Mustio auditum dixit L. Domitius: qui cum sciret, me ex Mustio vivo audisse, quod eo sum usus plurimum, (etenim iudicium, quod prope omnium fortunarum suarum C. Mustius habuit, me uno defendente vicit,) cum hoc, ut dico, sciret L. Domitius, me scire, ad eum res omnes Mustium solitum esse deferre, tamen de Chelidone reticuit, quoad potuit: alio responsionem suam derivavit. Tantus in adolescente clarissimo ac principe iuventutis pudor fuit, ut aliquamdiu, cum a me premeretur, omnia potius responderet, quam Chelidonem nominaret. Primo necessarios istius ad eum allegatos esse dicebat: deinde aliquando coactus Chelidonem nominavit. Non te pudet, Verres, eius 140
mulieris arbitratu gessisse praeturam, quam L. Domitius ab se nominari vix sibi honestum esse arbitrabatur? Reiecti a Chelidone capiunt consilium necessa- 54
rium, ut suscipiant ipsi negotium: cum Rabonio tutore, quod erat vix HS quadraginta milium, transigunt HS ducentis milibus. Refert ad istum rem Rabonius:

---

§. 139. *L. Domitius]* Putaverim esse illum L. Domitium Ahenobarbum, qui Consul fuit a. Chr. 54, tum ferme tres et viginti annos natum. Nam si Ahenobarbus fuit, res certa est. Vide Velleium lib. II, 10. Codicum autem mss. notetur inconstantia, in quibus h. l. expressis litteris *Titus* est, post autem *L.* Editorum primus Naugerius correxit.

etenim iudicium] Vulgo *etenim id iudicium,* postquam sic scribi coeptum est in Victoriana, antea Iunt. Naug. Hervag. sicut nos ex plerisque codicibus restituimus. Sunt tamen alii pauci (Huyd. Lag. 5. 6. 27) qui *in iudicium* habeant, Ascens. edit. cum Franc. pr. *in iudicio,* sed *id* in nullo est. *Iudicium* autem *vincere* Ernestius probavit in clave, sic enim *sponsionem vincere* est pro Caecina 31. §. 92.

coactus] Libri mss. Lagom. omnes *actus.*

§. 140. *Refert ad istum]* Lag. 29. 48 *defert,* quod non est huic sententiae aptum.

ut sibi videatur, satis grandem pecuniam et satis impudentem esse. Iste, qui aliquanto plus cogitasset, male accipit verbis Rabonium: negat eum sibi illa decisione satisfacere posse: ne multa, locaturum se esse
141 confirmat. Tutores hoc nesciunt: quod actum erat cum Rabonio, putant id esse certissimum: nullam maiorem pupillo metuunt calamitatem. Iste vero non procrastinat: locare incipit, non proscripta neque edicta die, alienissimo tempore, ludis ipsis Romanis, foro ornato. Itaque renuntiat Rabonius illam decisionem tutoribus. Accurrunt tamen ad tempus tutores: digitum tollit Iunius patruus: isti color immutatus est: vultus, oratio, mens denique excidit. Quid ageret, coepit cogitare: si opus pupillo redimeretur, si res abiret ab eo mancipe, quem ipse apposuisset, sibi nullam praedam esse. Itaque excogitat — quid? nihil ingeniose, nihil, ut quisquam posset dicere, improbe, verum cal-

---

§. 140. *ut sibi videatur]* Praeclara emendatio Ernestii, quam mirere nemini prius in mentem venisse. Libri autem omnes *videbatur*, in quo modus certe ferri nequit.

§. 141. *hoc nesciunt]* Lag. 29. Vulgo *haec*, sed unum est.

proscripta neque edicta] i. e. neque per libellos publice affixos, nec voce praeconis. Vide Garaton. — *digitum tollit Iunius]* „Mos in auctionibus. Qui licebatur in turba, digitum tollebat. Sic Verrina V infra (lib. III, 11.) *Utrum est aequius, eum, qui manu quaesierit, an eum, qui digito licitus sit, possidere?* Hanc etiam Festus consuetudinem notat, cum ait: *Manceps est quisquis a populo aliquid emit conducitve, quia manu sublata significat se auctorem emptionis esse.* Et ad hanc consuetudinem respexisse videtur orator in or. de provinc. consularibus, ubi (c. 4 extr.) sic scribit: *Cum palam populi Rom. Imperator, instructo exercitu, dexteram tendens, non ad laudem milites hortaretur, sed omnia sibi et empta et vendita esse clamaret.*" Hotomanus. Cf. etiam Brissonium de formulis lib. VI, 85. Vetus Horatii interpres Serm. II, 8, 26 — *publicani autem sublato digito licitationem vectigalium faciebant.*

ut quisquam posset] Vulgo *quod quisquam possit*, quod minus congruit cum Adverbiis quae sequuntur. Ac ne tuto quidem sic editur, quia plerique libri (Lag. VII et Huyd.) *quod* omittunt, in Lag. 29 autem *ut — posset* legitur: optime.

lide: nihil ab isto tectum, nihil veteratorium expectaveritis: omnia aperta, omnia perspicua reperientur, impudentia, amentia, audacia. Si pupillo opus redimitur, 142
mihi praeda de manibus eripitur. Quod est igitur remedium? quod? ne liceat pupillo redimere. Ubi illa consuetudo in bonis praedibus praediisque vendendis omnium consulum, censorum, praetorum, quaestorum denique, ut optima condicione sit is, cuia res sit, cuium periculum? Excludit eum solum, cui prope dicam sôli potestatem factam esse oportebat. Quid enim quisquam ad meam pecuniam, me invito, aspirat? quid accedit? Locatur opus id, quod ex mea pecunia reficiatur: ego me refecturum esse dico: probatio futura est tua, qui locas: praedibus et praediis populo cautum est: et, si non putas cautum, scilicet tu, praetor, in mea bona quos voles immittes? me ad meas for-

---

§. 141. *tectum]* Lag. 5. 27. 29. 42 *verum*, quod e superiore versu hic per errorem repetitum videtur.

§. 142. *in bonis praedibus praediisque]* Ernestium temere fecisse, qui, quod difficile esset explicari, *bonis* delerit, facile puto quemvis consensurum. Verum utrum substantive bona sint, an boni praedes et bona praedia, nondum audeo decernere. Neque tamen video quid impediat, quominus et bona vendantur alicuius et praedes praediaque, si satisfacere legi non potuerit: ut autem bona ipsum opus intelligantur, id quod Hotomanus voluit, nec potest fieri nec opus est. Porro *boni praedes et praedia* nunquam coniuncta leguntur, semper sine Adiectivo *praedibus praediisque cavere* cet. simpliciter. Quamquam non dubito quin *boni praedes* et *bona praedia* dici possint, quae tamquam idonea probata sint, ut apud Ciceronem Epist. IX, 16 *bonam copiam eiurare* est profiteri se tantum non possidere, quod satis sit debito solvendo. Sic Asconius ait res praedium *bona praedia* tamquam uno nomine appellari. Itaque redeo unde orsus sum, et Substantivum et Adiectivum videri posse explicari, sed utrum verum sit non posse decerni, priusquam locus probans ex iuris veteris fontibus inveniatur.

si non putas cautum] Sic primum Vict. et Hervag. simul, de coniectura, ut videtur, quamquam certa. Nam Lagom. omnes praeter 42 et edd. principes *cauta*. Post libri mss. praeter Lag. 29 editique omnes usque ad Lambinum *sinas*, nec quod verum est *sines* propagatum est nisi negligentia repetitorum Lambinianorum.

55 tunas defendendas accedere non sines? Operae pre-
143 tium est ipsam legem cognoscere: dicetis, eundem conscripsisse, qui illud edictum de hereditate. LEX OPERE FACIUNDO QUAE PUPILLI IUNII. Dic, dic, quaeso, clarius. *C. Verres Pr. urbis addidit.* Corriguntur leges censoriae. Quid enim? Video in multis veteribus legibus: *Cn. Domitius L. Metellus, L. Cassius Cn. Servilius censores addiderunt:* vult aliquid eiusmodi C. Verres. Dic: quid addidit? *Qui de L. Marcio M. Perperna censoribus, socium ne admittito, neve partem dato, neve redimito.* Quid ita? ne vitiosum opus fieret? at erat probatio tua. Ne parum locuples esset? at erat, et esset amplius, si velles, populo cau-
144 tum praedibus et praediis. Hic te si res ipsa, si indignitas iniuriae tuae non commovebat; si pupilli ca-

§. 143. *Lex opere faciundo]* Codices mss. omnes *Ex opere*, sed emendandum censuit Ant. Augustinus, Brissonius de Form. V, 73, alii, primusque Ernestius in textum intulit. Sed utrumne etiam *operi* corrigi debeat, quaestio est. Nam quamquam in formulis *aere* et *iure* inveniuntur, ubi Dativos *aeri*, *iuri* expectaveris (vide Conr. Schneideri Gramm. Lat. Vol. I p. 202), hoc tamen loco, si semel *ex* scriptum fuerit, facile est intelligere unde *opere* factum sit. Reliqua *quae pupilli Iunii* nemo certa quadam ratione explere poterit, itaque manus a corrigendo erunt abstinendae.

Cn. Domitius cet.] Celebria Censorum paria nominat, quorum magistratus tum operum publicorum constructione tum severitate senatus legendi illustris, sed a propioribus aetate ad remotiores transit. Domitius et Metellus a. Chr. 116 fuerunt, Cassius et Servilius decem annis ante. — *M. Perperna censoribus, socium]* Editorum manus emendatrices in hoc loco versatae sunt, quamquam minime opus fuit in interrupto orationis contextu. Nam cum in codd. omnibus et edd. vett. sic esset, ut nunc denuo repraesentavimus, primus P. Manutius adiecit *redemerit* et bis *ei* post *neve*, Hotomanus porro e libro quidem suo, ut ait, sed cui alius praeterea nullus adstipulatur, *eum* ante *socium*, ut iam plene apud Lambinum et Gruterum esset: *qui de L. Marcio M. Perperna censoribus redemerit, eum socium ne admittito, neve ei partem dato, neve redimito.* Etiam *Perperna* invitis libris vett. factum. Nam sermo communis *Perpennam* voluit: vide Drakenborch. ad Liv. XLIV, 27 extr. Sed servavimus tamen, quia et h. l. tres Lagom. habent, et V, 58 qui optimi existimantur, et sic in fastis Capitolinis est.

lamitas, propinquorum lacrimae, D. Bruti, cuius praedia subierant periculum, M. Marcelli tutoris auctoritas apud te ponderis nihil habebat: ne illud quidem animadvertebas, eiusmodi fore hoc peccatum tuum, quod tu neque negare posses (in tabulas enim rettulisti) nec cum defensione aliqua confiteri? Addicitur id opus HS IↃLX milibus, cum tutores HS LXXX milibus id opus ad illius hominis iniquissimi arbitrium se effecturos esse clamarent. Etenim quid erat operis? Id, quod 145
vos vidistis. Omnes illae columnae, quas dealbatas videtis, machina apposita, nulla impensa deiectae, eisdemque lapidibus repositae sunt: hoc tu IↃLX milibus locavisti. Atque in illis columnis dico esse, quae a tuo redemptore commotae non sint: dico esse, ex qua tantum tectorium vetus deiectum sit, et novum indu-

---

§. 144. *subierant]* Sic Lag. 29 et lemma Asconii, quod cum reliquorum verborum tempore aptius coit, quam quod vulgo est *subierunt.* Tum Lag. 29 a pr. manu *quod neque tu*, ab altera *tu* deletum est, idem *legem* addit ante *rettulisti*, quod verumne sit an falsum, quis diiudicet? Lambinus autem libris invitis *si* ad omnia membra huius periodi repetere ausus est.

§. 145. *IↃLX milibus locavisti]* Omisi quae vulgo numero praetermittitur notam HS, quia abest a Lag. 29 et uno alteroque reliquorum.

Atque in illis] Sic mss. et editi omnes, donec Victor. (non Hervagiana) primum dedit *atqui*, male. Satis enim constat copulativas particulas initio orationis nonnunquam poni cum vi quadam ut sint pro *atque etiam*, ubi parum recte olim editores *atqui* vel *at* corrigere solebant, cum non quod opponeretur sed quod augeret in simili genere adiiceretur. Sic est *atque* supra 42 §. 108. 43 §. 110. 47 extr.

tectorium — deiectum sit] Verba *deiectus, deletus, delectus* perpetuo inter se commutant librarii, qua de re editorum testimonia cumulare quid attinet? Ut supra ubi *columnae deiectae* haud dubie verissime dicebantur, quattuor sunt Lagom. qui *deletae* habent, sed h. l. accedit etiam interpretum dissensus. Codd. quidem plerique *deletum*, pauci *delectum* (Lag. 6 Huyd.) unus 29 *deiectum* cum Prisciano p. 1151 Putsch. Itaque edd. vett. et ipsae *deletum* habent, donec P. Manutius *delitum* dedit, quod adhuc servatum est. Male, opinor: nam ut taceamus de codicum auctoritate, ipsum verbum *delitum* rarissime (in fragm. apud Gramm.) invenitur, de litteris quidem rescriptis. Quodsi color

ctum. Quodsi tanta pecunia columnas dealbari putas-
146 sem, certe nunquam aedilitatem petissem. At, ut videatur tamen res agi, et non eripi pupillo: *Si quid*
56 *operis causa rescideris, reficito.* Quid erat, quod rescinderet, cum suo quemque loco lapidem reponeret? *Qui redemerit, satisdet damni infecti ei, qui a vetere redemptore acceperit.* Deridet, cum sibi ipsum iubet satisdare Rabonium. *Pecunia praesens solvitur.* Quibus de bonis? Eius, qui, quod tu HS ɪↃʟx milibus locasti, HS ʟxxx milibus effecturum esse clamavit. Quibus de bonis? Pupilli, cuius aetatem et solitudinem, etiamsi tutores non essent, defendere praetor debuit: tutoribus defendentibus, non modo patrias eius fortunas, sed etiam bona tutorum ademisti. *Hoc opus*

---

tectorii deterendus fuisset novusque illinendus, videretur sic dici posse, nunc autem quin totum tectorium opus deiectum et novum inductum fuerit, ipsa Ciceronis verba dubitare nos non patiuntur. Observat etiam diligentissimus Garatonius non tenuem videri fuisse inductam materiam, sed quae veterum Rom. in tali opere magnificentia fuerit, marmoratum tectorium et politum, ut, quod Cicero antea dixisset columnas *dealbatas* tantum fuisse, accusatorie rem elevasse videretur. Quicquid est, et sermonis causa et propter fidem librorum scribendum putavi *deiectum.*

petissem] Vulgo *petivissem.* Quod nunc edimus auctoritate Lamb. et Lag. 29 (a prima manu) nititur.

§. 146. *res agi* cet.] Locutio forensis et negotialis: sensus est, ut aliquid publici negotii actum, et non (id quod res erat) praeda tantum a pupillo quaesita videretur.

damni infecti] subintellige *nomine.* Damnum factum est eius qui damno affectus est, *infecti* igitur promittit (Cic. Top. 4) vel satis dat qui se obligat alterum ea re damnum non esse facturum, seque si quod dederit damnum resarciturum. Gaius leg. 3 de damno infecto Dig. (lib. 39, tit. 2) definit ζημία μέλλουσα. — *acceperit]* Codd. omnes (certe Lag.) et edd. princ. *acciperet*, sed recte emendavit Naugerius.

praesens solvitur] Vulgo, postquam fecit Naugerius, *solvatur*, quod verum esse nequit, quia ad mancipem non pertinet. Codd. omnes *solvitur*, quod pro futuro intelliges. An praestabit *solvetur* corrigere?

effecturum esse clamavit] Vulgo nunc *se esse*, sed nec editionibus vett. nec codicibus mss. adstipulantibus. Addidit primus Lambinus, cuius repetitorum negligentia furtim ad Gruterum et reliquos pervasit. — *tutorum ademisti]* Lag. 29 *una* interponit: placet, nec tamen contenderim.

bonum suo cuique facito. Lapis aliqui caedendus et 147 apportandus fuit machina sua. Nam illo non saxum, non materies advecta est: tantum operis in ista locatione fuit, quantum paucae operae fabrorum mercedis tulerunt, et manus pretium machinae. Utrum existimatis minus operis esse, unam columnam efficere ab integro novam nullo lapide redivivo, an quattuor illas reponere? Nemo dubitat, quin multo maius sit novam facere. Ostendam, in aedibus privatis, longa difficilique vectura, columnas singulas ad impluvium HS qua-

---

§. 146. *bonum suo cuique facito] Suum cuique* quasi unum nomen fit, quicquid operi eiusque variis partibus aptum conveniensque est, probi lapides, proba materies, calx, arena cet. Nihil egit Hotomanus cum *bono suo quoque* coniecit, quod ne intelligi quidem grammatice possit. Expressit tamen Lambinus.

§. 147. *Lapis aliqui* cet.] Vulgo *aliquis*, sed secutus sum Lag. 29 in restituenda ea forma, quam imperiti librarii possunt videri corrupisse. Sed Ernestius interrogationis signum apposuit, putatque *nam* intelligi non posse nisi si subintelligatur *non.* Quod aliter mihi quidem videtur. Fuit enim haud dubie lapis denuo caedendus et suo loco machina reponendus, ut columnae quae antea pronae essent, iam perpendiculo responderent, sed novis saxis rudibus non opus fuit, eamque ob causam orator legis verbositatem fraudulentam irridet. Itaque signo interrogandi deleto supple ante *nam:* hoc totum fuit. Pergit, omnem sumptum in ea re fuisse, quantum mercedis pauci fabri tulerint, et quantum fuerit machinae illius manupretium, i. e. pecunia pro artificiosa constructione data: nam recte Asconius manupretium ad artem pertinere dicit. *Mercedis* autem primum in Victoriana (1534), non Hervagiana eiusdem anni, comparet, codd. omnes *mercedes* exhibent. Et Genitivus quidem *mercedis* videtur necessarius, sed de lemmate Asconii recipere *manupretii* non licet. Nam tum *machinae* plures fierent, cum unam tantum fuisse orator velit intelligi, quae non mercedem laboris sui tulit, quasi mutuo sumpta, sed quam ad hanc ipsam rem redemptor construendam curavit. Utrum vero *manupretium* an *manus pretium* divisis verbis scribatur, perinde esse arbitror, nec in ea re codicum consensum desero.

quattuor illas] Post c. 59 quattuor columnas dealbatas dicit cum contemptu, tot enim videntur fuisse, quas Rabonius denuo reposuit.

ad impluvium] Quam causam esse dicimus, cur *ad impluvium* orator tamquam maius aliquid addiderit? Fortasse quia in intimis aedibus ponere difficilius etiam, quam porticum extra facere.

148 dragenis milibus, non minus magnas, locatas. Sed ineptum est de tam perspicua istius impudentia pluribus verbis disputare, praesertim cum iste aperte tota lege omnium sermonem atque existimationem contempserit, qui etiam ad extremum ascripserit *rediviva sibi habeto.* Quasi quicquam redivivi ex opere illo tolleretur, ac non totum opus ex redivivis constitueretur. At enim si pupillo redimi non licebat, non necesse erat rem ad ipsum pervenire: poterat aliquis ad id negotium de populo accedere. Omnes exclusi sunt non minus aperte quam pupillus. Diem praestituit operi faciundo Calendas Decembres: locat circiter Idus Septembres; angustiis temporis excluduntur omnes.
149 Quid ergo? Rabonius istam diem quomodo assequitur?
57 Nemo Rabonio molestus est, neque Calendis Decembribus, neque Nonis, neque Idibus: denique aliquanto ante in provinciam iste proficiscitur, quam opus effectum est. Posteaquam reus factus est, primo negabat se opus in acceptum referre posse: cum instaret Rabonius, in me causam conferebat, quod eum codicem obsignassem. Petit a me Rabonius, et amicos allegat: facile impetrat. Iste, quid ageret, nesciebat. Si in acceptum non rettulisset, putabat se aliquid defensionis habiturum: Rabonium porro intelligebat rem

---

§. 148. *ad ipsum]* i. e. ad Verrem ipsum, qui aperte se Rabonii sive Habonii socium ostendit.

§. 149. *aliquanto ante]* Sic Lag. 29, unde explicatur cur, cum vulgo sit *proficiscitur prius quam*, a multis tamen codd. *prius* absit.

negabat se] Adieci *se* ex eodem Lag. 29. Vulgo deest, Lambinus de coniectura posuit ante *posse*. — *quod eum codicem]* Sic Priscianus p. 1152, vetus liber Fulvii Ursini, et cui plus tribuo Lag. 29 pro vulg. *tum*. Idem ille *codex* est, quem supra §. 114 *tabulas* appellavit, in quas legem locationis Verres rettulerit.

defensionis] Codicum et edd. vett. scriptura varia est, aliis *defensionum*, aliis *defensionis* exhibentibus. Sed hoc sicut grammatica ratio ita plurium et meliorum codd. auctoritas tuetur, imprimis Lag. 29. *Defensio* autem ea est, quam Ferratius exponit, ut diceret non hoc

totam esse patefacturum: tametsi qui poterat esse apertius, quam nunc est, ut uno minus teste haberet Rabonio? Opus in acceptum rettulit quadriennio post, quam diem operi dixerat. Hac condicione, si quis de 150
populo redemptor accessisset, non esset usus: cum

---

opus fuisse, quod Rabonio tanta pecunia locasset, sed aliud maius et sumptuosius. Quod sequitur *porro*, significationem habet non coniungendi solum, sed etiam contrariae reputationis, ut apud Sallust. Iug. 27 *Timebat iram senatus, ni paruisset legatis: porro animus cupidine caecus ad inceptum scelus rapiebat*, quapropter additur etiam *autem*.

qui poterat] Recepi Ernestii emendationem pro vulg. *quid:* debet enim Adverbium esse, cum non sequatur *quam hoc est*, sed *quam nunc est*. Ratio manifesta videtur esse, quin autem aliquid liceat in his vicinis formis *qui*, *quid*, *quod*, dubium esse nequit. Vel h. l. cum ceteri codd. *quid* retineant, unus Lag. 29 *quod* habet. Quod sequitur *ut uno minus teste haberet Rabonio* ad eam regulam revocandum est, qua ablativus casus cum comparativis coniungitur significandi causa, quanto quid vel maius vel minus sit quam aliud, ut Germanice vertas: gesetzt er habe um einen Zeugen den Rab. weniger. Supra c. 45 §. 117 *si protulerit, uno signo ut sit minus, quam ex lege oportet, non des possessionem.* Opportune I. Fr. Gronovius Ovidii simillimum locum laudat e libro XII Metam. vs. 554 *Bis sex Herculeis ceciderunt me minus uno Viribus*, i. e. uno minus duodecim caesi sunt. Nam alter locus ex eleg. 8 ex Ponto lib. I *uno salutaris quam prius ore minus* non aeque convenit. Sed sicut hoc Ciceronis loco Ablativus *uno* apposito Rabonii nomine explicatur, sic illo Ovidiano addito pronomine *me*. Ceterum quod Lambinus scribendum coniecit *haberem* pro vulg. *haberet*, quamquam non est cur reprehendas, necesse tamen non est, quoniam testes sunt et accusatoris et rei.

§. 150. *non esset usus]* Haec verba Hotomanus e Prisc. lib. XVIII p. 1152 Putsch. cum deessent in Ciceronianis libris, restituendos censuit, et restituit Lambinus. Ea Lallemandus in uno Paris. se invenisse testatur, quod non crederem, nisi nunc etiam Lag. 29 auctor idoneus accederet. Omnia iam sunt perspicua, neque disputatione opus videretur, ni recentissimi editores denuo, quod dicitur, fluctus in simpulo excitassent. Nam Priscianum Putschii obliquis tantum oculis inspicere opus est, ut rideas Ernestium et Beckium, qui cum nondum satis restitutum locum putarent, sibi persuaserint, quae deinde explicationis causa a Prisciano adduntur: *nam si quis accessisset dubitative protulit*, Ciceronis verba continuata esse. Sed Krehlius nuper apud Priscianum edidit *non esset opus* pro olim vulgato *non esset usus*, pa-

die ceteros redemptores exclusisset, tum in eius arbitrium ac potestatem venire nolebant, qui sibi ereptam praedam arbitraretur. Nunc ne argumentemur, quo ista pecunia pervenerit, facit ipse indicium. Primum cum vehementius cum eo D. Brutus contenderet, qui de sua pecunia HS IↃLX milia numeravit; quod

---

rum animadvertens Graecam interpretationem οὐκ ἂν ἐχρήσατο, qui cum auctores suae scripturae mss. Guelf. Langer. laudet, consentaneum videtur esse putare ceteros cum vulgata consentire. Schützius autem quam temere in h. l. ense critico usus sit, taedet exequi, sed credebat ille quidem proximis antecessoribus suis, lacunam esse clamantibus. Ea vero nulla est. Ait enim Cicero, hac tam leni condicione ut quadriennio post opus exigeretur et in tabulas referretur, nemo esset usus, qui contra voluntatem Verris redemisset. Nam primum die ceteros, qui redimere vellent, excluserat, *deinde*, si quis nihilominus ausus esset opus intra tempus praestitutum perficiendum recipere, timebant tamen Verris in exigendo probandoque opere calumniam. Apparet igitur *cum* — *tum* usitatissima ratione quasi *primum* — *deinde vero* intelligenda esse, non quae Schützii fuit opinio, *tum* ad tempus et mensem Decembrem pertinere. Sed satis haec sunto, sicut dixi, de re, postquam librorum meliorum scriptura stabilita est, perspicua.

Nunc ne argumentemur] Libri mss. et editiones primae *nonne argumentamur*, in Victoriana scribi coepit *nam quid argumentamur*, quod reliqui editores servarunt praeter Lambinum, qui de coniectura Hotomani, pessima illa quidem, *non enim arg.* edidit. Volueram ipse aliquando *nam ne argumentemur*, sed inutilem reddidit nostram operam vera scriptura Lag. 29 *nunc ne arg.* Idem unus *pervenerit* confirmat, quod vulgo non editur nisi ex emendatione Naugerii, ceteri enim codices mendose *perveniret*. Itaque huic uni etiam hoc tribuimus, ut *facit* scriberemus pro vulgato *fecit*.

HS *IↃLX milia]* Numerus hic coniectura editorum nititur; tradit eum esse Garatonius in edit. Veneta a. 1483, sed Ascensiana 1511 *IIS* (pro HS) *CC. l. milia*, Iuntina HS *ccliij*, Naugeriana HS *CCL millia*, et sic mansit usque ad Victorianam, in qua DLX primum comparet. P. Manutius DXL, Lambinus DLX habent, Gruterus pessime XL, Ernestius denique se constituisse dicit, quod ante eum in Victoriana et Lambiniana fuit. Codices autem Lagom. praeter duos nec optimos, in quibus est XL, exhibent sic CCLↃↃↃ, quo quid facias non dixeris. Verisimile videtur D. Brutum omnem illam pecuniam numerasse, de suo quidem, ut ait Cicero, sed quam postea de pupilli bonis repeteret. *Numeravit* autem dicit absolute, ne quis Ernestium audiat, qui aut *numeraverat* aut *numerabat* scribendum esse censuit.

iam iste ferre non poterat, opere addicto, praedibus acceptis, de HS IↃLX milibus remisit D. Bruto HS CX milia. Hoc si aliena res esset, certe facere non potuisset. Deinde nummi numerati sunt Cornificio; quem scribam suum fuisse negare non potest. Postremo ipsius Rabonii tabulae praedam illam istius fuisse clamant. Recita nomina Rabonii.

Hic etiam priore actione Q. Hortensius pupillum 58
Iunium venisse praetextatum in vestrum conspectum, 151
et stetisse cum patruo testimonium dicente, questus est: et me populariter agere atque invidiam commovere, quod puerum producerem, clamitavit. Quid erat, Hortensi, tandem in illo puero populare? quid invidiosum? Gracchi, credo, aut Saturnini, aut alicuius hominis eiusmodi produxeram filium, ut nomine ipso et memoria patris animos imperitae multitudinis concitarem. P. Iunii erat, hominis de plebe Romana, filius: quem pater moriens cum tutoribus et propinquis, tum

---

§. 151. *et stetisse cum]* Sic pro vulg. *et testes secum* de coniectura Erici Memmii Lambinus, quem Gruterus inepte propterea reprehendit, proinde quasi nihil ipse contra libros admiserit. Lambinus quidem innumeris locis temeritatis accusari potest, hoc autem ab eo rectissime factum Garatonius et Ernestius iudicarunt. Et supersunt libri, qui manum emendatricem olim in hoc loco versatam esse ostendant, unus Parisinus, quem Lallemandus tradit exhibere *stet esse*, si credere volumus, et Lag. 29, in quo legitur *ter esse cum*.

populariter agere] Nam crimen est in re publica optimatium consiliis administrata multitudini et vulgo se venditare eique velle causam probare. Saepe sic Cicero, ut ad seditionem spectare videatur.

cum tutoribus — tum] Egregie sic Lagom. 29, cum vulgo etiam primo loco *tum* sit. Nam illud quidem commune est, aliquem liberos suos tutoribus et propinquis commendatos velle, alterum huic rei proprium et praecipue urgendum. Nec quod ter repetitur *tum* debet offendere, regnat enim affectus, et sunt res inter se cognatae. Etiam hoc prorsus egregie, quod non unus et alter liber manuscriptus sed omnes habent, ut mirari subeat non prius animadversum esse *commendatum putavit*, pro quo minus ad rem memoriamque hominis mortui accommodate editi *commendandum putavit*. Ille vero P. Iunius hoc sola-

legibus, tum aequitati magistratuum, tum iudiciis ve-
152 stris commendatum putavit. Hic istius scelerato nefarioque latrocinio bonis patriis fortunisque omnibus spoliatus venit in iudicium, si nihil aliud, saltem ut eum, cuius opera ipse multos annos est in sordibus, paulo tamen obsoletius vestitum videret. Itaque tibi, Hortensi, non illius aetas, sed causa, non vestitus, sed fortuna, popularis videbatur: neque te tam commovebat, quod ille cum toga praetexta, quam quod sine bulla venerat. Vestitus enim neminem commovebat is, quem illi mos et ius ingenuitatis dabat: quod ornamentum pueritiae pater dederat, indicium atque insigne fortunae, hoc ab isto praedone ereptum esse,
153 graviter tum et acerbe homines ferebant. Neque erant hae lacrimae populares magis, quam nostrae, quam tuae, Q. Hortensi, quam horum, qui sententiam laturi

---

tium mortis habebat, quod filium suum legum praesidio tutum relinqueret, non eum amplius commendandum arbitrabatur.

§. 152. *scelerato nefarioque latrocinio]* Vulgo de coniectura Naugerii, tamquam certissima codicum scriptura, editur *scelerata locatione nefarioque latrocinio.* Sed mss. et editiones principes *locatione* quidem omnes ignorant, monstrum verbi exhibent *sceleratione*, quod cum natum videri posset retracta insequentis verbi prima syllaba. Naugerius aliam viam iniit, satis ingeniose, falsam tamen. Rem declarat Lag. 29, in quo uno sine mendo legitur *scelerato.*

paulo tamen obsoletius] Libri nostri nihil mutant, nec opus est ulla mutatione. Quis enim non videt oratorem cum arte rem minuere et ita commiserationem puero efficere? Et tantum abest, ut *paulo* languidum esse credam Ernestio, ut ne Beckio quidem concesserim, eleganter dictum esse pro *aliquanto.* Quae autem ista elegantia cogitari potest? nisi hanc eandem dixit oppositionem crudelitatis et simplicissimi gaudii. — *sine bulla venerat]* Bullae gestandae mos pueris Rom. adeo vetus et usitatus, ut eum Plinius hist. nat. XXXIII, 1 ad Tarquinium Priscum, Macrobius Saturn. I, 6 ad ipsum adeo Romulum rettulerit. Eam fuisse auream in filiis paululum honestiorum hominum, non equitum et Senatorum tantummodo, iam fere constat, sicut hodie, qui uxorem duxerunt, si nihil praeterea auri habent, anulum tamen aureum gestant. — *graviter tum]* Accessit *tum* ex uno Lag. 29, sed facile locum tuebitur.

sunt; ideo quod communis est causa, commune periculum, communi praesidio talis improbitas, tamquam aliquod incendium, restinguenda est. Habemus enim liberos parvos; incertum est, quam longa nostrum cuiusque vita futura sit; consulere vivi ac prospicere debemus, ut illorum solitudo et pueritia quam firmissimo praesidio munita sit. Quis est enim, qui tueri possit liberum nostrorum pueritiam contra improbitatem magistratuum? Mater, credo. Scilicet magno praesidio fuit Anniae pupillae mater, femina primaria: minus, illa deos hominesque implorante, iste infanti pupillae fortunas patrias ademit. Tutoresne defenderent? Perfacile vero apud istiusmodi praetorem, a quo M. Marcelli tutoris in causa pupilli Iunii et oratio et voluntas et auctoritas repudiata est.

Quaerimus etiam, quid iste in ultima Phrygia, 59
quid in extremis Pamphyliae partibus fecerit, qualis 154
in bello praedonum praedo ipse fuerit, qui in foro populi Romani pirata nefarius reperiatur. Dubitamus, quid iste in hostium praeda molitus sit, qui manubias sibi tantas ex L. Metelli manubiis fecerit; qui maiore

---

§. 153. *nostrum cuiusque]* Lag. 29 et Huyd. *cuiuslibet*, male: sed in his verbis *quisque*, *quivis*, *quicunque*, *quilibet*, ut hodie quoque Latine scribentium iudicium fluctuat, sic olim librarii facile sibi aliquid licere arbitrati videntur esse. Cf. ad IV, 33. — *ac prospicere]* Edi coeptum est *perficere*, sicut unus Lag. 48 habet, reliqui deteriores *profigere*. Verum restituit Naugerius, estque in Lag. 29 et 42.

§. 154. *Quaerimus etiam]* Codd. omnes *quaeremus*, et primum correxit Lambinus, cuius repetitorum inconstantia ad reliquas editiones propagatum est. Nec tamen veterem scripturam restituam, quoniam sequitur in eadem ratione tamquam indignabundi *dubitamus*.

in bello praedonum] Pertinet ad libr. V et captam praedonum navem, cuius praedam omnem Verres, cum publica esset, avertit.

ex L. Metelli manubiis] L. Metellum esse, Consulem a. 119, Censorem a. 116 ante Christum natum, L. Calvi filium, fratrem Q. Numidici, ostendit Garatonius. Triumphum egit de Delmatibus, unde cognomen Delmatici de more gentis Metellae assumpsit.

pecunia quattuor columnas dealbandas, quam ille omnes aedificandas locaverit. Expectemus, quid dicant ex Sicilia testes! Quis unquam templum illud aspexit, quin avaritiae tuae, quin iniuriae, quin audaciae testis esset? Quis a signo Vertumni in circum maximum venit, quin is unoquoque gradu de avaritia tua commoneretur? quam tu viam tensarum atque pompae eiusmodi exegisti, ut tu ipse illa ire non audeas. Te putet quisquam, cum ab Italia freto disiunctus esses, sociis temperasse, qui aedem Castoris testem tuorum furtorum esse volueris, quam populus Romanus cotidie, iudices etiam tum, cum de te sententiam ferrent, viderent?

---

§. 154. *a signo Vertumni]* Lag. 29 *Vertuni*, Asconius *Vortumnus*, de qua varietate nihil opus est addere. Vertumni signum Donatus in Roma vetere II, 27 in capite duorum vicorum Tusci et turarii fuisse dicit: inde viae partem, quae duceret a foro Romano per Velabrum ad circum maximum, qua currus, in quibus deorum simulacra vehebantur, et pompae ludis circensibus ire solebant, Verres Praetor censendus est, cum Censores non essent, sternendam locasse, sed dum negligenter exigeret, quaestum sibi ex ea re parasse. Cf. lib. V extr. *omnesque dii, qui vehiculis tensarum sollemnes coetus ludorum initis, quorum iter iste ad suum quaestum, non ad religionum dignitatem faciendum exigendumque curavit*, item lib. III, 3 *qui ex tensarum orbitis praedari sit ausus. Pompas* autem dicit sollemnem deorum deductionem et sacerdotum, magistratuum, senatorum comitatum, cui officio ne aegrotans quidem Augustus imperator deesse solebat, cf. Sueton. Aug. 43.

quin is unoquoque gradu] Vulgo, postquam sic factum est in Victoriana, editur *is in unoq.* contra fidem librorum manuscriptorum. Quod cum animadvertisset Gruterus, nescio qui factum sit, ut praepositionem tamen servaret. Postea *commoneretur* recte a primis inde temporibus editur, sed codd. plerique omnes (Lag. unus 48 excipitur) *commoveretur*. — *ut tu ipse]* Deest *tu* apud Priscianum pag. 1152 Putsch., omisitque Lambinus, quod si Ernestius observasset, facile puto eum et ipsum deleturum fuisse. Tuentur tamen Ciceroniani codices omnes. — *tuorum furtorum]* Sic mss. omnes, editi *furt. tuorum.*

ferrent, viderent] Editi non variant, sed mss. multa turbant, ita tamen ut intelligas verissimam esse vulgatam scripturam. Nam *populi Romani* Lag. 29. 5. 6. 48 et *videbunt* item 29 cum aliis tribus, reli-

Atque etiam iudicium in praetura publicum exer- 60
cuit, non enim praetereundum est ne id quidem. Pe- 155
tita multa est apud istum praetorem a Q. Opimio: qui adductus est in iudicium, verbo, quod, cum esset tribunus plebis, intercessisset contra legem Corneliam: re vera, quod in tribunatu dixisset contra alicuius hominis nobilis voluntatem. De quo iudicio si velim dicere omnia, multi appellandi laedendique sunt, id quod

---

qui *viderunt*. Quod *ferrent* in omnibus legitur, (nam unus Franc. pr. qui exhibet *ferent*, mendosus in hac re censendus est,) id cogit fateri etiam *viderent* recte correctum esse.

§. 155. *publicum exercuit]* Bene Ferratius docet Praetori urbano illud iudicium exercendum obtigisse, quod singularis quaestio ea de re constituta esset nulla, quam reliquorum Praetorum unus sortiretur.

intercessisset contra legem Corneliam] i. e. quemadmodum Ernestius in clave explicat, quod aliter intercessisset atque licuit tum Tribunis plebis ex lege Cornelia. Neque enim omnem iis intercedendi potestatem Sulla ademerat, cum constet ex Ciceronis lib. III de Legg. 9 relictam esse auxilii lationem. Verum excesserat ille constitutos iuris sui fines, qui quales fuerint accurate definiri nequit. Eam autem orator nomine tantum causam fuisse damnationis significat, veram fuisse quod aliquem tum potentem hominem libertate dicendi offendisset. Quod quo pertineat Asconii annotatio vel potius annotationis fragmentum ostendere videtur. Scribit enim suasisse Opimium legem, qua Tribunis plebis ius aliorum quoque magistratuum capessendorum redderetur. Illa lex Aurelia fuit, C. Aurelii Cottae Consulis a. 75, qua initium factum est tollendae Corneliae restituendaeque tribuniciae potestatis, qualis olim fuisset. Ceterum, quod ad verba oratoris pertinet, *intercessisset* libri mss. et edd. veteres habent omnes, adeo ut *intercessit* Gruterianae editionis merum vitium esse videatur, quod latius serpsit quam necesse fuit. Sed *re vera* quod dedimus, uno Prisciano l. l. nititur, libri Ciceroniani mss. et olim editi ante Lambinum prorsus ignorant. Is autem de coniectura Hotomani *re* scripsit, quod adhuc locum obtinuit. Necessarium esse eiusmodi verbum fatentur omnes: sed quanto praestat, si semel abeundum sit a codicum fide, illud sequi quod aliquam certe auctoritatem habet, quam quod nullam?

laedendique sunt] Ernestius *sint* contra libros scripsit, Latinitate iubente, ut ait, et priores editores accusat, quod non hoc pridem viderint. Liceat tamen dubitare de corrigendi necessitate, cum multi loci sint, quibus utraque orationis forma quasi misceatur. Pro Flacc. 5 *oratio mea potest esse infinita, si mihi libeat totius gentis Grae-*

mihi non est necesse: tantum dicam, paucos homines, ut levissime appellem, arrogantes, hoc adiutore, Q. Opimium per ludum et iocum fortunis omnibus evertisse.
156 Is mihi etiam queritur, quod a nobis IX solis diebus prima actio sui iudicii transacta sit, cum apud ipsum tribus horis Q. Opimius, senator populi Romani, bona, fortunas, ornamenta omnia amiserit? Cuius propter indignitatem iudicii saepissime est actum in senatu, ut genus hoc totum multarum atque eiusmodi iudiciorum tolleretur. Iam vero in bonis Q. Opimii vendendis quas iste praedas, quam aperte, quam improbe fecerit, longum est dicere. Hoc dico: nisi vobis id hominum honestissimorum tabulis planum fecero, fingi
157 a me hoc totum temporis causa putatote. Iam qui ex calamitate senatoris populi Romani, cum praetor iudicio eius praefuisset, spolia domum suam referre, et manubias detrahere conatus sit, is ullam ab sese calamitatem poterit deprecari?

---

corum explicare vanitatem. Tuscul. IV, 31 *si ridere concessum sit, vituperatur tamen cachinnatio.* — *id quod mihi]* Sic unus Lag. 29, sed optime nec ut corruptela possit haberi, pro vulg. *quod.*

ut levissime appellem] Vulgo, postquam Hotomanus addi hoc apud Asconium animadvertit, *ut levissime dicam;* antea enim totum hoc colon aberat ab editionibus, quia abest a codicibus vulgaribus omnibus. Unus Lag. 29 servat, sed ita ut edidimus, *appellem*, non *dicam.* Iam optio datur, atque nobis quidem praestare Ciceroniani codicis scriptura videbatur, quod nimis prope idem verbum antecessit. Post *ab nobis* idem Lag. 29.

§. 156. *atque eiusmodi iudiciorum]* Vulgo *ac iudiciorum eiusmodi:* sed *atque* libri mss. omnes, et verborum collocatio Lagomarsiniani 29 eadem est apud Priscianum p. 1152.

§. 157. *conatus sit]* Ciceroniani libri omnes *conatus est*, sed *sit* extat in lemmate Asconii et a Prisciano p. 1153 non scribitur tantum, sed etiam explicatur, Coniunctivum de re indubitabili positum esse, ἐπιχείρησεν ἄρα. Tali auctoritati cedendum puto, et agnoverunt id olim Victorianae editor et P. Manutius. Insequentes ab Hotomano non esse id necesse confirmante deterreri se passi sunt. Alia res est, quod mox apud eundem Priscianum collocatio verborum immutatur *calamit. a sese*, qua in re tamen Lambinus eum secutus est.

Nam de subsortitione illa Iuniana iudicum nihil 61
dico. Quid enim? Contra tabulas, quas tu protulisti, audeam dicere? Difficile est: non enim me tua solum et iudicum auctoritas, sed etiam anulus aureus scribae tui deterret. Non dicam id, quod probare difficile est: hoc dicam, quod ostendam, multos ex te viros primarios audisse, cum diceres, ignosci tibi oportere, quod falsum codicem protuleris; nam, qua invidia C. Iunius conflagrarit, ea, nisi providisses, tibi ipsi tum
pereundum fuisse. Hoc modo iste sibi et saluti suae 158
prospicere didicit, referendo in tabulas et privatas et publicas, quod gestum non esset, tollendo, quod esset, et semper aliquid demendo, mutando, interpo-

---

§. 157. *audeam dicere]* Sic scribi coeptum est in Victoriana, ex bono aliquo codice, nam sic etiam in Lag. 29 est. Vulgo *audes*. Quod addit Cicero *difficile est*, intelligendum est cum irrisione, sicut ea quae sequuntur. Significat enim re vera facile esse illas tabulas in suspicionem falsi vocare, neque vel Praetoris, vel iudicum, vel scribae auctoritate sese posse deterreri, sed nolle tamen dicere, quae probationis indigeant. Etiam p. Cluent. c. 33 non Iunii illam fuisse culpam, sed Verris Praetoris ostendit, in cuius codice *interlito*, quoniam nomina iudicum quorundam non essent, qui in consilio fuissent, Iunius multatus est. Scribam autem istum eundem fuisse verisimile est, quem Verres in Siciliam secum ductum in contione anulo aureo donasse traditur lib. III, 80 extr.

C. Iunius conflagrarit] Opus est h. l. manu critica, quae librorum inconstantiae medeatur. Mss. enim omnes *conflagrarit — pereundum fuisset*, adversante Latinitate: nam si absoluta est oratio *conflagravit* scribendum est (uti est in Lag. 29 a prima manu et apud Priscianum) sive pendet a *diceres*, corrigendum est *fuisse*. Atque hoc verisimillimum videri debet. Editores autem usque ad annum 1534 codices fideliter expresserunt, tum simul in Hervag. et Victoriana *conflagrarat — fuisset* comparuit, P. Manutius *fuisse* emendavit, reliquit *conflagrarat*. Sic adhuc mansit, nam quod Lambinus edidit *conflagravit — fuisse* cum Latinitas non ferat, tum et ipsum contra codices est.

§. 158. *mutando, interpolando]* Vulgo hic interiicitur *curando ne litura appareat*, in quo Ernestius de Lambini olim sententia *appareret* recte correxit. Sed Lambinus totum hoc colon delendum censuit

lando. Eo enim usque progreditur, ut ne defensionem quidem maleficiorum suorum sine aliis maleficiis reperire possit. Eiusmodi sortitionem homo amen-

---

tamquam glossam, quia Nonius Marcellus lib. I p. 602 Goth. omittit. Totus locus hic est: *Interpolare est immutare et interponere et novam formam e vetere fingere. M. Tullius Verr. actione II Aliquid demendo, mutando, interpolando; et est tractum ab arte fullonia, qui poliendo diligenter vetera quaeque quasi in novam speciem mutant*, quibus verbis simul hoc intelligi putat Garatonius, ipso verbo interpolandi ea contineri, quae glossa interpres voluerit. Ea igitur verba cum prorsus absint a Lag. 29, delevi.

possit] recte Lag. 29 et duo alii. Etiam de coniectura a nonnullis veteribus sic iam editum fuit pro mendoso *posset*.

Eiusmodi sortitionem] Vulgo *eiusdemmodi*, et Asconii lemma *subsortitionem*, quod quidem nimis similitudini cum Iuniano consilio inhaerens Garatonius omni modo probare conatus est. Ego sequor tum ceteros codices Ciceronianos, tum in delendo augmento Lag. 29, deque tota causa non possum non magnopere Schützii rationem probare. Asconius quidem de difficultate loci praefatus, Q. Curtium huius ipsius quaestionis iudicem et consilii participem fuisse statuit et improba prorsus ratione redemptos a Verre iudices in locum reiectorum subsortiri conatum esse, „*quibus ad venales sententias proferendas ultimo die subiectis uteretur*." In qua explicatione primum nescias, quid subiecti isti sibi velint, cum iam ab initio venales sederint: deinde Cicero non ita poterat fatuus haberi, ut eiusmodi fraus in sortitione ipso praesente fieret. Tum vero totum hoc ab ea opinione proficiscitur, quasi Curtius huic ipsi iudicio praefuerit. Praefuit vero ipse M'. Glabrio Praetor, quem et subsortitum esse iudices ex Act. I, 14 putamus. Neque quisquam patronus tam contumeliose de aliquo iudice suo loqui posset, ut h. l. Ciceronem de eo, qui iudicio praeesset, loqui volunt: qui si illum iniquum sibi putasset, aliqua potius ratione mitigaret sibique conciliaret. Omnem igitur fraudem Curtii in eo fuisse puto, quod, cum alius cuiusdam quaestionis iudex esset, ex illa decuria iudicum, quae Ciceroni data esset, in suum consilium et plures quam opus esset et prius subsortiri conaretur, quam Ciceroniani consilii sortitio facta esset. Quo probato, in reliquis iam nulla difficultas erit. Haec cum compluribus abhinc annis commentatus essem, locumque sic in scholis explicassem, dum haec Verrinarum editio plenior typis describitur, Io. Nic. Madvigii Dani disputatio de Asconio Pediano docta et perquam utilis ad orationum Tullianarum intellectum ad me allata est. Quod in ea pag. 121 sq. hic locus itidem, ut a me factum est, explicatur, quid dicam me gavisum esse, cum res tam manifesta sit, ut qui semel remotis veterum interpretum auctoritatibus ipse cogi-

tissimus suorum quoque iudicum fore putavit per sodalem suum, Q. Curtium, iudicem quaestionis: cui nisi ego vi populi et hominum clamore atque convicio restitissem, ex hac decuria vestra, cuius mihi copiam quam largissime factam oportebat, erepta esset facul-

---

tare voluerit, in eam non possit non incidere: sed magnopere delectatus sum, explicationem nostram universa disputatione, quam ille instituit, de iudicibus quaestionis egregie confirmari. Cuius summam committere nolui, ut ii, quorum usibus hic liber destinatus est, nescirent. Madvigius igitur, collectis in unum locis, quibus apud Ciceronem de iudice quaestionis dicitur, (nam is utique solus est veterum scriptorum, apud quem illorum mentio inveniatur, si duos exceperis locos in iuris libris Digest. XLVIII, tit. 8 l. 1 et Collat. legg. Mosaic. et Roman. I, 3 ubi eorundem mentio fit in commemoratione legis Corneliae de sicariis) primum demonstrat, Praetorem ab iis iudiciis, quibus iudex quaestionis praefuerit, abfuisse, contraque Garatonium in Excursu ad orat. p. Cluent. c. 53 et 54, edit. Neapol. pag. 586 sqq. probat, in iudicio Cluentiano non duos homines fuisse, Q. Voconium iudicem quaestionis, et Q. Nasonem Praetorem, sed unum Q. Voconium Nasonem, iudicem quaestionis. Deinde sic pergit: „Remoti igitur sunt a Praetorum iudiciis iudices quaestionum, ab horum Praetores, idque ita fuisse multo magis perspicietur, si causam huius muneris instituti intellexerimus. Nam cum plures novis legibus iam ante Sullam constitutae essent quaestiones perpetuae, (auctore Ferratio epist. I, 15 p. 65 plures certe quam quattuor,) neque iis sex Praetores sufficerent, quorum duos iurisdictio utraque occupabat, neque facile magistratuum numerus augeretur, creati necessario ad ceteras quaestiones administrandas *quaestionum iudices* sunt. Auxit Sulla Praetorum numerum, ut octo essent; sed quaestiones eo tempore aut, ut vulgo putant, octo, aut, ut Garatonius censet (pag. 490 et 495) novem erant, quibus si iurisdictiones addimus, hoc quoque tempore duas aut tres quaestiones Praetoribus caruisse patet; raro enim vel nunquam hoc tempore uni aut duas quaestiones aut utramque iurisdictionem demandatam, recte Garatonius docuit (p. 495 sq.). Hae igitur iudicibus quaestionum (populi suffragiis constitutis, ut verisimile fit, quamquam non essent magistratus) obveniebant (sorte): quorum creandorum necessitas sublata est, aucto a Caesare et Augusto Praetorum numero, eaque Madvigio causa esse videtur, cur omnis eorum commemoratio intra hoc temporis spatium concludatur.

decuria vestra] Sic omnes fere codices (etiam Lag. 29), quod cur editores immutarint scripserintque *nostra*, vix intelligas. Ante *atque hom.* unus Lag. 29, nec probo.

tas eorum, quos, cum iste annuerat, in suum consilium sine causa subsortiebatur.

---

§. 158. *quos, cum iste annuerat]* Adieci *cum* de coniectura, Schützius *ubi* non minus recte, sed verisimilitudinem corrumpendi secutus sum. Ceterum codd. in his extremis non mutant, neque opus est ulla mutatione. Ait enim Cicero, sibi decuriae illius ex tribus destinatae copiam fieri debuisse quam plenissimam, qua re fieri posset, ut sors ex multis honestis honestissimum quemque iudicem sibi daret, Curtium autem ad arbitrium Verris inde optimos detrahere conatum esse, ut non relinquerentur nisi tenues et sordidi eamque ob causam ad corrumpendum faciles. Asconii lemma hoc est: *cuius mihi potestatem largissimam fieri oportebat*, sed longe praestant nostri libri. Quod autem Hotomanus coniecit *cum iis quos iste annuerat*, intelligi nequit, nisi voluit *eos*, quod ipsum Lambinus edidit, sed praeterea *quibus* correxit. Denique in Gronoviana editione *suae* mendose adiicitur post *causa*, quod non commemorarem, cum absit a ceteris libris omnibus, nisi Ernestius, qui illa editione tamquam fundamento suae recensionis usus est, ad nostram aetatem propagasset.

Iuvat postremum animadvertere quemadmodum editores alter alterum in subscriptione libri correxerint. Nam cum Naugerius primum scripsisset *desideratur quippiam*, hoc sic mansit usque ad Lambinum, qui subscripsit *Nihil puto desiderari*. In eum autem coortus Gruterus, quo flagrabat odio in Lambinum, confirmavit *multa deesse*. Atque hoc quasi oraculi dictum repetitum est a reliquis, ex quibus si quaerere velis, quidnam ex divisione totius argumenti deesse putent, nae illi nihil dicere possint, cum etiam ea, quae de causa Opimia et subsortitione Iuniana significata magis quam exposita legimus, insuper addita sint. Equidem nihil prorsus deesse puto, neque vidi eiusmodi quippiam in codd. mss. et iis editionibus, quae ex illorum fide pendent, significari.

ACTIONIS SECUNDAE
SIVE
ACCUSATIONIS IN C. VERREM
LIBER SECUNDUS.
[DE IUDICIIS s. DE PRAETURA SICILIENSI.]

ARGUMENTUM ASCONII PEDIANI, QUI DICITUR.

Haec sine dubio ad accusationem propositi criminis spectat oratio. Nam in superiore anteactae res sunt expositae: quae quia magis adiuvant accusationem, quam ipsae sint[1]) principales, in unum librum coactae sunt iudicio Ciceronis cursim enumerantis, quae Verres quaestor, quae pro quaestore, quae legatus, quae denique praetor urbanus admiserit. Ubi ventum est ad causam ipsam et Siciliensia crimina, quattuor libros edidit: unum de iurisdictione; alterum de frumento; tertium de signis; quartum de suppliciis. In qua distributione non ordo temporis, sed facinorum genera et momenta servata sunt. Incipit autem a laude Siciliae, et egreditur ad crimen Dionis, deinde Sosippi et Epicratis. Sed de iure Siculorum everso frustra quidam Ciceronem reprehendunt, quod non inde coeperit: cum superiora crimina non egeant eiusmodi tractatu, qui ad sequentia pertinet, et oratoris consilio a magnis iisdemque clarioribus sumendam esset exordium. Itaque post hoc duo criminum genera persequitur ad extremum. Primum de Heraclio; de expressis honoribus ab invitis; de Epicrate Bidino;[2]) deque rebus capitalibus, ubi de Sopatro, de Sthenio: quae omnia sunt de iure dicundo. Alterum de senatoribus; de sacerdotibus; de censoribus pretio a Verre factis; de collatione in statuas; de publicanorum cum Verre convenientia in furtis; de tabulis Carpinatii pecunias Verris extraordinarias continentibus. Genus causae in omnibus Verrinarum libris admirabile. Status principaliter coniectura.

---

1) Edit. Ald. *sunt.*

2) Sic Ernestius, Graevius et superiores *Bideno.* Sed quod ad universam structuram pertinet, locus in edit. Aldina confusus ac perturbatus legitur sic: *itaque post hoc de merodio * expressis honoribus ab inv tis, de Epicrate Bideno, deque rebus capitalibus, de Sopatro, de Aenio, de iure dicundo, alterum* cet. ex quibus quomodo ea, quae supra leguntur, facta sint, non docemur. Nec ego repeto, nisi ut ex uno loco de ceteris coniectura fiat.

EDITORIS NOVUM ARGUMENTUM.

Transit orator ad C. Verris praeturam Siciliensem, continetque hic liber avaritiae et crudelitatis crimina, quae Verres in iure dicendo exercendisque quaestionibus capitalibus, et in vendendis honoribus pecuniisque statuarum sibi ponendarum nomine cogendis commisisse arguitur.

Incipit oratio a laude Siciliae, quae provincia cum prae ceteris populo Romano cara esse debeat (cap. 1 — 3*), per tres annos ita a Verre vexata sit, ut communi consilio eum persequendum statuerit (cap.* 4 — 6*). Iam quod ad crimina iurisdictionis pertinet, exponuntur duae causae privatae Dionis Halesini et Sosippi et Epicratis, fratrum Agyrinensium, de quibus cum ipse Verres cognosceret, pecunias absolvendi gratia coegit, ac demonstratur non posse ei prodesse quod illae pecuniae non ipsi, sed ministrorum alicui datae sint (cap.* 7 — 11*).*

Verum ceteras quoque Siculorum causas privatas Verri quaestui fuisse ostenditur, quod iudices non ex institutis provinciae, sed ex arbitrio suo, spretis legibus, dederit, eosque metu animadversionis suae commoverit. Ad eam rem probandam tres causae commemorantur, Heraclii Syracusani, Epicratis Bidini, et breviter alterius Heraclii Centuripini (cap. 12 — 27*).*

Sequuntur quaestiones rerum capitalium, quae ad ipsum praetorem pertinebant, in quibus Verrem crudelem et improbum fuisse duobus exemplis luculentis, Sopatri Halicyensis et Sthenii Thermitani, demonstratur (cap. 28 — 47*).*

Tum agitur de venditione honorum et magistratuum apud Siculos, neglectis quae de iis rebus essent legibus et institutis, senatorum, sacerdotum, censorum, in quibus rebus Verres praecipue Timarchide administro usus est (c. 54.*). Censores autem illi, cum iacturam pecuniae replere vellent, censum tam inique egerunt, ut illo stari non potuerit (cap.* 48 — 56*).*

Exponitur denique de pecuniis, quas Verres ab omnibus ordinibus civitatibusque Siciliae statuarum sibi ponendarum nomine exigendas curaverit, ac demonstratur, eas ab invitis coactas, et ipsas statuas, ubi primum potestas data Siculis, dirutas esse (cap. 56 — 69*).*

Postremum, ne quis Verrem gratia publicanorum defendi putaret, exponitur quam ille rationem cum Carpinatio in Sicilia habuerit, quomodo societatem fraudarit, et quomodo eas res, cum studiose occultae fuerint, ipse Cicero detexerit (cap. 70 *usque ad finem orat.).*

Multta mihi necessario, iudices, praetermittenda 1
sunt, ut possim aliquo modo aliquando de iis rebus, 1
quae meae fidei commissae sunt, dicere. Recepi enim
causam Siciliae; ea me ad hoc negotium provincia
attraxit: ego tamen hoc onere suscepto, et recepta
causa Siciliensi, amplexus animo sum aliquanto amplius.
Suscepi enim causam totius ordinis; suscepi
causam populi Romani: quod putabam tum denique
recte iudicari posse, si non modo reus improbus adduceretur,
sed etiam diligens et firmus accusator ad
iudicium veniret. Quo mihi maturius ad Siciliae cau- 2
sam veniendum est, relictis ceteris eius furtis ac fla-

---

§. 1. *ut possim aliquo modo aliquando — dicere]* Sic codd. et edd. vett. Insecuti editores alterutrum omittere coeperunt: Victor. P. Manutius, Car. Stephanus deleverunt *aliquando*, Lamb. Hotomanum secutus *aliquo modo* eiecit, retinuit *aliquando*, eumque Graevius nihil moratus Gruteri dissensum, cum ceteris, qui ex eo pendent, imitatus est. Mihi quidem Ernestius verius iudicasse videtur, augeri rem revocata vetere lectione, quasi plene orator nunquam de Verris sceleribus dicere possit. In Act. I, c. 24 semel quidem *aliquando* posuit, verum variatio Ciceronem magis decet, quam iners repetitio.

causam populi Romani] Notae *p. r.* et *r. p.* facile commutantur, sic hoc loco *r. p.* Paris. A, *reipublicae* B et Lag. 29. 42, hi quidem a prima manu. Divin. c. 8 *Siculorum causam receptam, populi Rom. susceptam*, sine varietate. — *quod putabam tum denique recte iudicari posse]* Videbantur iudicia male exerceri ab ordine Senatorio: verum fieri non poterat, ut recte iudicaretur, nisi et rei improbi adducerentur, et firmi accusatores accederent. Quamobrem Cicero se extitisse accusatorem dicit, ut iudicibus facultatem daret recte iudicandi. Vides, ut opinor, satis se tueri posse vulgatam librorum omnium lectionem, pro qua in mentem venit Hotomano et Ernestio substituere *quam (causam) putabam* cet. Mox *ac firmus* Lag. 29 (pr. m.)

§. 2. *veniendum est]* Lag. 29 Paris. A B *veniundum est.*

gitiis, ut et viribus quam integerrimis agere, et ad dicendum temporis satis habere possim.

Atque adeo, antequam de incommodis Siciliae dicam, pauca mihi videntur esse de provinciae dignitate, vetustate, utilitate dicenda. Nam cum omnium sociorum provinciarumque rationem diligenter habere debetis, tum praecipue Siciliae, iudices, plurimis iustissimisque de causis: primum, quod omnium nationum exterarum princeps Sicilia se ad amicitiam fidemque populi Romani applicavit. Prima omnium, id quod ornamentum imperii est, provincia est appellata: prima docuit maiores nostros, quam praeclarum esset exte-

---

§. 2. *ac flagitiis]* Lag. 42 (pr. m.) *atque flag.*

Atque adeo] Senties etiam h. l. vim harum particularum, quae alibi solet esse, corrigendi: dicit enim sibi celeriter ad causam Siciliae: i. e. ad ea maleficia, quibus Verres Siciliam vexarit, perveniendum esse, verumtamen priusquam illud faciat, pauca etiam de dignitate illius provinciae dicenda esse. Cf. hui. or. c. 77 §. 190. — *antequam — dicam]* Coniunctivum modum recepimus ex Lag. 42 Paris. A Vindob. C. Nam cum *priusquam* utrumque modum assumat (cf. Phil. I, 4 §. 11), *antequam* rarissime apud Ciceronem, ne dicam nunquam, ubi de instantibus rebus dicitur, cum Indicativo Praesentis coniungitur. Epist. VII, 14 *sin nostri oblitus es, dabo operam, ut istuc veniam, antequam plane ex animo tuo effluo;* existimat enim sese iam effluere.

plurimis iustissimisque de causis] Eas causas non distincte enumerat orator. Nam cum *primum* dixisset, alteram causam ita continuat oratione, ut, ubi de ea dicere incipiat, sentias magis quam videas. Est autem illa provinciae *utilitas*, quam partem a verbis *itaque ad omnes res Sicilia prov. semper usi sumus* tractat. Tertia est ipsorum hominum virtus, quam supra dignitatem provinciae appellavit.

se ad amicitiam — applicavit] In marg. repet. edit. Lambinus dicitur voluisse *applicavit*, nam in vera edit. *applicuit* est. Num qua codd. auctoritas illum moverit, nescio, quamquam suspicor ita esse, quoniam *applicavit* Lag. 42 a pr. manu exhibet: sed haud dubie rectissime: nam cum octo loci sint apud Ciceronem, ubi Perf. *applicavi* legitur, unus tantum Epist. III, 11 est, neque in verbis Ciceronis, ubi iure dubitatur, an *applicui* legatur. Illi sunt, ne quid αἰνιγματικῶς posuisse videar, de orat. I, 39 init. et II, 13 §. 55. Brut. c. 91. de invent. II, 13 §. 43 (quamquam illo loco Leid. 2 et Erf. *applicuerit)* p. Cluent. 16 §. 46. Acad. II, 20 §. 65. Tuscul. V, 27 §. 77.

ris gentibus imperare: sola fuit ea fide benivolentiaque erga populum Romanum, ut civitates eius insulae, quae semel in amicitiam nostram venissent, nunquam postea deficerent, pleraeque autem et maxime illustres in amicitia perpetuo manerent. Itaque ma- 3
ioribus nostris in Africam ex hac provincia gradus imperii factus est. Neque enim tam facile opes Carthaginis tantae concidissent, nisi illud et rei frumentariae subsidium et receptaculum classibus nostris pateret.
Quare P. Africanus, Carthagine deleta, Siculorum ur- 2
bes signis monumentisque pulcherrimis exornavit; ut, quos victoria populi Romani maxime laetari arbitrabatur, apud eos monumenta victoriae plurima collocaret.
Denique ille ipse M. Marcellus, cuius in Sicilia vir- 4

---

§. 2. *quae semel in amicitiam nostram venissent]* Specioso vocabulo utitur pro eo quod nos diceremus, posteaquam bello subactae in potestatem populi Romani venerunt. Harum enim civitatum laus in eo tantum posita est, quod semel victae non defecerunt, earum autem, quae sequuntur, quod statim se ad Romanorum amicitiam applicaverunt, in eaque perpetuo manserunt. Ernestius rem prorsus convertit, cuius erroris eam causam fuisse puto, quod alterae vocantur *maxime illustres*, in quarum numero Syracusas bello subactas ponere necesse ipsi videretur. Sed Ciceronem primum aliquatenus suae causae servire existimabis, deinde merito illustres civitates vocari posse Mamertinam, Tauromenitanam, Panormitanam, Centuripinam facile fateberis. Ex altera parte Syracusae et Agrigentum sunt, nobis quidem ex vetere memoria rerum gestarum longe clarissimae: sed num illo tempore opibus divitiisque cum illis comparari potuerint, iure dubito.

§. 3. *Itaque maioribus nostris]* Ultima haec vox desideratur in codd. vulgaribus, Lag. VII Vindob. III Huydec. (notaturque abesse debere in Paris. C.) item in edd. vett., quas quidem ego adhibui, omnibus usque ad Lambinianam. Ubi Hotomanus invenerit nescio, sed esse in nonnullis aliis (mstis opinor) atque ita sibi placere annotavit. Repetitores Lamb. cum et ipsi priores secuti vocem tollere voluissent, inviti retinuerunt. Inde factum opinor, ut Gruterus nihil notaverit. Sed necessariam nemo non existimabit.

nisi illud — pateret] pro *patuisset* poni aliquot locis scriptorum docet Garatonius. Sed res hodie notissima; vide Gramm. nostr. §. 525.

tutem hostes, misericordiam victi, fidem ceteri Siculi perspexerunt, non solum sociis in eo bello consuluit, verum etiam superatis hostibus temperavit. Urbem pulcherrimam Syracusas, quae cum manu munitissima esset, tum loci natura terra ac mari clauderetur, cum vi consilioque cepisset, non solum incolumem passus est esse, sed ita reliquit ornatam, ut esset idem monumentum victoriae, mansuetudinis, continentiae, cum homines viderent, et quid expugnasset, et quibus pepercisset, et quae reliquisset. Tantum ille honorem
5 habendum Siciliae putavit, ut ne hostium quidem urbem ex sociorum insula tollendam arbitraretur. Itaque ad omnes res Sicilia provincia semper usi sumus, ut, quicquid ex sese posset efferre, id non apud eos nasci, sed domi nostrae conditum putaremus. Quando

---

§. 4. *fidem ceteri Siculi]* Turpiter Gruteriana edit. habet *fidemque*, perturbata membrorum aequalitate, contra libros et mss. et ante editos omnes. Retinuerunt tamen insecuti editores ii, quibus plurima est auctoritas, Graevius, Ernestius, alii, sed neminem posthac dubitaturum opinor. — *clauderetur]* Vulgo *claudebatur*, neque in ea constructione, *tum* cum Indicativo, praecedente *cum* et Coniunctivo, quisquam offendere poterat. Verum cur Imperfectum posuit, quasi tum Syracusae minus loci natura munitae essent? En Parisinus A et a pr. manu Lagomarsiniani 29 et 42 *clauderetur* exhibent, atque sic olim Lambinus in margine repet. edit. (nam in priore non habet) voluit, e codice Fabriciano, ut verisimile fit. Id olim ipsi non probavimus: nunc amplectimur et propter auctoritatem librorum, et quia Coniunctivo intelligimus causam contineri, cur urbem Marcellus vi capere post diuturnam oppugnationem necesse habuerit.

et quid expugnasset] Lag. 29 et Paris. B *quod*, vitium vulgare. Sed post *habend. Siciliae* immutata verborum collocatione iidem libri et optimus Paris. A, quod vulg. *Siciliae habendum* praeferendum putavimus.

§. 5. *domi nostrae conditum]* Quod Nannius in suo vet. cod. addi notavit, *iam*, recepit Car. Stephanus, item Lambinus, postquam Fabriciani codicis auctoritas accessit, editurus erat in altera editione. Quod ille non perfecerat, fecit Graevius, dissentiente Ernestio, qui languere verbum diceret. Neque ego addiderim, quia, quamvis boni sint illi libri (sive unus est) et accedat Lagom. 42 a pr. manu, item, quod

illa frumentum, quod deberet, non ad diem dedit? quando id, quod opus esse putaret, non ultro pollicita est? quando id, quod imperaretur, recusavit? Itaque ille M. Cato Sapiens cellam penariam rei publicae nostrae, nutricem plebis Romanae, Siciliam nominabat. Nos vero experti sumus Italico maximo difficillimoque bello, Siciliam nobis non pro penaria cella, sed pro aerario illo maiorum vetere ac referto fuisse. Nam sine ullo sumptu nostro coriis, tunicis, frumentoque suppeditando maximos exercitus nostros vestivit, aluit, armavit. Quid? illa, quae forsitan ne sen- 3
tiamus quidem, iudices, quanta sunt! quod multis lo- 6
cupletioribus civibus utimur, quod habent propinquam,

---

sane mirere, Huydecoperanus ex deterioribus, tamen reliquorum meliorum, Lagomarsiniani 29 et Parisiensium A B, suffragiis destituti a vitii suspicione non immunes habendi sunt. Nam imminui oppositorum elegantiam Ernestio contendenti facile credo.

nominabat] Vulgo *nominarit*, sed iam Lamb. in marg. repet. Imperfectum tempus volebat, cognita haud dubie Fabriciani codicis scriptura, ut nunc patet e Paris. A B et Lagom. 29. 42 (pr. m.) Verisimile enim est illud dictum non semel a Catone prolatum esse, sed crebro usurpatum, unde factum est, ut in proverbium abierit: Strabo lib. VI, 2 §. 7 *καὶ δὴ καλοῦσιν αὐτὴν ταμιεῖον τῆς Ῥώμης.*

frumentoque suppeditando] Sic unus Lag. 42 (pr. m.) vulgo *suppeditato*. — *vestivit, aluit, armavit]* *Armavit* quidem coriis suppeditandis, quorum multiplex usus in re militari, imprimis ad scuta et tabernacula.

§. 6. *quae forsitan]* Codd. deteriores, Lag. VII Vind. B C Paris. C Huyd. et edd. princ. usque ad Victor. *quod.* Post Lag. 42 (a pr. man.) *sentiamus*, cum vulgo legatur *sentimus*. Vide supra ad libr. I, 38. Iidem illi deteriores praeter Huyd. de quo siletur, *civitatibus*, sed *civibus* correxit iam Naugerius. — *quod multis locupletioribus civibus utimur]* „Nannius coniiciebat *multo*, quod statim recipit in contextum Lambinus, contra libros: scias illi semper pependisse hamum." Gruterus sic non inepte, quia *multo* non habet quo referatur: sed tamen fecerat ante Lambinum Car. Stephanus. Ceterum video male vulgo interpungi *Quid illa*, cet. At cohaerent *illa — quanta sunt*, alioquin Latinitas videretur postulare *quanta sint*. Olim etiam signa interrogandi continuebantur male, quoniam alterum *quod* causalis particula est. *Illa* autem dixit propterea quod ista vicinitas Siciliae plura commoda contineret.

fidelem, fructuosamque provinciam, quo facile excurrant, ubi libenter negotium gerant; quos illa partim mercibus suppeditandis cum quaestu compendioque dimittit, partim retinet, ut arare, ut pascere, ut negotiari libeat, ut denique sedes ac domicilium collocare. Quod commodum non mediocre populi Romani est, tantum civium numerum tam prope ab domo, tam
7 bonis fructuosisque rebus detineri. Et quoniam quasi quaedam praedia populi Romani sunt vectigalia nostra atque provinciae, quemadmodum vos propinquis vestris praediis maxime delectamini, sic populo Romano iucunda suburbanitas est huiusce provinciae. Iam vero hominum ipsorum, iudices, ea patientia, virtus, frugalitasque est, ut proxime ad nostram disciplinam illam veterem, non hanc, quae nunc increbruit, videantur

§. 6. *tantum civium numerum]* Vulgo additur *Romanorum*, quasi, qui cives intelligi debeant, cum *populus Rom.* praecesserit, dubium esse possit. Omittunt autem illud verbum Fabricianus apud Lambinum et Metellianus apud Gulielmum ac Gruterum, item Lagom. 42 a pr. manu. Sed denuo notae *p. r.* turbas dederunt: nam Parisini A B et Lag. 29. 42 *rei publicae*, quod velis fortasse ita tueri, ut simul *Romanorum* serves: posse enim illud etiam *rei publicae* commodum vocari, quoniam sicunde illi periculum a turbulentis hominibus immineat, cives e Sicilia locupletes et cum rei publicae incolumitate coniuncti advolare et auxilium ferre possint. Verumtamen de illiusmodi commodo dici alienum videtur hoc loco: rei publicae status tummaxime tutus erat, neque e Sicilia unquam pependit. Omnia illa commoda ad ipsos cives i. e. populum, non ad eius rem publicam pertinent. Ceterum mendose in Paris. A B et a prima manu in Lag. 29. 42 legitur *detinere*.

§. 7. *vos propinquis vestris]* Sic Lag. 42 (pr. m.) quod et soni et oppositionis causa nemo non intelliget melius esse vulgato *propinquis vos vestris*. — *non hanc]* Editur nunc vulgo *non ad hanc*, sed iterata praepositio parum habet auctoritatis, et si verum quaeris de textu edit. repetitae Lambinianae a Grutero tamquam vetere possessione munita recepta est. Unde autem in illam venerit, difficile est statuere, cum vetustiores omnes ignorent. Fieri potest ut ipse Lambinus sic emendaverit, nam in margine tamquam aliorum lectio notatur *non hanc*. Sed sic etiam libri mss. quibus utimur praeter Lag. 42 et Paris. C et Vind. A omnes. Ceterum, si de Latinitate quaeris, utrumque fieri so-

accedere. Nihil ceterorum simile Graecorum, nulla desidia, nulla luxuries; contra summus labor in publicis privatisque rebus, summa parsimonia, summa diligentia. Sic porro nostros homines diligunt, ut his solis neque publicanus neque negotiator odio sit. Ma- 8
gistratuum autem nostrorum iniurias ita multorum tulerunt, ut nunquam ante hoc tempus ad aram legum praesidiumque vestrum publico consilio confugerint: tametsi et illum annum pertulerant, qui sic eos afflixerat, ut salvi esse non possent, nisi C. Marcellus quasi aliquo fato venisset, ut bis ex eadem familia sa-

---

let a Cicerone, ut praepositio in parte contraria aut repetatur, aut omittatur. Omissae hoc certum habe exemplum: lib. IV, 27 *venio nunc non iam ad furtum, non ad avaritiam, non ad cupiditatem, sed eiusmodi facinus, in quo omnia nefaria contineri mihi atque inesse videantur.* — *videantur accedere]* Lamb. in marg. repet. *videatur*, nam in pr. edit. vulgatam lectionem sequitur. Utrumque dici potest, sed mihi quidem quod vulgo legitur „hominum ea frugalitas est, ut ad veterem disciplinam *videantur* accedere" veterem dicendi rationem magis exprimere videtur. Neque ulla varietas est in nostris codicibus.

nulla luxuries] Lambinus in marg. repet. e Fabriciano, ut coniicio ex Lagomars. 42 (a pr. manu), *luxuries* pro vulg. *luxuria*, rectissime: nam *luxuria* in recto casu rarissime apud Ciceronem legitur, nec fere nisi de Off. I c. 34, cum *luxuries* plurimis locis inveniatur. Eadem paene res in reliquis huius generis, quae sunt *materies*, *mollities*, *barbaries*. Cf. desideratissimum Schneiderum in Gramm. Lat. p. 483, qui tamen in eo erravit, quod *planitiam* dudum damnatam apud Caesarem de bell. civ. I, 43 denuo profert. De casibus obliquis, qui quintam declinationem sequantur cf. ad V, 31 pr.

§. 8. *confugerint]* e Nanniano codice a Stephano et Lambino pro eo, quod antea e vulgaribus codd. (Lag. VII Vindob. 111 Paris. C Huyd.) legebatur, *confugerent* editum est, servatumque a reliquis.

et illum annum pertulerant] „M. Lepidi Praetoris, qui accusari coeperat a duobus Metellis, Celere et Nepote, qui cum legibus interrogassent, victi eius apud populum gratia destiterunt." Ascon. Eadem gratia, cum P. Sulla dictatura se abdicasset, Consul factus est a. u. 676, ut in Sicilia pro Praetore fuerit anno 674 aut 673. Causam cur hominem orator suo nomine non appellarit, eam fuisse puto, ne animi nonnullorum irritarentur, qui olim fortasse M. Lepido acta Sullana evertere cupienti faverant. Ceterum *et* abest a Lag. 42 et 6 (ambobus a pr. m.) item ab Asconii lemmate.

lus Siciliae constitueretur, et postea M. Antonii infinitum illud imperium senserant. Sic a maioribus suis acceperant, tanta populi Romani in Siculos esse beneficia, ut etiam iniurias nostrorum hominum perferendas putarent.
9 In neminem civitates ante hunc testimonium publice dixerunt. Hunc denique ipsum pertulissent, si humano modo, si usitato more, si denique uno aliquo in genere peccasset. Sed cum perferre non possent luxuriem, crudelitatem, avaritiam, superbiam; cum omnia sua commoda, iura, beneficia senatus populique Romani unius scelere ac libidine perdidissent: hoc statuerunt, aut istius iniurias per vos ulcisci ac persequi, aut, si vobis indigni essent visi, quibus opem auxiliumque ferretis, urbes ac sedes suas relinquere, quandoquidem agros iam ante istius

---

§. 8. *et postea M. Antonii infinitum illud imperium]* Olim legebatur ex codd. deterioribus *postquam Ant.* meliores aut *postea M.* ut Paris. A, aut *post M.* ut Lag. 42 (pr. m.) 29 et Paris. B et editum est non sine causa in repetita Lamb. Quod nunc legimus, Hotomanus ex Asconii nota petivit, et opus haud dubie est repetita coniunctione, quae in codd. excidit. *Infinitum* vero *imperium* cum Ferratio dici puto, quod nullis certis unius provinciae finibus inclusum erat. Vide Vellejum lib. II, c. 31.

Sic a maioribus suis acceperant] Facile qui audit coniungendae sententiae causa addit *nimirum*, nam aliam equidem particulam non suppleverim. Hoc etiam Hotomanus videtur intellexisse, cum suspicabatur excidisse *scilicet*. Ursinus vero *sed* addendum censuit, Garatonius nihil contra libros mutandum recte iudicans, si quid tamen addendum esset, *quod* melius scribi putavit. Sed istis omnibus facile carebimus.

§. 9. *luxuriem]* Unus Paris. A *luxuriam*, B *luxuriam*, sed superscribitur *luxuriem*. Et variatur sic saepissime, ut tamen quintae declinationis formae praestent. Post *populi Rom. quae* Lag. 29 Paris B, *populique Rom. quae* Paris. A. — *ac persequi]* Sic Lag. 29 et 42 Paris. A. Vulgo *et persequi.* — *suas relinquere]* Edd. vett. et codd. de quorum scriptura constat, *relinquerent*, usitato mendo, sed propter codicum consensum notabili. Primum vidi Infinitivum in P. Manutii editione a. 1540, Graevius in Stephaniana, quae quattuordecim annis post prodiit.

iniuriis exagitati reliquissent. Hoc consilio a L. Me- 4
tello legationes universae petiverunt, ut quamprimum 10
isti succederet; hoc animo totiens apud patronos de
suis miseriis deplorarunt; hoc commoti dolore postu-
lata consulibus, quae non postulata, sed in istum cri-
mina viderentur esse, ediderunt. Fecerunt etiam, ut
me, cuius fidem continentiamque cognoverant, prope
de vitae meae statu dolore ac lacrimis suis deduce-
rent, ut ego istum accusarem, a quo mea longissime
ratio voluntasque abhorrebat: (quamquam in hac causa
multo plures partes mihi defensionis, quam accusatio-
nis suscepisse videor:) postremo homines ex tota pro- 11
vincia nobilissimi primique publice privatimque vene-
runt, gravissima atque amplissima quaeque civitas ve-
hementissime suas iniurias persecuta est.

At quemadmodum, iudices, venerunt! Videor enim mihi iam liberius apud vos pro Siculis loqui debere, quam forsitan ipsi velint: saluti enim potius eorum consulam, quam voluntati. Ecquem existimatis unquam ulla in provincia reum absentem contra inquisitionem accusatoris tantis opibus, tanta cupiditate esse defensum? Quaestores utriusque provinciae, qui isto

---

§. 10. *plures partes]* Lag. 29 et Paris. A *pluris partis*, *pluris* etiam Lag. VII, *partis* Paris. B. Itaque forsitan fuisse olim in omnibus statuas, sicut est in illis duobus.

§. 11. *amplissima quaeque civitas]* Sic Lambinus in marg. repet. editionis. Nec additum unde sumpserit, sed e Fabriciano esse fidem facit Lag. 42 a pr. manu. Vulgo *honestissima*. Idem Lag. 42 ab eadem manu *videor enim mihi iam liberius*, cum vulgo *liberius apud vos iam* haud dubie inconcinne legatur.

saluti enim potius eorum] Vulgo *eorum potius*, sed facile senties nostram verborum collocationem, quae sonum addat *saluti*, praestare, eamque Pariss. A B cum Lag. 29 et 42 (a pr. m.) exhibent.

Ecquem existimatis] Et quem vett. edd. et codd. plerique. Vide Garaton. ad h. l. et Drakenb. ad Liv. V, 36. Neque ego ullum vidi locum, ubi non unus et alter codex in huiusmodi compositis *et* pro remotiore a communi usu particula *ec* haberet.

praetore fuerant, cum fascibus mihi praesto fuerunt.
12 Hi porro, qui successerunt, vehementer istius cupidi, liberaliter ex istius cibariis tractati, non minus acres contra me fuerunt. Videte, quid potuerit, qui quattuor in una provincia quaestores studiosissimos defensores propugnatoresque habuerit, praetorem vero cohortemque totam sic studiosam, ut facile appareret, non tam illis Siciliam, quam inanem offenderant, quam Verrem ipsum, qui plenus decesserat, provinciam fuisse. Minari Siculis, si decressent legationem, quae contra istum diceret: minari, si qui essent profecti: aliis, si laudarent, benignissime promittere: gravissimos privatarum rerum testes, quibus nos praesentibus denuntiavimus, eos vi custodiisque retinere. Quae cum
13 omnia facta sint, tamen unam solam scitote esse civitatem Mamertinam, quae publice legatos, qui istum laudarent, miserit. Eius autem legationis principem, civitatis nobilissimum, C. Heium, iuratum dicere audistis, isti navem onerariam maximam Messanae esse, publice coactis operis, aedificatam: idemque Mamertinorum legatus, istius laudator, non solum istum bona

---

§. 12. *in una provincia]* Receperat iam Stephanus *una* ex Nanniano codice, confirmatque Metell., item nunc Paris. A B Lag. 42: in reliquis et in editionibus veteribus deest. — *si decressent legationem]* Vulgo nunc *legationes* — *dicerent*, quod per se reprehendere nemo possit, sed certo auctore caret, cum de textu repet. Lamb. furtim in Gruterianam et inde in reliquas irrepserit. Nostri codd. omnes praeter unum Lagom. 27 *legationem* exhibent, item *decerneret* praeter Lag. 6, *decrevissent* pauci Lag. 14. 42. 45.

§. 13. *omnia facta sint]* Sic primum in Victoriana, nostrorumque librorum in uno Lag. 42. Reliqui omnes *sunt*, quod tamen ferri nequit. — *civitatis nobilissimum]* In codice Metelliano additum esse *civem* annotaverat Gulielmus, ideoque *civitatis* delendum censuit. Idem nescio an ex Fabricianis membranis videtur voluisse Lambinus, quem legisse *nobilissimum civem* in marg. notant, omisso, num *civitatis* delere voluerit. Nostrorum librorum unus Lag. 42 (pr. m.) accedit Metelliano.

sua, verum etiam sacra deosque penates a maioribus traditos ex aedibus suis eripuisse dixit. Praeclara laudatio, cum duabus in rebus legatorum una opera consumitur, in laudando atque in repetendo! Atque ea ipsa civitas qua ratione isti amica sit, dicetur certo loco. Reperietis enim, quae causae benivolentiae sint Mamertinis erga istum, eas ipsas causas satis iustas esse damnationis. Alia civitas nulla, iudices, publico consilio laudat. Vis illa summi imperii tantum po- 14
tuit apud perpaucos homines, non civitates, ut aut levissimi quidam ex miserrimis desertissimisque oppidis invenirentur, qui iniussu populi ac senatus proficiscerentur, aut ii, qui contra istum legati decreti erant, et testimonium publicum mandataque acceperant, vi ac metu retinerentur. Quod ego in paucis tamen usu venisse non moleste tuli, quo reliquae tot et tantae et tam graves civitates, tota denique Sicilia plus auctoritatis apud vos haberet, cum videretis, nulla vi retineri, nullo periculo prohiberi potuisse, quo

---

§. 13. *traditos]* Hoc verbum primus addidit Naugerius, siquidem deest in codd. vulgaribus Lag. VII et Paris. C. — *atque in repetendo]* Vulgo abest *in*, nos et rationem sequimur eam, quod res sunt contrariae, et edit. Lambini et Paris. A B. Item mox *isti* ambo illi Parisini et Lag. 29 cum 42 a pr. m., et corrigendum censuerat Lambinus in marg. edit. repet., hoc est e Fabriciano. Vulgo *illi*.

sint Mamertinis] In Lag. 42 (a pr. m.) *sint* in finem post *ergo istum* reiectum legitur. Mox *satis* abest a Lag. 29 et Paris. tribus.

§. 14. *legati decreti erant]* Sic editur nunc e libro Nanniano et Metelliano, quibus accedunt Lag. duo meliores, item Paris. A B, cum olim fuisset ex deterioribus *legatos decreverant.* Sed quod ex eodem Nanniano edi coeptum est a Stephano *ac mandata* pro eo quod antea fuit *mandataque*, cum reliquorum codicum omnium (praeter Lag. 42) et marginis Lambiniani (i. e. codicis Fabriciani) auctoritas adversetur, non servavi. — *non moleste tuli]* Sic Lagom. 42 (a pr. m.) et vet. cod. in margine Lambinianae repetitae. Vulgo *fero.* Possunt Imperfecta, quae sequuntur, etiam ex Infinitivo *usu venisse* pendere: verumtamen *tuli* concinnius videtur. — *prohiberi potuisse]* Sic e Nanniano libro primi ediderunt Stephanus et Lambinus pro *posse*, quos

minus experirentur, ecquid apud vos querimoniae valerent antiquissimorum fidelissimorumque sociorum.
15 Nam, quod fortasse non nemo vestrum audierit, istum a Syracusanis publice laudari, id, tametsi priore actione ex Heraclii Syracusani testimonio, cuiusmodi esset, cognovistis: tamen vobis alio loco, ut se tota res habeat, quod ad eam civitatem attinet, demonstrabitur. Intelligetis enim, nullis hominibus quemquam tanto odio, quanto istum Syracusanis, et esse et fuisse.

6 At enim istum Siculi soli persequuntur, cives Romani, qui in Sicilia negotiantur, defendunt, diligunt, salvum esse cupiunt. Primum, si ita esset, tamen vos in hac quaestione de pecuniis repetundis, quae sociorum causa constituta est, lege iudicioque sociali,
16 sociorum querimonias audire oporteret. Sed intelligere potuistis priore actione, cives Romanos honestissimos ex Sicilia plurimos maximis de rebus, et quas ipsi accepissent iniurias, et quas scirent aliis esse factas, pro testimonio dicere. Ego hoc, quod intelligo, iudices, sic confirmo. Videor mihi gratum

---

ceteri editores adversus vett. edd. et libros istos recte secuti sunt. Accedunt nunc auctores Paris. A B Lag. 29. In Lag. 42 utraque scriptura coniungitur. Sed praeterea Lag. 29 *retineri* etiam hoc loco habet, ediditque Stephanus *videritis*, quod extat in Paris. C et Lag. 42 (a pr. manu.)

§. 15. *et esse et fuisse]* Prius *et* adhuc nititur fide solius Nanniani, ex quo Steph. Lamb. reliqui dederunt, accedit nunc Lag. 42 item solus, ut dubitandi ansam habeas si displiceat. Verum aures videntur desiderare.

Siculi soli] Sic dedi e Paris. A B Lag. 29 et 42 pr. m. Vulgo *soli Siculi*, sed omnis vis est in Siculis. — *in hac quaestione]* Nitebatur *hac* adhuc uno Nannii libro, nunc accedunt etiam reliqui boni omnes, praeter Lag. 42 (pr. m.) in quo est *ista*.

§. 16. *honestissimos ex Sicilia plurimos]* Hoc ordine verborum nostri boni omnes, Paris. A B Lag. 29. 42. Vulgo *ex Sicilia honestissimos*, *plurimos*, neque tamen duo Adiectiva eiusdem sunt ordinis nec quasi ἐκ παραλλήλου posita. — *sic confirmo]* i. e. repeto et assevero.

fecisse Siculis, quod eorum iniurias meo labore, inimicitiis, periculo sim persecutus: non minus hoc gratum me nostris civibus intelligo fecisse, qui hoc existimant, iuris, libertatis, rerum fortunarumque suarum salutem in istius damnatione consistere. Quapropter 17
de istius praetura Siciliensi non recuso, quin ita me audiatis, ut, si cuiquam generi hominum, sive Siculorum, sive nostrorum civium, si cuiquam ordini, sive aratorum, sive pecuariorum, sive mercatorum probatus sit; si non horum omnium communis hostis praedoque fuerit; si cuiquam denique ulla in re unquam temperaverit: ut vos quoque ei temperetis.

---

§. 16. *meo labore, inimicitiis, periculo]* Sic editum est a Lallemando et Ernestio ex libro Metelliano, cum fuisset *inimicitias.* Nam recte animadvertit Ernestius *inimicitias* provincialium sic non dici, neque honestum fuisse puto Ciceroni fateri se *inimicitias* aliorum iudicio capitali persequi. Addit Lallem. auctoritatem duorum codd. Parisiensium, ego in meis excerptis unum tantum invenio B, sed si quis arbitretur etiam in A sic fuisse, non contendam, quoniam et in Lag. 29. 42.

§. 17. *generi hominum]* Abest *hominum* a Lag. 42 (pr. m.) Post omnes libri mss. *sive cuiquam ordini*, hoc quidem mendose, opinor.

sive mercatorum] Garatonius quartum ordinem hominum desiderat *negotiatorum*, atque adeo eam vocem addi iubet, quippe quae ab imperito lectore, eosdem esse mercatores qui negotiatores opinante, eiecta videatur. Recte omnino discrimen mercatorum et negotiatorum non exiguum fuisse dicit. Cf. etiam ad cap. 77. Verum h. l. cum codd. meliores nihil adiuvent, quid superest, nisi ut *negotiatores* ordine mercatorum contineri dicamus? — *ut vos quoque ei temperetis] Ei* accessit e libro Nanniano, suffragantibus Pariss. tribus a pr. manu et Lag. 42 quod cum aegre desiderari sensisset Hotomanus, pro *ut* ita corrigi voluerat, et secum Lambinum in priore edit. traxerat. Iam omnia recte se habent, (quamquam codd. omnes *temperavit* pro *temperaverit* vulgari mendo exhibent) nam coniunctio interiectis compluribus verbis repetita neminem potest offendere. Terent. in Phorm. I, 3 init. *Adeon rem redisse, ut, qui mihi optime consultum velit, patrem ut extimescam*, ad quem locum cf. Ruhnkenium. Livius lib. XXII, c. 11 *edictoque proposito, ut, quibus oppida castellaque immunita essent, uti in loca tuta commearent*, ubi vide Drakenborch. scriptoris locos complures laudantem. Sic in Verr. lib. IV, 23 *ei negotium dedit, ut, quicquid Halunti esset argenti caelati, aut si quid Co-*

Qui simul atque ei sorte provincia Sicilia obve-
nit, statim Romae et ad urbem, antequam profici-
sceretur, quaerere ipse secum et agitare cum suis coe-
pit, quibusnam rebus in ea provincia maximam uno
anno pecuniam facere posset. Nolebat in agendo di-
scere, (tametsi non provinciae rudis erat et tiro,) sed
in Siciliam paratus ad praedam meditatusque venire
18 cupiebat. O praeclare coniectum a vulgo in illam
provinciam omen communis famae atque sermonis!
cum ex nomine istius, quid iste in provincia facturus
esset, perridicule homines augurabantur. Etenim quis
dubitare posset, cum istius in quaestura fugam et fur-
tum recognosceret; cum in legatione oppidorum fano-
rumque spoliationes cogitaret; cum videret in foro la-

---

rinthiorum, ut omne statim ad mare ex oppido deportaretur. Item lib. II, 37 *Sthenius postulat ut — ut de his omnibus causis se ad leges reiiceret.*

et agitare cum suis coepit] Olim erat *cogitare:* illud ex Nannii libro ediderunt Steph. et Lambinus. Cum libro illo consentiunt codices Pallat. sec. et Metellianus apud Gruterum et Lag. 29. 42. Pariss. A B. Sed in libro Nanniano editionibusque Steph. ac Lamb. priore alio tamen ordine legitur: *cum suis agitare*, correcto postea in margine Lambinianae repetitae et Gruteriana, sine dubio ex auctoritate librorum mss. (Fabric.) Paulo ante *ad urbem* haud dubie verum est, nam Praetor, provinciam sortitus, cum transacto in urbe anno, vota pro imperio suo nuncupasset et paludatus exisset, *ad urbem* aliquamdiu morari solebat, donec omnia ad profectionem compararentur. Cf. lib. V, c. 13 extr. Itaque tuto hoc P. Victorius, sive quis alius Iuntinae editioni a. 1534 praefuit, secundum Asconium emendare potuit, quamquam in vett. edd. et libris manuscriptis omnibus *ab urbe* legitur.

§. 18. *a vulgo]* Paris. A Lag. 29 *volgo.* — *quid iste in provincia]* Adiecerat Lambinus in priore edit. *iste* e Prisciano p. 791 Putsch. 368 Tom. I edit. Krehl. codicum auctoritate opinor nulla tunc usus, sed in repetita edit. annotavit etiam libros veteres (Fabric.) sic habere. Recte, nam pronomen est in Paris. A B Lag. 29. 42 (pr. m.) neque debet propterea condemnari, quod intra paucos versus saepius repetitur.

perridicule] Adverbium pro Adiectivo *perridiculi* e codd. Nanniano et Metelliano recte restitutum est, primum a Stephano et Lambino. Suffragatur de nostris unus Paris. A.

trocinia praeturae: qualis iste in quarto actu improbitatis futurus esset. Atque ut intelligatis, eum Romae 7
quaesisse non modo genera furandi, sed etiam nomina, certissimum accipite argumentum, quo facilius de singulari eius impudentia existimare possitis.

Quo die Siciliam tetigit, (videte, satisne paratus 19
ex illo omine urbano ad everrendam provinciam venerit,) statim Messana litteras Halesam mittit, quas ego istum in Italia scripsisse arbitror. Nam, simulatque e navi egressus est, dedit operam, ut Halesinus ad se Dio continuo veniret: se de hereditate velle cognoscere, quae eius filio a propinquo homine, Apollodoro Laphirone, venisset. Ea erat, iudices, pergrandis pe- 20

---

§. 18. *in quarto actu]* Sic laudat et explicat Asconius, quasi de fabula dictum, sed apud Ciceronem primus edidit Naugerius. Priores enim ex deterioribus libris *in quarto gradu* habent.

sed etiam nomina] nimirum hominum, a quibus aliquid posset auferri. Sic Asconius, quod simplicius videtur, quam Garatonii ratio *nomina* singulas furandi opportunitates interpretantis. Sic enim illius periphrasim intelligo.

§. 19. *Siciliam tetigit]* Lambinus in margine repetitae edit. correxit *attigit*, idque Gruterus tacite recepit, uterque fortasse auctoritatem codicum mss. secutus, ille Fabriciani, hic Metelliani, nam est etiam in Lag. 42 (pr. m.) Sed quoniam de illis codicibus dubitatio aliqua relinquitur, ceterique omnes etiam Paris. A *tetigit* exhibent, tutius nobis visum est restituere cum Ernestio, quod olim edebatur. Ceterum *tangere provinciam* libro I, 10 in hac eadem re, et epist. ad Att. VI, 1 legitur, *attingere Italiam* huius orat. cap. 66.

ad everrendam provinciam] Sic cognita Nanniani codicis lectione Lambinus scribi iam priore editione voluerat, sed cum operae non paruissent, edendum curarunt repetitores. Antea fuit *ad evertendam provinciam* sublata verborum similitudine, in qua ludere voluit orator. Codicum mss. auctoritas in tali re vix expectanda, sed e nostris Nanniano accedunt tamen Paris. A B. Antea *homine* pro *omine* vulgaris error, sed tamen per omnes codices nostros pervagatus, uno excepto Lag. 42. — *scripsisse]* Lag. 42 (pr. m.) *conscripsisse*, non male. Tum 29 et Paris. A *Alesinus*, quamquam iidem antea aspiratam in nomine urbis servant. — *Apollodoro Laphirone]* In marg. repetitionis Lamb. notatur *al. L. Avalerone*, quod Gruterus festinanter aspiciens Lambinum ipsum edidisse putavit. Est autem Fabriciani codicis lectio, nam

cunia. Hic est Dio, iudices, nunc beneficio Q. Metelli civis Romanus factus: de quo multis viris primariis testibus multorumque tabulis vobis priore actione satisfactum est, HS decies numeratum esse, ut eam causam, in qua ne tenuissima quidem dubitatio posset esse, isto cognoscente obtineret; praeterea greges nobilissimarum equarum abactos; argenti vestisque stragulae domi quod fuerit, esse direptum: ita HS de-

---

et Lag. 42 *a Valerone* cum ductu aliquo litterarum tali ut *l* appareat. In Metelliano Gruterus tantum *Avalerone* inveniri tradidit. Verum ego librarii aberrationes existimo. Neque enim vel *Valero* vel *Avalero* nomen Latinum est: *Laphiro* Graecum videtur eiusdem originis qua Λαφρία dicitur Diana apud Suidam. *Lafirone* Lag. 1. 5. 6. 45.

§. 20. *vobis — satisfactum est]* nove dictum pro abunde vobis probatum est, quod alibi non memini me legere. *Confirmatum est* cap. 8 dicit. Ceterum ad *numeratum esse* audies *ab eo:* nam si *de quo num. esse* coniungeretur, non ipsius res esset.

HS *decies numeratum esse] Decies* pro *undecies* e codice Nanniano restituendum censuit Garatonius, notam D, quae in illo codice legatur, recte decimalis numeri notam vel primam litteram esse ratus. Etiam Lag. 42 (pr. m.) *d.* Sic hic locus cum lib. I c. 10 concordabit. Neque paulo post *undecies* relinquendum puto, nam quod dicit Ferratius, eo loco pretium equarum abactarum direptaeque vestis addi, cum ipse Cicero taceat, longius quaesitum videtur: praeterea Lambinus cum priorem locum e codice Fabric. corrigeret, eodem modo alterum emendavit. Nannius autem sui codicis varietatem annotare videtur non necessarium putasse. Ceterum in codd. Fabric. et Metell. non *D numeratum esse*, sed *ID numerata esse* legi consentiunt Lambinus et Gruterus, unde diversum esse Nannianum librum ab illis sive uno illo patet. Neque tamen dubitandum, quin, si *decies* legatur, scribendum sit *numeratum*, cf. ad lib. I c. 37. Nostri libri in vulgato *numeratum esse* nihil mutant, nisi quod Lag. 42 (pr. m.) *numeratam* habet.

quod fuerit, esse direptum] Gulielmus e codice Metelliano *dereptum* scribendum censuit, Graevius probavit atque edidit. Accedunt Lag. 29 et Paris. C. Sed rectissime Ernestius monuit, unam rem *deripi* posse, copiam rerum *diripi.* Utique *deripi* non dicitur nisi id, quod ab aliqua re detrahitur, ut aut dativus casus aut *ab* et *ex* et *de* praepositiones addantur, aut certe e praegressis subintelligi debeant. Sic lib. IV, 50 recte legitur *de manu Cereris Victoriam deripere.*

cies Q. Dionem, quod hereditas ei venisset, nullam
aliam ob causam perdidisse. Quid? haec hereditas 21
quo praetore Dionis filio venerat? Eodem, quo C. An-
nii senatoris filiae, eodem, quo M. Liguri senatori,
C. Sacerdote. Quid? tum nemo molestus Dioni fue-
rat? Non plus quam Liguri Sacerdote praetore. Quid?
ad Verrem quis detulit? Nemo: nisi forte existima-
tis, ei quadruplatores ad fretum praesto fuisse. Ad 8
urbem cum esset, audivit, Dioni cuidam Siculo per-
magnam venisse hereditatem: statuas iussum esse in

---

§. 20. *hereditas ei venisset]* Vulgo *obvenisset*. Sed Lambinus in marg. repet. *venisset*, quod e Fabriciano codice esse fidem facit Lag. 42 (pr. m.) Neque aliter solet Cicero, ubi de hereditatibus propinquorum dicit, ut paulo post et cap. 14 pr. 22 pr. item lib. I, 10. Nam *obvenit* aliquid proprie sorte vel casu, *venit* iure et ordine naturali. Alius generis sunt quae Drakenborchius ad Livium XLIV, 17 collegit, ubi cum legatur *cui praetori classis venisset*, simplex verbum adversus eos, qui de more compositum restituere vellent, defendit.

§. 21. *quo C. Annii senatoris]* Vulgo nunc editur *quo Anniae, P. Annii sen. filiae: P.* praenomen a Naugerio est, sed *C.* codd. nostri omnes praeter Lag. 42, cuius nulla a vulgari scriptura diversitas enotatur. *Anniae* autem ipsius nomen primum comparet in textu Lambinianae repetitae *(Anneiae)* fortasse ex Fabriciano, sed incerta tamen res est, cum reliqui boni libri ignorent. Ceterum ordo verborum in Par. A B Lag. 29 est *C. Senatoris anii.* — *C. Sacerdote]* Additur vulgo *praetore*, sed id verbum elegantius haud dubie abest a Lag. 29 et Paris. A B.

Non plus quam Liguri] Animadvertant studiosi sermonis Latini hanc dicendi rationem *plus quam* et frequentius *non plus quam*, ubi Adverbium *magis* necessarium esse censeas. Sic ad Attic. II, 1 med. *Nam Catonem nostrum non tu amas plus, quam ego.* de Off. lib. III extr. *Neque enim bonitas — esse potest, non plus quam amicitia, si haec non per se expectantur.* Philipp. XI, 7 extr. *nec plus extraordinarium imperium ad id bellum quaesitum est, quam duobus antea maximis Punicis bellis.* de prov. Consul. 10 *rei publicae plus, quam otio meo prospexi.* Phil. XIII, 4 *tum me eius beneficio plus quam pro virili parte obligatum puto.*

statuas iussum esse] Vulgo omnes *heredem statuas iussum esse* cet. quod verbum cum absit ab optimis libris Paris. A B Lag. 29, facile, opinor, interpretem agnosces, qui constructionis causa *illum* subintelligi nollet. Mox *esse multatum* dictum puta pro: multam adscriptam esse in testamento, ne cum Nannio velis *multandam*. Si-

foro ponere: nisi posuisset, Veneri Erycinae esse multatum. Tametsi positae essent ex testamento, putabat tamen, quoniam Veneris nomen esset, causam pe-
22 cuniae se reperturum. Itaque apponit, qui petat Veneri Erycinae illam hereditatem. Non enim quaestor petit (ut est consuetudo) is, qui Erycum montem obtinebat: petit Naevius Turpio quidam, istius excursor

---

militer c. 9 *in cuius testamento quodam loco, si commissum quid esset, multa erat Veneri.* — *causam pecuniae se reperturum]* i. e. causam pecuniae conficiendae. Similiter *vias pecuniae* dici ad Quint. fr. I, 1, 5 notavit Ernestius. Qui tamen in eo erravit, quod Lambinianam in margine repetitae edit. lectionem *calumniae*, quam Graevius probavit, ad Nannii et Lambini coniecturam rettulit. Nam Gruterus non obscure eam libri Metelliani esse lectionem scribit, et extat in Lag. 42 (pr. m.), ut non dubium sit, quin eam Lambinus a Fabricio acceperit. Nannius in suo libro vulgatam *pecuniae* invenit, sed alteram lectionem se dicit probare, cuius notitiam unde acceperit ignoro et admiror. Mihi *calumniae* non eam ob causam displicet, quod Veneri nihil commune sit cum calumnia, sed esse aliquid cum quaestu possit, quod Ernestius dicit, sed quia *causa calumniae* magis interpretem sapere videtur quam *pecuniae*, quod praesertim optimo libro Nannii confirmatur.

§. 22. *petit, qui — obtinebat]* Ernestius Praesenti historico explicandi causa Imperfectum adiungi (cf. ad c. 29) aut ignorans aut oblitus, *petiit* correxit, contra libros et usum Ciceronis, qui si hoc voluisset, certe *petivit* dixisset. — *Erycum montem]* Nomen varie scribitur, edd. vett. *Erycinum montem* habent, Naugerius *Erycum* fecit, quod mansit donec Hotomanus litem denuo movit et ex Asconiano commentario *Erycinum montem* aut ex vulgari usu *Erycem* restituere iussit. Nannius *Erycium* in suo vetere libro esse notavit. Inde diversi Stephanus simpliciter Nann. librum secutus est, Lambinus Hotomanum, Gruterus Aldinam scripturam, Ernestius denuo vetustissimas editiones. Verum nomen est *mons Erycus*, sicut c. 47 ab omnibus editur, et legitur apud Tacitum Annal. IV, 43: nam hoc quidem loco *Erycium* unius libri Nanniani, cui tamen adstipulatur etiam Lag. 42 (pr. m.) vitium potius quam lectio est, reliqui omnes *Erycum* tuentur. Cf. annotationes editorum ad Florum II, 2, 12, ubi cum optimi quique libri item *Eryco detraxit* habeant, nunc tamen editur *Eryce*.

excursor] facete calumniator appellatur, qui a Verre subito immissus, acri nec tamen constanti impetu innocentem hominem perturbaret. Idem homo V, 41 *praecursor* Verris vocatur. Restituta autem haec

et emissarius, homo omnium ex illo conventu quadruplatorum deterrimus, C. Sacerdote praetore condemnatus iniuriarum. Etenim erat eiusmodi causa, ut ipse praetor, cum quaereret calumniatorem, paulo tamen consideratiorem reperire non posset. Hunc hominem Veneri absolvit, sibi condemnat: maluit videlicet homines peccare, quam deos, se potius a Dione, quod non licebat, quam Venerem, quod non debebatur, auferre.

Quid ego hic nunc Sex. Pompeii Chlori testimo- 23
nium recitem, qui causam Dionis egit? qui omnibus

---

scriptura primum est ex meliore aliquo libro a Naugerio, edd. enim priores et mss. vulgares omnes *cursor emissarius* mendose exhibent.

quadruplatorum deterrimus] Hotomanus et Gulielmus dubitaverunt, an scribi hoc loco deberet *taeterrimus*, et legi sic in Pal. sec. annotavit Gruterus, libro nullius auctoritatis. Eadem dubitatio est c. 16, sed utroque loco *deterrimus* unice verum est. Nam *taeter* ad crudelitatem et vim pertinet, *deterrimus* ad locum et ordinem, quem quis obtinet. Ut hic Naevius ne inter calumniatores quidem paulo nobilior erat, et significat Cicero neminem alium eam rem suscepturum fuisse aperte iniustam. Item cap. 16 Verres homo nullius consilii et auctoritatis Rupilio et decem legatis opponitur vocaturque in ea comparatione homo *deterrimus*. Cf. exempla a Drakenborchio ad Livium IV, 3 collecta, imprimis Ciceronis in Epist. lib. IV, 12.

Hunc hominem] Interpretare paulo liberalius talem hominem, cuius tam iusta esset causa, ut ne calumniatores quidem, cum praetor iuberet, quicquam adversus eum invenirent. Ernestius verbum premens et ad Naevium referendum ratus, dubitationem de integritate loci iniecit. Et iam olim Hotomanus coniecerat *Hic hominem*, non pronomen, opinor, sed adverbium intelligens, quamquam aeque male utrumque. Sed quid dicemus de Lallemantio, qui, recepta Hotomani coniectura, facere id sese scribit ex codd. suis editisque pluribus? Illi vero nulli sunt, neque extant nisi in levitate hominis. Si quid emendandum esset, mallem potius *tunc*. Verumtamen, ut dixi, pronomen ad nomen principale referes, in eaque re quid sententia postulet potius quam verborum constructio considerabis. Ac similiter lib. I, 47 §. 123 *is* non ad proximum nomen, sed ad remotius pertinet.

§. 23. *Quid ego hic nunc]* Sic primus tacite Gruterus, priores *nunc hic*, sed nulla diversitas a Gruteriana ex codicibus nostris notatur. *Ergo* Lag. 42 (pr. m.) Post *causam Dionis egit*, non ut vulgo *causam egit Dionis*, meliores nostri omnes.

rebus interfuit? hominis honestissimi, tametsi civis Romanus virtutis causa iamdiu est, tamen omnium Siculorum primi ac nobilissimi. Quid ipsius Q. Caecilii
24 Dionis, hominis probatissimi ac pudentissimi? Quid L. Vecilii Liguris, T. Manilii, L. Caleni? quorum omnium testimoniis de hac Dionis pecunia confirmatum est. Dixit hoc idem M. Lucullus, se de his Dionis incommodis pro hospitio, quod sibi cum eo esset, iam ante cognosse. Quid? Lucullus, qui tum in Macedonia fuit, melius haec cognovit, quam tu, Hortensi, qui Romae fuisti? ad quem Dio confugit? qui de Dionis iniuriis gravissime per litteras cum Verre questus es? Nova tibi haec sunt et inopinata? nunc primum hoc aures tuae crimen accipiunt? nihil ex Dione, nihil ex socru tua, femina primaria, Servilia, vetere Dio-

---

§. 23. *ac pudentissimi]* Non invenio quis hanc lectionem primus protulerit, cum editiones veteres, quibus utor, omnes ante Lambinianam *prudentissimi* habeant, sed Ioach. Camerarius et Hotomanus iam de altera illa scriptura loquantur. Verum recte fecerunt Gruterus et reliqui, quod *pudentissimi* ediderunt, hominemque de plebe suo et digno nomine ornarunt. Pertinet enim haec laus ad infimum genus eorum, qui homines frugi, parci, sobrii sine certa causa vocantur. Et auctores fiunt omnes codices nostri.

§. 24. *L. Vecilii — Manilii]* Vulgo *Vetecilii — Manlii*, sed sequimur et plurimos et optimos libros mss., cum in quibus *Vetecilii* et *Manlii* inveniatur parum constet. *Mons Vecilius* ignotus apud Livium est III, 50, *Vetecilium* neminem adhuc inveni. — *L. Caleni]* *Kaleni* in vetere libro (msto), item in argenteo denario se dicit invenisse Ursinus. Recte: vide Eckhel. doctr. num. T. V p. 220. Nimirum quia veteres nonnulli sequente vocali *a* non *ca* sed *ka* scripserunt. Vide Schneiderum de Elem. L. L. p. 291 sqq. Etiam *Galeni* extat in Paris. A B Lag. 29. Sed idem tamen nomen est, scribendi tantum ratio varia. — *Lucullus, qui tum in Macedonia fuit]* M. Terentius Varro Lucullus est, frater germanus L. Luculli, Consul a. u. 681, ante Chr. 73, quo eodem anno in provinciam profectus est, si verum est, quod ait Cicero, hoc primum Verris facinus in Sicilia fuisse. Vide accuratam Garatonii notam ad h. l. — *haec cognovit]* Lag. 1 et 29 (pr. m.) et Paris. A *hoc.* — *nihil ex Dione, nihil ex socru tua]* Sic e Nanniano codice statim editum est, quasi quod antea fuit *de* non

nis hospita, audisti? Nonne multa mei testes, quae tu scis, nesciunt? nonne te mihi testem in hoc crimine eripuit non istius innocentia, sed legis exceptio? TESTIMONIA M. LUCULLI, CHLORI, DIONIS.

Satisne vobis magnam pecuniam Venerius homo, 9
qui e Chelidonis sinu in provinciam profectus esset,
Veneris nomine quaesisse videtur? Accipite aliam in 25
minore pecunia non minus impudentem calumniam. Sosippus et Epicrates fratres sunt Agyrinenses. Horum pater abhinc duo et xx annos est mortuus: in cuius testamento, quodam loco, si commissum quid esset, multa erat Veneri. Ipso vigesimo anno, cum tot interea

---

et ipsum recte diceretur. Cf. ad libr. III, 57. Nanniano tamen adstipulantur Metell. et Lag. 42, reliqui omnes bis *de*. — *Testimonia* cet.] Excidisse putavit Hotomanus *recita:* et adiecit verbum Lambinus, servaruntque contra institutum suum repetitae editionis curatores. In Metell. cod. una littera R. praemissa esse traditur. Ea re motusne sit Lambinus, an quod Hotomani auctoritatem in omnibus fere sequendam sibi statuerit, ignoro. — *Veneris nomine quaesisse videtur]* Ernestius, quem clausula hexametri offenderet, mutato verborum ordine *videtur quaesisse* maluit. Verum neglexerat pro Rosc. Amer. 11 *Quid ab his tot maleficiis sceleris abesse videtur?* Plura sed alius generis collegit Schellerus Obss. p. 52, nam hoc facile concedimus Ernestio rarissime illam clausulam verbi *videtur* apud Ciceronem inveniri.

§. 25. *Sosippus et Epicrates]* Var. lect. in margine repet. Lambinianae et Metellianus inter variantes lectiones ad calcem edit. Graevianae et Lag. 42 (pr. m.) *Philocrates*. — *duo et XX annos] Duo* nostri codd. omnes et editiones veteres usque ad Hervag. et Victorianam, in quibus *duos* factum est. Illud a Nannio admoniti restituerunt Stephanus et postea Gruterus. — *Ipso vigesimo anno — petita est]* Duplex olim scriptura huius loci videtur fuisse, ea, quam nos expressimus, altera *ipsos XX annos — petita non est*. Et haec quidem obtinuit editiones, usque dum Asconiana lectio *ipso XX anno* animadversa est, eademque scriptura Fabriciani et Metelliani (et omnino omnium meliorum) innotuit. Sed remorata est editores negatio *petita non est*, quam primus sustulit Graevius, et post eum Ernestius. Haec num absit ab aliquo bono libro, statuere non possum. Nam cum Parisini libri ad textum Gruterianum collati sint, Lagomarsiniani ad marginem Graevianae excerpti, ex neutris diversum aliquid enotatum est,

praetores, tot quaestores, tot calumniatores in provincia fuissent, hereditas ab his Veneris nomine petita est. Verres cognoscit: pecuniam per Volcatium accipit, fere HS cccc milia, ab duobus fratribus. Multorum testimonia audistis antea. Vicerunt Agyrinenses fratres ita, ut egentes inanesque discederent.

10 At enim ad Verrem pecunia ista non pervenit.
26 Quae est ista defensio? utrum asseveratur in hoc, an temptatur? mihi enim nova res est. Verres calumniatores apponebat: Verres adesse iubebat: Verres co-

---

ita ut in Paris. A B *non* inventum fuisse, eademque particula ab omnibus Lagom. abesse videatur, quod vix mihi quidem credibile fit. Sed etiamsi haereat in mss. negatio, dubitari tamen nequit quin tolli debeat, quae et alibi importune aut addatur aut omittatur. Vide supra ad lib. I c. 15 §. 39. Debemus enim hoc certe doceri, multam tum quidem petitam esse. Ceterum Lag. 42 *vigesimo* expressis litteris, 29 XX°. Itaque nunc quidem item illud secuti sumus.

Verres cognoscit] Omisimus *causam*, quod vulgo praeponitur, auctoritate libri Metell. et Lag. 42 (pr. m.) quoniam fere absolute verbum cognoscendi in his libris legimus. Iidem libri *fere* HS *XX milia*, sed numerum corruptum esse et facile corrumpi potuisse ex vulg. *CCCC* etiam Lambinus intellexit, qui in repetita editione et ipse *CCCC* retinere, sed delere praepositionem *ad* HS voluit, quae vulgo additur. Qua re quoniam indicat, sic sese in Fabric. invenisse, nos eius iudicium secuti sumus. — *Multorum testimonia]* Plerique omnes libri *testimonium*, etiam boni, nec qui pluralem numerum tueantur, invenio praeter Lag. 42 (pr. m.) 48 et Paris. C. Sed videtur tamen aliter fieri non posse et a Lambino in Fabric. inventum esse, quoniam primum in repet. textu invenitur, cum varia lectione in marg. *al. testimonium.*

§. 26. *Quae est]* Omnes codd. nostri praeter Lag. 42 *Quae ista defensio est?* Iidem cum edit. usque ad Victorium *mihi enim res nova est.* Contra post unus Lag. 42 (pr. m.) a vulg. dissentiens *obtinebant causas* habet. — *asseveratur in hoc]* i. e. ab istis defensoribus, quod idem est ac si dixisset, utrum isti defensores asseverant in hac re. *De aliqua re asseverare* alibi dicitur, non, quantum scio, *in aliqua re*, verum est serio loqui. — *Verres calumniatores apponebat]* Correxit Lamb. in altera edit. e vet. lib. *kalumniatorem*, sed nescias utrum librum Fabric. intellexerit an ab Hotomano edoctus Aquilam Romanum nr. 34 ita laudantem: *Verres calumniatorem apponebat: Verres de causa cognoscebat: Verres pronunciabat.* Addidit

gnoscebat: Verres iudicabat: pecuniae maximae dabantur: qui dabant, causas obtinebant: tu mihi ita defendas, non est ista Verri numerata pecunia. Adiuvo te: mei quoque testes idem dicunt: Volcatio dicunt sese dedisse. Quae vis erat in Volcatio tanta, ut HS cccc milia a duobus hominibus auferret? Ecquis Volcatio, si sua sponte venisset, unam libellam dedisset? Veniat nunc: experiatur: tecto recipiet nemo. At ego amplius dico: HS quadringenties cepisse te arguo contra leges: nego tibi ipsi ullum nummum esse numeratum: sed cum ob tua decreta, ob edicta, ob im-

---

is ex memoria, ut videtur, *de causa*, substituit etiam pro eo, quod Ernestio interpretationem desiderare videbatur, *Verres iudicabat* aliud, quod magis ad praetoris personam conveniret *pronunciabat*. Sane invidiosius *iudicandi* verbo usus est orator, sed significare volebat, Verrem iudicibus sententia sua praeivisse, quid iudicarent. Neque *calumniatores* plurali numero reprehendo, quamvis unus tantum fuerit: dicitur enim augendi causa. — *in Volcatio]* pro dativo *Volcatio* editum est primum ex codice Nanniano: nunc accedunt reliqui omnes, sed omnes tamen praeter Lag. 42 *Vulcatium* appellant.

a duobus hominibus auferret] Nannius in suo cod. esse scribit *nominibus*, num omissa praepositione, non addit. Lambinus certe, ut debebat, sine ea edidit. Sane praepositio ab omnibus nostris abest, etiam *nominibus* Lag. 29. 42 (pr. m.) Paris. B. Sed dubium esse non potest quin hic librariorum error sit: unde enim docebitur, illam pecuniam duobus nominibus datam et in tabulis relatam esse? Longe verisimilius, duos fratres cum in eadem causa essent, pecuniam contulisse ac de communi dedisse. — *Ecquis Volcatio]* Sic scribendum, quamvis in vett. libris, praeter Asconianum (sed Aldina quidem edit. *quae vis Volcatio) et quis* solito errore sit. Nescio quam vim rariorem Hotomanus in coniunctione invenerit: mihi languere videtur et ab interrogandi ratione aliena esse. *Ecquis* etiam P. Manutius et Lambinus.

HS *quadringenties cepisse te arguo]* Sic curis secundis Lambinus pro vulgato *accepisse* scribere voluit e cod. vet. (Fabric.), sed sequentium editorum nemo animum advertit. Fabriciano accedit nunc Lag. 42 (pr. m.). Quid igitur? utrum Ciceronis esse putabimus? Mihi quidem *cepisse* verum videtur, nam contra leges nemo *accipit*, sed *aufert* vel *capit*, et arguitur aliquis pecuniarum non acceptarum sed captarum. Ceterum ambo codd. CCCC, sed Lag. cum lineola infra ducta.

peria, ob iudicia pecuniae dabantur, non erat quaerendum, cuius manu numerarentur, sed cuius iniuria co-
27 gerentur. Comites illi tui delecti manus erant tuae: praefecti, scribae, medici, accensi, haruspices, praecones manus erant tuae: ut quisque te maxime cogna-

---

§. 26. *ob edicta, ob imperia, ob iudicia]* Sic rursus trias codicum praestantissimorum, Fabric. (apud Lamb. in marg. repet.) Metell. Lag. 42 (pr. m.) Vulgo *ob edicta* abest, et pro *imperiis imperata*, pro *iudiciis iudicata* leguntur, nisi quod iam in Venet. 1499 *ob edicta* comparet. *Edicta* quidem huius loci ut quae maxime esse nemo negabit, ex quibus quantum quaestum Romae Verres ceperit intelleximus. *Imperia* autem dici pro rebus imperatis singulare videatur, sed rationi consentaneum est.

non erat quaerendum, cuius manu numerarentur] Potes subintelligere *tibi*, sed cum hoc difficile sit, tum ex eo, quod opponitur *sed cuius iniuria cogerentur*, apparet intelligendum esse eum, qui istas pecunias ab eo, qui daret, reciperet et exigeret. Neque enim agitur de persona dantis, sed accipientis. Verterim igitur Germanice „zu wessen Handen es bezahlt wurde," nisi quod nos hac locutione eum potius intelligimus, ad quem pecunia perveniat, non qui in aliquo negotio internuntii personam agat. Item paulo post *non modo tibi datum, sed tua manu numeratum iudicari necesse est*, Ablativus est pro *in tuam manum*. Sentio hoc aliquid insoliti habere, sed locutio videtur fuisse usu argentariorum recepta. Garatonius quidem negat ferri posse, et utroque loco *in* praepositionem addi iubet, altero loco etiam auctoritate Asconii utitur. Sed ea auctoritas vix ulla est. Nam Asconius ipse non interpretatur, et quod eius notulae praescribitur *sed in tua manu numeratum*, cum praepositio non sit in edit. Aldina, receptum videtur ex Verrinarum editione P. Manutii anni 1559. Aliam difficultatis explicandae rationem iniit Beckius, qui *numerare pecuniam* etiam illius esse diceret, qui repraesentatam pecuniam exigeret et exploraret. Facile hoc videtur: sed *numerare* semel is dicitur qui dat, quocirca de accipiente non potest intelligi, quin sermonis usus turbetur. Praeterea num Verres pecuniam domi suae vel decies numerarit, ad rem non pertinet, sed num a litigatore data sit ipsi. Hoc Cicero concesserat non factum esse, sed quia uni ex proximis illius data sit, eam ob causam dicit proinde esse ac si ab litigatore ipsius manu numerata sit.

§. 27. *manus erant tuae]* Hoc ordine verba collocantur in codicibus mss. fere omnibus et in edd. vett. usque ad Gruterum, cuius typographi, opinor, fecerunt *erant manus tuae*, qua re concinnitas repetitionis tollitur. In Lag. 42 (pr. m.) *accensi* praeponuntur *medicis*.

tione, affinitate, necessitudine aliqua attingebat, ita maxime manus tua putabatur: cohors tota tua illa, quae plus mali Siciliae dedit, quam si centum cohortes fugitivorum fuissent, tua manus sine controversia fuit. Quicquid ab horum quopiam captum est, id non modo tibi datum, sed tua manu numeratum iudicari necesse est. Nam, si hanc defensionem probabitis, *Non accepit ipse*, licet omnia de pecuniis repetundis iudicia tollatis: nemo unquam reus tam nocens adducetur, qui ista defensione non possit uti: etenim cum Verres utatur quis erit unquam posthac reus tam perditus, qui non ad Q. Mucii innocentiam referatur, si

---

§. 27. *ut quisque te maxime cognatione, affinitate, necessitudine aliqua attingebat]* Locus in edd. vett. et codd. varie corruptus et decurtatus. Nam edd. principes et codd. vulgares (Oxon. Huyd. Lag. 5. 14. 27. Paris. C) prima verba sex omittunt, nec habent nisi tria extrema *necessi aliqua attingebat.* In Aldina primum illa accesserunt *quo quisque te maxime cognatione, affinitate*, e cod. vetere, nam sic invenitur in Paris. A B Lag. 29 et aliquot deterioribus. Car. denique Stephanus *ut quisque* edere coepit, quod cum ceteri recepissent, nemo tamen indicavit, utrum ex aliquo libro Ciceroniano an ex laudatione Aquilae Romani nr. 18 mutila illa quidem, sed tamen perspicua, ductum esset. Quamquam sufficere potuit, necessariam esse correctionem, cum sequeretur *ita maxime.* Sed eam quoque dubitationem tollit nunc Lag. 42, qui simul Fabricianum et Metellianum secum trahit. — *cohors tota tua illa]* Sic Paris. B Lag. 29: in Paris. A *tua tota illa*, Lag. 42 (pr. m.) *tua* omittit. Vulgo *cohors tota illa tua.* — *quam si centum cohortes fugitivorum fuissent]* Verte „als wenn es hundert Cohorten flüchtiger Sclaven gewesen wären," ne quis deesse aliquid cum Ernestio putet.

nemo unquam reus tam nocens] Vulgo *tam reus, tam nocens.* Sed *tam reus* dici pro tam multis criminibus reus nemo probaverit. Itaque Fulvius Ursinus olim e libro suo vet. prius *tam* delendum censuit, et idem statuit Hotomanus ediditque Lambinus, ut illi voluerant. Auctoritatem igitur novae scripturae debilem esse vides, nam Francianus liber, quem Graevius laudavit, vix momentum facit. At nunc addo Paris. A B, haud paulo meliores auctores. Miror tamen in Lagomarsinianis omnibus, quantum intelligo, *tam* servari, alterum autem ante *nocens* a libro 29 omitti. Singulare prorsus, quod Lag. 42 (pr. m.) exhibere notatur: *nemo tam convictus, tam nocens.*

cum isto conferatur? Neque nunc tam mihi isti Verrem defendere videntur, quam in Verre defensionis tem-
28 ptare rationem. Qua de re, iudices, magnopere vobis providendum est. Pertinet hoc ad summam rem publicam, et ad existimationem ordinis nostri, salutemque sociorum. Si enim innocentes existimari volumus, non solum nos abstinentes, sed etiam comites

---

§. 28. *magnopere vobis]* Sic omnes boni, vulgo *vobis magn.*

ad summam rem publicam et ad existimationem ordinis nostri] Hanc ultimam vocem Lambinus in altera edit. recipere volebat et Gulielmus in Metelliano invenerat, unde facilis coniectura, Lambinum in ea re schedas Fabric. secutum esse. Confirmat iam Lag. 42 (pr. m.) Sed aliud praeterea Lambinus correxit, quod insequentes editores fugit: *ad summam remp.* (in priore edit. *rem)* pro vulg. *ad summam reip.* etiam hac in re Lagom. 29 et 42 testimoniis adiutus. Atque *summa resp.* sive *res publica* quin ab optimis quibusque Linguae Latinae auctoribus dici soleat, dubitare nemo iam potest, qui accuratissime ea de re exponentem I. Fr. Gronovium ad Livium lib. XXVI, 10 et XXXVIII, 50 legerit. Ipsius Ciceronis haec sunt: ad Att. lib. I, 16 *rogatus ego sententiam multa dixi de summa re publica;* p. Plancio c. 27 *ut etiam summa res publica mihi domi fuerit gerenda et urbs in urbe servanda;* in Anton. III, 15 *sententiaeque de summa re publica libere dici possint.* Et Gronovius quidem divisis vocibus *res publica* in hac verborum iunctura scribendum contendit, quoniam Cato dixerit *agere tantam rem publicam*, Livius *ullam rem publicam*, et *nihil rei publicae.* Sed de hac re lege nunc Heinrichium ad principium Ciceronis librorum de re publica accuratissime exponentem, cum sit lib. I de Off. 44 *rebus suis publicis*, et opponatur in Epist. IV, 9 *rei publicae* res *privata*, eademque *res communis* appelletur Epist. VII, 28 et saepius *res* simpliciter appelletur, verborumque ordo a poetis convertatur, apparere apud antiquiores duo verba fuisse, quae postea vulgo pro uno habita sint accentu contracta. Est igitur Germ. die höchste Staatsangelegenheit, eine so wichtige Staatsangelegenheit cet. Quid igitur? nunquamne hi probatae Latinitatis auctores *summam reip.* dixerunt? Nunquam sane, quantum existimo, suntque illi loci, ubi forte adhuc relictum est, e melioribus libris corrigendi, v. c. hui. orat. c. 61 §. 149. pro Sulla c. 24 §. 67. Plancus quidem in Epist. lib. X, 21 *illud certe cavi*, scribit, *et cavebo*, *ne mea credulitate reip. summa fallatur*, sed mutato verborum ordine ipsam rem mutari vides. Restat ut de variantibus scripturis hoc addamus a Lag. 42 (pr. m.) abesse praeposit. *ab* repetitam. — *comites nostros]* Sic soni causa ex uno Lag. 42 (pr. m.) recipere non dubitavi, pro vulg. *nostros comites.*

nostros praestare debemus. Primum omnium opera 11
danda est, ut eos nobiscum educamus, qui nostrae famae capitique consulant: deinde, si in hominibus eligendis nos spes amicitiae fefellerit, ut vindicemus, missos faciamus, semper ita vivamus, ut rationem reddendam nobis arbitremur. Africani est hoc, hominis liberalissimi: (verumtamen ea liberalitas est probanda, quae sine periculo existimationis est, ut in illo fuit:)
cum ab eo quidam vetus assectator ex numero ami- 29
corum non impetraret, uti se praefectum in Africam duceret, et id ferret moleste: *Noli*, inquit, *mirari, si*

---

§. 28. *Primum omnium]* Abest *omnium* a Lag. 42 (pr. m.) *opera danda est, ut eos nobiscum educamus]* Veteres editiones *opera tanta danda est — ducamus*. Illam vocem Hotom. eiici iussit, non inepte iudicans, auribus eam calamo dictata verba excipientis deberi: neque enim quicquam habet, quo referatur. Iudicium eius secuti sunt Lambinus et Gruterus, etiam mss. auctoritate adiuti, et me dubitare non patiuntur Lag. 42. 6. 48. Paris. B. Alteram, compositam pro simplici, praebuit codex Nannii, ac fortasse etiam Fabricianus, nam Lambinus cum in priore edit. Nanniani auctoritate non esset usus, in altera acceptis Fabricii schedis emendatiore sic scribi volebat. Accedit nunc Lag. 42 (pr. m.). Est hoc verbum in ea re proprium: in Catil. I, 4 *delegisti quos Romae relinqueres, quos tecum educeres;* fragm. Orat. pro P. Oppio apud Quintil. V, 10, 76 *quos educere invitos in provinciam non potuit*. — *ea liberalitas]* Lag. 42 (pr. m.) *sodalitas*, et Lag. 29 *est ea liber.* alio ordine verborum.

§. 29. *assectator ex num. amic.]* Ex Nanniano codice in textum repetitae Lambinianae et ex eo in Gruterianam venerat *et ex*. Etiam in Lag. 42 (pr. m.) inventum est, sed ceteri libri nostri omnes ignorant. Vitiosam eam scripturam existimo, recteque fecisse Ernestium, quod coniunctionem denuo eiecit. Turbat enim concinnitatem et discrimen inducit, quod nullum est. Homo quod urbanis deducendi et salutandi officiis strenue fungebatur, in numero amicorum habebatur vel semet ipse potius habebat. Nam Ernestius sine dubio amicum nostro, non vetere dicendi usu aestimavit, cum scribebat non credibile esse, hominem tam nihili in numero amicorum Africani fuisse; itaque delendum sibi totum hoc additamentum videri. Non erat ille quidem amicus Africani, sed in numero amicorum erat quicunque ingenue natus esse volebat. — *uti se praefectum* cet.] *uti* pro olim vulgato *ut* ex margine repet. Lamb. recepit Gruterus, et est in Paris. B Lag. 42.

tu a me hoc non impetras: ego iam pridem ab eo, cui meam existimationem caram fore arbitror, peto, ut mecum praefectus proficiscatur, et adhuc impetrare non possum. Etenim re vera multo magis est petendum ab hominibus, si salvi et honesti esse volumus, ut eant nobiscum in provinciam, quam hoc illis in beneficii loco deferendum. Sed tu, cum et tuos amicos in provinciam, quasi in praedam, invitabas, et cum his, ac per eos praedabare, et eos in contione anulis aureis donabas, non statuebas, tibi non solum de tuis, sed etiam de illorum factis rationem esse reddendam?

30 Cum hos sibi quaestus constituisset, magnos atque uberes, ex his causis, quas ipse instituerat cum consilio, hoc est, cum sua cohorte, cognoscere: tum illud infinitum genus invenerat ad innumerabilem pe-

---

§. 29. *si salvi et honesti esse volumus]* Addidit verba *et honesti* Lambinus e Nann. item Gruterus ex Metelliano. Absunt a nostris omnibus praeter Lag. 42. — *et cum his] Et* primus dedit Lambinus cum quattuor melioribus nostris. Ceteri et olim vulgati *ac.* Sed tum vulgo *cum illis*, ego parui hac in re vel uni Lag. 42 (pr. m.), quoniam sequitur *eos*, quod, si *cum illis* antea verum esset, debebat *illos. His* autem est quod, vulgo dicunt *iis*, nihil aliud. — *de tuis]* Sic scribere voluit in altera editione Lamb. ex Fabriciano nimirum, quod docet Lag. 42 (pr. m.). Alioquin vulgarem scripturam *de te* defendere possemus, hominem ipsum pro re appellari docentes. Verum aptius esse alterum nemo negabit.

§. 30. *Cum hos — tum illud* cet.] Transitus fit ad aliud genus causarum et alium quaestum praetoris. Adhuc causae fuerant civiles illae quidem, sed publicae eatenus quod nomine Veneris Erycinae, cuius legitimus quasi tutor praetor Rom. erat, petebatur; iam de Siculorum ipsorum inter se causis dicitur, in quibus Verres tantum iudices dabat, sed perturbandis ea de re institutis et iudicibus suae animadversionis metu terrendis maiorem etiam praedandi facultatem inveniebat. Et constructionem quidem verborum, *cum* Coniunctivo iunctum sequente *tum* cum Indicativo, Ernestius declaravit, olim ignoratam a Nannio, et nuper etiam callidius quam prudentius impugnatam ab Heindorfio ad Cic. de nat. deor. I, 1. Vide supra c. 2 §. 4 et, si tanti est, nos in Gramm. Lat. §. 339. Sed locus nondum recte ab Ernestio editus est. Primum *in consilio*

cuniam corripiendam. Dubium nemini est, quin omnes 12
omnium pecuniae positae sint in eorum potestate, qui
iudicia dant, et eorum, qui iudicant: quin nemo vestrum possit aedes suas, nemo bona patria obtinere, si, cum haec a quopiam vestrum petita sint, praetor improbus, cui nemo intercedere possit, det quem velit iudicem, iudex nequam et levis, quod praetor iusserit, iudicet. Si vero illud quoque accedet, ut in ea 31

---

cognoscere iam Hotomanus ostendit Latine non dici: debere *cum consilio.* Itaque sic edidit Lambinus et confirmant boni nostri omnes. Nam quod in Nanniano libro est *cum in consilio* ex utraque scriptura coniunctum est, uti saepe fit. Porro ex iisdem quattuor melioribus nostris addi debet *illud* post *tum*, quo recepto demum patet oppositio: *cum hos — tum illud.* Pertinet autem pronomen ad ea quae sequuntur. Sed quod Lambinus ausus est verba *constituere* et *instituere* permutare, et edere: *cum hos sibi quaestus instituisset — ex his causis, quas ipse constituerat* cet. neque probo neque ab ipso Lambino postea probatum videtur, quoniam in repet. edit. margine „*fortasse* sic scribendum" notatum est. Miror tamen in Lag. 42 (a. m.) saltem alterum *constituerat* esse, ut Lambinus omnino vestigia cuiusdam libri scripti secutus videatur. — *pecuniam corripiendam]* In margine repet. Lambinianae „fort. *corradendam.*" Non meminerat loci Act. I c. 2 *Nam ut apertus in corripiendis pecuniis fuit*, cet.

nemo vestrum] Vulgo *nostrum* contra libros mss. quibus utor omnes, praeter Lag. 42. Sed ille liber, quamvis nobis necessarius sit ut coniecturas editorum a librorum lectionibus discernamus, tamen tot erroribus refertus est, ut in eiusmodi re solus audiri nequeat. Sequitur *vestrum*, neque tamen personarum diversitas est. — *cum haec a quopiam vestrum petita sint] Sint* primum, quod ego intelligere potuerim, legitur in repet. Lamb. in textu, cum in marg. sit: „*al. sunt*," inter quos etiam ipse Lamb. priore edit. Incerta adhuc auctoritas nunc quattuor nostris melioribus et uno et altero deteriorum suppletur.

cui nemo intercedere possit] Interdicere edd. princ. sed cito verum restitutum est, ut in Ascens. et Hervagiana 1534 et Gryph. 1539. Sed Itali corruptam lectionem retinuerunt, Naugerius, Victor. et P. Manutius. Itaque denuo Hotomanus ex Asconio reponi iussit, et firmat cum Nannii codice Lag. 42 et Paris. B, ut omnis in posterum dubitatio exempta sit.

§. 31. *accedet]* Sic iam olim emendatum est in Hervagiana, aliis. Codices tamen *accidit* vel *accidet*, Lag. 42 (pr. m.) *decedit*, unus Paris. A *accedet.* Codex Ursini et Iannoctianus apud Garat. *Quid*

verba praetor iudicium det, ut vel L. Octavius Balbus iudex, homo et iuris et officii peritissimus, non possit aliter iudicare; si iudicium sit eiusmodi: *L. Octavius iudex esto: si paret, fundum Capenatem, quo de agitur, ex iure Quiritium P. Servilii esse, neque*

---

vero, si, quod probat Garatonius, neque contemno, sed videtur tamen emendatricem manum prodere, quo constructio verborum interrupta nunc quidem simplicior fieret. Neque enim quae sequuntur „*non necesse erit*" cet. huic protasi respondent, sed cum ad alteram propiorem pertineant, ad priorem tale quid explendae orationis causa cogitamus, ut *nihil non ex praetoris voluntate fiet*. — *ut vel L. Octavius Balbus iudex]* Gruterus tacitus nomen huius religiosi iudicis (cf. or. p. Cluent. c. 38 ubi *P.* vocatur) praenomine L. auctum edidit. Neque id fecit sine iusta causa, non tantum quod apud Asconium extat, sed quod in libro Metell. videtur fuisse, cuius rei fidem facit Lag. 42 (pr. m.). Observat etiam hoc perite Garatonius, eos, qui honoris causa nominentur, non fere sine praenomine suo appellari. Vocem *iudex* non ego prorsus supervacuam putarim, est enim pro *si iudex fuerit*.

si iudicium sit eiusmodi] Verborum duorum priorum *si iudicium* adhuc incerta prorsus auctoritas fuit, quoniam primum comparent in textu repet. Lamb., unde Gruterus, nimirum qui illum textum constantem veterum editionum scripturam putaret, tacitus recepit. Itaque Graevius rursus eiecit, Ernestius etiam reliqua duo verba proscripsit. Sed hoc est vim afferre veteri scriptori, neque tamen rem conficit, hiante apodosi nec coeunte cum principio. Verum illa verba *si iudicium* ab iis, qui Lambinianae editioni repetendae praeerant, ex schedis Fabricianis ducta videntur, et servata a Grutero, quod eadem in Metelliano invenerat. Extant enim in quattuor melioribus nostris. Editiones autem veteres usque ad Aldinam *sic eiusmodi*, ut Lagom. 5. 6. Naugerius secundum plurimos dedit *sit eiusmodi*, Lambinus *in eiusmodi*, postea tamen voluit (in marg. repet.) *si in eiusmodi*, ut intelligeretur *si in eiusmodi verba iudicium det*. Sed iam nulla ellipsi opus erit.

si paret] Sic Lambinus primus e libris mstis (nostris quidem plurimis) et olim impressis. Media editorum classis *si apparet* correxerat. Lambinianam lectionem repetitores contra institutum suum in textum receperant, inde videtur facile ad ceteras editt. fluxisse. Paris. A *pareret*. Verba *quo de agitur* absunt a Lag. 42 (pr. m.)

ex iure Quiritium P. Servilii esse] Hotom. rectissime censuerat emendandum, ex eo quod fuerat *ex iure eum P. S. esse*, cum hoc ipsum a mediae aetatis editoribus factum esset e lectione edd. princ. *aequum*, sicut in codd. plerisque legitur, etiam nostris praeter Lag. 42 et Paris. B in quo a prima manu *qua pr servili*. Hotomanum omnes secuti sunt,

is fundus Q. Catulo restituetur: non necesse erit L. Octavio iudici cogere P. Servilium Q. Catulo fundum restituere, aut condemnare eum, quem non oporteat? Eiusdemmodi totum ius praetorium, eiusdemmodi omnis res iudiciaria fuit in Sicilia per triennium, Verre praetore. Decreta eiusmodi: *si non accipit, quod te debere dicis, accuses; si petit, ducas.* C. Fuficium duci iussit petitorem, L. Suetium, L. Racilium. Iudicia huiusmodi: qui cives Romani erant, si Siculi essent, cum Siculos eorum legibus dari oporteret; qui

---

postquam in cod. Nanniano *ex iure Quiritium eum P. S. e.* inventum est. Praenomen *P.* intercidit in Lag. 29 Paris. A.

quem non oporteat] Nimirum e formula praetoris, in qua de Servilio condemnando scriptum est, non de Catulo. Iudex igitur aut Servilio iniuste fundum adimet, aut contra formulam praetoris, quem non debet, condemnabit. Hotomanus de eodem homine intellexit, ideoque scribi voluit *et condemnare*, quod miror Lambinum recepisse. Tantopere Hotomanianae eruditioni deditus erat. — *eiusdemmodi]* Unus Lag. 42 (pr. m.) *eiusmodi*, et repetitum omittit. — *si petit ducas]* Edd. princ. et codd. *si patitur*, inde factum est *si petitur*, quod nihil est. Primus P. Manutius in ed. 1540 *si petit* emendavit rectissime, itaque Lambinus recepit et nuper Ernestius. Singulare exemplum terminationis passivae falso appictae. In rem contrariam cf. ad V, 12 init.

C. Fuficium] Libri mss. et olim editi magnopere discrepant in hoc nomine. Lag. 42 (pr. m.) *Suffitium*, Paris. A *Sufficium*, Lag. 6 *Susticium*, 27 *Fusium*, 29 *Fuscium*, reliqui cum edd. vett. *Fusicium*. Lambinus priore edit. *Fufidium* fecit, in textu repet. *Fuficius* primum comparet nec ego mutabo. Post *Racilium* Lag. 42 (pr. m.) appellat *Accilium*, 27 *Cacilium*, 6 *Bacilium*. — *cum Siculos eorum legibus dari oporteret]* Explicari hunc locum a Donato ad Terent. Phorm. II, 1, 36 notavit Hotomanus, inde Lambinus horum verborum emendationem duxit. Legitur enim vulgo *tum si eorum legibus dare oporteret*, quod ita explicant ut subintelligant *iudicia*, nec tamen explanant. Verum Donatus laudat *tum Siculos — dari.* Et *dari* quidem etiam apud Asconium et in codd. multis editionibusque veteribus legitur. Ingenio Lambinus indulsit, quod in fine oppositionis causa *cum cives Rom. dari oporteret* adiecit. Ceterum difficiliorem faciunt locum si qui haec verba tamquam edicti maioribus litteris describunt. Frustra monuit Hotom. et nuper Garatonius. Nam Ciceronis sunt et cum antecedentibus accurate coniungenda: *iudicia huiusmodi* (subint. *fuerunt* e prioribus): *Cives Romani* (intellige *iudices erant* e voce *iudicia*)

32 Siculi, si cives Romani essent. Verum, ut totum genus amplectamini iudiciorum, prius iura Siculorum deinde
13 istius instituta cognoscite. Siculi hoc iure sunt, ut, quod civis cum cive agat, domi certet suis legibus; quod Siculus cum Siculo non eiusdem civitatis, ut de eo praetor iudices ex P. Rupilii decreto, quod is de decem legatorum sententia statuit, quam illi legem Rupiliam vocant, sortiatur. Quod privatus a populo petit, aut populus a privato: senatus ex aliqua civitate, qui iudicet, datur, cum alternae civitates reiectae sunt. Quod civis Romanus a Siculo petit, Siculus iudex datur; quod Siculus a civi Romano, civis Romanus datur: ceterarum rerum selecti iudices ex civium Romanorum conventu proponi solent. In-

---

si Siculi essent, id est quorum causa ageretur, a quibus peteretur, et sic porro.

§. 32. *amplectamini]* Gruterus primus *complectamini*, nec annotavit, ut videatur vitium esse editionis. Libri enim veteres omnes *amplectamini*, raro consensu, et videtur *amplecti* hoc loco non esse pro comprehendere, qua significatione sine dubio *complecti* usitatius esset, sed animo persequi et attendere.

quam illi legem] Olim editi et codd. vulgares *quam legem Siculi*, Lag. 29 Paris. A B *quam Siculi legem*, Lag. 42 et Lamb. in marg. rep. (i. e. Fabricianus) *quam illi legem*. Hoc idem videtur Gruterus ex Metelliano enotatum invenisse et edere voluisse, sed pro negligentia sua fecit *quam legem illi*. — *quod Siculus a civi Rom.]* *Civi* et h. l. et paulo post *quod civis cum civi ageret* legit Priscianus lib. VII p. 766 edit. Putsch. c. 13 ed. Krehl. atque addit *sic veteres codices habent*, *quos imperitia quorundam corrupit*, *mutantium scripturas*. Et confirmant ex Ciceronianis libris priore loco Nannianus cum Lag. 42 (pr. m.), altero solus Lagomarsinianus. Itaque etiam initio huius capitis *quod civis cum civi agat* Lambinus et Gruterus ediderunt. Graevius duobus locis illis *civi* scripsit, hoc, quo tutissimum est, retinuit *cive*. Ernestius a vulgari forma non recessit.

ex civium Rom. conventu] Hanc omnium librorum lectionem accurate Garatonius defendit adversus I. Fr. Gronovium Obss. lib. III, c. 22 verba ita transponentem, ut esset *selecti iudices civium Rom. ex conventu*. Nam ille in hac verborum constructione *conventum* ipsum locum, ubi ius redderetur, dici contendit, non cogitans, quam parum e Ciceronis usu dicerentur *iudices civium Romanorum* pro eo quod de-

ter aratores et decumanos lege frumentaria, quam Hieronicam appellant, iudicia fiunt. Haec omnia isto prae- 33
tore non modo perturbata, sed plane et Siculis et civibus Romanis erepta sunt; primum suae leges: quod civis cum civi ageret, aut eum iudicem, quem commodum erat, praeconem, haruspicem, medicum suum dabat; aut, si legibus erat iudicium constitutum, et ad civem suum iudicem venerant, libere civi iudicare non licebat. Edictum enim hominis cognoscite, quo edicto omnia iudicia redegerat in suam potestatem: *Si qui perperam iudicasset, se cogniturum: cum cognosset, animadversurum.* Idque cum faciebat, nemo dubitabat, quin, cum iudex alium de suo iudicio putaret iudicaturum, seque in eo capitis periculum aditurum, voluntatem spectaret eius, quem statim de capite suo

---

beret esse *cives Romani.* At conventum *civium Rom.* etiam V, 36 legi Garaton. ostendit, et omnino hominum esse in aliquem locum congregatorum, cum provincialium, tum civium Romanorum: opponi etiam h. l. conventum Siculorum ex civitatibus, quae ad id forum pertinerent, et Romanorum ex illa urbe et fortasse etiam ex aliis vicinis. Miror Ernestium, cum in clave hunc locum comparato illo ex libro V illustrasset, in textu Gronovianam traiectionem recepisse nec tamen quibus causis motus id fecerit adiecisse.

§. 33. *primum suae leges]* Nescio quid Nannius h. l. depravati invenerit, nam omnia sana sunt. Siculis leges suae ereptae sunt: quis aliter dixerit? Et quod in cod. vet. *sciae* esse dicit, non moror. Post paulo *quod civis cum civi ageret aut eum iudicem dabat*, brevius dictum est pro: quod ad eas causas attinebat, ubi civis cum cive litem haberet; nec opus Hotom. coniectura, ut post *ageret* gravius interpungatur et pro *cum* scribatur *enim*, quem Lamb. quidem secutus est.

Si qui perperam iudicasset] Si qui pro olim vulg. *si quis* e cod. Nanniano est, et quattuor nostris melioribus. Sed quod Graevius vetustae orationis causa corrigere volebat *iudicassit*, huic loco non convenit, propter id quod antecedit *redegerat.* Neque enim *edicit* subintelligere potes, quo pacto *iudicaverit* recte se haberet.

nemo dubitabat, quin, cum — putaret — spectaret — putaret] Haec scriptura adhuc coniectura sola niti videbatur Lambini (nam illius esse nemo dubitabat, etsi a repetitoribus contra institutam rationem suam in textum recepta esset) probata deinde et illustrata ab Ernestio. Nam

34 putaret iudicaturum. Selecti e conventu, aut propositi ex negotiatoribus iudices nulli: haec copia, quam

---

olim legebatur *nemo dubitabat*, *quin*, *cum* — *putet*, *spectet*, *putet*, neque aliter codices mss., quod cum peccare adversus leges sermonis videretur, de sententia Hotomani Lambinus pr. edit. et Graevius correxerant *dubitat*. Sed praesens tempus ei quod praecessit *cum faciebat* repugnat, porro ea ratio, quam iniit Garatonius, ut sententiam generalem esse diceret, de qua aliquando dubitatum esset, sed desisse homines dubitare, cum Verrem facere viderent, quae minatus esset, multis modis implicata est. Nunc autem quicquid dubitationis in hoc loco fuit, sublatum est, quod ex manifesta scriptura Lag. 42 apparet, emendationem illam Lambini codicis Fabriciani fide, quam nemo in dubium vocare audebit, niti.

§. 34. *Selecti e conventu aut propositi ex negotiatoribus iudices nulli] E conventu*, (unus Lag. 42 *ex conv.)* intelligo Siculorum civitatum, non civium Rom. ut plerique omnes, non solum eis quae opponuntur motus, sed etiam cogente, ut opinor, totius huius criminis ratione. Nam orator, cum initio, qui legibus iudicare deberent, ostendisset, nimirum cives et suarum quique civitatum et lege Rupilia sortiti ex aliis civitatibus, aut senatus, aut selecti iudices et Siculorum et civium Romanorum in causis privatis inter Siculos Romanosque, aut denique iterum cives Rom. in ceteris causis, id est praecipue capitalibus: his igitur expositis, addit quae Verres fecerit, eripuisse *primum* Siculis *suas* leges, hoc pertinet ad primam classem causarum inter Siculos unius civitatis, de sortitionibus ex lege Rupilia paulo post dicit, item de senatibus libere iudicare prohibitis. Superest ut de causis quasi mixtis civium Rom. et Siculorum dicat, in quibus selectos iudices aut e Siculis, petente Romano, aut e civibus Romanis, petente Siculo, dari necesse erat. Itaque nisi hoc loco *selecti e conventu* Siculi intelligantur, unius classis non minimae altera pars litigantium Siculorum cum civibus Rom. omittetur, quod fieri nequit. *Conventus* autem omnino vox generalis est, ut nemo negat, et cum dixerit ante *conventum civium Romanorum*, quis dubitet quin *Siculorum conventum* dicere potuerit, ubi ex oppositis negotiatoribus Romanis quorum hominum conventus sit, possit facile intelligi. Legi quidem et expendi Garatonii notam, quo ego viro fere neminem de interpretatione oratoris melius meruisse puto, sed quod discrimen dicit esse inter negotiatores alterumque conventum (Rom. nimirum), ut diversi a negotiatoribus existimentur aratores et pecuarii, hos Cicero non dubito quin universo nomine negotiatorum comprehenderit: nam certe hi cives Romani in agris ipsi non sic versabantur ut rustici et pastores, et si qui ex hoc genere cives Rom. erant, a dignitate selectorum iudicum alienissimi erant.

dico, iudicum, cohors, non Q. Scaevolae, qui tamen de cohorte sua dare non solebat, sed C. Verris. Cuiusmodi cohortem putatis hoc principe fuisse? Sicuti videtis edictum: *si quid perperam iudicarit senatus.* Eum quoque ostendam, si quando sit datus, coactu istius, quod non senserit, iudicasse. Ex lege Rupilia sortitio nulla, nisi cum nihil intererat istius. Lege Hieronica iudicia plurimarum controversiarum sublata uno nomine omnia: de conventu ac negotiatoribus nulli iudices. Quantam potestatem habuerit, videtis: quas res gesserit, cognoscite.

Heraclius est Hieronis filius, Syracusanus, homo 14
in primis domi suae nobilis, et ante hunc praetorem 35
vel pecuniosissimus Syracusanorum: nunc nulla alia calamitate, nisi istius avaritia atque iniuria, pauperrimus.

---

§. 34. *Sicuti videtis edictum: si quid* cet.] Locum obscurum esse non immerito Hotom. questus est, neque ceteri expediverunt. Nisi quid deest, sic rem explanarim: talis illa fuit cohors, sicuti edicto Verris cognoscere potestis, quo quidem edicto, si quid senatus aliquis contra suam voluntatem iudicarit, se cum consilio i. e. cum cohorte sua cogniturum dicit, eaque re aperte indicat, neutiquam se dubitare, cohortem suam quicquid ipse voluerit esse iudicaturam. Corrigendi ratio, quam Ernestius ingreditur, ut post *videtis* interpungatur, et vox *edictum* tamquam glossatoris eiiciatur, et incerta est, et locum male lacerat.

de conventu ac negotiatoribus nulli iudices] Qui iudices in his causis decumanis esse debuerint, ignoramus. Ex hoc loco fuisse simul e Siculis et civibus Rom. puto, nisi *conventum ac negotiatores ἓν διὰ δυοῖν* esse volumus. — *gesserit]* Sic primus Naugerius: edd. priores et codd. vulgares *gessit.*

§. 35. *Heraclius est]* Nomen hominis in multis libris et constanter in Lag. 29 et Paris. B scribitur *Heracleus.* Etiam alter Heraclius Segestanus V, 43 in multis et bonis libris est *Heracleus*, urbs tamen in optimis satis constanter *Heraclia*, quamquam V, 49 Lagomars. omnes *Heracleam* habent. Quapropter si quis *e* vocalem per omnia scribere voluerit, cum Graece sit ει diphthongus, non ego repugnarim.

et ante hunc] Abest *et* a Lag. 42 (pr. m.). Idem *nec ulla*, et *ad se fitium facile triciens;* voluit *ad sestertium facile triciens*, et recipiendum putamus. Tum *celatia optimi argenti pretiosorumque.*

Huic hereditas facile ad HS triciens venit testamento propinqui sui Heraclii: plena domus caelati argenti optimi multaeque stragulae vestis pretiosissimorumque mancipiorum, quibus in rebus istius cupiditates et insanias quis ignorat? Erat in sermone res, magnam Heraclio pecuniam relictam; non solum Heraclium divitem, sed etiam ornatum supellectile, argento, veste,
36 mancipiis futurum. Audit haec etiam Verres: et primo, illo suo leviore artificio Heraclium aggredi conatur, ut eum roget inspicienda, quae non reddat. Deinde a quibusdam Syracusanis admonetur, (hi autem quidam erant affines istius, quorum iste uxores nunquam alienas existimavit, Cleomenes et Aeschrio; qui quantum apud istum et quam turpi de causa potuerint, ex re-

---

§. 35. *cupiditates et insanias]* *Insaniam* cdd. vett. omnes: primus Lambinus in marg. repet. edit. auctoritati Asconii, ut videbatur, nove illud dictum esse, sed proprie, annotantis, paruit, neque post ab eo discessum est. Fuisse tamen etiam in Fabriciano fidem facit nunc Lag. 42 (pr. m.). *Insanias* plurali numero dici, cum plures sint res, in quibus insaniverit, nemo mirabitur. Sic V, 41 extr. ubi fuit antea *turpitudinis*, legimus e codicibus *flagitiorum ac turpitudinum societatem.* Cf. de numero plurali nominum abstractorum, quae appellantur, Gramm. nostram §. 92, quoniam horum utriusque nondum aliud exemplum repperimus. — *magnam Heraclio pecuniam relictam]* Sic Lamb. in marg. rep. edit. pro vulg. *venisse* scribendum censuit: quam ob rem, nemo intellexit. Nunc illud in libris optimis Lag. 42 et Paris. A inveniri, et in aliis duobus bonis Lag. 29 Paris. B. utramque scripturam coniungi *venisse relictam* cognosco. Quorum librorum auctoritati nemo iam repugnare volet. Post repetitum nomen *Heraclium*, cuius ne collocatio quidem satis placet, facile censeas tollendum, ni ἦθος quoddam in imitatione rumusculorum inesse statuas. — *supellectile]* Vulgo *supellectili*, sed sequendum putavi Lag. 42 (pr. m.) quia etiam IV, 44 §. 97 *supellectili* auctoritate meliorum cadit. Superest in Rullum II, 13 §. 32 et 15 38, sed expectandi sunt libri meliores.

§. 36. *leviore artificio]* i. e. quasi levioribus armis, nondum gravia tormenta adhibens. An *leniore* i. e. minus crudeli vel pernicioso? ut est in Lag. 6. 42 (pr. m.) Post *inspiciunda* Lag. 42 (pr. m.)

affines istius] intellige de stupri consuetudine cum illorum uxoribus, ut ipse Cicero paulo post significat.

liquis criminibus intelligetis:) hi, ut dico, hominem admonent, rem esse praeclaram, refertam omnibus rebus; ipsum autem Heraclium hominem esse maiorem natu, non promptissimum, et eum praeter Marcellos patronum, quem suo iure adire aut appellare posset, habere neminem; esse in eo testamento, quo ille heres esset scriptus, ut statuas in palaestra deberet ponere: faciemus, ut palaestritae negent ex testamento esse positas, petant hereditatem, quod eam palaestrae commissam esse dicant. Placuit ratio Verri. Nam 37
hoc animo providebat, cum tanta hereditas in controversiam venisset, iudicioque peteretur, fieri non posse, ut sine praeda ipse discederet. Approbat consilium: auctor est, ut quam primum agere incipiant, hominemque id aetatis, minime litigiosum, quam tumultuosissime adoriantur. Scribitur Heraclio dica. Primo 15

---

§. 36. *rem esse praeclaram, refertam omnibus rebus]* Cicerone indignum iudicat Garatonius et olim iudicavit Lambinus, cum scribendum in marg. rep. censeret *domum refertam omnibus rebus*. Mihi aliter videtur, nam *res* h. l. pro hereditate dicitur, sicut lib. I, 41 §. 105, et aliter vix facere potuisse Ciceronem intelligo, cum genus neutrum obscurius fuisset, quam ut hac circumlocutione eiusdem vocis uteretur.

praeter Marcellos] quippe communes totius Siciliae patronos. Cf. Divin. 4 extr. et lib. IV, 41. Tum editi libri omnes *iure suo*, sed eadem constantia scripti praeter Lag. 42 et Paris. B, ex quibus nihil diversi a vulg. scriptura enotatum est, *suo iure*. Usus sermonis quin hoc alterum unice tueatur dubium esse nequit, itaque recepi. Quod autem Ernestius paulo post *possit* corrigendum sibi esse putavit pro *posset*, praecedente videlicet Praesente, non cogitavit de sequentibus Imperfectis Cf. etiam Schelleri Obss. p. 53. — *esset scriptus]* Sic solus Lag. 42 (pr. m.) cum in reliquis sit *esset*, *scriptum*, sed admodum probabiliter. Quae enim ista dicendi ratio, *scriptum est ut debeat facere?* — *palaestrae commissam esse]* Sic emendari iusserat Hotom. et invenerat Nannius in cod. vet. edicitque primum C. Stephanus pro olim vulg. *commisisse*, quod in codd. nostris omnibus praeter Lag. 42 extat. In Paris. A tamen solum est *esse*, et additum recentiore manu *commissam*.

§. 37. *Scribitur Heraclio dica]* Graecum, ut de controversia inter Graecos agens, expressit: γράφεται Ἡρακλείῳ δίκη.

mirantur omnes improbitatem calumniae: deinde qui istum nossent partim suspicabantur, partim plane videbant, adiectum esse oculum hereditati. Interea dies advenit, quo die sese ex instituto ac lege Rupilia dicas sortiturum Syracusis iste edixerat: paratus ad hanc dicam sortiendam venerat. Tum eum docet Heraclius, non posse eo die sortiri, quod lex Rupilia vetaret diebus xxx sortiri dicam, quibus scripta esset. Dies xxx nondum fuerant. Sperabat Heraclius, si illum diem effugisset, ante alteram sortitionem Q. Arrium, quem
38 provincia tum maxime expectabat, successurum. Iste omnibus dicis diem distulit, et eam diem constituit, ut hanc Heraclii dicam sortiri post dies xxx ex lege posset. Posteaquam ea dies venit, iste incipit simulare, se velle sortiri. Heraclius cum advocatis adit, et postulat, ut sibi cum palaestritis, hoc est cum populo Syracusano, aequo iure disceptare liceat. Ad-

---

§. 37. *ex instituto ac lege Rupilia]* Pertinet igitur lex Rupilia etiam ad eas causas, quae inter populum ac privatum sunt, item quae inter Siculos eiusdem civitatis, ac fuisse omnino generalis videtur. Supra quidem c. 13 init. privatos modo non eiusdem civitatis nominaverat. — *diebus XXX — quibus scripta esset]* Hoc est sine dubio intra dies triginta, ex quo nomen relatum esset. Alibi fere in hac constructione Ablativorum numeri ac pronominis intelligitur *post*, sed tamen, quod videtur animadvertendum, si numerale ordinale sit, non, ut h. l. cardinale. *Scripta esset* primus edidit Naugerius, antea fuit *est*, quod et deteriores libros mss. obtinet.

§. 38. *omnibus dicis diem distulit] Dicis* in repet. editione restituere voluerat Lambinus pro *iudiciis*, quod sic inveneral in cod. Fabriciano. Confirmavit Gruterus de Metelliano, recepitque. Opportuna vox erat librariorum corruptionibus; miror tamen Nannium, qui prior erat, nihil de suo cod. notasse: Lag. 42 prima manus cum Fabric. facere videtur. — *Posteaquam]* Lag. 42 (pr. m.) *postquam*.

aequo iure disceptare liceat] Hotomanus interpretatur *aequo et honesto iudicio*. At *aequum iudicium* idem ferme esse quod *aequum ius* loci ab ipso allati probant, III, 21 et fragm. or. in toga candida p. 1051 Ernest. quid autem *honestum* dicere voluerit, nescio. *Aequum ius* ego putaverim esse, quod utrique parti commune est, ac, si

versarii postulant, ut in eam rem iudices dentur ex his civitatibus, quae in id forum convenirent. Electi, qui Verri viderentur: Heraclius contra, ut iudices e lege Rupilia dentur, ut ab institutis superiorum, ab auctoritate senatus, ab iure omnium Siculorum ne re-

---

accuratius etiam dicendum sit, quod inter cives unius et eiusdem civitatis est. Veruntamen h. l. maxima difficultas alia oritur. Nam intelligimus Heraclium postulasse tres iudices sortitos e lege Rupilia, adversarios *quinque* iudices selectos ex civitatibus, quae in illud forum convenirent, voluisse. Quae horum ratio fuerit intelligo: nam supra c. 13 init. legitur: „*Quod privatus a populo petit, aut populus a privato: senatus ex aliqua civitate, qui iudicet, datur, cum alternae civitates reiectae sunt.*" Sed quam Heraclius causam habuerit iudices e lege Rupilia postulandi non intelligo, cum eos supra ipse Cicero datos dixerit, si quis Siculus cum Siculo non eiusdem civitatis litem haberet. Ac si verum est, quod paulo ante monuimus, legem Rupiliam generalem esse, et ad omnes causas Siculorum pertinere, relinquitur tamen hoc explicandum, qua ratione Heraclius, si palaestritas Syracusanos pro ipso populo Syracusano habuerit, recusare potuerit, quominus iudices ex illis civitatibus acciperet, quae in id forum convenirent. An illa verba veteris instituti *quod privatus a populo petit aut populus a privato* de populo alieno, non eiusdem civitatis, intelligenda sunt? Non opinor, primum quia Cicero non addidit, deinde quia postulare videtur aequitas, ut, ubi populus cum cive litem habeat, iudices ex alieno populo sint. Ut dicam igitur, quid mihi in his tenebris videatur, ipsum Ciceronem suae causae nocuisse puto, quod palaestritas *populum* esse Syracusanum dixerit, cum dicere vellet *Syracusanos* esse. Hanc enim causam habuit Heraclius, quia Syracusani essent adversarii, postulandi ut aequo iure, tamquam inter cives, disceptaret; adversarii, quia in palaestram plerique omnes Syracusani adscripti essent, publicumque illud institutum esset, postulaverunt, ut res ad alios iudices ex vicinis civitatibus perveniret. Haec igitur iuris controversia fuit. Cuius aequior causa fuerit, incertum est: ego Heraclium moram quaesisse arbitror. Verum in tota hac re Cicero non tam Verris ignorantiam iuris accusat, quam inconstantiam, qua post Heraclii fugam ipse facere instituerit, quod antea postulanti negaverat. Quod etiam e cap. 18 init. intelligere mihi videor, Heraclium cum iudices Rupilianos postularet, non habuisse leges pro se, nam cur illo loco adderet Cicero, *cum praesertim Heraclius id postularet?*

convenirent] Ad Imperfectum transitur a Praesenti ut supra c. 8 *Quaestor petit, qui obtinebat.* Lag. 42 (pr. m.) tamen *convenerant.*

e lege Rup.] Omittunt praepositionem aliquot Lagomarsiniani. Paris. A *ex.* Tum pro *ut — ne* Lag. 42 (pr. m.) solum *ne.*

16 cedatur. Quid ego istius in iure dicendo libidinem et
39 scelera commonstrem? quis vestrum non ex urbana iurisdictione cognovit? quis unquam isto praetore, Chelidone invita, lege agere potuit? Non istum, ut nonneminem, provincia corrupit: idem fuit, qui Romae. Cum id, quod omnes intelligebant, diceret Heraclius, ius esse certum Siculis, inter se quo iure certarent, legem esse Rupiliam, quam P. Rupilius consul de decem legatorum sententia dedisset; hanc omnes semper in Sicilia consules praetoresque servasse: negavit se lege Rupilia sortiturum: quinque iudices, quos com-

---

§. 39. *libidinem et scelera commonstrem]* Expressi scripturam Nanniani codicis. Olim vulgabatur *libidinem demonstrem.* Lambinus addidit voces *et scelera*, sed Gruterus e codice Metell. (ut ego ex Lag. 42) unum tantum *scelera*, omissa copula notatum inveneral et sic edidit. Nihil tutius quam codicem praestantissimum etiam in his minutioribus rebus sequi. Nam Ernest, non audio, vocem librariis deberi existimantem. Talis non est ille codex. Antea *dicendo* restitui, pro quo primum in Lambiniana repet. extitit *dicundo*, nec nititur nisi silentio Lag. 6 Paris. A C. Post Lag. 42 (pr. m.) *in urb.* sed idem omittit verba *quis vestrum.* — *quam P. Rupilius Cos. de decem legatorum sententia]* Sic Lamb. et post eum Gruterus e codd, illis quibus nitimur ediderunt: nam antea etiam in priore Lambiniana legebatur *quam Praetor Rupilius ex S. C. de decem* cet. Hoc sic emendatum erat ab Naugerio, cum semel *praetor* natus esset ex male intellectis notis *P. R.* Confer Garatonium. Sed editores paulo post non animadverterunt, eundem Lambinum aliud correxisse, nesciebam antea qua auctoritate, sed non sine causa idonea suspicabar, nunc manifesto intelligo ex Lag. 42 (pr. m.) Legitur enim vulgo *hoc omnes — servasse*, quod cum ad longius antecedens *ius* pertineat, praestat *hanc* ad proximum referri.

negavit se lege Rup. sortiturum] Vulgo *iudices e lege Rup. sortiturum*, Illud Gruterus tacente Lambino e cod. Metell. annotavit et probavit, nec tamen edidit. Mihi maxime veteris libri scriptura placet, quod h. l. omnis vis sententiae in una voce *sortiendi* posita est, cum Verres iudices *electos* dederit, Praeterea si hoc etiam aliquid esse vis, cum hoc loco *iudices* possimus subintelligere, nimium prope eosdem repeti videmus. Iam etiam Lagom. 42 (pr. m.) cum Metelliano consentire video, ut non possit amplius dubitari, quin illa scriptura optimorum librorum sit.

modum ipsi fuit, dedit. Quid hoc homine facias? quod 40
supplicium dignum libidine eius invenias? Praescriptum tibi cum esset, homo deterrime et impudentissime, quemadmodum iudices inter Siculos dares; cum imperatoris populi Romani auctoritas, legatorum decem, summorum hominum, dignitas, senatus consultum intercederet, cuius consulto P. Rupilius de x legatorum sententia leges in Sicilia constituerat; cum omnes ante te praetorem Rupilias leges et in ceteris rebus et in iudiciis maxime servassent: tu ausus es pro

---

§. 40. *Quid hoc homine facias]* optimi codd. Nannianus et Metellianus: itaque Lambinum, qui primus sic pro vulgato *huic homini* edidit, insequentium nemo reliquit. Cf. Ernest. ad orat. II in Rull. 27 *quid pecunia fiet?* Graevius ad eum locum pro dativo imprimis libri Erfurt. auctoritate utitur, sed ille liber in ea parte operis plurimis vitiis inquinatus est. In Verr. lib. I, 16 pr. *quid hoc homine faciatis* constanter scriptum est, I, 35 extr. *quid illo myoparone factum sit.* Cf. ad V, 40. — *quod supplicium dignum libidine eius invenias] Libidine* pro vulg. *libidini* Gruterus in codice Metelliano inventum tradit, et ego addo Lag. 42 (pr. m.) Et melius hoc est quam si *dignum* absolute intelligas, dativum cum verbo *invenire* coniungas. *Invenias* edere coepit Lambinus priore, legitur enim etiam in deterioribus nonnullis. Antea fuit *invenies.* Paulo post Graevius edidit *homo teterrime*, quod Gruterus e Pal. sec. notaverat nec receperat. Cf. ad c. 8. A Metell. et Lag. 42 (pr. m.) abest tota haec appellatio. — *iudices inter Siculos]* Sic verba collocantur in melioribus omnibus. Vulgo ex deterioribus *inter Sic. iudices.* — *consulto]* Lag. 29 Paris. A B *consultu.* — *P. Rupilius de X legat.]* Olim legebatur *P. Rupilius praetor ex legatorum sententia*, etiam in Lambiniana priore. Postea idem Lamb. annotavit in Fabriciano nihil esse de *Praetore*, sed quod sibi etiam *de X legatorum sententia* emendandum videretur, in ea re adversari illum librum. Quocirca magis miror, quod Gruterus in Metelliano liquido esse *de X* dixit itaque edidit, quoniam unum librum diversis nominibus laudari iam fere mihi persuasi. Neque ab ea opinione discedo, sed errorem Fabricii esse puto, nam Lag. 42 (p. m.) quoprorsus Metelliani scripturam repraesentat. Eaque verissima est, quoniam *ex legatorum sententia* nusquam dicitur. *Praetor* autem Rupilius nulla ratione dici potest, quem *pro Consule* in Sicilia fuisse historia docet.

ante te praetorem — et in ceteris rebus — servassent] Olim *praetores — in ceteris rebus — observassent* edebatur, sed prius *et*

nihilo prae tua praeda tot res sanctissimas ducere? tibi nulla lex fuit? nulla religio? nullus existimationis pudor? nullus iudicii metus? nullius apud te gravis au-
41 ctoritas? nullum exemplum, quod sequi velles? Verum, ut institui dicere, quinque iudicibus nulla lege, nullo instituto, nulla reiectione, nulla sorte, ex libidine istius datis, non qui causam cognoscerent, sed qui, quod imperatum esset, iudicarent; eo die nihil
17 actum est: adesse iubentur postridie. Heraclius interea, cum omnes insidias fortunis suis a praetore fieri videret, capit consilium de amicorum et propinquorum

---

adiectum primo inveni in repetita Lamb. in textu quidem, sed dubium esse nequit, quin sic ipse Lambinus voluerit, quoniam in libris melioribus legitur, a deterioribus abest. Cetera Lambinus intacta reliquit, sed Gruterus etiam *Praetorem* singulari numero scripsit, ex Metelliano, cui consentit Lag. 42 et 6: reliqui fere *pr.* certe ex Pariss. nihil a Gruteriana scriptura diversum notatur. Ego denique etiam *servassent* ex Metell. et Lag. 42 (pr. m.) edendum putavi. Nam cum in ceteris eum librum secuti simus et constet utrumque recte dici (*servare* enim *legem* bis est apud Cic. in epist. II, 17), qui convenit in hoc solo non eius auctoritatem sequi? Sed verba *et in iudiciis maxime* mendose omittuntur in Metell. et Lag. 42 (pr. m.) — *nullus exist. pudor? nullus]* Nescio an bis *nullius* scribendum sit, nam *nullius iudicii* Lag. 42 (p. m.) et 29, *nullius exist.* Lag. 42 a pr. manu, ab altera mendose *nullis.* Sed e Pariss. nihil notatur.

§. 41. *nulla reiectione, nulla sorte]* *Reiectione* pro *religione* unice veram codicis Metell. et Lag. 42 (pr. m.) et Fabriciani scripturam puto: (unde enim tandem ante Gruterum ista lectio in margine Lambini comparere poterat, nisi e schedis a Fabricio cum Lambino communicatis?). Nam hoc imprimis Verris improbitatem ostendit, quod reiiciendorum iudicum potestatem non fecit: et *nulla religione* nimis universe dictum esset. Nam quod Ernestius intelligi iubet iudices iureiurando non adstrictos, sine argumentis non credo, ullos iudices consedisse non iuratos. Reiectio quidem iudicum cum sorte ita coniuncta est, ut haec non fere sine illa inveniatur, verum potest tamen reiectio etiam sine sorte cogitari; atque etiamsi non posset, licuit oratori distinguere, quo manifestiorem Verris iniquitatem faceret.

fortunis suis a praetore] Secutus sum libros meliores quattuor, nam vulgo alio verborum ordine *a praet. fort. suis.* Item vulgo *Syracusis illa nocte.* Pro *postero die* Lag. 42 (pr. m.) *postridie.*

sententia, non adesse ad iudicium. Itaque illa nocte Syracusis profugit. Iste postero die mane, cum multo maturius quam unquam antea surrexisset, iudices citari iubet. Ubi comperit Heraclium non adesse, cogere incipit eos, ut absentem Heraclium condemnent. Illi eum commonefaciunt, ut, si ei videatur, utatur instituto suo, nec cogat ante horam decimam de absente secundum praesentem iudicare: impetrant. In- 42
terea sane perturbatus et ipse et eius amici et consiliarii moleste ferre coeperunt, Heraclium profugisse: putabant absentis damnationem, praesertim tantae pecuniae, multo invidiosiorem fore, quam si praesens damnatus esset. Eo accedebat, quod iudices e lege Rupilia dati non erant; multo etiam rem turpiorem fore et iniquiorem visum iri intelligebant. Itaque hoc dum corrigere vult, apertior eius cupiditas improbitasque facta est. Nam illis quinque iudicibus uti sese negat: iubet, id quod initio lege Rupilia fieri oportuerat, citari Heraclium, et eos, qui dicam scripse-

---

§. 41. *condemnent]* Lag. 42 et 29 Paris. B: et placet quia res nondum perficitur. Vulgo *condemnarent*. — *ut si ei videatur, utatur instituto suo]* „Lectionem pro minus sana arguit Metelli codex, in quo *ut si sibi videretur inti tuo ne cogat* supraque illud *ti* collocatum s maiusculum." Gruterus. Lag. 42 (pr. m.) *communere faciunt ne sibi videretur niti suo. Ne cogat* etiam Lag. 29 Paris. A. Sed equidem tamen sana puto, quae reliquorum codicum consensu stant, nisi forte *si sibi videatur* scribendum sit. — *ante horam decimam]* i. e. nona demum hora praeterita, quae *suprema* vocabatur, propterea quod his tribus diei partibus praeteritis et populus de contione et iudices dimittebantur.

§. 42. *turpiorem fore] Fore* accessit in textu repet. Lambinianae, inde migravit in editionem Gruterianam, fortasse ipso nesciente. Quin ex Fabriciano sit dubitare non patitur Lag. 42 (pr. m.) Ernestius autem originis eius ignarus denuo eiecit, tamquam a sententia abhorrens. — *sese negat]* Lag. 29 et 42 (pr. m.) *se negat.* Deinde vulgo *e lege Rup.* nos praepositionem quattuor nostrorum meliorum consensu delevimus.

rant: ait, se iudices ex lege velle sortiri. Quod ab eo pridie, cum multis lacrimis oraret Heraclius, impetrare non potuerat: id ei postridie venit in mentem, e lege Rupilia sortiri dicas oportere. Educit ex urna tris: iis ut absentem Heraclium condemnent, imperat. Itaque condemnant.

43 Quae, malum, ista fuit amentia? ecquando te rationem factorum tuorum redditurum putasti? ecquando his de rebus tales viros audituros existimasti? Petatur hereditas ea, quae nulla debetur, in praedam praetoris? interponatur nomen civitatis? imponatur honestae civitati turpissima persona calumniae? neque hoc solum: sed ita res agatur, ut ne simulatio quidem ae-

---

§. 42. *ait se iud. ex lege velle sortiri]* Sic primus Gruterus ex Metelliano. Antea edebatur *atque* (Par. B Lag. 29 *aitque) se iud. e lege Rupilia velle sortiri.* Sed utrum *e* an *ex lege* legatur, dubium est, et ipsis librariis dubium fuit. Nam Metellianus *iudices e ex lege*, Lagom. 42 *videlicet e lege* (illud quidem ex pervulgato errore), Lambini v. c. in margine (id est Fabricianus) tamen simpliciter *ex lege velle.* Itaque *ex* scripsi. Neque enim me obstringo illo discrimine, quod Goerenzius ad libros de Finibus se repperisse ait, *e lege* esse secundum legem, sicut dicatur *e natura vivere.* Fuerit sane sic plerisque in locis, at mox c. 18 *ex lege Rupilia*, et V, 21 *ex lege Hieronica* certum est. — *cum multis lacrimis oraret Heraclius]* Sic codex Metellianus et Lag. 42 (pr. m.) omissis quae in medio vulgo leguntur *eum oraret atque obsecraret Heraclius*, quamquam codd. non *eum* sed *cum* (bis) habent. Lambinus de coniectura priore edit. *multis lacrimis cum eum oraret* cet. quod Gruterus quidem, quia repetitores negligenter in textu servarant, propagavit.

postridie venit] Olim vulgo *postera die* legebatur, Lambinus fecit *postero die* iam priore edit. retinuitque in marg. repet. Gruterus dedit *postridie*, qua id auctoritate faceret silens, itaque Ernestius scripturam veterem revocavit. Sed ea omnium deterrima est, codicum vulgarium, Lambiniana *postero die* firmatur Lag. 29 Paris. A B, sed Gruteriana ex Metelliano ducta, uti docet Lag. 42. Idem liber paulo post *ex lege Rup.* solus, tum pro *tres* habet *triis.* Dedi *tris* constantem sermonis usum secutus.

§. 43. *ea quae]* Abest *ea* a Lag. 42 (pr. m.) nec opus videtur.

res agatur] Sic P. Manutius primus de coniectura, ut videtur, dedit, sed bona et ab insecutis editoribus recepta. Firmatur ea uno

quitatis ulla adhibeatur? Nam, per deos immortales,
quid interest, utrum praetor imperet, vique cogat ali-
quem de suis bonis omnibus decedere; an huiusce-
modi iudicium det, quo iudicio, indicta causa, fortu-
nis omnibus everti necesse sit? Profecto enim negare 18
non potes, te ex lege Rupilia sortiri iudices debuisse, 44
cum praesertim Heraclius id postularet. Sin illud di-
ces, te Heraclii voluntate ab lege recessisse: ipse te
impedies; ipse tua defensione implicabere. Quare enim
primum ille adesse noluit, cum ex eo numero iudices
haberet, quos postularet? deinde tu cur post illius fu-
gam iudices alios sortitus es, si eos, qui erant antea
dati, utriusque dederas voluntate? deinde ceteras di-
cas omnes illo foro M. Postumius quaestor sortitus
est: hanc solam tu illo conventu reperiere sortitus.

Ergo, inquiet aliquis, donavit populo Syracusano 45

Lag. 42 de meis, sed haud dubie etiam Metell. Gruteri. Reliqui omnes et olim editi *agitur*. — *huiuscemodi]* omnes libri mss. Editi adhuc *huiusmodi*. — *everti]* Lag. 42 (pr. m.) *emitti*.

§. 44. *negare non potes]* Lag. 42 (pr. m.) *negari non pot* (sic). *sortiri iudices debuisse]* Sic Nannii codex, vulgo *iudicium*. Nihil interesse puto, sed cum ille codex praestantissimus omnium sit, tum accedunt etiam Paris. A B, Lag. 29, et 42 (pr. m.) qui quidem vulgari errore suum habet *videlicet*. — *ipse tua defensione implicabere]* Edd. princ. *ipse te tua def. implicabere*, unde insequentes editores partim *te* omiserunt (ut Ascens.), partim *tu* correxerunt, et haec quidem ratio obtinuit, donec Ernestius omissa voce sermonem faciliorem reddidit. Recte fecisse eum iam docent quattuor meliores nostri: reliqui cum editionibus principibus consentiunt. — *ille adesse]* Adiicitur *ipse* vulgo, verbum prorsus inutile. Itaque delevi auctoritate Lag. 42 (pr. m.) — *quos postularet]* Vulgo *postularat*, sed Indicativus modus orationis formae hypotheticae non aptus est. Scripsi ex Paris. A et Lag. 42 (pr. m.) *postularet*. Ernestius autem de coniectura dedit *quo postularat*, ut referretur ad *numerum*. Verum *ex eo numero iudices* dicitur fere pro *tales iudices*. — *illo foro — illo conventu]* Dixit bis de eadem re, alterum enim loci est, alterum temporis. In marg. edit. repet. Lamb. est, *alii in illo conventu*, quod intelligendum de coniectura aliorum, nam in nullo edito libro repperi. Cf. ad IV, 56 pr.

illam hereditatem? Primum, si id confiteri velim, tamen istum condemnetis necesse est: neque enim permissum est, ut impune nobis liceat, quod alicui eripuerimus, id alteri tradere. Verum ex ista reperietis hereditate ita istum praedatum, ut perpauca occulte fecerit: populum quidem Syracusanum in maximam invidiam, sua infamia, alieno praemio, pervenisse: paucos Syracusanos, eos, qui se nunc publice laudationis causa venisse dicunt, et tunc participes praedae fuisse, et nunc non ad istius laudationem, sed ad communem litium aestimationem venisse. Posteaquam damnatus est absens, non solum illius hereditatis, de qua ambigebatur, quae erat HS tricies, sed omnium bonorum paternorum ipsius Heraclii, quae non minor erat pecunia, palaestrae Syracusanorum, hoc est Sy-
46 racusanis, possessio traditur. Quae est ista praetura? Eripis hereditatem, quae venerat a propinquo, venerat testamento, venerat legibus; quae bona is, qui testamentum fecerat, huic Heraclio, ante aliquanto, quam

---

§. 45. *neque enim permissum est, ut — liceat]* Pleonasmus, cuius quidem exemplum omnino simile afferre non possum, sed accedit ad eam rationem, quod lib. IV, 20 legitur: *licuit posse domesticis copiis ornare convivium.* Nec multum differt tale loquendi genus, quod est lib. V, 18: *eiusmodi de te voluisti sermonem esse omnium, palam ut loquerentur* cet. III, 1 *ex L. Crasso saepe auditum est, cum se nullius rei tam poenitere diceret,* quo eodem modo de orat. II, 6 *saepe ex socero meo audivi, cum is diceret* cet. Quintil. Inst. I, 10 *in hac fuere sententia, ut existimarent* cet.

ita istum praedatum] Lag. 42 (pr. m.) *istum ita praed.* Sed idem omittit etiam *hereditate,* et post *quidem.* — *qui se nunc*] Lag. 29 Paris. A B *qui nunc se.* — *sed ad communem litium aestimationem venisse*] „Haec sex verba in vetere exemplari (et in Lag. 42 (pr. m.) desunt, sed omnino requiruntur ad integritatem sententiae." Nannius.

HS *tricies*] Lag. 42 (pr. m.) CCC.

§. 46. *fecerat huic*] Vulgo *fecit huic,* Lag. 42 (pr. m.) *fecerant abhinc,* etiam Metell. ante *huic* scribitur exhibere litteras *a. p.* quas Gruterus intellexit *apud praetorem.* Sed nihil apertius quam *fecerat* fuisse.

est mortuus, omnia utenda ac possidenda tradiderat; cuius hereditatis, cum ille aliquanto ante te praetorem esset mortuus, controversia fuerat nulla, mentionem fecerat nemo. Verum esto: eripe hereditatem 19
propinquis, da palaestritis; praedare in bonis alienis, nomine civitatis; everte leges, testamenta, voluntates mortuorum, iura vivorum: num etiam patriis Heraclium bonis exturbare oportuit? Qui simulac profugit, quam impudenter, quam palam, quam acerbe, dii immortales, illa bona direpta sunt! quam illa res calamitosa Heraclio, quaestuosa Verri, turpis Syracusanis, miseranda omnibus videbatur! Nam illud quidem statim curatur, ut, quicquid caelati argenti fuit in illis bonis, ad istum deferatur, quicquid Corinthiorum vasorum,

§. 46. *ante aliquanto, quam est mortuus*] Verbum *aliquanto* abest a vulgari secta codicum, Lag. VII et Paris. C, item editionibus antiquis usque ad P. Manutium. Meliores tres Paris. A B Lag. 29 sic collocant *aliquanto ante*, id quod etiam in Ascens. inveni. Sed relinquitur Lag. 42 qui eum, qui nunc est, ordinem verborum defendat. Ernestius autem *antequam esset mortuus* voluit, male, si quid indico, Nam si consilium significaretur testatoris (quod Icti dicunt *mortis causa)* debebat *antequam moreretur: antequam mortuus esset* inepte sonat, quod Germanice diceres *bevor er gestorben wäre*, quasi posset etiam non vivus testari. Verum ubi simpliciter tempus significatur, Indicativo Perfecti recte utemur.

exturbare oportuit] Gruterus maluit *exturbari*, quo recte Garatonius non opus esse censuit, cum in promptu sit intelligere *te*.

Qui simulac] Sic primus P. Manutius, prius editi et scripti praeter unum Lag. 42 omnes *quae* vel *que*. — *quam acerbe — illa bona direpta sunt*] Male Graevius *acerbe* interpretatur sicut est si quis *acerbe conquirere* et *delectum agere* dicitur: nam hoc loco de dolore dictum est, ut facile intelligitur. — *Nam illud quidem*] Lag. 42 (pr. m.) *iam*.

quicquid Corinthiorum vasorum, stragulae vestis] Haec non dubito, quin cum antecedentibus coniungi debeant: nam si ad sequentia pertinerent, non *haec*, sed *hoc* sequeretur. Praeterea de caelato argento idem illud et maxime quidem valet, quod in vulgari interpunctione de vasis Corinthiis et veste stragula tantummodo dictum esset. Orator in hac praedae descriptione nihil aliud distinguit, quam res artificiose factas (adde etiam servos artificio quodam excellentes) et pecuniam: illas facile aliquis ut in tanta hominis improbitate, Verri con-

stragulae vestis: haec nemo dubitabat, quin non modo ex illa domo capta et oppressa, verum ex tota provincia ad istum comportari necesse esset. Mancipia, quae voluit, abduxit; alia divisit: auctio facta est, in
47 qua cohors istius invicta dominata est. Verum illud est praeclarum: Syracusani, qui praefuerant his Heraclii bonis, verbo, redigendis, re, dissipandis, reddebant eorum negotiorum rationem in senatu: dicebant, scyphorum paria complura, hydrias argenteas, pretiosam vestem stragulam, multa mancipia pretiosa Verri data esse: dicebant, quantum cuique eius iussu nummorum

---

donasset, verum quod ingentem pecuniae summam occupavit, id indignum etiam amicis eius videbatur. Lambinus *quicquid stragulae vestis* repetivit, quod uti non spernerem, si in vetere libro inveniretur, ita ex coniectura alicuius editoris non recipiam. Nemo autem putet, Lambinum in priore editione ad hos quidem medios libros alio codice, certe qui melioris familiae esset et diversus a vulgari recensione, praeter Nanniani codicis excerptis, publici iam iuris factis, usum esse. Postea Fabricianas schedas accepit, sed fructum earum in repetita editione deprompsit. Nondum autem h. l. relinquere possum, quin Ernestii opinionem attingam, qui pro *quicquid — fuit* debuisse indicat Ciceronem scribere *quidquid — esset:* quodsi *fuit* verum sit, e Ciceronis persona intelligendum esse. Verum in hoc ille sine dubio erravit, quod *esset* h. l. scribi posse putaret, ut non simul etiam *deferretur* corrigeretur. Tum consilium hominum intelligeretur, nunc de re facta dicitur, in qua Coniunctivus locum non habet.

quae voluit] Lag. 42 (pr. m.) *voluerat.*

§. 47. *re dissipandis*] Singularis haec est lectio Lag. 42 (pr. m.), sed elegantia oppositionis magnopere commendata. Vulgo *dispertiendis*, sive ut codd. vulgares exhibent *dispartiendis*. Idem illud verbum excidisse puto in or. pro Sextio c. 29 §. 63 *id utilius esse per se conservari, quam per alios (dissipari.)* — *pretiosam vestem stragulam, multa mancipia*] Cod. Fabr. in marg. Lamb. *pretiosas, vestem stragulam multam*, cet. quod Gruterus cum etiam a Gulielmo enotatum invenisset, recepit. Sed recte Graevius et Ernestius ad veterem interpungendi scribendique rationem redierunt. Nihil est nisi error nimium frequens in terminationibus verborum, quales totiens ex Lag. 42, ut libri natura cognoscatur, excerpo. Est enim et hic ipse in nostro libro. Idem codex Fabr. paulo post *data esse Verri* alio verborum ordine.

esset datum. Gemebant Syracusani, sed tamen patiebantur. Repente recitatur, uno nomine HS CCL milia iussu praetoris data. Fit maximus clamor omnium, non modo optimi cuiusque, neque eorum, quibus indignum semper visum erat, privata bona, populi nomine, per summam iniuriam erepta: verum etiam ipsi illi auctores iniuriae, et ex aliqua particula socii praedae ac rapinarum, clamare coeperunt, sibi ut haberet hereditatem. Tantus in curia clamor factus est, ut populus concurreret. Res ab omni conventu cognita, 20
celeriter isti domum nuntiatur. Homo inimicus his, qui 48
recitassent, hostis omnibus, qui acclamassent, exarsit iracundia ac stomacho. Verumtamen fuit tum sui dissimilis. Nostis os hominis, nostis audaciam, tamen tum rumore et clamore populi et manifesto furto grandis pecuniae perturbatus est. Ubi se collegit, vocat ad se Syracusanos: qui non posset negare ab illis pecuniam datam, non quaesivit procul alicunde (neque

---

§. 47. HS *CCL milia*] Cod. Metell. (Fabric.) Lag. 42 (pr. m.) et h. l. et post *CCC*, Nannianus *CCC quinquaginta*, certe altero loco, sed, si recte Nannium intelligo, etiam hoc. Tum *data esse* Lag. 42 (pr. m.) — *privata bona*] Vulgo *bona privati*, in quo *privatus* sic simpliciter dictus displicet. Paris. A *bona privata*, sed melius etiam propter oppositionem Lag. 42 (pr. m.) *privata bona*.

§. 48. *celeriter isti domum nuntiatur*] Vocem *isti* adieci consensu Paris. A B Lag. 29. Sed in cod. Metell. *celeriter iste mutet domum* cet. esse dicit Gruterus, atque ex Lag. 42 (pr. m.) *isti mutet* notatur; unde Gulielmus absurde *isti item*, Herelius ingeniose *isti Mucio* scribendum coniecit. *Conventum* paulo ante intelligo de hominum ad curiam congregatorum multitudine, nam cur cives Rom. prius cognovisse necesse est, quam ad Verrem nuntius venerit? — *rumore et clamore*] Vulgo *rumore populi et clamore et furto manifesto*; nostram scripturam praebuit Lag. 42 (pr. m.) Paris. A *populique clamore*. — *qui non posset negare*] Vulgo *quia non posset*. Sed cod. Metell. Lag. 42 (pr. m.) *qui non posset*. Paris. A et Lag. 29 *qui non possunt*, Paris. B *quia non possunt*. Sed si *quia* sit, ratio coniunctivi non intelligitur. — *alicunde*] Multi ex deterioribus ut editi ante Naugerium *aliunde*.

enim probaret) sed proximum, paene alterum filium, quem illam pecuniam diceret abstulisse: ostendit se reddere coacturum. Qui posteaquam id audivit, habuit et dignitatis, et aetatis, et nobilitatis suae rationem: verba apud senatum fecit: docuit, ad se nihil pertinere: de isto id, quod omnes videbant, neque ille quidem obscure, locutus est. Itaque illi Syracusani statuam postea statuerunt: et is, ut primum potuit,
49 istum reliquit, de provinciaque decessit. Et tamen aiunt eum queri solere nonnunquam, se miserum, quod non suis, sed suorum peccatis criminibusque prematur. Triennium provinciam obtinuisti: gener, lectus adolescens, unum annum tecum fuit: sodales, viri fortes, legati tui, primo anno te reliquerunt: unus legatus

---

§. 48. *paene alterum filium*] Intelligit *generum Verris*, iuvenem honestum, quem accusator nusquam non cum honore aliquo verborum appellat. — *et dignitatis*] Coniunctio eleganter addita legitur in uno Lag. 42 (pr. m.) sed etiam in marg. repet. Lamb. Idem liber *verba ne apud senatum fecit*, quod quo pertineat parum intelligo. Fortasse *de re*. — *neque ille quidem*] Lag. 42 (pr. m.) *ne*, et scripsit Lamb. sed priore editione, altera ne mentionem quidem eius rei faciens. Unde videtur coniecturam ipse improbasse. Neque ego *ne ille quidem* obtrudere velim, quoniam h. l. copulativa coniunctio intelligitur, cum sit pro *ac ne obscure quidem*. — *et is, ut*] Lamb. in marg. repet. edit. (i. e. Fabric.) et Lag. 42 *ut* pro vulg. *ubi*, optime: nam *ut primum* usitatum, *ubi primum* ignoro num Cicero coniunxerit in temporis significatione.

§. 49. *sed suorum peccatis*] Optime factum quod e cod. Fabric. (et Metell.) interpretatio concinnitatem loci turbans *suorum comitum* sublata est a Grutero, sed auctore Lambino in annotatione edit. repetitae. Miror Nannium e suo codice non idem annotasse, nam fuisse vocem in illo non possum adduci ut credam. Abest itidem a Lag. 42, sed in hoc praeterea non *et criminibus*, sed *criminibusque*, a Fabricio et Gulielmo neglectum immerito. — *gener, lectus adolescens*] Vulgo *gener electus adolescens*, ut non intelligas quo epitheton pertinere debeat. Ego ex Lag. 42 (pr. m.) *lectus* scribendum putavi, quoniam hoc est epitheton ornans imprimis feminarum et adolescentium. Vide supra divin. 9 §. 29, lib. I, 37 §. 94. IV, 36 init. Etiam *viri lectissimi* sunt I, 6 §. 15, nec iniuria Lambinus p. Quinctio c. 2 init. idem verbum pro vulg. *electissimi* posuit, quamquam eo loco *eligendi* certior quaedam significatio est.

P. Tadius, qui erat reliquus, non ita multum tecum
fuit: qui si semper una fuisset, tamen summa cura
cum tuae, tum multo etiam magis suae famae peper-
cisset. Quid est, quod tu alios accuses? quid est,
quamobrem putes te tuam culpam non modo derivare
in aliquem, sed communicare cum altero posse? Nu- 50
merantur illa HS ducenta quinquaginta Syracusanis.
Ea quemadmodum ad istum postea per pseudothyrum
revertantur, tabulis vobis testibusque, iudices, planum
faciam.

Ex hac iniquitate istius et improbitate, iudices, 21
quod praeda ex illis bonis ad multos Syracusanos, in-
vito populo senatuque Syracusano, venerat, et illa sce-
lera, quae per Theomnastum et Aeschrionem et Dio-

---

§. 49. *non ita multum tecum]* Tres libri, Paris. A B Lag. 29, *non ita tecum multum.* Tum Lag. 42 (pr. m.) repetit *qui si semper tecum una fuisset.* Sed post omnes quattuor pro vulg. *tum tuae, tum*, quod et ratio postulat, exhibent *cum tuae.* — *sed communicare cum altero] Altero* editum est a Grutero, secundum cod. Metell. quemadmodum Lamb. in marg. repet. e schedis Fabricianis voluerat, pro vulg. *aliquo.* Et confirmat quattuor nostrorum meliorum consensus.

§. 50. *per pseudothyrum]* Sic an *pseudothyron* legendum esset, olim in dubio fuit: nam cum edd. princ. et Iuntina et Naugeriana haberent *pseudotyrum*, mediae aetatis editores, Victorius, P. Manutius, Lambinus in priore edit. *pseudothyron* legerunt, donec a Grutero *pseudothyrum* denuo propagatum est. Neque ulla e nostris codicibus varietas alia notatur nisi quod Paris. A *pseudothyrium.* — *tabulis vobis testibusque]* Vulgo *et testibus*, sed illud Lag. 42 (pr. m.) liber fide dignissimus, si modo segete turpissimorum errorum liberaris, qui hoc ipso loco *nobis* et *videlicet* (ex nota *iud.).*

et illa scelera, quae per Theomnastum cet.] Sic tres Parisini codd. et edd. princ. cum Iuntina: Naugerius dedit *et illa scelera, quoque per Th.* cet., quem secuti sunt Hervag., Victorius, P. Manutius, ita tamen ut partim interpunctionem ineptam ante vocem *quoque* tollerent. Lambinus secundum Hotomani veterem codicem in priore edit. scripsit *etiam illa scelera sunt, quae per Th.* In textu repet. edit. omissis duabus vocibus *illa scelera per Th.* legitur, quam scripturam Gruterus tacitus probavit ab eoque Ernestius accepit. Quam Graevius se re-

nysodorum et Cleomenem, invitissima civitate illa facta sunt, primum ut urbs tota spoliaretur, qua de re alius mihi locus ad dicendum est constitutus; ut omnia signa iste per eos homines, quos nominavi, omne ebur ex aedibus sacris, omnes undique tabulas pictas, deorum denique simulacra, quae vellet, auferret; deinde ut in curia Syracusis, quem locum illi buleuterion nomine appellant, honestissimo loco et apud illos clarissimo, ubi illius ipsius M. Marcelli, qui eum, quem eripere belli ac victoriae lege posset, conservavit ac reddidit, statua ex aere facta est, ibi inauratam istius, et

---

stituisse dicit lectionem *et illa scelera per Th. facta sunt*, ea in nulla edit. est, sed firmari videtur Lagomars. codd. omnibus, quoniam nihil ex iis ab edit. Graev. diversum enotatum est. Verum hoc ego puto casu accidisse, neque cuiusquam negligentiam in tanta mole variarum lectionum accuso: quin autem in illis quoque fuerit istud *quae*, Parisini libri dubitare me non patiuntur. Rebus sic comparatis, cum de fide veteris codicis Hotom. et Iannoctiani apud Garaton. ordine tantum verborum ab illo discrepantis parum constet, longe tutissimum existimo retinere eam lectionem, quae librorum auctoritate nitatur, si qua ratione defendi possit. Ea autem ratio est, ut oratorem inchoatam periodum propter interpositas sententias non absolvisse statuamus, id quod saepissime factum est, praesertim ubi verbum primarium idem esse debet, quod est in parenthesi. Itaque *et* non est pro *etiam*, sed refertur ad illud, quod multo post sequitur *per eosdem istius — socios* cet.

civitate illa] Addidi pronomen ex Lag. 42 (pr. m.) nam Syracusanam significari necesse fuit. — *buleuterion nomine appellant]* Sic Lag. 42 (pr. m.) Vulgo *buleuterium vocant*, Lag. 29 Paris. A B *buleuterium nominant*. — *ubi illius ipsius — facta est]* Locus olim edebatur ex codicibus vulgaribus *sub illius ipsius M. Marcelli*, *qui tum* (Aldina et sqq. *cum) Syracusanis locum eum eripere belli ac victoriae lege posset*, *conservavit et reddidit*, *statua ex aere facta*. Lambinus demum acceptis Fabricii excerptis in altera editione *ubi — qui eum Syr. locum quem erip. — statua est ex aere facta* scribi voluit, et Gruterus edidit, sed quia in Metelliano verba *ex aere facta* non invenisset, ultima intacta reliquit. Ego unum Lagom. 42 (pr. m.) cum Fabric. et Metell. consentire reperio, sed praeterea, quod illi viri docti omisisse videntur, ab eo verba *Syracusanis locum* abesse, quae sine ullo incommodo abesse possunt. Porro *ac* habet pro *et*, *est* autem in fine cum reliquis omnibus servat. Itaque sic edidi.

inauratam istius — ponerent] Quod vulgo nunc editur *isti* —

alteram filio statuam ponerent; ut, dum istius hominis memoria maneret, senatus Syracusanus sine lacrimis et gemitu in curia esse non posset. Per eosdem 51
istius furtorum, iniuriarum, uxorumque socios, istius imperio Syracusis Marcellia tolluntur maximo gemitu luctuque civitatis: quem illi diem festum cum recentibus beneficiis C. Marcelli debitum reddebant, tum generi, nomini, familiae Marcellorum maxima voluntate tribuebant. Mithridates in Asia, cum eam provinciam totam occupasset, Mucia non sustulit. Hostis, et hostis in ceteris rebus nimis ferus et immanis, tamen honorem hominis, deorum religione conse-

---

posuerint in nullo libro msto est, sed paulatim ab editoribus effictum. Codd. vulgares et edd. principes *istius — posuerunt*, Hervag. et Vict. primum *isti*, P. Manutius *posuerint*. Et sic mansit. In qua scriptura neminem non Perfectum offendet: hoc tollit Lag. 42 (p. m.) et exhibet quod coniectura restitui a quovis audaciore potuit, *ponerent*. Sed idem servat cum reliquis omnibus Genitivum *istius*, eumque puto defendi posse. Fortasse ne eodem quidem loco Verris patris et filii statuae fuerunt, ut etiam hoc variata constructione indicetur.

§. 51. *furtorum, iniuriarum]* Vulgo inverso ordine *iniur. furtorum:* nos secuti sumus quattuor meliorum consensum. — *Marcellia]* unus quidem Lag. 42 (pr. m.) sed sic solet fere Cicero in Graecis verbis diphthongum ει efferre. Sic *Heraclia* urbs II, 50, *Polyclitus* IV, 3, 5 *Thericlia* IV, 18. Etiam *Verrea* postea quae vulgo sunt, perpetuo in illo codice et Lag. 29 sunt *Verria*. — *recentibus beneficiis C. Marcelli debitum] Gaii* praenomen, quod olim *M.* fuerat, Ernestius auctore Fulvio Ursino huic Marcello restituit, nam C. erat, non M. qui post importunam Lepidi dominationem Siculos recreavit, et cuius beneficia recentia etiam lib. IV, 40 praedicantur, cf. etiam hui. libri c. 3. III, 16. IV, 67. Disputavit de festo Marcelleorum, cuius ex illa familia honori constitutum fuerit, Wesselingius Obss. lib. II c. 1, remque eo deduxit, ut Gaium abnepotem M. Marcelli, illius qui Syracusas bello cepit, fuisse statuamus, cuius meritorum causa tota familia divinis propemodum honoribus coleretur: quam disputationem Garaton. ad calcem huius secundi libri Verrinarum recudendam curavit. Res dudum certa fuisset, si Lallemando fides haberi posset, qui C. inventum esse a se in cod. Regio Paris. tradidit, sed adhuc peritiores dubitarunt, nec ego ex tribus Parisinis quicquam eiusmodi notatum inveni. Veruntamen nunc *C.* Lag. 42 (pr. m.) et in 14 ab altera manu insperato firmatur.

cratum, violare noluit: tu Syracusanos unum diem festum Marcellis impertire noluisti; per quos illi adepti
52 sunt, ut ceteros dies festos agitare possent. At vero praeclarum diem illis reposuisti, Verria ut agerent, et ut ad eum diem quae sacris epulisque opus essent, in complures annos locarentur. Iam in tanta istius impudentia remittendum aliquid videtur, ne omnia contendamus, ne omnia cum dolore agere videamur. Nam me dies, vox, latera deficiant, si hoc nunc vociferari

---

§. 51. *Syracusanos unum diem f. Marcellis impertire noluisti]* Sic Lag. 42 (pr. m.) et 29 et (Fabricianus) in marg. repet. Lamb. a quo Gruteriana scriptura e Metelliano ducta non discrepat nisi in eo quod Gruterus habet *impartire.* Olim vero legebatur *Syracusanis — impertiri* (Iunt. *impartiri) vetuisti* ex codd. vulgaribus, nam Paris. A B saltem *Syracusanos,* quod etiam Lambinus priore editione habet. Nam *vetare* cum Dativo personae non construi, satis constat. Verum siquid mutari necesse est, in omnibus probatissimos codices sequi decet.

agitare] pro vulg. *agere* cod. Metell. auctoritate edidit Gruterus, atque edere voluerat Lambinus (ex Fabric.). Firmat nunc Lag. 42 (pr. m.). Idem liber solus *possent*, quod Victor. correxit, cum antea secundum ceteros libros *possint* ederetur.

§. 52. *diem illis reposuisti]* Gruterus primus *illis* addidit ex repetita Lambiniana, quam pro fundamento suae editionis habuit. Sed in illam venit ex Fabric., id quod nunc quidem per Lag. 42 (pr. m.) intelligo. Ernestius editionibus vett. confisus denuo eiecerat. — *et ut ad eum diem]* Sic vulgo, et firmant e nostris Lag. 29 Paris. A B. Vulgares libri *ut* omittunt, quod aurium causa placet, sed tamen verum non videtur esse, quoniam tum etiam *locarent* expectares. Lag. 42 (pr. m.) *aut eum diem qua* mendose, sed possis ex eo facere *aut ad eum diem*, nimirum ut orator hoc alterum potius effectum esse dicat. — *Iam in tanta]* Hotomanus e vetere libro nescio quo laudavit *Sed iam*, eaque particula singulari quadam fortuna, quamvis corrumperet potius quam adiuvaret sententiam, adhuc tolerata est. Nam *sed*, si verum esset, abrumperet inchoata et ad aliam rem transiret, quod non fit: contra *iam* epilogum incipit, quem Cicero ad risum potius quam ad indignationem sese compositurum significat. Delevi igitur vocem omnium librorum nostrorum consensu. Quod sequitur *ne omnia contendamus* explica: ne in omnibus rebus summis viribus agamus, vires eloquentiae intendamus. Nam Accusativus ex eo genere est, quod fere ad neutra pronominum pertinet. Cf. Gramm. nostr. §. 385.

vociferari] non prius quam in textu repet. Lamb. inveni. Nisi quid

velim, quam miserum indignumque sit, istius nomine apud eos diem festum esse, qui sese istius opera funditus extinctos esse arbitrentur. O Verria praeclara! Quo accessisti, quaeso, quo non attuleris tecum istum diem? Etenim quam tu domum, quam urbem adisti, quod fanum denique, quod non eversum atque extersum reliqueris? Quare appellentur sane ista Verria, quae non ex nomine, sed ex manibus naturaque tua constituta esse videantur.

---

negligentia peccatum, putare convenit niti auctoritate Fabriciani et Metelliani, quia Gruterus propagavit et est in Lag. 42. Reliqui libri *vociferare*. Etiam IV, 18 aliqua varietas est librorum, sed tamen plures passivam formam tuentur, eaque constat p. Rosc. Am. 4 §. 9; pro Rabirio Posth. 8 §. 21. Porro Lag. 42 (pr. m.) *haec — velint*, mendose, tum *se* pro vulg. *sese*. — *arbitrentur]* Sic vulgo editur et recte, firmaturque Lag. 29 et Paris. A B. Sed Lag. 42 *arbitrantur*, reliqui vulgares *arbitrarentur*.

Quo accessisti, quaeso, quo non attuleris] In loco corrupto eam secutus sum corrigendi rationem, quae proxime ad codd. meliorum scripturam accedere videretur. Nam quod vulgo editur legiturque in plerisque codicibus *quoquam si accessisti*, non cohaeret cum praecedente, et cohaerere tamen debet, si condicionalem explicare velis. Beckius quidem subintelligendum aliquid esse scribit, v. c. *peream*, *ne vivam*, sed num fieri hoc possit, dubito. Emendandi pericula multorum omitto, quippe quae a codd. scriptura nimium discedant. Verum in codd. Nann. et Metell. inventum est *quo accessisti quasi quo non attuleris*, ex quo verisimillimum videtur, quod Nannius effecit *quo accessisti, quaeso, quo* cet. Nec nisi verborum collocatione differt, quod e scriptura codd. Lag. 29 Paris. A B *quo quasi accessisti* coniicere possis, et re vera alii coniecerunt, *quo quaeso accessisti*. — *tecum istum diem]* Lag. 42 *istum tecum diem*. — *adisti]* Sic libri plurimi, eodemque ducunt Lag. 29 Paris. B in quibus *audisti*. Vulgo *adiisti*. — *eversum atque extersum]* Lusum in eo, quod *eversum* ab *everrendo* derivavit, Garatonius bene adversus Graevium tuetur. Frigidus ut sit, at Cicero antea remittendum aliquid esse de contentione doloris dixerat. In Lag. 42 (pr. m.) est *non extet eversum*, quod ad alium ordinem verborum pertinere videtur, ut fuerit *extersum atque eversum*. — *quae non]* Lag. 42 (pr. m.) *quod non*, mendose, opinor, nam pronomen relativum cum coniunctivo propriam quandam vim habet, ut *quae* sit fere *quippe quae*.

22 Quam facile serpat iniuria et peccandi consuetudo,
53 quam non facile reprimatur, videte, iudices. Bidis oppidum est tenue sane, non longe a Syracusis. Huius longe primus civitatis est Epicrates quidam. Huic hereditas HS quingentorum milium venerat a muliere quadam propinqua, atque ita propinqua, ut, ea etiamsi intestata esset mortua, Epicratem Bidinorum legibus heredem esse oporteret. Recens Syracusana erat illa res, quam ante demonstravi, de Heraclio Syracusano, qui bona non perdidisset, nisi ei venisset hereditas. Huic
54 quoque Epicrati venerat, ut dixi, hereditas. Cogitare coeperunt eius inimici, nihilo minus eodem praetore hunc everti bonis posse, quo Heraclius esset eversus. Rem occulte instituunt: ad Verrem per eius interpretes deferunt. Ita causa componitur, ut item palaestritae Bidini peterent ab Epicrate hereditatem, quemadmodum palaestritae Syracusani ab Heraclio petis-

---

§. 53. *Huic hereditas]* Sic libri omnes, nisi quod in excerptis nostris notatur videri Lag. 42 (pr. m.) exhibere *Ei*, melius hercle propter ingratam eiusdem verbi repetitionem. In verbis proximis *ut ea etiamsi intestata esset mortua* — *ea* mulier est, non hereditas: Hotomani dubitatione motus Lambinus Ablat. absolutos corrigendo effecit: *ea etiam intestata mortua*, temere sane, nec Latinitate ferente.

Syracusana erat illa res] Ab Lag. 42 (pr. m.) abest *Syracusana*, quod cupide amplexus essem, ni ille liber solus esset, qui verborum omissionibus saepe modum excedit.

§. 54. *per eius interpretes]* „Cf. Act. 1, 12 *qui aut sequestres, aut interpretes corrumpendi iudicii solent esse.*" Garatonius.

palaestritae Bidini] Olim *Bidenses*, quod cum corrigeret Lambinus in marg. edit. repetitae, videbatur id facere sine causa idonea, quod et *Bidensis* Adiectivum esset ab urbe Bidi, cum homines essent *Bidini*, et duplex forma itidem esset *Netinorum* in libro V, 22 et *Netinensium* lib. II, 65. Verumtamen quamvis eae excusationes valerent, si certa esset scriptura librorum, nunc tamen recte fecisse Lambinum invenimus, cum et h. l. in Lag. 42 (pr. m.) sint *Bidini*, sicut permultis aliis locis appellantur, et cap. 65 *Netini*, quod Lambinus neglexit. Ceterum a Metelliano notatur mox abesse *hereditatem*, sed nihil tale ex Lag. 42 invenio.

sent. Nunquam vos praetorem tam palaestritam vidistis. Verum ita palaestritas defendebat, ut ab illis ipse unctior abiret. Qui statim, cum praesensisset, iubet cuidam amicorum suorum numerari HS LXXX.
Res occultari satis non potuit. Per quendam eorum, 55
qui interfuerant, fit Epicrates certior. Primum negligere et contemnere coepit, quod causa prorsus, quod dubitari posset, nihil habebat. Deinde, cum de He-

---

§. 54. *praetorem tam palaestritam]* Olim edebatur *tam palaestritum* (sicut est in Lag. 1), post Naugerium *palaestricum*, quod in reliquis nostris omnibus praeter Lag. 42 (pr. m.) est. In hoc autem *palaestritam*, cuius lectionis iam Hotomanus et Ursinus mentionem fecerunt, displicere sibi notantes. Sed mihi *praetor palaestrita* prorsus Latine dictum videtur, *praetor palaestricus* minus apte.

unctior abiret] Sic Lamb. in margine repet. (i. e. Fabricianus) et Lag. 42 (pr. m.) Vulgo *discederet*, ut est lib. I, 50 extr. *opimum praeda discedere.* — *Qui statim cum praesensisset]* intellige lucrum se ex ea re facere posse, priusquam etiam res in iudicium esse coepisset: nam ista pecunia orator significat Verrem maioribus inhiantem non futurum fuisse contentum. Multa h. l. ab interpretibus et antiquis et ipso Ernestio sine causa turbata sunt. Nam quod in libris mss. est *quod praesens esset*, ad vulgare mendum referendum et dudum correctum est. — *amicorum suorum]* Sic verba collocantur in tribus meis melioribus, cum vulgo sit *suorum amicorum.* A Lag. 42 absunt ambo, a Fabric. *suorum.* Iidem codd. post pro *LXXX* exhibent numerum *CCC*, bis, sed redire posthac ad alterum numerum negotio aptiorem videntur. — *Res occultari satis non potuit]* Sic liber Metell. et meliores nostri omnes, vett. edd. usque ad Naugerium *potest:* quod in uno Lag. 27 est: postea ex reliquis factum est *posse*, quod quamvis ad sensum nihil differat, non est tamen cur retineatur.

§. 55. *Per quendam eorum, qui interfuerant]* Vulgo *interfuerat.* Sed necesse est cum Hotom. ex vet. libro *interfuerant* scribi, nam *eorum* aut redundaret et delendum esset, aut non posset referri nisi ad amicos Verris, qui proxime praecedunt, quod item cogitari nequit. — *Primum negligere]* Vulgo *primo:* ego sequor Lag. 42 (pr. m.) Cf. ad librum IV, 61. — *quod dubitari posset]* Sic vulgo. Gruterus ex Metelliano (quod Lambinus in Fabric. improbaverat, et ego in Lag. 42 (pr. m.) inveni) recepit *disputari*, sed neque Graevio neque Ernestio persuasit. Etenim *disputandi* verbum non habet eam, qua opus est, incertitudinis significationem, cum etiam quod certissimum sit, *disputari* possit, sive rationibus ex utraque parte proferendis examinari.

raclio cogitaret, et istius libidinem nosset: commodissimum putavit esse de provincia clam abire: itaque
23 fecit: profectus est Rhegium. Quod ubi auditum est, aestuare illi, qui dederant pecuniam: putare nihil agi posse, absente Epicrate. Nam Heraclius tamen affuerat, cum primum dati sunt iudices: de hoc, qui antequam in ius aditum esset, antequam mentio denique controversiae facta esset ulla, discessisset, putabant nihil agi posse. Homines Rhegium proficiscuntur: Epicratem conveniunt: demonstrant id, quod ille sciebat, se HS LXXX dedisse: rogant eum, ut sibi id, quod ab ipsis abisset pecuniae, curet, ab sese caveat, quemadmodum velit, de illa hereditate cum Epicrate nemi-
56 nem esse acturum. Epicrates homines multis verbis a se male acceptos dimittit: redeunt illi Rhegio Syracusas: queri cum multis, ita ut fit, incipiunt, sese HS LXXX nummum frustra dedisse. Res percrebruit:

---

§. 55. *dederant pecuniam]* Lag. 29 Paris. A B *pec. dederant.* *tamen affuerat]* Nota *tn̄*, ut solet, varie explicata est, sed veteres editores, etsi in marg. Ascens. et Cratandr. *tum* est, nihilominus in textu omnes *tamen* exhibent. Naugerius primus etiam *affuerunt*, cum priores dedissent *abfuerunt*, ut est in codd. multis, in reliquis fere *adfuerunt*. Vict. et Hervag. *tum*, quod male haesit, nam nihil affert sententiae, cum illud alterum argumentationem adiuvet.

mentio denique controv. facta esset ulla] Lag. 42 (p. m.) hoc membrum sententiae omittit mendose. Itaque cum eius absit suffragium, qui tres optimi post eum sunt, Lag. 29 Paris. AB addunt *ulla*, omnes porro libri mss. quibus utimur *denique* eo loco collocant, quo nos posuimus et sensus postulat. Editi *antequam denique*. — *demonstrant id]* Lag. 42 (pr. m.) *et demonstr.* — *ut sibi id] Sibi* Gruterus ex repetita Lamb. recepit, neque annotavit quicquam, quod illum vulgarem textum putavit. At neque codd. mss. neque editiones vett. habent *sibi*, ut recte fecisse viderentur Graevius et Ernestius, quod verbum denuo eiecerunt. Nunc tamen video esse in Lag. 42, et adiectum esse a Lambino ex Fabric., servatumque a Grutero quod idem in Metelliano extaret.

§. 56. *dimittit]* Sic cum reliquis convenienter Lag. 42 (p. m.) Vulgo *dimisit.* Idem postea *ut fit*, non *ita ut fit.* — *Res percrebruit]* Lag. VIII i. e. praeter 42 omnes *percrebuit.*

in ore atque sermone omnium coepit esse. Verres refert illam suam Syracusanam: ait se velle de illis HS LXXX cognoscere: advocat multos. Dicunt Bidini Volcatio se dedisse: illud non addunt, iussu istius. Volcatium vocat: pecuniam referri iubet. Volcatius animo aequissimo nummos affert, qui nihil amitteret: reddit inspectantibus multis: Bidini nummos auferunt.
Dicet aliquis, Quid ergo in hoc Verrem reprehendis, 57
qui non modo ipse fur non est, sed ne alium quidem passus est esse? Attendite: iam intelligetis hanc pecuniam, quae via modo visa est exire ab isto, eam semita revertisse. Quid enim debuit praetor facere,

---

§. 56. *Verres refert illam suam Syracusanam*] Intellige *rem*, ut pro *illud suum Syracusanum* positum fuerit: alii *rationem* partim subintellexerunt, partim temere in textum posuerunt, sed nihil probarunt. Similiter explicandum puto locum a plerisque omnibus ense grammatico coercitum, lib. I de nat. deor. c. 8 *Longum est ad omnia, quae talia sunt, ut optata magis, quam inventa videantur; sed illa palmaris, quod qui non modo natum mundum introduxerit, sed etiam manu paene factum, is eum dixerit fore sempiternum.* Davisius voluit *sed illud palmare*, quod inter cetera temptamina minime displicet, sed displicet tamen. — *ait se*] Olim usque ad Lamb. repetitam *ait sese*, unde propagavit Gruterus. Lambinum ex Fabric. duxisse, fidem facit Lag. 42 (pr. m.) — *referri iubet*] Sic Lag. 42 (pr. m.) vulgo *imperat.* — *qui nihil amitteret*] Lamb. etiam priore edit. scripsit *quippe qui*, quod et necesse non est et libris repugnat manuscriptis.

§. 57. *quae via modo visa est exire ab isto, eam semita revertisse*] Recepi Hotomani emendationem, accurate illustratam a Garatonio. Vulgo legitur *qua via — eadem semita*, sed intelligi nequit, quomodo, quae via sit, eadem e contrario semita dici possit. Eandem pecuniam fuisse, quae aperte reddita, paulo post clam ad Verrem redierit, hoc vult dicere atque unice debet. Sed *eam* scripsi ex Lag. 42 (pr. m.) pro eo quod Hotom. coniecerat *eandem*, qua lectione magis etiam illius coniectura firmatur. — *Quid enim debuit pr. facere*] Locus hic vulgo nunc sic editur, quemadmodum Hotomanus constituendum censuit: *Quid enim? Debuit praetor — non et in eum animadvertisse?* cum ante illum *quid enim debuit praetor?* coniungeretur. Offendit in eo singularis constructio *debuit praetor non animadvertisse* pro *nonne animadvertisse debuit?* vel *debuitne animadvertisse?*

cum consilio cognita causa, cum comperisset, suum comitem iuris, decreti, iudicii corrumpendi causa, qua in re ipsius praetoris caput existimatioque ageretur, pecuniam accepisse, Bidinos autem pecuniam contra praetoris famam ac fortunas dedisse? non et in eum, qui accepisset, animadvertisse, et in eos, qui dedissent? Tu, qui institueras in eos animadvertere, qui perperam iudicassent, quod saepe per imprudentiam fit: hos pateris impune discedere, qui ob tuum iudi-

---

Aliam viam ingressus est Lambinus priore editione, qui *fecisse* adiiceret post *praetor*, sic: *quid enim debuit praetor fecisse cum consilio* cet. usque ad *dedisse? non et* cet.? Eaque scriptura cum contra instituti rationem a repetitae editionis curatoribus in textum esset recepta, origo eius latuit Gruterum, qui eam bona fide et ipse repeteret. At ambo editores, Lambinus acceptis Fabricii lectionibus variantibus, Gruterus ex schedis Gulielmianis, non *fecisse*, quod Lambinus aut coniectura invenit, aut ex aliquo codice deteriore, qualis est Lag. 1, recepit, sed *facere* secundum fidem bonorum librorum (nostrorum quidem quattuor illorum *Lag. 29 et 42 Paris. A B) scribere debebant. Itaque mirum non est, Graevium et Ernestium, a codicum ope destitutos, cum Lambini corrigendi libidinem experti essent, ad veterem scripturam remigrasse. In ea autem etiam alia quaedam corrigenda nobis fuerunt: primum quod vulgo legitur *cum consilio re cognita*, recte quidem sic est a Naugerio factum, cum antea fuisset *consilio recognito*, sicut in plerisque vulgaribus extat, verum Lag. 42 (pr. m.) *cum consilio cognita causa* liquido praebet. neque convenit eius in hac re auctoritatem posthabere, cum in gravioribus multis secuti simus. Deinde *pecuniam* repeti post *Bidinos autem* in codice suo Nannius notaverat, neque eum adhuc praeter Lambinum quisquam audiverat, nunc etiam reliquorum bonorum auctoritas accedit. Iam igitur omnia recte constituta videntur, nam in aliis librorum mss. aut editorum vitiis quid opus est immorari? Unum hoc addam, *animadvertisset* mendose in vet. cod. ad marg. rep. Lamb. (i. e. in Fabriciano) esse et sic item in Lagom. 42 (pr. m.).

qui ob tuum iudicium] Omisi verba *ob tuum decretum* unius quidem Lag. 42 (pr. m.) auctoritatem secutus, sed opinor etiam veritatem. Nam antea orator augendi causa *ius*, *decretum*, *iudicium* cumulavit, hic oppositio fieri debet uno verbo. Neque reprehensionem eruditorum vereor, quod ex eodem illo libro *putabant* recipiendum existimavi pro vulg. *putarant*: est enim rei longe aptius eorum hominum consuetudinem et perpetuam opinionem significare, quam quod semel fecerint.

cium pecuniam aut dandam aut accipiendam putabant? Volcatius idem apud te postea fuit, eques Romanus, 58
tanta accepta ignominia. Nam quid est turpius inge- 24
nuo, quid minus libero dignum, quam in conventu maximo cogi a magistratu furtum reddere? qui, si eo animo esset, quo non modo eques Romanus, sed quivis liber debet esse, aspicere te postea non potuisset, inimicus, hostis esset, tanta contumelia accepta, nisi tecum tum collusisset, et tuae potius existimationi servisset, quam suae. Qui quam tibi amicus non modo tum fuerit, quamdiu tecum in provincia fuit, verum etiam nunc sit, cum iam a ceteris amicis relictus es, et tu intelligis, et nos existimare possumus. An hoc *solum* argumentum est, nihil isto imprudente factum, quod Volcatius ei non succensuit? quod iste nec in Volcatium, nec in Bidinos animadvertit? Est magnum 59
argumentum: verum illud maximum, quod illis ipsis Bidinis, quibus iratus esse debuit, a quibus comperit, quod iure agere cum Epicrate nihil possent, etiamsi

---

§. 58. *nisi tecum tum collusisset]* i. e. nisi te socium atque luceri participem in eo ludo habuisset, qua significatione etiam apud Ictos veteres dici et lexica vulgaria docent et Brissonius de verbb. sign. Cf. III, 13 *collusio cum decumanis.* Sed *tum* addere debuimus, si quid esse codicum mss. et olim editorum consensum volebamus, nam quod Lag. 42 (pr. m.) habet *tamen*, ad notarum confusionem referendum. Naugerius primus illam particulam abiecit, qua in re miror reliquos omnes eum secutos esse. — *relictus es]* Sic ratio grammatica postulavit ut scriberemus, possumusque id Lag. 42 (pr. m.) auctoritate facere. Reliqui codd. *relictus sis*, edd. *sis relictus.* — *An hoc solum* cet.] i. e. Non est hoc solum argumentum, quamvis magnum sit, tamen aliud manifestius est. Lag. 42 (pr. m.) *Ad:* possis coniicere *At.*

§. 59. *quibus iratus]* Lag. 42 (pr. m.) *quibus ipse iratus*, vitiose, opinor. — *a quibus comperit — esse temptatum]* Vulgo *ut a quibus*, in quo Indicativus maxime offendit, cum causa addatur et *comperisset* dicendum fuerit. Sed totum hoc dicendi genus, *ut qui* pro *quippe qui*, non videtur Ciceronianum esse, alioquin *utpote qui* semel in epist. ad Att. II, 24 cum Indicativo construitur. Rem expediunt consulti libri mss. a quibus omnibus *ut* abest, ut abest etiam ab Ald.

adesset, idcirco suum decretum pecunia esse temptatum: his, inquam, ipsis non modo illam hereditatem, quae Epicrati venerat, sed, ut in Heraclio Syracusano, item in hoc, paulo etiam atrocius, quod Epicrates appellatus omnino non erat, bona patria fortunasque eius Bidinis tradidit. Ostendit enim novo modo, si quis quid ab absente peteret, se auditurum. Adeunt Bidini, petunt hereditatem: procuratores postulant, ut se ad leges suas reiiciat, aut ex lege Rupilia dicam scribi iubeat. Adversarii non audebant contra dicere: exitus nullus reperiebatur. Insimulant hominem fraudandi causa discessisse: postulant, ut bona possidere
60 iubeat. Debebat Epicrates nummum nullum nemini:

Cratandr. Hervag. Editiones principes habent *aut*, ex eo Victorius, sive quis alius ei editioni praefuit, *ut* fecit, multis iam nominibus et suspectum et condemnandum. — *Bidinis tradidit]* Paulum excidit constructione, nam debuit *his, inquam, ipsis Bidinis.* Nescio utrum hoc sit, an vitium sine causa quadam interiore, quod in libris vulgaribus (VII Lag. Paris. C) item edd. veteribus *libidini* legitur. Correxit Naugerius, qui unus omnium plurimos tales naevos sustulit. — *ab absente]* Ab omnibus libris mss. abest praepositio, sed addidit iam Angelius. — *dicam scribi]* Codd. vulgares *legem scribi.* Primus Naugerius *dicam* ex aliquo meliorum, quales e nostris sunt Lag. 29 Paris. A B. Singularis est scriptura Lag. 42 (pr. m.) *litem scribi*, quae glossae suspicionem satis manifestam habet, quamquam ille liber ab omni eruditionis affectatione alienissimus est. — *postulant, ut bona possidere iubeat]* Sic e Nanniano pro vulg. *liceat* edidit Lambinus, et firmat Lag. 42 (pr. m.) unde coniicimus Fabric. (Metell.) quoque habuisse. Tamen Gruterus spreverat.

§. 60. *nummum nullum nemini]* Codd. vulgares *nullum nummum nemini:* sed veteres editores duplicem negationem non affirmantem sed fortius negantem non ferentes fecerunt *ullum nummum*, quod haud dubie falsum est, cum saltem praecedere deberet negatio, sic: *nemini ullum nummum.* Nannius igitur cum affirmasset in suo libro esse *nullum nummum*, posteriorum editorum assensum tulit praeter Gruterum stulte etiam suis libris repugnantem. Sed hoc tamen notandum, in melioribus non esse *nullum nummum* sed *nummum nullum*, et haud dubie fuit etiam in Nanniano, sed Nannius eam rem videtur praetermisisse. Iam constituta loci scriptura unum certum exemplum duarum negationum non affirmantium sed fortius negantium habes, qua-

amici, si quis quid peteret in iudicio, se passuros, iudicatum solvi satisdaturos esse dicebant. Cum omnia consilia frigerent, admonitu istius insimulare coeperunt, Epicratem litteras publicas corrupisse, a qua suspicione ille aberat plurimum: actionem eius rei postulant. Amici

---

lia rarissime inveniuntur. Bremius quidem ad Nepotem in vita Attici c. 11 extr. apud prosarios scriptores inveniri prorsus negavit, huius certe loci oblitus. In Philipp. VI, 3, 7 constans in ea quidem re librorum mss. est lectio *horam eximere nullam in tali cive liberando sine scelere non possumus*, ubi nunc male edunt *ullam — non possumus*, cum facilius sit *non* delere. Apud Plautum in Epidic. V, 1, 56 certum est *Neque ille haud obiiciet mihi*, sed incertum illud Terentii in Andr. 1, 2 extr. *neque tu haud dices tibi non praedictum.* Ex alio genere est, quod non raro fit, ut post negantem sententiam principalem partes eius denuo negativis particulis utantur, sicut est ex. gr. apud Cic. pro Mur. 29 *viri non esse neque exorari neque placari*, et c. 40 *Si nemini nec domi nec militiae odio fuit*, et ad Att. lib. III ep. 7 extr. *quem quidem ego nec quomodo visurus, nec ubi dimissurus sim nescio.* Cf. nos in Gramm. §. 754 et de usu particulae *neque* post *negare* et *nescire* Goerenz. ad Cic. Acad. II §. 78. Paulo etiam propius accedit ad hanc quaestionem usus particularum *ne — quidem* post negationem in eodem orationis membro, sed tamen quod cogitando dissolvatur: in Verr. I, 60 *non enim praetereundum est ne id quidem;* III, 90 *non fugio ne hos quidem mores*, ad Quint. fr. II epist. 5 *non praetermittam ne illud quidem*, cf. Tuscul. I, 23 §. 53. II, 23 §. 56. IV, 22 §. 49, quos locos indicavit Fikenscherus Vir doct. in recens. Gramm. meae Allg. Schulzeit. 1829 p. 683.

si quis quid peteret in iudicio, se passuros] Libri mss. et editt. princ. *iudicio se passuros* habent, quod intelligi nequit: Naugerius interpunctione post *iudicio* facta intelligentiam adiuvit, modo *iudicio petere* recte dicatur. In Victoriana primum adiectum legitur *secum agi passuros;* quae lectio per Manutianas, Lambinianas, Gruterianas edd. ad Graevianam permanavit. Lambinus tamen in marg. rep. se velle *iudicium se passuros* notavit, atque id Ernestius Lambini nullam mentionem faciens probavit ac recepit. Ac sane hoc et sententiae aptissimum est et Ciceronis sermoni (cf. III, 28 §. 68) convenit: sed facilius tamen est et firmatur auctoritate Lag. 42 (pr. m.) *si quis quid peteret in iudicio.*

Cum omnia consilia frigerent] intellige quae capiebantur ab adversariis Epicratis. Olim erat *iudicia* ex deterioribus, illud a Lamb. et Grutero e Fabric. (Metell.) cod. restitutum est, firmaturque nostris quattuor bonis.

recusare, ne quod iudicium neve ipsius cognitio, illo absente, de existimatione eius constitueretur: et simul idem illud postulare non desistebant, ut se ad leges
61 suas reiiceret. Iste amplam occasionem calumniae nactus, ubi videt esse aliquid, quod amici absente Epicrate nollent defendere: asseverat se eius rei in primis actionem daturum. Cum omnes perspicerent, ad istum non modo illos nummos, qui per simulationem ab isto exierant, revertisse; sed multo etiam plures eum postea nummos abstulisse: amici Epicratem defendere destiterunt: iste Epicratis bona Bidinos omnia possidere et sibi habere iussit. Ad illa HS Iↄ milia hereditaria accessit ipsius antiqua HS quindecies pecunia. Utrum res ab initio ita ducta est? an ad extre-

§. 60. *ne quod iudicium neve ipsius cognitio]* Vulgo *ne quod novum iudicium, ne qua ipsius cogn.* Sed *neve* libri mss. omnes, edd. principes *neque*, Iunt. *neve*, Ald. *ne quae*, donec factum est quod longissime a Ciceronis manu abit. Verum etiam *novum* delevimus unius quidem Lag. 42 (pr. m.) auctoritate, sed adiuvante sententia. Neque enim illud iudicium novum fuit, quod in istis Graecis civitatibus frequentissimum, neque illi detrectare poterant, ne cuius novae rei accusaretur, cum omnia nova essent quae excogitarentur, sed ne quid, quod ad *existimationem* hominis pertineret, et capitale esset, absente illo ageretur sive in iudicio sive apud praetorem ipsum.

§. 61. *quod amici absente Epicrate nollent defendere]* Sic cum Graevio scribendum iudicavi ex cod. Nanniano et Fabric. (in marg. repet. Lamb.) et Lag. 42 (pr. m.) pro vulg. *absentem Epicratem.* Verum quidem est, ceteros codd. ab ea lectione discrepare, sed discrimen scripturae sane exiguum est. Ernestius defendere conatus est vulg. quam se dicit interpretari posse, *in quo Epicratem nollent defendere,* quemadmodum edidit Lambinus, sed probationem desidero. Ecquid usquam *illud te defendo* apud Ciceronem legerat? Non credo, nec illud de duplici Accusativo ad omnia verba transferre licet. Post *daturum* pro *esse daturum* ex quattuor melioribus meis scripsi.

plures eum postea nummos abstulisse] Negligentiae dicendi cuidam tribuo quod eandem vocem repetivit: delerem libenter, si ullus meliorum codicum auctor fieret. Nunc cf. I, 55 §. 144 *id opus.*

ita ducta est] Plura sunt in hoc loco, quae aliter leguntur in Lag. 42 (pr. m.) atque in ceteris omnibus libris, de quibus doleo suffragia nobis vel Nanniani vel Fabric. (Metell.) codicis deesse, ut nesci-

mum ita perducta est? an ita parva est pecunia? an is homo Verres, ut haec quae dixi gratis facta esse videantur?

Hic nunc de miseria Siculorum, iudices, audite. 62
Et Heraclius ille Syracusanus, et hic Bidinus Epicrates, expulsi bonis omnibus, Romam venerunt: sordidati, maxima barba et capillo, Romae biennium prope fuerunt. Cum L. Metellus hinc profectus in provinciam est, tum isti bene commendati cum Metello una proficiscuntur. Metellus simul advenit Syracusas, utrumque rescidit, et de Epicrate, et de Heraclio. In utriusque bonis nihil erat, quod restitui posset, nisi si quid moveri loco non potuerat. Fecerat hoc egregie primo 26
adventu Metellus, ut omnes istius iniurias, quas modo 63

---

amus utrum ad scribendi negligentiam an ad consilium referenda sint. Primum *educta* pro *ducta*, quod oppositum *perducta* commendare, usus sermonis respuere videtur; tum *est* post *perducta* omittitur, quod maxime placet; tum *homo* abest, denique extrema sic collocantur: *haec quae dixi ut gratis facta videantur esse.*

§. 62. *hinc prof. in prov.]* Recepi *hinc* ex Lag. 42 (pr. m.) quia non is est liber, qui verborum additionibus peccet, contra omittat potius necessaria. Sed is etiam ordinem verbb. mutat, qui fuit *in prov. prof. est.* Idem *simul advenit Syracusas* exhibet, quae lectio etiam in Paris. A et in marg. repet. Lambinianae tamquam aliorum extat, sed Fabric. libri videtur fuisse. Vulgo *simul ac venit Syr.* Quod sequitur *rescidit*, de textu repet. Lamb. in Gruterianum venit, cum olim fuerit *rescindit*, sed in illum venit ex Fabric. quod demonstrat Lag. 42 (pr. m.) qui solus sic exhibet. — *nisi si quid moveri loco non potuerat]* Sic Lag. 42 (pr. m.) et scribi voluit repet. curis Lambinus nisi quod *poterat* contra librum suum veterem (Fabric.) servavit, non aliam puto ob causam, nisi ut tempora concordarent, quamvis veritas aliud postulet. Vulgo *nisi quod — poterat.* Sed *si* repetitur etiam in Lag. 29 et Paris. B.

§. 63. *Fecerat hoc]* Vulgo *haec*, sed unum est quod dicit, quamvis in pluribus rebus demonstratum. Et Gulielmum sic coniecisse scribendum esse tradit Gruterus, ego malim ad Metelliani libri scripturam referre, nam est in Lag. 42 (pr. m.).

posset, rescinderet et irritas faceret. Quod Heraclio restitui iusserat ac non restituebatur, quisquis erat eductus senator Syracusanus ab Heraclio, duci iubebat. Itaque permulti ducti sunt. Epicrates quidem continuo restitutus est. Alia iudicia Lilybaei, alia Agrigenti, alia Panhormi restituta sunt. Census, qui isto

---

§. 63. *Quod Heraclio rest. iuss. ac non* cet.] Insignem gratiam habui Lagom. 42 (pr. m.) quod in discrepantia Lambini et Gulielmi de scriptura codicum Fabric. et Metell., cum diu dubitassem utri de uno illo codice crederem, litem diremit et verum docuit. Nam cum vulgo ederetur, sicut in reliquis libris mss. est, *Heraclium rest. iusserat: non restituebatur: quisquis erat ductus — duci iubebat*, in quo displicet oratio membratim dissoluta, nec oratoris sententia absolvitur, non docentis quemadmodum ipsius Metelli voluntas elusa sit, sed laudantis etiamnunc Metellum, quod omnia fecerit, ut Heraclio bonis everso satisfieret: cum igitur sic ederetur, Lambinus e codice Fabriciano restitui iussit *Quod Heraclium rest. iusserat ac non restituebatur* cet. Gulielmus autem e Metelliano protulit *Quod Heraclio rest. iusserat, non restituebatur*. Nunc vero e Lag. 42 intelligimus, utrumque partim vera partim falsa rettulisse. Nam in illo libro est *quod Heraclio rest. iusserat ac non restituebantur*. Hoc igitur probo et ipse sequor, sublato mendo in *restituebantur*. *Quod* censeo pronomen esse, cum contractione quadam verborum, ut saepissime fit, positum, sic fere: quod ad res pertinebat, quae, cum Heraclio restitui iussisset, tamen non restituebantur, quisquis Senator ab Heraclio in ius vocatus erat, eum in carcerem duci iubebat. Nam *educere* proprie dicitur de in ius vocando, *ducere* de coniiciendo in vincula. Vide Ernestium in clave. Tamen *eductus*, etsi extat in libris mss. omnibus, primum constanter edi coeptum est a Grutero, antea *ductus* fuerat, Lambinusque frustra coniecerat priore edit. *aditus*, altera *editus*.

alia Panhormi] Absunt haec verba a Lag. 42 (pr. m.) nec requireres, si constaret eam omissionem non incuria scribendi esse factam. Nam Panormum liberam civitatem fuisse scimus ex lib. III, 6: verumtamen quia conventus illo loco haberi solebat, iudicia civium aliarum civitatum esse poterant. Ceterum in hac editione facere non potuimus, quin *Panhormum* scriberemus, codicum mss., certe optimi cuiusque, auctoritatem secuti. Et sunt loci imprimis in libro IV et V, ubi omnes consentiunt. Eam in nummis quoque et inscriptionibus frequentiorem fuisse scribendi rationem, quamquam ne altera quidem exemplis caret, vide apud Eckhelium in doctrina num. vett. Tom. I p. 232. Cf. Schneiderum in Elem. Lat. Ling. p. 192 et Tzschuckium in notis criticis ad Pomponium Melam lib. II, 7 §. 16.

praetore sunt habiti, non servaturum se Metellus ostenderat: decumas, quas iste contra legem Hieronicam vendiderat, sese venditurum Hieronica lege edixerat. Omnia erant Metelli eiusmodi, ut non tam suam praeturam gerere, quam istius praeturam retexere videretur. Simul atque ego in Siciliam veni, mutatus est.
Venerat ad eum illo biduo Letilius quidam, homo non 64
alienus a litteris: itaque eo iste tabellario semper usus

---

§. 63. *edixerat]* Sic Steph. et Lambinus scripserunt pro vulg. *dixerat*, confirmatque Lag. 42. Optime: nam in tanta re iusto minus est *dicere*, cum Metellum et Roma scripsisse et in Sicilia servasse constet.

ut non tam suam praeturam gerere, quam istius praeturam retexere videretur] Haec lectio, quam primum apud P. Manutium in edit. 1540 inveni, quamque Lambinus in priore edit. expressit, in altera ita commutavit, ut repetitam *praeturam* omitteret, adhuc certa librorum fide non nitebatur, sed verisimillima omnium videbatur esse. Nam in edd. princ. et vulgaribus codd. *ut totam suam pr. retexere videretur* legitur, et Nannius e suo cod. protulit *ut non tum suam pr. retexere videretur*. Quid in Fabr. sive Metell. inventum fuerit, non docemur, quamquam Gruterus annotat, videri Gulielmum idem in Metell. repperisse, quod Lamb. repetita edit. dare voluerit. Sed erravit: ex Lag. 42 intelligo idem fuisse in Fabric. (Metell.) quod in Nanniano: sed ex illo ipso veritas, si ullus coniecturae locus permittendus videbatur, inveniri poterat. Quid enim verisimilius quam quae media essent inter unum verbum bis positum excidisse? Verum adhuc, ut dixi, certa fides abfuit. Nunc autem sicut P. Manutius edidit, prorsus in Lag. 29 Paris. A B legi invenimus.

§. 64. *Venerat ad eum illo biduo]* i. e. biduo ante quam ego adveni. Sic lib. IV, 18 *se paucis illis diebus misisse Lilybaeum*, i. e. ante paucos dies; Cat. mai. 14 *P. Scipionis, qui his diebus paucis pontifex maximus factus est.*

Letilius] Lag. 42 (pr. m.) et Metell. *Lelius*. Sed infra Lag. idem *Letilium*. — *non alienus a litteris]* Non fuit quod Ernestius cogitaret de falsario: iocus est e duplici significatione vocis litterarum fere hic: homo doctus sibi videbatur et litteris operam se dedisse gloriabatur, sed eam infelicem fuisse operam significat Cicero ex eo, quod Verres eum ad perferendas litteras adhibebat. Similiter ipsum Verrem orator alibi dicit magis factum ad ferenda, quam ad auferenda signa. Omnis igitur acerbitas et irrisio posita est in voce *itaque*, qua qualis illa in litteris consumpta opera fuerit intelligitur. Abest *semper* a Lag. 42 (pr. m.) mendose, opinor.

est. Is epistolas complures attulerat: in his unam domo, quae totum immutarat hominem. Repente coepit dicere, se omnia Verris causa velle: sibi cum eo amicitiam cognationemque esse. Mirabantur omnes, hoc ei tum denique in mentem venisse, posteaquam tam multis eum factis decretisque iugulasset. Erant qui putarent, Letilium legatum a Verre venisse, qui gratiam, amicitiam cognationemque commemoraret. Ex illo tempore a civitatibus laudationes petere, testes non solum deterrere verbis, sed etiam vi retinere coepit. Quodnisi ego meo adventu illius conatus aliquantum repressissem, et apud Siculos non Metelli, sed Glabrionis litteris ac lege pugnassem: tam multos huc
27 evocare non potuissem. Verum, quod institui dicere,
65 miserias cognoscite sociorum. Heraclius ille et Epicrates longe mihi obviam cum suis omnibus processerunt: venienti Syracusas egerunt gratias, flentes: Romam decedere mecum cupiverunt. Quod erant mihi oppida complura etiam reliqua, quae adire vellem, constitui tum hominibus, quo die mihi Messanae praesto

---

§. 64. *in his unam domo]* i. e. a Q. et M. Metellis fratribus Lucii, qui Siciliae praeerat. — *Mirabantur omnes]* Paris. A *mirabantur homines omnes*, διττογραφία, sed *homines* admodum placet.

laudationes petere] Ante Lamb. in margine repet. edit. fuit *laudationem*, quod in reliquis codd. omnibus est, praeter Lag. 42 (et Fabric. Metell.). — *Quodnisi ego]* Sic verba collocantur in Lag. 42 (p. m.) rectius quam vulgo *quod ego nisi.* Deinde non ille solum, sed reliqui boni *aliquantum* pro vulg. *aliquantulum.*

§. 65. *miserias cognoscite sociorum]* Lamb. in altera edit. scribi voluit *sociorum*, e cod. Fabr. ut nunc intelligitur ex Lag. 42. In fine c. 25 est *de miseria Siculorum audite*, ad quod hoc loco vulgata videtur esse accommodata. — *Syracusas]* Lag. 42 (pr. m.) *Syracusis.* Post omnes mss. non *cupierunt*, quemadmodum est in editis, sed *cupiverunt.* — *quae adire vellem]* Haec verba ex aliquo libro meliore accesserunt demum in edit. Aldina, neque inveniuntur in Lag. VII Paris. C Huydec. — *constitui tum hominibus]* Vulgo *cum hominibus*, sed nullae videntur in ea re illorum hominum partes fuisse. Neque *cum aliquo* constituo, quando quid ille facere debeat, *alicui* potius. Itaque *tum* e Lag. 42 (pr. m.) recepi.

essent. Eo mihi nuntium miserunt, se a praetore retineri. Quibus ego testimonium denuntiavi, quorum nomina edidi Metello, cupidissimi veniendi, maximis iniuriis affecti, adhuc non venerunt. Hoc iure sunt socii, ut iis ne deplorare quidem de suis incommodis liceat.

Iam Heraclii Centuripini, optimi nobilissimique 66 adolescentis, testimonium audistis: a quo HS c milia per calumniam malitiamque petita sunt. Iste poenis compromissisque interpositis, HS cccc extorquenda curavit: quodque iudicium secundum Heraclium de compromisso factum erat, cum civis Centuripinus inter duo cives diiudicasset, id irritum iussit esse: eumque iudicem falso iudicasse iudicavit: in senatu esse, locis commodisque publicis uti vetuit: si quis eum pulsasset, edixit, sese iudicium iniuriarum non daturum: quicquid ab eo peteretur, iudicem de sua cohorte daturum, ipsi autem nullius actionem rei sese daturum. Quae istius auctoritas tantum valuit, ut neque illum 67
pulsaret quisquam, cum praetor in provincia sua verbo permitteret, re hortaretur; neque quisquam ab eo quic-

§. 66. HS *CCCC extorquenda]* Vulgo *CCC:* sed codd. mss. omnes *CCCC.* Ceterum pro HS in Lag. 42 semper *n. s.* i. e. nummum sestertium. — *de compromisso]* Sic Lag. 42 (pr. m.). Vulgo *compromissis.* — *cum civis Centuripinus inter duo cives diiudicasset]* Sic Lag. 42 (pr. m.) et Fabric. nisi quod Lambinus silet de particula *cum.* Vulgo *quod — duos cives iudicasset,* vel potius *iudicavisset,* ut est in edd. Aldina prioribus et codd. mss. plerisque omnibus. Lag. 42 etiam *civis,* sed Lamb. ex Fabric. *cives* laudat, nec omnino iuvat in tali re codicum testimonia persequi. Sed quantopere nostra scriptura vulgari praestet non opus est per singula exequi. *Diiudicare inter aliquas sententias* habes Tuscul. I, 11 §. 23. — *falso iudicasse]* Vulgo *falsum,* quod miror tam diu toleratum esse. Nunc corrige ex Lag. 42 (pr. m.) — *in senatu esse]* Vulgo *ne esset,* quod iam priore edit. Lambinus emendavit, nam *vetare* non construitur apud Ciceronem cum particula prohibitiva, et sequitur continuo Infinitivus. Nunc illa coniectura testimonio Lag. 42 (pr. m.) firmatur.

quam peteret, cum iste calumniae licentiam sua auctoritate ostendisset: ignominia autem illa gravis tamdiu in illo homine fuit, quamdiu iste in provincia. Hoc iniecto metu iudicibus, novo more, nullo exemplo, ecquam rem putatis esse in Sicilia, nisi ad nutum istius, iudicatam? Utrum id solum videtur esse actum, quod est tamen actum, ut haec Heraclio pecunia eriperetur?

---

§. 67. *calumniae licentiam sua auctoritate ostendisset]* Libri mss. *possedisset.* Quod quamvis ferri nequeat, tamen tulerunt Iuntinus editor et Naugerius: anno 1534 Victor. edidit *praebuisset*, Hervagius *dedisset:* illud Manutius, Lambinus, alii probarunt, hoc per repetitiones Lambinianas ad Gruterum fluxit et inde propagatum est ad recentiores omnes. Neque iniuria, nam *licentiam dare* saepe Cicero, *praebere* nusquam, etsi nihil impedit. Sed originem scripturae vides. Quanto praestat unum librum sequi, qui quidem aliquid quod intelligi possit praebet, Lag. 42 (pr. m.), in quo est *ostendisset:* et hanc Fabriciani quoque lectionem fuisse commemoratio in marg. repet. Lamb. probat, etsi eam *alior.* esse, non *vet. cod.* scripturam illic notatur. *Ostendere* h. l. est polliceri, ut saepe. — *iste in provincia]* Delevi *mansit*, quod vulgo additur, quia abest a Lag. 42 (pr. m.) nec inventum videtur in Fabric. quantum quidem intelligo ex eo, quod Lambinus in marg. repet. coniecit *in illo homine mansit, quamdiu iste in provincia fuit.* Revera in Lag. 29 (pr. m.) *fuit* repetitur.

ut haec Heraclio] Vulgo *haec* abest, sed adiecimus propter bonorum omnium consensum. In fine capitis *essent in potestatem* codex Nannianus, non Lagom. 42 neque alius ullus e nostris. Non congeram h. l. locos, ubi *esse* et *versari* cum praepositione *in* et Accus. coniungantur, satis, si quis dubitet, dabunt et Gellius Noct. Att. I, 7 et interpretes ad Liv. II, 14, et Garatonius ad orat. pro Quint. 30, quique ab illis laudantur: tantum ex his ipsis orationibus duos indicabo, ubi aut nulla est aut exigua librorum varietas: Divin. 20 *ab exteris rationibus, quae in amicitiam populi Rom. dicionemque essent;* et lib. V, 38 *quod, qui illam partem urbis tenerent, in eorum potestatem portum futurum intelligebant.* Quam late autem ille usus patuerit, vide apud Klenzium ad legem Serviliam p. 23, cui etsi concedo, antiquorum in eo genere sive libertatem sive negligentiam nullis certis finibus circumscriptam fuisse, cito tamen usus observatione quadam astringi coepit, a qua boni scriptores non fere recederent. Itaque ne hanc quidem quasi consuetudine iam probatam formulam *in potestatem esse*, nisi ubi codicum auctoritas cogit, servarim, sicut neque h. l. restituo, neque pro lege Man. c. 12, ubi in optimo Erfurt. legitur *in potestate futurum.*

an etiam illud, in quo praeda erat maxima, ut, nomine iudiciorum, omnium bona atque fortunae in istius unius essent potestate?

Iam vero in rerum capitalium quaestionibus quid 28
ego unamquamque rem colligam et causam? Ex mul- 68
tis similibus ea sumam, quae maxime improbitate excellere videbuntur. Sopater quidam fuit Halicyensis, homo domi suae cum primis locuples atque honestus. Is ab inimicis suis apud C. Sacerdotem praetorem rei capitalis cum accusatus esset, facile eo iudicio est liberatus. Huic eidem Sopatro iidem inimici ad C. Verrem, cum is Sacerdoti successisset, eiusdem rei nomen detulerunt. Res Sopatro facilis videbatur, et quod erat innocens, et quod Sacerdotis iudicium improbare istum ausurum non arbitrabatur. Citatur reus: causa agitur Syracusis: crimina tractantur ab accusatore ea, quae erant antea non solum defensione, verum etiam iudicio dissoluta. Causam Sopatri defen- 69
debat Q. Minucius, eques Romanus in primis splendidus atque honestus, vobisque, iudices, non ignotus. Nihil erat in causa, quod metuendum, aut omnino quod dubitandum videretur. Interea istius libertus et

§. 68. *Ex multis similibus]* Qui isti nonnulli veteres fuerint, in quibus Hotomanus *nillibus* pro *similibus* se invenisse dicit, nescio, nec curo: nam ineptum est. — *fuit Halicyensis]* Non potest ad h. l. ulla moveri dubitatio de plena libertate civitatis Halicyensis, quam orator III, 6 *immunem ac liberam* fuisse dicit. Neque enim ista libertas ad causas capitales eas pertinere potuit, quibus publica salus ac securitas in periculum vocatur. A iurisdictione praetoris liberi erant, sed si qua causa capitalis ex eo genere esset, ut ipsius urbis moenibus non contineretur, evocabantur a praetore et causam dicere iubebantur. — *atque honestus]* Singularis scriptura est Lag. 42 (pr. m.) *virque honestus*. — *Huic eidem Sop. — eiusdem rei nomen detulerunt]* Nova locutio, pro *eiusdem Sopatri nomen de eadem re detulerunt*, sed libri mss. nihil mutant, nisi quod Lag. 29 bis *idem* pro *eidem* et *iidem* habet.

§. 69. *Q. Minucius]* Lag. 42 h. l. *Mutius*, post *nūtius*.

accensus Timarchides, qui est, id quod ex plurimis testibus priore actione didicistis, rerum huiuscemodi omnium transactor et administer, ad Sopatrum venit: monet hominem, ne nimis iudicio Sacerdotis et causae suae confidat: accusatores inimicosque eius habere in animo pecuniam praetori dare: praetorem tamen ob salutem malle accipere: et simul malle, si fieri posset, rem iudicatam non rescindere. Sopater, cum hoc illi improvisum atque inopinatum accidisset, commotus est sane, neque in praesentia Timarchidi quid responderet habuit, nisi se consideraturum, quid sibi de ea re esset faciendum: et simul ostendit, se in summa difficultate esse nummaria. Post ad amicos rettulit;

---

§. 69. *et accensus Tim.]* Vulgo interponitur *idem*, sed ei pronomini h. l. nullus est locus, neque enim hoc memorabile videri potuit, eundem accensum et libertum fuisse, quoniam istiusmodi ministri fere semper libertini ordinis esse solebant. Delevi igitur auctoritate usus Lag. 42 (pr. m.) — *huiuscemodi]* Sic mss. omnes; editi *huiusmodi*.

causae suae] Adieci *suae* ex Lag. 29. 42 Paris. A B, et concinnitas ipsa verborum requirere videtur. — *praetorem tamen ob salutem malle accipere]* Edd. principes et codd. msti *absolute* habent, unde Naugerius rectissime fecit *ob salutem*, sicut c. 32 de eodem homine *a quo pecuniam ob absolvendum acceperis*. Neque ea est emendatio, sed scriptura librorum mss. quales sunt Lag. 29 Paris. A B. Itaque sic obtinuit usque ad repet. Lamb., in qua scriptum est *a salute*, cum in marg. sit *alios habere eo absoluto et ob salutem*. Dubitari etiamnunc potest, num ipse sic voluerit Lambinus, cum alibi fere eius correctiones in margine littera L notari soleant, sed tamen videtur ea in re Fabricianum secutus esse, quia *a salute* item est in Lag. 42 (pr. m.). Gruterus hoc de textu repet. Lamb. recepit, utrum incuria, vulgarem illum existimans, an quia in Metell. fuerit, incertum est. Sic ad Ernestium propagatum est, qui ut propius accederet ad scripturam vett. editionum, fecit praeterea *ab salute* et hoc exquisite dictum putavit, quoniam *ab* saepe esset a parte alicuius. Quod mihi quidem persuadere non possum: neque enim *salus* est innocens, sive iusta causa, ut res pro homine dici possit. Itaque optimos illos libros in hoc verbo mendosos fuisse puto, quod quidem saepissime sunt, neque hoc loco longa demonstratione opus est, cum insequens verbum a littera *m* incipiat. — *commotus est]* Lag. 42 (pr. m.) *convictus*, idem verba *de ea re* omittit, et *suprema* habet pro *summa*.

qui cum ei fuissent auctores redimendae salutis, ad Timarchidem venit: expositis suis difficultatibus, hominem ad HS LXXX perducit: eamque ei pecuniam numerat. Posteaquam ad causam dicendam ventum est: 29
tum vero sine metu, sine cura omnes erant, qui So- 70
patrum defendebant. Crimen nullum erat: res iudicata: Verres nummos acceperat. Quis posset dubitare, quidnam esset futurum? Res illo die non peroratur: dimittitur iudicium. Iterum ad Sopatrum Timarchides venit: ait, accusatores eius multo maiorem pecuniam praetori polliceri, quam quantam hic dedisset: proinde, si saperet, videret, quid sibi esset faciendum. Homo, quamquam erat et Siculus, et reus, hoc est et iure iniquo, et tempore adverso, ferre tamen atque audire diutius Timarchidem non potuit: *Facite*, inquit, *quod vobis libet, daturus non sum amplius.* Idemque hoc amicis eius et defensoribus videbatur: atque eo etiam magis, quod iste, quoquo modo se in ea quaestione praebebat, in consilio tamen habebat homines honestos e conventu Syracusano, qui Sacerdoti quoque in consilio fuerant tum,

§. 70. *sine metu, sine cura]* Lag. 42 (pr. m.) tantum *sine cura*, sed in eiusmodi omissionibus soli illi libro minime fido. Sed paulo post idem *res erat iudicata*, ubi vulgo *erat* omittitur. Omittendi causam video, addere non solet ille liber: sed orator ipse etiam in ea re nonnihil secutus videtur. — *Quis posset dubitare]* Edd. princ. usque ad Hervag. et Vict. *possit*, partim etiam *qui:* sed lectione nunc vulg. nihil rectius, quamquam ea de nostris solius Lag. 42 auctoritate firmatur. — *proinde, si saperet, videret, quid sibi esset faciendum]* Cod. Fabric. (et Metell.) et Lag. 42 (pr. m.) brevissime sane *proinde videret, saperet:* nihil praeterea. *Videret* sic absoluto pro *provideret, caveret* dici non placet, sed res dubia est. Idem Metellianus et Lag. paulo post *facite quod libet*, omisso pronomine. — *in consilio tamen]* Vulgo *tamen in consilio*, sed sonus, qui est in *consilio*, magnopere commendabat ordinem verborum, qui est in Lag. 42 (p. m.).

Sacerdoti] Codd. praeter unum Lag. 42 *Sacerdotis*, item editt. vett. usque ad Lambinianam repet. in cuius textum haud dubie ex Fabriciano venit, servavitque Gruterus. Cf. ad c. 33 §. 81.

cum est idem hic Sopater absolutus. Hoc rationis habebant, facere eos nullo modo posse, ut eodem crimine, eisdem testibus, Sopatrum condemnarent iidem homines, qui antea absolvissent. Itaque hac una spe
71 ad iudicium venitur. Quo posteaquam ventum est, cum in consilium frequentes convenissent iidem, qui solebant, et hac spe tota defensio Sopatri niteretur, consilii frequentia et dignitate, et quod erant, ut dixi, iidem, qui antea Sopatrum eodem illo crimine liberarant: cognoscite hominis apertam, ac non modo non ratione, sed ne dissimulatione quidem tectam improbitatem et audaciam. M. Petilium, equitem Romanum, quem habebat in consilio, iubet operam dare, quod rei privatae iudex esset. Petilius recusabat, quod suos amicos, quos sibi in consilio esse vellet, ipse Verres retineret in consilio. Iste homo liberalis negat se quemquam retinere eorum, qui Petilio vellent adesse. Itaque discedunt omnes. Nam ceteri quoque impetrant, ne retineantur, qui se velle dicebant alterutri eorum, qui tum illud iudicium habebant, adesse. Itaque iste solus cum sua cohorte nequissima relin-

---

§. 70. *tum cum est idem hic Sopater absolutus]* Sustuli mendum orationis e vet. cod. in marg. rep. Lamb. et Lag. 42, *est* pro vulg. *esset* edens. *Cum absolveretur* ferri posset, quamquam hoc quoque analogiae repugnaret, sed *cum esset absolutus* nec sententiae nec analogiae convenit. — *eisdem testibus]* Vulgo scribitur *iisdem*, sed etiam in ea re malui Lag. 42 sequi.

§. 71. *hac spe]* Sic Lag. 42 (pr. m.). Vulgo *hac una spe*, sed iam satis dictum videtur de *una* illa spe. — *quem habebat in consilio, iubet* cet.] *Habebat* ex Nannii codice editum est, cui accedunt nunc IV nostri boni, cum in edd. princ. et ceteris codd. *habet* legatur. Interiectas enuntiationes cum ad narrationem non pertineant, rectius est suo et proprio tempore pronuntiari. Sic paulo post *ceteri impetrant, qui dicebant*, et c. 8 *non enim quaestor petit is, qui Erycum montem obtinebat;* cap. 15 extr. *indices dentur ex his civitatibus, quae in id forum convenirent.* — *retineret in consilio]* Addidimus haec extrema duo verba ex Lag. 42 (pr. m.) cum vulgo abessent. Videntur ea requiri, quod dixit *ipse Verres*.

quitur. Non dubitabat Minucius, qui Sopatrum de- 72
fendebat, quin iste, quoniam consilium dimisisset, illo die rem illam quaesiturus non esset: cum repente iubetur dicere. Respondet, Ad quos? Ad me, inquit, si tibi idoneus videor, qui de homine Siculo ac Graeculo iudicem. Idoneus es, inquit: sed pervellem adessent ii, qui affuerant antea, causamque cognorant. Dic, inquit: illi adesse non possunt. Nam hercule, inquit Minucius, me quoque Petilius, ut sibi in consilio essem, rogavit: et simul a subselliis abire coepit.
Iste iratus hominem verbis vehementioribus pro- 73
sequitur, atque ei gravius etiam minari coepit, quod
in se tantum crimen invidiamque conflaret. Minucius, 30
qui Syracusis sic negotiaretur, ut sui iuris dignitatisque meminisset, et qui sciret, ita se in provincia rem augere oportere, ut ne quid de libertate deperderet, homini quae visa sunt, et quae tempus illud tulit et causa, respondit: causam sese, dimisso atque ablegato consilio, defensurum negavit, itaque a subselliis discessit: idemque hoc praeter Siculos ceteri Sopatri

---

§. 72. *rem illam quaesiturus non esset]* *Quaerere rem* pro cognoscere s. quaerere vel inquirere *de re* alibi apud Ciceronem me invenire non memini: sed apud alios reperitur, ut apud Livium XXXIII, 36 *ad coniurationem servorum quaerendam opprimendamque praetor missus.* — *Nam hercule]* Repercutit hominem ficto assensu, sed aliorsum casuro. Cf. de hoc elliptico usu coniunctionis *nam* ad lib. III, 85 init. et Ernest. in clave. — *inquit Minucius]* Vulgo *Q. Min.* sed abest praenomen a Lag. 42 (pr. m.) et videtur ipsum leporem et velocitatem orationis impedire. — *sibi in cons. essem]* Sic idem Lag. 42 (pr. m.) optime: nam in eo, quod vulgo legitur *ut sibi in cons. adessem*, duae constructiones verborum quasi confunduntur.

§. 73. *conflaret]* primus Lambinus scripsit in margine repet. edit. confirmatque de meis unus Lag. 42. Edd. veteres et reliqui codices *conflarit.*

rem augere] Ita Naugerius correxit veterem scripturam, quae eadem est omnium codicum, *rem agere.* Illius patrocinium solus Nannius suscepit, sed neminem movit: cogit enim oppositio, neque *agit* rem negotiator, sed *gerit.*

74 amici advocatique fecerunt. Iste, quamquam est incredibili importunitate et audacia, tamen subito solus destitutus pertimuit et conturbatus est. Quid ageret, quo se verteret, nesciebat. Si dimisisset eo tempore quaestionem, post, illis adhibitis in consilium, quos ablegaverat, absolutum iri Sopatrum videbat: sin autem hominem miserum atque innocentem ita condemnasset, cum ipse praetor sine consilio, reus autem sine patrono atque advocatis fuisset, iudiciumque C. Sacerdotis rescidisset, invidiam se sustinere non posse tantam arbitrabatur. Itaque aestuabat dubitatione: versabat se in utramque partem, non solum mente, verum etiam corpore; ut omnes, qui aderant, intelligere possent, in animo eius metum cum cupiditate pugnare. Erat hominum conventus maximus, summum silentium, summa expectatio, quonam esset eius cupiditas eruptura: crebro se accensus demittebat ad aurem Ti-

---

§. 74. *Si dimisisset — quaestionem]* Dimittere *quaestionem* paulo insolentius dixit, dimittimus enim consilium, iudicium, exercitum, i. e. homines abire iubemus; sed rem fere non dimittimus, sed *omittimus, intermittimus.* Sic tamen etiam epist. lib. IX, 1 *librorum usum dimiseram,* non in perpetuum, sed ut post aliquod tempus repeteretur.

adhibitis in consilium] Sic additis verbis *in consilium* liber Nannianus, sed praeter Steph. et Lambinum adhuc nemo recepit. Accedunt nunc reliqui boni libri Lag. 42 et 29 Paris. A B, quorum auctoritas non ea re refellitur, quod nonnunquam *adhiberi* etiam absolute dicuntur, quorum consiliis utimur. Porro Lag. 42 *ablegaverat* plene: vulgo contracte.

ita condemnasset] Adiicere *ita* debui propter consensum Lag. 29 et 42 et Paris. B, neque id verbum non ad sententiam complendam pertinet. Est enim fere pro *tum.* — *non posse tantam]* Lagom. 29 Paris. A B *tantam non posse.* — *metum cum cupiditate pugnare]* Sic Nannii et Metell. codices, vulgo *metum cupiditatemque*, non minus bene, sed illorum concordiae non erat obnitendum. Etiam Lamb. sic ediderat pr. edit. quod omiserunt repetitores notare. Firmant nunc quattuor boni nostri. — *crebro se accensus demittebat ad aurem] Demittebat* scribendum esse cum Lambino, quamvis in codicibus mss. sit *dimittebat*, nemo opinor, semel admonitus, negabit. Tu lege quod Garatonius accurate ad h. l. notavit. Sed ordinem verborum, qui vulgo est *dimittebat se acc.*, auctoritate quattuor meliorum mutavimus.

marchides. Tum iste aliquando, Age, dic, inquit. Reus orare atque obsecrare, ut cum consilio cogno- 75
sceret. Tum repente iste testes citari iubet: dicit unus et alter breviter: nihil interrogatur: praeco *di-xisse* pronuntiat. Iste, quasi metueret, ne Petilius, privato illo iudicio transacto aut dilato, cum ceteris in consilium reverteretur, ita properans de sella exilit: hominem innocentem, a C. Sacerdote absolutum, indicta causa, de sententia scribae, medici haruspicisque condemnat.

Retinete, retinete hominem in civitate, iudices: 31
76

---

§. 75. *Reus orare atque obsecrare, ut* cet.] Nova prorsus et a vulg. abhorrens lectio h. l. e cod. Metell. et Fabric. adde nunc etiam Lag. 42 (pr. m.) prolata est, quam equidem in textum recipere malui, non sane initio tam vitio vulgatae, quam auctoritate illorum codd. permotus. Nam vulgo est *Sopatrus implorare hominum atque deum fidem.* Non nego tamen in hoc aliquid inesse quod offendat, primum nominis forma *Sopatrus*, cum alibi semper sit *Sopater*, quae concreta voce *reus* confecta videri possit. Deinde quod Garatonius notavit, non solere illam formulam *implorare fidem* in precibus ut aliquid fiat adhiberi, sed in conquerenda iniuria, velut si h. l. sequeretur: ne adversariis suis proderetur. Quocirca Garaton. utramque lectionem coniungendam censuit, atque ita fere legitur in Paris. A B Lag. 29: *Sopatrus implorare deum fidem atque hominum, obsecrare*, sed longe tamen tutius videtur esse, quorum librorum fidem in dubiis locis semper expertus sis, eosdem, ubi varia corrigendi ratio ostenditur, simpliciter sequi. — *iudicio transacto aut dilato]* In cod. Metell. *perlato* legi annotavit Gruterus, inepte, indice Graevio. At haud dubie *prolato* librarius aut scripsit aut voluit scribere. Itaque animus mihi dubius est et codicem illum sequerer, nisi prorsus eodem iure orator *dilato* dicere potuisset. Lag. 42 (pr. m.) *et perlato.*

exilit: hominem innocentem — condemnat] E Nannii cod. dudum *condemnat* pro vulg. *condemnavit* notum erat, quod item inventum est in Lag. 29 et 42 et Paris. B. Nunc etiam *exilit* liquido Lag. 42 pro vulg. *exsiluit*, neque dubitandum quin his Praesentibus vigor orationis multum augeatur. Non prorsus omittendum *a C.* esse e Fabric. (Lag. 42 pr. m.) et primum in edit. repet. Lamb. prolatum. Reliqui enim libri mss. omittunt, et diu sic edebatur donec primi Vict. et Hervag. saltem praepositionem adiecerunt.

parcite et conservate, ut sit qui vobiscum res iudicet, qui in senatu sine ulla cupiditate de bello et pace sententiam ferat. Tametsi minus id quidem nobis, minus populo Romano laborandum est, qualis istius in senatu sententia futura sit. Quae enim eius auctoritas erit? quando iste sententiam dicere audebit aut poterit? quando autem homo tantae luxuriae atque desidiae nisi Februario mense aspirabit in cu-

§. 76. *ut sit qui vobiscum res iudicet]* Ex repet. Lamb. in Gruterianam fluxit *nobiscum*, priores enim omnes summo consensu quod nos edidimus, neque inepte Beckius hac recepta lectione magis pungi iudices notat. Neque libri mss. variant praeter unum Lag. 6, qui habet *nobiscum*. — *sententiam ferat]* Senatores sententias *dicere*, non *ferre* solent, quemadmodum iudices. Itaque Lambinus de Hotomani sententia sic h. l. correxit. Sed cf. Ernestium in clave, locum ex epist. lib. XI, 21 laudantem. — *Tametsi — futura sit]* Totum hoc membrum orationis abest a codd. vulgaribus (Lag. VII Paris. C Oxon. Huyd.) et edd. vett. usque ad Naugerium, qui primus ex aliquo meliorum adiecit. — *tantae luxuriae atque desidiae]* Genitivos constanter exhibet Lag. 42 (pr. m.) pro Ablativis.

aspirabit in curiam] Servius ad Virg. Aen. XII vs. 352 *ad curiam* laudat. Sed de loco probo praepositionem *in*, ut pro Sulla c. 18 *in campum* (Martium). Contra *ad hominem* et *ad rem occupandam* dicimus. *Februario mense* legationes exterarum civitatum et regum audiri solitas esse, rem fructuosam principibus senatus, supra attigimus ad I, 35 extr. neque dubium est. Locus principalis est in epist. ad Qu. fr. II, 13, quo quidem etiam Gabiniae legis mentio fit, quamquam demum aliquot annis post hanc orationem habitam (a. Chr. 67) latae, qua sanctum sit, *ut ex Cal. Febr. usque ad Cal. Mart. legatis senatus cotidie* (si opus esset) *daretur*. Sed ipsa res, ut legationes principio anni, confectis rebus quae ad summam rem publicam pertinerent, in senatum introducerentur, antiquissima, cf. Livii lib. XLIV, 19. Quae tum dicit futura esse ut mense Februario anni proximi 69 a. Chr. in senatu agantur, re vera facta sunt: bellum Cretensibus indictum et gestum a Q. Metello, collega Hortensii, proconsule: Byzantium sui iuris factum, vide orat. de prov. consul. c. 4. Sed quem Ptolemaeum dicat, non apparet. Regnabat tum Alexander, a Sulla olim adiutus et Aegyptiis impositus, qui et ipse Ptolemaeus (XI) more gentis dicebatur: sed regnabat invisus Aegyptiis, et paucis post annis eiectus est et Tyri mortuus (cf. Cic. de lege agr. II, 16). Itaque hunc esse non puto, sed eius competitorem Auleten (Ptolemaeum XII), tum quidem, ut videtur, voti non factum compotem, sed mox Alexandri successorem.

riam? Verum veniat sane: decernat bellum Cretensibus; liberet Byzantios; regem appellet Ptolemaeum; quae vult Hortensius, omnia dicat et sentiat: minus haec ad nos, minus ad vitae nostrae discrimen, minus ad fortunarum nostrarum periculum pertinent. Il- 77
lud, illud est capitale, illud formidolosum, illud optimo cuique metuendum, quod iste, si ex hoc iudicio aliqua vi sese eripuerit, in iudicibus sit necesse est, sententiam de capite civis Romani ferat, sit in eius exercitu signifer, qui imperium iudiciorum tenere vult. Hoc populus Romanus recusat, hoc ferre non potest: clamat permittitque vobis, ut, si istis hominibus delectemini, si ex isto genere splendorem ordini atque ornamentum curiae constituere velitis, habeatis sane istum vobiscum senatorem, etiam de vobis iudicem, si vultis, habeatis: de se homines, si qui extra istum ordinem sunt, quibus ne reiiciundi quidem amplius

---

§. 77. *illud formidolosum]* Sic omisso *est*, quod in libris mss. nostris praeter Lag. 42 omnibus interponitur, primum extat in Lamb. repetita, ex qua in Gruter. transiit. Sed ex eodem cod. nostro paulo post ordinem verborum correximus, cum vulgo fuisset *iste, ex hoc iudicio si aliqua vi se eripuerit.* — *si ex isto]* Vulgo *hoc*, sed *isto* significantius Paris. A B Lag. 29, quo etiam Lag. 42 pertinet, in quo mendose legitur *es.* — *habeatis sane istum vobiscum* cet.] Sunt h. l. plures codd. lectiones enotatae, una paulo notabilior ex Hotomani vet. cod. in quo pro *vobiscum* simplex *vobis* legatur. Probarunt hoc Lambinus, Graevius, Ernestius: et quidni probent, modo de fide illius codicis constet. Veruntamen, quod ait Ernestius, *habeatis vobis* ita quasi legitime in eiusmodi sensu dici, vereor ut probare possit: *vobiscum habeatis* certe aeque bene dicitur, i. e. sit in vestro coetu, vobiscum una in senatu sententiam dicat. In altera parte periodi edd. princ. omittunt duo verba *istum etiam*, Iuntinus editor addidit *istum*, Nannius denique *etiam* in cumulum quasi adiecit *(istum etiam iudicem):* nec discesserunt reliqui. Sed vetus cod. in Lamb. marg. et Lag. 42 totum locum sic repraesentat: *Habeatis sane istum vobiscum senatorem, etiam de vobis* cet. (quamquam hic alter mendose *habeamus nobiscum — nobis):* neque vere videtur Nannius in suo codice et *istum* et *etiam* esse significasse, quoniam qui *istum* habent libri mss. non item *etiam.* — *si qui extra istum ordinem sunt]* Hotoma-

quam trium iudicum praeclarae leges Corneliae faciunt potestatem, hunc hominem tam crudelem, tam scele-
32 ratum, tam nefarium, nolunt iudicare. Etenim si il-
78 lud est flagitiosum (quod mihi omnium rerum turpissimum maximeque nefarium videtur) ob rem iudicandam pecuniam accipere, pretio habere addictam fidem et religionem: quanto illud flagitiosius, improbius, indignius, eum, a quo pecuniam ob absolvendum acceperis, condemnare, ut ne praedonum quidem praetor in fide retinenda consuetudinem conservet? Scelus est accipere ab reo: quanto magis ab accusatore? quanto etiam sceleratius ab utroque? Fidem cum proposuisses venalem in provincia, valuit apud te plus is, qui pecuniam maiorem dedit. Concedo: forsitan aliquis aliquando eiusmodi quippiam fecerit. Cum vero fidem ac religionem tuam iam alteri addictam pecunia ac-

---

nus secundum cod. suum *si* delendum censuit, et delevit Lallem. volentibus, ut ait, codd. suis. Quod de codd. dicit vix credidi, et nunc falsum esse intelligo, sed offendit sane *si qui* pro *qui*, ubi ne minima quidem dubitatio, num sint, videtur constitui posse. Cf. Gramm. meam §. 737. Verum si lectio certa est, ut est, hinc etiam Ant. Augustini coniectura, quam Ferratius quidem contempsit, verisimilis fit, pertinere illam trium iudicum reiectionem, lege Cornelia institutam, ad legem de pecuniis repetundis, qua raro homines de plebe rei fierent.

ne reiiciundi quidem amplius quam trium iudicum — faciunt potestatem] Senatores nimirum plures reiicere poterant, sicut in hac causa Verres sex reiecerat, vide lib. I c. 7; III, 41; V, 44. Cf. ad hunc locum Ferratium. De Genitivo *trium iudicum* Accusativi loco cum Genitivo Gerundii coniuncto vide Gramm. nostram §. 661, ubi quattuor praeter hunc loci scriptoris nostri laudantur.

§. 78. *est flagitiosum]* Ante Nanniani cod. notitiam *tam* vulgo interponebatur, quod in nostris quoque codicibus mss. est praeter unum Lag. 42. — *conservet]* pro vulg. *conservaret* scripsi Lag. 42 (pr. m.) fidem secutus, quia generaliter dictum videtur. — *iam alteri addictam] Iam* e libro Nannii accessit, sed idem Nann. scripturam libri sui proferens omittit verba *pecunia accepta*, (consulto, an quia non putavit pertinere ad propositum suum, non dixerim.) Lamb. quidem edidit *iam ante*, sed priore edit., ut coniecturae tribuendum sit, quoniam tum nondum schedis Fabric. utebatur. Omnino sic, ut vulgo nunc edi-

cepta habueris, post eandem adversario tradideris maiori pecunia: utrumque falles? et trades cui voles? et ei, quem fefelleris, ne pecuniam quidem reddes? Quem mihi tu Bulbum, quem Stalenum? quod un- 79
quam huiuscemodi monstrum aut prodigium audivimus aut vidimus, qui cum reo transigat, post cum accusatore decidat? honestos homines, qui causam norint, ableget a consilioque dimittat? ipse solus reum abso-

---

tur, est in Lag. 42 (pr. m.) Etiam quod editur *adversario tradideris* unius Lagom. 42 fide nititur, sed editum est a Lambino (e Fabric.) in textu repet. Reliqui enim boni (Paris. A B) *adversariis trad.* deteriores *adversariis credideris*, quod editiones veteres obtinebat usque ad Naugerium. Itaque convenit etiam in eo, quod *maiori* pro vulg. *maiore* scripsimus, sequi Lag. illum optimum. — *reddes]* correctum est a Naugerio. Bene. Animadverto tamen de nostris codd. in uno esse Lag. 42 et fort. in 29.

§. 79. *Quem mihi tu Bulbum, quem Stalenum]* Subintellige *dicis*, aut cum Verre comparas — iudices, quos fama popularis in causa Oppianici pecunias a reo cepisse, post eundem accepta alia pecunia ab accusatore damnasse ferebat. Rem vide in orat. p. Cluent. c. 28. Hos ipsos improbitate a Verre superatos dicit, nimirum quod Verres praetor fuit et solus ablegatis honestis iudicibus cognovit. Gulielmus cum in Metell. invenisset (sicut etiam in Lag. 42 (pr. m.) legitur) *Tubulum*, illum hoc loco L. Tubulum intelligere maluit, quem Cicero lib. II de Fin. c. 16 praetorem dicit aperte pecunias cepisse, eoque crimine quaestione lege Tribunicia instituta condemnatum esse. Res nimis longa est, quippe anno u. 613, a. Chr. 141 facta, id est, septuaginta fere ante hanc causam annis: ac si Ciceronem ad Att. XII, 5 legis, invenies Ciceronem ipsum auxilio tantum litteratissimi amici de crimine, quo Tubulus damnatus sit, certiorem factum esse. Ceterum *huiuscemodi monstrum* dedimus ex Lag. 42 (pr. m.). Reliqui *huiusmodi.*

a consilioque dimittat] Praepositio a Grutero recepta est e cod. Metell. (et Fabric.) suffragante nunc uno Lag. 42 (pr. m.). Negat quidem Graevius Latine dici *a consilio dimittere aliquem*, cum debuerit *e consilio*, sed ab eius iudicio et Garatonius et Ernestius discesserunt. Quod antea vulgabatur *consilio* Ernestio sine exemplo dictum videtur. Lambinus (sed iam priore editione) scripserat *consiliumque dimittat*, qua emendatione nunc non opus videtur esse, neque totum consilium, si verum quaeris, dimissum est, cum relinquerentur ii, quos Cicero quidem nullo loco habet, e cohorte praetoris, quamquam augendi causa c. 33 dicitur *consilio dimisso* et *remoto consilio.*

lutum, a quo pecuniam acceperit, condemnet, pecuniamque non reddat? Hunc hominem in iudicum numero habebimus? hic alteram decuriam senatoriam iudex obtinebit? hic de capite libero iudicabit? huic iudicialis tabella committetur? quam iste non modo cera, verum etiam sanguine, si visum erit, notabit.

33 Quid enim horum se negat fecisse? Illud vide-
80 licet unum, quod necesse est, pecuniam accepisse. Quidni iste neget? At eques Romanus, qui Sopatrum defendit, qui omnibus eius consiliis rebusque interfuit, Q. Minucius, iuratus dicit pecuniam datam: iuratus dicit Timarchidem dixisse, maiorem ab accusatoribus

---

§. 79. *hunc hominem in iudicum numero habebimus]* Sic e Nannii libro ediderunt Lamb. Gruterus alii, antea *iudicum numero* omissa praepositione, id quod revocarunt Graevius et Ernestius. Non debebat ad reiectionem nostrae lectionis valere, quod ex uno tantum codice recepta videbatur, nam illo Nannii libro si caruissent harum orationum editores, multo etiam corruptius adhuc circumferrentur. Verum apparet, eandem etiam in Fabriciano (et Metell.) fuisse, unde cum Nannius tradiderit in suo libro esse *in numero iudicum*, tamen in repet. Lamb. editum est *in iudicum numero*, et nunc quidem inveniri in Lag. 42 (pr. m.) confirmo. Sed aliud est, quo veritas huius scripturae ex ipso sermonis Latini usu intelligitur. Nimirum diversa ratione dicitur habere aliquem *numero* et habere *in numero*. *Numero habere*, v. gr. iudicis, idem est ac putare iudicem esse, quo eodem modo dicimus habere aliquem parentis, filii *loco*. Hoc probant duo loci a Gronovio Obs. I, 6 laudati, Nepotis in vita Agesilai: *mirari se non sacrilegorum numero haberi*, et Sueton. Caes. c. 11 *eos quoque sicariorum numero habuit*, i. e. pro sicariis habuit. Apud Ciceronem sic non invenio, qui aut *numero aliquo esse*, aut *loco haberi* s. *duci* dixerit: sed si hoc sensu dicere voluisset, non *iudicum* sed *iudicis* scribendum ei fuisset, id quod Graevius intellexisse videtur, cum idem sibi corrigendum videri dixit. Sed hic sensus a nostro loco alienus est, quoniam hoc orator vult: Verrem inter iudices habebimus, ut is de nobis iudicet, non, eum iudicem esse putabimus, aestimabimus.

sanguine notabit] Alii iudices corrupti cera versicolori suas tabellas notare solebant, Verres vel sanguinem adhiberet, si hoc postularetur, nam hominum sanguinem vilem prae pretio habere consuevit. Sic cum Garatonio explico: plura vide apud ipsum.

pecuniam dari: dicent hoc multi Siculi, dicent omnes Halicyenses, dicet etiam praetextatus Sopatri filius, qui ab isto homine crudelissimo patre innocentissimo pecuniaque patria privatus est. Verum, si de pecu- 81
nia testibus planum facere non possem, illud negare posses, aut nunc negabis, te consilio tuo dimisso, viris primariis, qui in consilio C. Sacerdoti fuerant tibique esse solebant, remotis, de re iudicata iudicavisse? teque eum, quem C. Sacerdos, adhibito consilio, causa cognita, absolvisset, eundem, remoto consilio, causa incognita, condemnasse? Cum haec confessus eris, quae in foro palam Syracusis, in ore atque in oculis provinciae gesta sunt; negato tum sane, si voles, pecuniam accepisse: reperies, credo, aliquem,

---

§. 80. *multi Siculi, dicent omnes Halicyenses]* Lambinum sic in margine edit. repet. (ex Fabric.) corrigentem pro vulg. *omnes Siculi*, nemo adhuc secutus est. At illud in omnibus bonis libris est, tantum quod a Lag. 29 Paris. A B *omnes*, quod ad *Halicyenses* pertinet, abest. Iam gradatio fit oratoris consilio aptissima.

patre innocentissimo — privatus est] Sopatrum credo solum vertere coactum esse, nam de capitis supplicio non est quod metuamus, quoniam longe id acrius Cicero egisset. Lag. 42 (pr. m.) addit *pecuniaque accepta*, quod verum esse tum posset, si *patre innocentissimo* esset pro „quamvis eius pater esset innocentissimus." Sed *patria* filium privare qui potuit praetor?

§. 81. *qui in consilio C. Sacerdoti fuerant]* Sic cod. Nannianus et altera edit. Lamb. unde adducebar, ut putarem, sic illum invenisse in schedis Fabricianis. Et recte. Nam invenio item hoc esse in Lag. 29 et 42 et Paris. A B. Vulgo *Sacerdotis*, quod ne respondet quidem insequenti *tibi esse solebant*. Idem vitium supra c. 29 §. 70 dudum sublatum est. Tum *iudicavisse* plene quattuor boni Lag. 29. 42. Par. A B. Vulgo *iudicasse*. — *atque in oculis]* Praepositionem primus repetivit Lamb. priore edit. transiitque in alteram et porro. Tuetur eam de meis libris solus Lag. 42. — *negato tum sane — pecuniam accepisse] Tum* addidi iussu bonorum librorum omnium, nam quod in Metell. et Lag. 29. 42 fuit *nega totum*, magis etiam scripturae veritatem demonstrat. Porro Lamb. edidit *te pecuniam accepisse*, in quo ipse fortasse Ciceronem corrigere ausus est, sed adiutores invenit Lag. 29 et Paris. B. Sed illis libris contra reliquos bonos tantum non tribuo. Cf. ad lib. I, 23.

qui, cum haec, quae palam gesta sunt, videat, quaerat quid tu occulte egeris, aut qui dubitet, utrum malit meis testibus, an tuis defensoribus credere.

82 Dixi iam ante, me non omnia istius, quae in hoc genere essent, enumeraturum, sed electurum ea, quae
34 maxime excellerent. Accipite nunc aliud eius facinus nobile, et multis locis saepe commemoratum, et eiusmodi, ut in uno omnia maleficia inesse videantur. Attendite diligenter: invenietis enim, id facinus natum a cupiditate, auctum per stuprum, crudelitate
83 perfectum atque conclusum. Sthenius est, is qui nobis assidet, Thermitanus, antea multis propter summam virtutem summamque nobilitatem, nunc propter suam calamitatem atque istius insignem iniuriam omnibus notus. Huius hospitio Verres cum esset usus, et cum apud eum non modo Thermis saepenumero fuisset, sed etiam habitasset; domo eius omnia abstu-

---

§. 82. *Dixi iam ante]* Vulgo *antea*, sed sequor optimum Lagom. Porro *iudices* addidit Lamb. priore, quod omni librorum auctoritate destitutum tamen adhuc obtinuit. Id igitur eieci.

invenietis enim] Sic editum est primum a Steph. ex Nanniano cod. quocum Metellianus concordat, et e nostris solus Lag. 42. Reliqui libri *Attendite enim diligenter*, *invenietis*. Quod Lamb. antea edidit *in hoc uno* nullo codice nostro firmatur.

§. 83. *suam calamitatem]* Opponitur *istius iniuria.* Tamen *summam* Victor. et Hervag. mansitque invitis codicibus (nam unus Lag. 6 nullius momenti est) usque ad Gruterum. — *non modo Thermis]* Cod. Nann. *et cum solum apud eum non modo non fuisset*, ex quo factum in textu edit. Lamb. repet. *et cum apud eum solum Thermis saepe non fuisset modo* cet. probante Garaton. Ego in cod. Nanniani lectione nihil aliud invenio, quam dubitationem an pro *modo* scribendum esset *solum*, id quod etiam e codicum Paris. et Franc. scriptura *non modo solum* intelligitur: Lagom. omnes traduntur exhibere *non solum*, sed fortasse eadem res est quae in Parisiensibus. Sane equidem sic malim: *et cum saepenumero apud eum non modo fuisset*, sed nihil tamen de *Thermis* omissis in codd. nostris invenio.

domo eius omnia] Inverso ordine Lag. 29 et Paris. A B *omnia domo eius*.

lit, quae paulo magis animum cuiuspiam aut oculos possent commovere. Etenim Sthenius ab adolescentia paulo studiosius haec compararat, supellectilem ex aere elegantiorem, et Deliacam, et Corinthiam, tabulas pictas, etiam argenti bene facti, prout Thermitani hominis facultates ferebant, satis. Quae, cum esset in Asia adolescens, studiose, ut dixi, compararat, non tam suae delectationis causa, quam ad invitationes adventusque nostrorum hominum, suorum amicorum at-
que hospitum. Quae posteaquam iste omnia abstu- 84
lit, alia rogando, alia poscendo, alia sumendo: ferebat Sthenius, ut poterat: angebatur tamen animi do-

---

§. 83. *paulo studiosius haec compararat]* Sic et hoc loco et deinceps post Nanniani codicis scripturam prolatam editum est, nam editt. princ. *comparat*, Naugerius et reliqui *comparabat*. Codicum autem lectio varia: hic plerique *hoc comparat*, Lag. 42 *hanc compararat;* post VII Lag. *comparabat*, 29 *comparat*. Iam Stephan. et Lamb. nescio quam ob causam *studiosius paulo*, inverso ordine. Sed satis de hisce nugis: hoc dico, per omnia cum Nanniano facere Paris. A B. Ernestium autem, qui propterea, quod sequeretur *ferebant*, hoc quidem loco *comparabat* restituendum sibi putavit, satis refutavit Beckius.

suorum amicorum] Gruterus ex Pal. sec. *amicorum suorum* contra reliquos libros et manu scriptos et editos omnes. Deest *suorum* in Metell. et Lag. 42 a pr. manu.

§. 84. *angebatur tamen animi dolore]* Olim edebatur, sicut est in codd. vulgaribus, *tangebatur*. Post illam Nanniani et Metell. codicis (verisim. etiam Fabric.) scripturam cognitam editores in diversa iverunt. Stephanus simpliciter *angebatur* expressit, ipse Nannius ob mediocritatem doloris, Lambinus quia alii quoque scriptores sic dicerent, praetulerunt *tangebatur*, Gruterus pro socordia sua in conferendis edd. vett. quas adeo praedicat, quia repetitores Lamb. *angebatur* in textu habebant, unice hoc verum esse dicit tamquam antiquitus propagatum. Quo eius errore animadverso Graevius et Ernestius tanto cupidius *tangebatur* defenderunt, et defenderent fortasse etiam si scirent non solum in Nanniano alterum esse, sed etiam in Lag. 29 et 42 (pr. man.) et in Paris. A B. Putant enim *angi dolore* vehementius esse quam ipse Cicero voluerit, cum dixerit Sthenium *tulisse illud ut poterat.* Sed illud ipsum ego negaverim: *angor* enim eam animi aegritudinem significat, quae, cum nec voce nec factis profundatur, premit et contrahit cor; dolor est in visceribus conclusus, quo aptissime etiam Sthe-

lore necessario, quod domum eius exornatam et instructam fere iam iste reddiderat nudam atque inanem. Verumtamen dolorem suum nemini impertiebat: praetoris iniurias tacite, hospitis placide ferendas ar-
85 bitrabatur. Interea iste cupiditate illa sua nota atque apud omnes pervagata, cum signa quaedam pulcherrima atque antiquissima Thermis in publico posita vidisset, adamavit: a Sthenio petere coepit, ut ad ea tollenda operam suam profiteretur, seque adiuvaret. Sthenius vero non solum negavit, sed etiam ostendit, id fieri nullo modo posse, ut signa antiquissima, monumenta P. Africani, ex oppido Thermitanorum, incolumi illa civitate imperioque populi Romani, tollerentur.

35 Etenim, ut simul Africani quoque humanitatem
86 et aequitatem cognoscatis, oppidum Himeram Cartha-

---

nius affectus fuisse dicitur. Contra *tangi dolore* poeticum est et a Ciceronis sermone alienum, cum *angi cura, incommodis, dolore* frequenter ab eo usurpetur, neque tantam vim habeat, quantam Germanicum verbum eadem stirpe ortum. — *et instructam]* Vulgo *atque*, ego Lag. 42 (pr. m.) sequor.

§. 85. *iste cupiditate]* Sic idem Lagom. 42 (pr. m.) sono longe meliore quam vulgo *cupiditate iste illa.* — *atque apud omnes pervagata]* i. e. quae omnes terras atque urbes pervaserat. Sic non solum ex optimis, sed omnibus omnino libris mss., qui nobis innotuerunt, editum est post Nannium a Lamb. Grut. Graevio, a quorum iudicio male discessit Ernestius. Quod sit *pervulgatum* aptius esse dicit famae: at h. l. non fama est, sed cupiditas. — *non solum negavit]* Olim editi et mss. praeter Lag. 42, quos quidem novimus, omnes *non solum id negavit.* Sed recte pronomen delevit Naugerius, sive coniectura ductus, sive, quod magis videtur, bono aliquo libro instructus. Mox *fieri id* Lag. 29 Paris. A B.

§. 86. *Africani quoque hum. et aequitatem]* Postremae duae voces accesserunt e Nanniano, statimque per repetitiones Lambinianas ad Gruterum et porro propagatae sunt. Absunt tamen ab omnibus codd. praeter Lagom. 42 (p. m.). Itaque secundum eundem librum, cuius praestantia facile apparet, delevi etiam *P.* Nam quamvis longe saepius *Africanus* cum praenomine suo dicatur, hoc tamen loco, cum *quoque* sequatur, non sine causa omissum videtur. Quamquam etiam sine aliqua

giuienses quondam ceperant; quod fuerat in primis Siciliae clarum et ornatum. Scipio, qui hoc dignum populo Romano arbitrabatur, bello confecto socios sua per nostram victoriam recuperare, Siculis omnibus, Carthagine capta, quae potuit restituenda curavit. Himera deleta, quos cives belli calamitas reliquos fecerat, ii sese Thermis collocarant, in eiusdem agri finibus, neque longe ab oppido antiquo. Hi se patrum fortunam ac dignitatem recuperare arbitrabantur, cum illa maiorum ornamenta in eorum oppido collocabantur. Erant signa ex aere complura: in his eximia 87
pulchritudine ipsa Himera, in muliebrem figuram habitumque formata ex oppidi nomine et fluminis. Erat etiam Stesichori poetae statua senilis, incurva, cum libro, summo, ut putant, artificio facta; qui fuit Himerae, sed et est et fuit tota Graecia summo propter

---

causa interdum nude vocatur *Africanus*, v. c. supra c. 11. Quod idem Nannius e libro vet. profert, *agnoscatis*, id in nullo praeterea inventum est, nec animadversum ab editoribus. — *dignum — arbitrabatur]* Vulgo *arbitraretur:* sed certe in ea re Lag. 42 auctoritati parendum erat. Neque interest, quomodo dicatur, utrum de Scipionis voluntate, an simpliciter narrandi causa. — *ii sese Thermis collocarant]* De re cf. Drakenb. ad Silium lib. XIV 332, laudatum a Garatonio. — *in eiusdem agri finibus]* Bona est haec emendatio in Vict. et Hervag. edit. antea *hisdem.* Sic etiam vel *iisdem* Lagom. et Pariss. omnes praeter Paris. A qui habet *eisdem*, unde videtur corruptela orta. — *in eorum oppido]* Sic primus Naugerius, prius editi et vulgares de manuscriptis *in illo oppido.*

§. 87. *eximia pulchritudine]* Vulgo *mira*, sed iam Lambinus in marg. repet. voluerat *eximia*, cognita, opinor, Fabriciani codicis scriptura. Eam firmant nunc Lag. 29 et 42 Paris. A B. Singulare autem, quod e Lag. 29 et 42 (pr. m.) notatur *ipse Himera.* — *qui fuit Himerae, sed et est]* Huius scriptura loci, qualis nunc est, e libro Nanniano pendet et eius similibus. Nam mss. ceteri omnes et olim editi insuper addunt *a b e o*, *qui fuit*, quasi haec esse debeat significatio artificis, non poetae laus. Sed *Himeraeum* fuisse Stesichorum, saltem vocatum esse propter domicilium, quod illic habuerit, consentiunt auctores. Quod sequitur *et* ante *est* qua auctoritate additum esset, adhuc nesciebamus, quoniam de textu repetitae Lambinianae in Gruterianam et porro

ingenium honore et nomine. Haec iste ad insaniam concupiverat. Etiam, quod paene praeterii, capella quaedam est, ea quidem mire, ut etiam nos, qui rudes harum rerum sumus, intelligere possimus, scite facta et venuste. Haec et alia Scipio non negligenter abiecerat, ut homo intelligens Verres auferre posset; sed Thermitanis restituerat: non quo ipse hortos, aut suburbanum, aut locum omnino, ubi ea poneret, nullum haberet; sed quod, si domum abstulisset, non diu Scipionis appellarentur, sed eorum, ad quoscunque illius morte venissent: nunc his locis posita sunt, ut mihi semper Scipionis fore videantur, itaque dicantur.

---

migravit. Nunc ex Lag. 42 intelligo ipsum Lambinum e Fabriciano adiecisse. Item *tota Graecia* coniectura Lambini videbatur, negligentia repetitorum e priore editione in textum alterius illata ac deinde per Gruterum propagata. Libri enim mss. et olim editi omnes *tota in Graecia.* Ac sane verisimile videtur, ita Lambinum initio suo consilio emendasse, recte quidem, neque enim aliter solet Cicero (vide nos in Gramm. Lat. §. 482), verum ea coniectura postea videtur esse firmata Fabric. et Metell. Nam praepositio a Lag. 42 (pr. m.) abest.

concupiverat] Sic Lag. 42. Vulgo *concupierat.* — *non quo — sed quod, si domum abstulisset — appellarentur]* Sic liber Nann. secundum quem edi Lamb. voluit. Vulgo *quod* in apodosi omittitur, minus recte, opinor, quoniam tum *appellata essent* necessario scribendum. Lambinus praeterea edidit *non quod* ex sententia Laur. Vallae, Eleg. lib. II c. 37, *non quo* praecipientis adhiberi posse, ubi finis significaretur, *non quod*, ubi causa. Sed quamvis hoc in universum rectissime dictum videatur, infinitum tamen foret, locos qui illi regulae adversantur, corrigere. Cf. huius libri c. 70 extr. 77 §. 189. III, 15 §. 39, quos Lambinus quidem non veritus est vi aggredi. *Appellarentur* autem primum extat in edd. Vict. et Hervag. eiusdem anni, antea fuit *appellabantur*, ut in meis codd. omnibus, etiam Parisinis, praeter Lag. 45. 29. 42 est. — *illius morte]* Sic optimi libri Paris. A B Lag. 29. 42, reliqui *eius*, quod et olim edebatur, priusquam Naugerius *ipsius* corrigeret. Quod si cui placeat eam ob causam, quod ipsius Scipionis sententia esse videatur, meminerit, non sic solere Ciceronem, ut pro reflexivo pronomine alterum illud ponat, sed uti potius eum casibus demonstrativorum *eius, illius.* Vide ad I, 34 §. 86.

Haec cum iste posceret, agereturque ea res in 36
senatu, Sthenius vehementissime restitit; multaque, 88
ut in primis Siculorum in dicendo copiosus est, commemoravit: urbem relinquere Thermitanis esse honestius, quam pati, tolli ex urbe monumenta maiorum, spolia hostium, beneficia clarissimi viri, indicia societatis populi Romani atque amicitiae. Commoti animi sunt omnium: repertus est nemo, quin mori diceret satius esse. Itaque hoc adhuc oppidum Verres invenit prope solum in orbe terrarum, unde nihil eiusmodi rerum de publico per vim, nihil occulte, nihil imperio, nihil gratia, nihil pretio posset auferre. Verumtamen hasce eius cupiditates exponam alio loco: nunc ad Sthenium revertar. Iratus iste vehementer 89
Sthenio et incensus hospitium renuntiat: domo eius

---

§. 88. *Thermitanis esse honestius]* Vulgo *Thermitanos*, nec mutant codd. praeter Lag. 42 (pr. m.) in quo est *relinqui Thermitanis*. Terminationes verborum activorum et passivorum non raro ab eo qui hunc codicem scripsit permutantur, itaque probo, quod haud dubie iussu Lambini et ex Fabric. in textu Lamb. repetitae est, *relinquere Thermitanis*, quod idem Ernestius de integro coniecit. — *prope solum]* Restituit Naugerius. Antea ex deterioribus, Lag. VII Paris. C Oxon. Huyd. *ipse solum*. — *nihil imperio]* Unus Lag. 42 (pr. m.) mendose *iniuria*. Tum *nihil gratia* a principibus editt. et codd. item deterioribus (accedunt h. l. etiam Franc. Meining.) abest. Post *nihil precario* Lag. 42, duo Puteani apud Lambinum, unus Hotom. quod frustra Garatonius conatur tueri. — *hasce eius]* Repetita Lambiniana *hasce huius*, unde ad reliquas pervenit Gruteri negligentia. Nam *eius* libri mss. omnes, et ipsa ratio postulat. Saepe enim cum *iste* fuerit, eo referuntur *eius*, *ei*, *eum*. Vide supra ad I, 17 §. 45.

§. 89. *Iratus — et incensus hosp. renuntiat]* Sic optimi, Paris. A B Lag. 29 et 42 ipseque adeo Fabric. quem in marg. Lamb. agnoscere mihi videor. Vulgares *Itaque iste vehementer Sthenio incensus hosp. ei renuntiat*, sed *infensus* correctum est in Vict. Hervag. et quasi callus toti loco inductus. Iam quamvis possis aliquo modo *itaque* defendere, quod coniungendae orationi inserviat (vide lib. I de Fin. 6 §. 19 ibique Bremium et Goerenzium), patet tamen vulnus vulgatae scripturae male sanatum.

emigrat, atque adeo exit: nam iam ante migrarat. Eum
autem inimicissimi Sthenii domum suam statim invi-
tant, ut animum eius in Sthenium inflammarent emen-
tiendo aliquid et criminando. Hi autem erant inimici
Agathinus, homo nobilis, et Dorotheus, qui habebat
in matrimonio Callidamam, Agathini eius filiam, de
qua iste audierat. Itaque ad generum Agathini mi-
grare maluit. Una nox intercesserat, cum iste Doro-
theum sic diligebat, ut diceres, omnia inter eos esse
communia, Agathinum ita observabat, ut aliquem af-
finem ac propinquum. Contemnere etiam signum il-
lud Himerae iam videbatur, quod eum multo magis
37 figura et lineamenta hospitae delectabant. Itaque hor-
90 tari homines coepit, ut aliquid Sthenio periculi crea-
rent criminisque confingerent. Dicebant se illi nihil
habere quod dicerent. Tum iste his aperte ostendit
et confirmavit, eos in Sthenium, quicquid vellent, si-

---

§. 89. *atque adeo exit: nam iam ante migrarat]* Ipse se corrigit orator: migrare enim tum potius dici poterat, cum Sthenium omni supellectile pretiosa spoliabat et oneratus discedebat. Perspicue rem explicat Garaton. „Qui migrationem faciunt et domicilium mutant, praemittunt ex domo, quam relinquunt, omnem supellectilem; quod cum faciunt, *migrare* dicuntur, licet adhuc in ea domo ipsi consistant, unde novo parato instructoque domicilio denique pedem efferunt exeuntque." Itaque nihil addo, nisi hoc, nostro sermone, si quis uti voluerit, similiter ludere posse cum verbo *ausziehen*, et apertius etiam.

Hi autem erant inimici] Nihil egit Ernestius, quod vocem *inimici* uncis inclusit: orator adeo delectatur eiusmodi repetitionibus, quibus sermonem cotidianum imitatur. — *ac prop.]* Paris. A Lag. 29 *ac inprop.* Fortasse *atque* verum est, quod legitur in edd. antiquis usque ad Naugerium.

§. 90. *Dicebant se illi] Illi* pertinere puto ad *dicerent*, imprimis verborum collocationis causa. — *quicquid vellent]* Codd. et edd. *quicquid vellent dicerent*, quod quomodo recte explicarint, vix dixeris. Itaque Lambinus in altera edit. ex Fabriciano *dicerent* deleri iussit, idque fecit Gruterus Metelliani testimonium addens. Confirmat Lag. 42. Possis alioquin *dicere* emendare. Nunc coniunges *probare in Sthenium.* Idem Lag. 42 *tulissent.*

mul atque ad se detulissent, probaturos. Itaque illi non procrastinant: Sthenium statim educunt: aiunt ab eo litteras publicas esse corruptas. Sthenius postulat, ut, cum secum sui cives agant de litteris publicis corruptis, eiusque rei legibus Thermitanorum actio sit; senatusque et populus Romanus Thermitanis, quod semper in amicitia fideque mansissent, urbem, agros legesque suas reddidisset; Publiusque Rupilius postea leges ita Siculis ex senatus consulto de decem legatorum sententia dedisset, ut cives inter sese legibus suis agerent; idemque hoc haberet Verres ipse in edicto: ut de his omnibus causis se ad leges reiiceret.

---

§. 90. *Itaque illi]* Vulgo *ita*, quod est a Naugerio, sed omnes Lagom. Paris. C *itaque*, et miror e Paris. A B nihil enotatum esse.

litteras publicas esse corruptas] Vox *publicas* accessit e Nannlano, tacentibus Lamb. et Grutero de suis codd. Videtur tamen esse in Paris. A B. — *ut cum secum* cet.] *Cum* addi altera edit. Lamb. voluit, et Gruterus ex Metell. edidit. Nostrorum librorum solus Lag. 42 videtur tueri. Idem Gruterus paulo post *eiusce* pro *eiusque* ex eodem cod. scripsit, manifestum errorem pro lectione variante amplexus. Nam verbum ipsum nullum est, nec possis h. l. copula egere. Verum restituit Ernestius. Sequitur vulgo *cum senatus populusque Rom.* verum quattuor optimi nostri *senatusque et pop. Rom.* prorsus ex more litterarum publicarum, in quibus quae argumentorum vel consecutionis quadam continuatione inter se coniuncta sunt, copula *que* annectuntur. Vide Gramm. nostram §. 333. Fuisse illud etiam ex Fabric. notatum Lambiniana lectio in marg. repet. fidem facit.

urbem, agros legesque] Olim edebatur e vulgaribus *urbes, agros legesque*. Nannius *urbem et agros* e suo vet. libro protulit, quod Car. Steph. Lamb. receperunt, Gruterus contempsit, Graevius denuo quasi de suo restituit. Ceterum *et* non est in reliquis bonis libris nostris, in Paris. A nec *que* post *leges*. — *inter sese]* Codd. deteriores omittunt, meliores habent *sese*, non *se* quod vulgo editur, ni Lag. 42, de quo non diserte traditur, tuetur *se*. Sed praestat tamen sequi Paris. A B Lag. 29. — *de his omnibus causis]* i. e. propter has omnes causas, quod cum Ernestium falleret, mira quaedam h. l. de ἀνακολούθῳ excogitavit. Postulabat Sthenius, ut se Verres ad leges reiiceret, i. e. nihil in se extra ordinem constitueret, sed pro- uti legibus Thermitanorum institutum esset, rem cognosci ac iudicari pateretur. Sed aliud est quod Ernestium recte vidisse puto, ut emendaretur *haberet* pro *habuerit*. Habebat enim Verres per omnem

91 Iste, homo omnium nequissimus atque a cupiditate remotissimus, se cogniturum esse confirmat: paratum ad causam dicendam venire hora VIIII iubet. Non erat obscurum, quid homo improbus ac nefarius cogitaret: neque enim ipse satis occultarat, nec mulier tacere potuerat. Intellectum est, id istum agere, ut, cum Sthenium sine ullo argumento ac sine teste damnasset, tum homo nefarius de homine nobili atque id aetatis suoque hospite virgis supplicium crudelissime sumeret. Quod cum esset perspicuum, de amicorum hospitumque suorum sententia Thermis Sthenius Romam profugit: hiemi sese fluctibusque committere maluit, quam non istam communem Siculorum tempe-
38 statem calamitatemque vitare. Iste, homo certus et
92

---

praeturam Siciliensem, et Cicero cum a Praesentibus incepisset, ipse iam ad Imperfecta et Plusquamperfecta transierat. Atque sic est in Lagom. 42.

§. 91. *atque a cupiditate remotissimus]* Vulgares libri mss. et editi ante Stephanum (erravit enim Ernestius, qui Aldum adiecisse tradidit) *a cup. omnium.* Nannius a suo libro, cui posthac etiam Fabric. et Metelliani testimonium accessit, et nunc accedit Lag. 42 (p. m.), abesse scripserat, sed coniecerat tamen *omni*, quod sic inventum est in Lag. 29 Paris. A. Iam optio datur, utrum delere velis an *omni* scribere. Nos quidem delevimus, constantiam secuti. — *hora VIIII*] Sic repetita editione voluit Lambinus (e Fabric.), probavitque Gulielmus (Metell. usus), estque etiam et hic et paulo post in Lag. 42 (pr. m.), nisi quod pro *hora* librarius NS i. e. nummum sestertium dedit, nota deceptus. Olim edebatur e ceteris libris mss. *hora octava*, revocavitque Ernestius altero tamen loco *ad horam nonam* relinquens. Nihil magnopere interest, nam temporis spatium, quod de die superesset, utramcunque scripturam probaveris, iusto brevius: sed augetur haud dubie, si *nonam* volueris, improbitas Verris. — *potuerat*] Ita scribendum esse coniecerat Ernestius, quia praecessisset *occultarat.* Ea confirmat Lag. 42 (p. m.) — *hiemi sese fluctibusque*] Sic primus edidit Gruterus, cum antea fuisset *hiemi fluctibusque sese;* nec quicquam annotavit. Defendit Ernestius propter elegantiam, quae brevi verbo interposito efficeretur, quasi ea non tot aliis locis praetermittatur. Veram defensionem nunc praebet Lagom. 42, quo illud a Grutero non sua sponte sed secundum Metellianum scriptum esse intelligitur.

diligens, ad horam VIII praesto est, Sthenium citari iubet. Quem posteaquam videt non adesse, dolore ardere atque iracundia furere coepit: Venerios domum Sthenii mittere, equis circum agros eius villasque dimittere. Itaque dum expectat, quidnam sibi certi afferatur, ante horam tertiam noctis de foro non discedit. Postridie mane descendit: Agathinum ad se vocat: iubet, eum de litteris publicis in absentem Sthenium dicere. Erat eiusmodi causa, ut ille ne sine adversario quidem, apud inimicum iudicem, reperire posset, quid diceret. Itaque tantum verbo posuit, 93
Sacerdote praetore Sthenium litteras publicas corrupisse. Vix ille hoc dixerat, cum iste pronuntiat, *Sthenium litteras publicas corrupisse videri;* et hoc praeterea addit homo Venerius, novo modo, nullo exemplo, *ob eam rem* HS *IↃ Veneri Erycinae de Sthenii bonis exacturum:* bonaque eius statim coepit ven-

---

§. 92. *domum Sth. mittere, equis*] Vulgo *in domum — equites*, quod quidem non reprehendimus, sed exquisitius tamen videtur scriptura cod. Metelliani, nunc a Lag. 42 (pr. m.) confirmata. Equites enim quos proprie habuerit Verres nescimus, servis Veneriis ad omnia ministeria utebatur, eosque, ut scite animadvertit Garatonius, in unam domum *misit*, in plures partes *dimisit*, et equis quidem datis celeritatis causa. Post *dum expectat* Lambinus iam priore edit. correxit, cum vulgo esset *cum expectat*, eamque eius coniecturam a reliquis editoribus tacite probatam nunc unus Lag. 42 de meis confirmat. Sed idem Lag. etiam *discedit*, quod, etsi ne *discessit* quidem sermonis legi refragatur, tamen inter reliqua Praesentia non debet contemni.

ad se vocat] Est ex Lag. 42 aliisque tribus deterioribus. Vulgo *sese*, cuius fortioris pronominis, si propria quaedam vis est, ea hoc certe loco non apparet.

§. 93. *et hoc praeterea*] Vulgo *haec.* Nos singularem numerum probamus auctoritate Paris. A B Lag. 29. 42. Hic tamen etiam *addit* pro vulg. *addidit*, quod et ipsum maxime probandum. — HS *IↃ*] edidi, cum vulgo sit HS *quingenties*, quae pecunia adeo enormis est, ut longe omnes Sthenii facultates excedat. Lamb. de coniectura Hotomani edidit *quingenta* i. e. milia, sicut legi etiam quod nos edidimus volumus: verum numeros malui, ut, quae corrumpendi facultas fuerit, intelligatur. Libri nostri nihil mutant, nisi quod Lag. 42 (p. m.) *NS que.*

dere: et vendidisset, si tantulum morae fuisset, quo minus ei pecunia illa numeraretur.

94 Ea posteaquam numerata est, contentus hac iniquitate iste non fuit: palam de sella ac tribunali pronuntiat, *si quis absentem Sthenium rei capitalis reum facere vellet, sese eius nomen recepturum:* et simul, ut ad causam accederet, nomenque deferret, Agathinum, novum affinem atque hospitem, coepit hortari. Tum ille clare, omnibus audientibus, se id non esse facturum, neque se usque eo Sthenio esse inimicum, ut eum rei capitalis affinem esse diceret. Hic tum repente Pacilius quidam, homo egens et levis, accedit: ait, si liceret, nomen absentis deferre se velle. Iste vero, et licere, et fieri solere, et se recepturum: itaque defertur. Edicit statim, ut Calendis Decembr.

95 adsit Sthenius Syracusis. Hic, qui Romam pervenisset, satisque feliciter anni iam adverso tempore navigasset, omniaque habuisset aequiora et placabiliora, quam animum praetoris atque hospitis, rem ad amicos suos detulit: quae, ut erat acerba et indigna,

---

§. 94. *iste non fuit]* Vulgo *iste* abest, nos addidimus ex Paris. A B Lag. 42. Lag. 29 *ista.* — *se id non esse fact.]* Sic Lag. 42. Vulgo *sese.* Post notabili consensu Paris. A B Lag. 29 *Sthenium esse inimicum.* — *Hic tum]* In Lag. 42 omittitur *tum.* Quin abesse possit dubium non est, sed coniungi non raro ea verba vid. apud Horat. Tursell. p. 276, neque ego in eiusmodi omissionibus, nisi certa causa accedit, Lag. 42 multum tribuo. — *nomen absentis]* Paris. A et Lag. 29 *absentis nomen.*

§. 95. *Romam pervenisset]* Sic voluit Lamb. in marg. repet. (i. e. e Fabric.) et nos in Paris. A B Lag. 29. 42 (pr. m.) invenimus. Vulgo *venisset*, sed altero augetur difficultas. Post *equora placabiliora* Lag. 42 (pr. m.) mendo poetice ludente. — *ut erat acerba et indigna]* Sic ipse Lambinus priore editione scripsit, quem adhuc nemo secutus est, quod ille suo arbitrio locum correxisse videbatur, cum notare deberet. Sunt enim nonnulli loci, quibus neutrum genus positum est, cum proxime praegressa aliud genus postulent, vide Drakenb. ad Liv. II, 5, et id ipsum facilius in hac voce fieri posse videbatur, qua saepissime nihil aliud quam neutrum pronominum circumscribitur. Ita-

sic videbatur omnibus. Itaque in senatu continuo Cn. 39
Lentulus et L. Gellius consules faciunt mentionem, placere statui, si patribus conscriptis videretur, ne absentes homines in provinciis rei fierent rerum capitalium: causam Sthenii totam et istius crudelitatem et iniquitatem senatum docent. Aderat in senatu Verres, pater istius, et flens unumquemque senatorem rogabat, ut filio suo parceret; neque tamen multum proficiebat: erat enim summa voluntas senatus. Itaque sententiae dicebantur, *cum Sthenius absens reus factus esset, de absente iudicium nullum fieri placere, et, si quod esset factum, id ratum esse non placere.*
Eo die transigi nihil potuit, quod et id temporis erat, 96

---

que apud Sallust. Iug. 41 legimus *otio et abundantia earum rerum, quae prima mortales ducunt;* apud Livium XXXII, 29 *rebus aliis divinis humanisque, quae per ipsos agenda erant, confectis, consules* cet. nisi tamen quod nimium facile est *agendae* corrigas. Ipse Cic. epist. lib. XVI, 4 *illud, mi Tiro, te rogo, sumptui ne parcas ulla in re, quod ad valetudinem opus sit.* Verum talem locum, qualis hic esset, ubi post Singularem *res* Neutrum plur. sequeretur, non usquam invenias. Itaque cum repperissem Lambinianam coniecturam tribus bonis libris Lag. 29 et 42 et Paris. B firmari, vel potius ex aliquo eorum simili ductam esse, non amplius dubitavi quin recipienda esset. Sed etiam ex Lag. 42 optimo *et indigna* dedi pro vulg. *atque.*

et L. Gellius] Sic, ut historiae fides postulat, censuitque emendandum Hotomanus, Metell. et Lag. 42 exhibent: ceteri et edd. ante Lamb. *Lucullus.* — *ut filio suo parceret]* Plerique codd. vulgares, Lagom. quattuor, Paris. C Huyd. Mein. et edd. vett. non una sed omnes usque ad Aldinam *parcerent,* quod facile placere possit ei, qui et illorum codicum ingenium et quanto melioribus Naugerius usus sit ignoret. Posse enim post *unumquemque* in subiuncto orationis membro, ubi ex illo verbo intelligantur *omnes,* pluralem numerum poni, satis constat. Cf. ad libr. IV, 63. Verumtamen Naugerius non quod ipsi libuit, sed quod consensus bonorum librorum postulat, dedit; itaque de ea re non iam potest disputatio esse.

§. 96. *quod et id temporis erat]* i. e. quod die iam provecto illa Consulis relatio facta erat; non intelligo de anni tempore, ut Ernestius, propterea quod certe non per integrum diem ea de re consultatum est. A Lag. 6 et 42 (p. m.) abest *et.* Non placet, neque quod idem Lag. 42 post habet *consumpserat.*

et ille, pater istius, invenerat homines, qui dicendo tempus consumerent. Postea senex Verres defensores atque hospites omnes Sthenii convenit: rogat eos atque orat, ne oppugnent filium: de Sthenio ne laborent: confirmat his, curaturum se esse, ne quid ei per filium suum noceretur: se homines certos eius rei causa in Siciliam et terra et mari esse missurum. Et Derat spatium dierum fere triginta ante Calendas Decembr. quo die iste, ut Syracusis Sthenius adesset,
97 edixerat. Commoventur amici Sthenii, sperant fore, ut patris litteris nuntiisque filius ab illo furore revocetur. In senatu postea causa non agitur. Veniunt ad istum domestici nuntii, litterasque a patre afferunt ante Calendas Decembr., cum isti etiamtum de Sthenio in integro tota res esset: eodemque ei tempore

---

§. 96. *ne opp. filium]* Delevi, quod vulgo additur, *suum*, quia non est in Lag. 42 (pr. m.) nec quicquam confert ad sententiam.

confirmat his, curaturum se esse, ne quid ei — noceretur] Hanc omnium librorum scripturam Ernestius ad leges Grammaticorum scilicet ita exegit, ut *noceatur* edendum sibi putaret. Temere fecisse quid multis doceamus? Cf. ad lib. I, 24, et supra hoc libro c. 14.

esse missurum] Addidi *esse* iussu librorum quattuor meliorum. Nam vulgo abest. — *dierum fere triginta]* Correxit Naugerius, nam antea *forte*, quod idem in cod. Oxon. Huyd. Paris. C Lagom. VII, id est omni illa familia deteriore legitur. Sed ferri non potuit, et solebant illae voculae permutari, de quo vid. Drakenb. ad Liv. XXXIV, 47, laudatum a Garatonio. — *quo die]* ex uno msto, non Fabric. illo quidem, sed Cl. Puteani, edidit Lambinus: nam post profligatam demum priorem edit. accepit schedas Fabricianas: sed idem postea Gruterus e Metell. et ego e Lag. 42 enotatum invenimus. Rectissime: nam in eiusmodi temporis significationibus nomina fere ad pronomen relativum repeti solent.

§. 97. *ab illo furore]* edi Lambinus voluit in marg. repetitae, i. e. e Fabriciano, confirmavitque Gruterus de Metelliano. Et sic res sese habet: deteriores *ab incepto furore*, meliores, etiam Paris. A B, *ab illo furore*. Neque enim recte dici videtur *furor inceptus*, quasi opus susceptum. — *in integro tota res esset]* Sic *(in integro)* cod. vet. ad marg. repet. Lamb. et Lag. 42 (p. m.) pro vulg. *integra*. Sed in eodem Lag. 42 *litteras* est sine copula, et *offerunt*, et scribitur *quam plures*.

de eadem re litterae complures a multis eius amicis ac necessariis afferuntur. Hic iste, qui prae cupidi- 40
tate neque officii sui, neque periculi, neque pietatis, neque humanitatis rationem habuisset unquam, neque in eo, quod monebatur, auctoritatem patris, neque in eo, quod rogabatur, voluntatem anteponendam putavit libidini suae: mane Calendis Decembr. ut edixerat, Sthenium citari iubet. Si abs te istam rem pa- 98
rens tuus alicuius amici rogatu, benignitate aut ambitione adductus, petisset; gravissima tamen apud te voluntas patris esse debuisset: cum vero abs te tui capitis causa peteret, hominesque certos domo misisset, hique eo tempore ad te venissent, cum tibi in integro tota res esset, ne tum quidem te potuit, si non pietatis, at salutis tuae ratio ad officium sanitatemque reducere? Citat reum: non respondet. Citat accusatorem: (attendite, quaeso, iudices, quanto opere

---

§. 97. *neque humanit.]* Absunt haec a Lag. 42 (pr. m.) sed incuria videntur omissa. — *neque in eo, quod rogabatur, voluntatem]* Addidit Ernestius de coniectura *amicorum*, ut membra orationis sibi responderent. Verum recte Beckius monuit, etiam in sequentibus *voluntatem patris* dici, nec patrem amicis opponi, verum eiusdem patris auctoritatem voluntati. Scilicet sic nunc iudicare debemus, neque tamen nego commendabilem esse Ernestii illam coniecturam, modo libri aliquid ostenderent. *Neque* autem quod est, scripsimus bonorum nostrorum consensu pro vulg. *nec*.

§. 98. *ambitione adductus]* Vitium orationis sustuli, cum vulgo legeretur *inductus*, neque enim reprehendere vult illum, quasi temere et inconsulto se abripi passus sit, vel malis artibus motus sit, quod est *induci*. Verbum, quo fuit opus, praebuit Lag. 42 (pr. m.) et extabat iam olim in marg. repetitae Lambinianae. — *attendite, quaeso, iudices, quanto opere]* Sic cod. Metellianus. Edd. princ. et codd. vulgares *attendite, quaeso, videte, quantopere*, ad quae verba primum, qui repetitionem Lambinianam curaverunt, appellationem *iudices* adiecerunt, unde in Gruterianam et ceteras transiit. Ipse Lambinus antiquam lectionem retinuit, et in *cod. vet.* superesse in marg. annotavit. Contra in Metelliano apud Gruterum non inventum esse *videte* traditur, itaque alterum, opinor, *iudices*. Nimirum dissensum solvit Lag. 42 in quo cum sit *videlicet*, cumque idem in Fabric. (Metell.) fuisse vi-

istius amentiae fortuna ipsa adversata sit, et simul videte, qui Sthenii causam casus adiuverit:) citatus accusator, M. Pacilius, nescio quo casu, non respon-
99 dit; non affuit. Si praesens Sthenius reus esset factus; si manifesto in maleficio teneretur: tamen, cum accusator non adesset, Sthenium condemnari non oporteret. Etenim, si posset reus, absente accusatore, condemnari, non ego a Vibone Veliam parvulo navigio inter fugitivorum ac praedonum ac tua tela venissem; quo tempore omnis illa mea festinatio fuit cum periculo capitis ob eam causam, ne tu ex reis eximerere, si ego ad diem non affuissem. Quod igitur tibi erat in tuo iudicio optatissimum, me, cum citatus essem, non adesse: cur Sthenio non putasti prodesse oportere, cum eius accusator non affuisset? Itaque fecit, ut exitus principio simillimus reperiretur: quem absentem reum fecerat, eum absente accusatore condemnat.

41 Nuntiabatur illi primis illis temporibus, id quod
100

---

deatur, hic alter legit *iudices*, alter *videte*, sed ille verius, ut tot aliis locis apparet, quibus nota *uid.* corrupta est. Coniungere autem utrumque verbum, sicut adhuc fecerunt recentiores editores, contra fidem videtur esse. Itaque si alterutrum verbum eligendum sit, cum statim *et simul videte* sequatur, iudicumque appellatione in hac re carere vix possimus, non dubitavi delere *videte*, et in ea re nova auctoritate utor Lag. 29 Paris. A. — *qui — casus]* Sic quattuor boni nostri. Vulgo *quis*, sed soliti sunt librarii adiectivam formam pronominis interrogativi corrumpere.

§. 99. *condemnari]* scripsi e Lag. 42 (a. m.) pro vulg. *damnari*. *ad diem non affuissem]* Sic meliores omnes, alio ordine verborum quam vulgo est *non aff. ad diem*. Ceterum *adfuissem* et antea *adfuit* scribitur in Lag. 29. 42 Paris. A. — *quod igitur tibi erat] Tibi* primum additum est in repet. Lambiniana (ex Fabric.), sed est etiam in reliquis bonis codicibus, non solo Lag. 42. — *Itaque fecit]* Lag. 42 (pr. m.) *ita*.

§. 100. *primis illis temporibus]* dictum videtur ut *paucis illis diebus*, pro paulo post quam illud factum erat, nimirum ut Sthenium condemnaret.

pater quoque ad eum pluribus verbis scripserat, agitatam rem esse in senatu: etiam in contione tribunum plebis de causa Sthenii M. Palicanum esse questum: postremo me ipsum apud collegium hoc tribunorum plebis, cum eorum omnium edicto non liceret quemquam Romae esse, qui rei capitalis condemnatus esset, egisse causam Sthenii; et cum rem ita exposuissem, quemadmodum nunc apud vos, docuissemque hanc damnationem duci non oportere, x tribunos plebis hoc statuisse, idque de omnium sententia pronuntiatum esse, *non videri Sthenium impediri edicto, quo minus ei liceret Romae esse.* Cum haec ad istum 101
afferrentur, pertimuit aliquando et commotus est: vertit stilum in tabulis suis, quo facto causam omnem

---

§. 100. *M. Palicanum]* *Palikanum* editum est a Graevio, auctore Ursino, ita se invenisse in argenteo denario testato: cf. Eckhel. doctr. num. Tom. V p. 236 sq. Neque dubito quin ita familia illa nomen suum scripserit, sed Ciceronem puto omissa ista accuratione vulgarem iam illo tempore scribendi rationem secutum esse. Nostri quidem libri mss. omnes *ca*. — *et cum rem]* Adhuc sine copula scribebatur, quae, cum non adiungatur res nova, abesse non debet, et reperitur in Lag. 29 et 42 (pr. m.) Paris. B, in Paris. A *qui cum*. — *X tribunos plebis]* Numeri notam addidi ex Metell. (Fabr.) libro, partim ob ipsius codicis auctoritatem, partim quod consilii gravitas ea voce non inepte significatur. Confirmat nunc Lag. 42 (pr. m.) sed in eo libro additum praeterea est P R. — *idque de omnium sent. pronuntiatum esse]* Praepositio *de* primum addita est in repetita Lambin. cum nota in marg. *alios* habere *idque omnium sent*. Sed inter hos *alios* ipse Lambinus priore editione est, quapropter illud additamentum non ingenio Lambini sed fidei codicis Fabric. tribuendum putabam. Et sic est, extat in uno Lag. 42 (pr. m.), a reliquis omittitur — non recte, neque enim ea locutio sine praepositione invenitur.

§. 101. *pertimuit aliquando]* Sic scribi voluit pro vulg. *timuit* Lambinus in altera edit. ex Fabriciano, uti Gruterus confirmat Metell. laudans, et ego ex Lag. 42 intelligo. Supra c. 30 *pertimuit et conturbatus est*. Timoris initium significari necesse est, et *timescere* verbum nullum est; quapropter miror Ernestium in re tam aperta maluisse etiam accusare illorum codicum venerationem, quos ipse tamen alibi, ubi iustior dubitandi locus fuisset, reliquis omnibus praeposuisset.

evertit suam. Nihil enim sibi reliqui fecit, quod defendi aliqua ratione posset. Nam si ita defenderet: recipi nomen absentis licet; hoc fieri in provincia nulla lex vetat: mala et improba defensione, verum aliqua tamen, uti videretur. Postremo illo tamen desperatissimo perfugio uti posset, se imprudentem fecisse, existimasse id licere: quamquam haec perditissima defensio est, tamen aliquid dici videretur. Tollit ex tabulis id, quod erat: facit, coram esse delatum.

42 Hic videte, in quot se laqueos induerit, quorum
102 ex nullo se unquam expediret. Primum ipse in Sicilia saepe palam de loco superiore dixerat, et in sermone multis demonstrarat, licere nomen recipere absentis: se exemplo fecisse, quod fecisset. Haec eum dictitasse, priore actione et Sex. Pompeius Chlorus dixit, de cuius virtute antea commemoravi, et Cn. Pompeius Theodorus, homo et Cn. Pompeii, clarissimi viri, iudicio plurimis maximisque in rebus probatissimus, et omnium existimatione ornatissimus, et Posides Ma-

---

§. 101. *illo tamen]* Adieci *tamen* ex Lag. 42 (pr. m.) quod displicebit fortasse propter eiusdem verbi continuam repetitionem, sed non is est liber qui verba temere addat, et consilium aliquod oratoris apparet, cur hunc locum tantopere urgeat. — *quamquam haec perditissima* cet.] *Haec* temere excidit e Gruter. id quod Ernestius non animadvertens, ipse omisit consulto. — *facit coram esse delatum]* Sic Lagom. 42 (pr. m.). Vulgo *et facit cor. del. esse.* Copulam nemo desiderabit, quae iure omittitur, ubi eo quod sequitur explicatur quod praecesserit.

§. 102. *in quot se laqueos]* Sic primum Gruterus tacite, sed auctore Metell. libro. id quod apparet ex Lag. 42. Ceteri et vulgo editi *in quot laqueos se.* Quod sequitur *expediret* pertinet ad tempus praeteritum, quod tum erat cum se induebat, sed in Lag. 29 et Paris. A additum legitur ante *unquam videri*, quo, nisi mero vitio e prioribus natum est, nescio quid faciam. — *saepe palam]* Sic Lag. 42 (pr. m.). Vulgo *saepe et palam.* Idem *exemplo fecisse quod fecisset*, cum vulgo interiiciatur *id* nimis languide. — *homo et Cn.]* Accesserat *et* in repet. Lamb. (e Fabric. igitur) nec firmatur nisi uno Lag. 42.

Posides Macros] Codd. mss. variant, et primum *Possides* omnes,

cros Soluntinus, homo summa nobilitate, existimatione, virtute: et hac actione quam voletis multi dicent, et qui ex isto ipso audierunt, viri primarii nostri ordinis, et alii, qui interfuerunt, cum absentis nomen reciperetur. Deinde Romae, cum res esset acta in senatu, omnes istius amici, in his etiam pater eius hoc defendebat licere fieri: saepe esse factum: iste quod fecisset, aliorum exemplo institutoque fecisse. Dicit 103
praeterea testimonium tota Sicilia, quae in communibus postulatis civitatum omnium consulibus edidit, *rogare atque orare patres conscriptos, ut statuerent, ne absentium nomina reciperentur.* Qua de re Cn. Lentulum, patronum Siciliae, clarissimum adolescentem, dicere audistis, Siculos, cum se causam, quae

---

quod referimus ad veterem pronuntiandi rationem. Tum qui *Matro* exhibeant certo dicere non possum, *Macro* et deteriorum plerique cum edd. vett. et Lag. 29 Paris. B, *Maco* Paris. A, *in agros* Lag. 42 (p. m.) Inde ego coniicio *Macros* fuisse, quod Romani *Longum* dixerunt. Nam etsi *Matro* nomen Graecum est apud Suidam, duo tamen nomina eius generis coniungi non solent: cognomen adiungitur nomini. Is homo dicitur apud nos *Soluntinus*, vulgo *Solentinus*, quod Ernestius h. l. intactum reliquit, cum lib. III, 43 correxisset. Nimirum a Graeco urbis nomine Σολοῦς, Σολόεντος, descendit gentile Σολοεντῖνος, Σολουντῖνος, quemadmodum ostenderunt Cellarius Geogr. antiq. II, 12, 53 et Burmannus ad num. Sic. p. 482. Verum apud Eckhelium nummi huius civitatis unam hanc formam nominis habent, Σολουντίνων. Sed ex utraque Latine fit *Soluntinus*, non *Solentinus*, et sic h. l. Lag. 29 Paris. A B, loco laudato e libro III etiam Lag. 42.

audierunt — interfuerunt] Vulgo legitur *audierint — interfuerint*, sed eius Coniunctivi vereor ut quis rationem reddere possit, immo, si verus esset, oratoris de ea re certitudinem imminuere videretur. In excerptis codicum Lagom. aliquid h. l. perturbatum est, ut certo nequeam statuere, num, quod term. *runt* in Lag. 29 et 42 esse traditur, pertineat ad *audierint* an ad *interfuerint*, sed et olim *interfuerant* fuit in Veneta 1499 et Ascens. et Iuntina, et Huydec. *interfuerunt* exhibet. E Pariss. nihil excerptum est. — *iste quod fecisset — fecisse]* Vulgo *istum:* sed *iste* vet. cod. in marg. edit. Lamb. et Lag. 42 (pr. m.) quod et ratione et sono praestat.

sibi in senatu pro his agenda esset, docerent, de Sthenii calamitate questos esse, propterque hanc iniuriam, quae Sthenio facta esset, eos statuisse, ut hoc,
104 quod dico, postularetur. Quae cum ita essent, tantane amentia praeditus atque audacia fuisti, ut in re tam clara, tam testata, tam abs te ipso promulgata, tabulas publicas corrumpere auderes? At quemadmodum corrupisti? nonne ita, ut, omnibus nobis tacentibus, ipsae te tuae tabulae condemnare possent? Cedo, quaeso, codicem: circumfer, ostende. Videtisne hoc totum nomen, coram ubi facit delatum, esse in litura? Quid fuit istic antea scriptum? quod mendum ista litura correxit? Quid a nobis, iudices, expectatis argu-

---

§. 103. *quae sibi in senatu pro his*] Haec est verborum collocatio in quattuor nostris melioribus: vulgo *quae pro his sibi in senatu.*

ut hoc, quod dico, postularetur] *Hoc* addidi e libro Nannii, ut unus fecerat Lambinus priore edit. Confirmat nunc Lag. 29 et 42 Paris. A B.

§. 104. *abs te ipso promulgata*] Codd. mss. *pervagata*, atque ita edebatur olim, donec in Hervag. et Vict. eiusdem anni de coniectura nescio cuius receptum est *pervulgata.* Nam eam esse coniecturam nunc in tanta copia librorum mss. satis certo mihi videor statuere posse. Atque miror nihil a Nannio vel a Lambino vel a Gulielmo motum esse, cum extaret in illorum libris haud dubie quod in Lag. 42 (pr. m.) extat et omnes varietatis notas prae se fert, *promulgata.* Pertinet enim eo quod supra dixerat, Verrem *palam de loco superiore* pronuntiasse, se absentis nomen recepturum idque ius esse.

ipsae te tuae tabulae] Bene sic Naugerius, cum antea *te* post *condemnare* poneretur. Codd. variant: cum editionibus principibus faciunt Lag. 5. 6. 27, omittunt *te* plerique, etiam ex melioribus, sed eo quo nunc edi solet loco firmant Lag. 42 et Paris. C. Corrigendi autem locus videtur nullus esse. — *Cedo, quaeso, codicem: circumfer, ostende*] Sic edidi, sed mutata paulum interpunctione, ex Nann. et Metell. quibus nunc accedit Lagom. 42. Nam Ernestium *cedo* nunquam additum habere *quaeso* contendentem, ideoque rursus eiicientem refutavit Schellerus Obss. prolato loco ex Bruto c. 86 *cedo, quaeso, orationes*, et quidni habeat, cum pro imperativo sit? — *hoc totum nomen*] Sic Lag. 42 (pr. m.) Vulgo *totum hoc nomen.*

quod mendum ista litura correxit] Apud Nonium Marcell. p. 604 Godofr. legitur *mendam* feminino genere inveniri apud M. Tullium Ver-

menta huius criminis? Nihil dicimus: tabulae sunt in medio, quae se corruptas atque interlitas esse clamant. Ex his etiam tu rebus effugere te posse con- 105
fidis, cum te nos non opinione dubia, sed tuis vestigiis persequamur, quae tu in tabulis publicis expressa ac recentia reliquisti? Is mihi etiam Sthenium litteras publicas corrupisse, causa incognita, iudicavit, qui defendere non potuerit, se non ex ipsius Sthenii nomine litteras publicas corrupisse? Videte porro aliam 43
amentiam: videte, ut, dum expedire sese vult, induat. 106

---

rinis, quo loco esset *quae mendosa denique litura.* Corrupta verba huc traxit P. Victorius Var. Lect. III, 2, putavitque legendum *quam mendam ista denique litura correxit*, probabili coniectura, si relinquenda nobis sit omnium codd. scriptura. Ut nunc res est, *menda* fem. gen. non dicitur nisi ab argenteae aetatis scriptoribus de sphalmatis librariorum, apud Ciceronem *mendum* est.

§. 105. *Ex his etiam*] Vulgo *ex istis.* Sed cum res in manibus et accusatoris et iudicum sit, praestabit illa Lag. 42 (p. m.) scriptura.

Is mihi etiam — iudicavit] Edidi quod e principibus edd. ductum adhuc quidem librorum mstorum omnium auctoritate confirmatum est. Hotomanus emendandum censuit *iudicabit*, quod placere potest propter adiecta *mihi* et *etiam*, quae, cum indignationis excitandae causa ponuntur, cum futuro coniungi solent, Germ. und der will mir noch richten? Sed eadem vocabula videntur etiam satis recte coire cum praeterito *iudicavit:* und der hat mir noch einen anderen verurtheilt, der sich jetzt selbst nicht hat rechtfertigen können? Coniunctivum quidem *potuerit* ad Latinitatem aptissimum iudico, ac ne Fabriciano quidem (et Lag. 42) credo, ex quo in textum Lambinianae repetitae et inde in Gruterianam venit *potuit.* — *ex ipsius Sthenii nomine litteras publ. corrupisse*] Non ausus sum cum Graevio et Garatonio praepositionem *ex* eiicere, quamvis ea in cod. Metell. non reperiri notetur, neque extet in Lag. 42, veritus ne quid ex optimae Latinitatis ratione immutarem. Nam partem, unde corruptela extiterit, ubi locum habeat, ea praepositione significari, Ernestius rectissime annotavit, sicut diceretur *ex pedibus laborare.* Lamb. quidem priore editione, ad quam cod. Fabric. nondum usus est, edidit *in ipsius Sthenii nomine,* ad sensum aptissime, sed parum tuto a librorum auctoritate: solum vero Ablativum in hoc quidem verbo et hac significatione vix Latinum puto.

§. 106. *aliam amentiam*] Sic boni omnes, neque recte vulgatam *dementiam* in minore edit. servavi. Nam *dementia* mentis repentina perturbatio est, *amentia* perpetua hebetudo et stultitia.

Cognitorem adscribit Sthenio — quem? cognatum aliquem aut propinquum? Non. Thermitanum aliquem, honestum hominem ac nobilem? Ne id quidem. At Siculum, in quo aliquis splendor dignitasque esset? Neminem. Quid igitur? Civem Romanum. Cui hoc probari potest? Cum esset Sthenius civitatis suae nobilissimus, amplissima cognatione, plurimis amicitiis; cum praeterea tota Sicilia multum auctoritate et gratia posset: invenire neminem Siculum potuit, qui pro se cognitor fieret? hoc probabis? An ipse civem Romanum maluit? Cedo, cui Siculo, cum is reus fieret, civis Romanus cognitor factus unquam sit. Omnium praetorum litteras, qui ante te fuerunt, profer, explica: si unum inveneris, ego hoc tibi, quemadmodum in tabulis scriptum habes, ita gestum esse concedo.
107 At, credo, Sthenius hoc sibi amplum putavit, eligere

---

§. 106. *Neminem. Quid igitur*] Fuit *minime.* Illam scripturam Metell. (Fabric.) codicis (sed nunc etiam Lag. 42 et 29 et Paris. A B, quin etiam Oxon. ψ) longe elegantiorem iudicavi et a librariorum consuetudine remotiorem. Iam vero *Quid igitur?* solita dicendi formula, ubi ad finem properas, neminem offendit praeter Lambinum, qui *quem igitur?* nimis accurate corrigeret. Eaque Lambini correctio in repetitam editionem, et inde in Gruterianam ipso imprudente migravit, unde recte expulit denuo Graevius. — *pro se*] Absunt haec verba a Lag. 42. Nescio an vere, quamquam et infra *pro Sthenio inimicum cognitorem esse factum.* — *hoc probabis*] i. e. iudicibus persuadebis. Sic primum edidisse P. Manutium dicit Lamb. (nondum tamen in Oratt. a. 1540 editis) ipse illum secutus. Si Gruteri notam recte intelligo, ita etiam in cod. Metelliano est, certe est in Lag. 42. Vulgo *hoc probabitis?* sed nihil h. l. est, quod iudices probent. — *Cedo, cui Siculo — sit*] Coniunctivum modum habes etiam lib. II de divin. c. 71 *cedo tandem, qui sit ordo aut quae concursatio somniorum.* — *qui ante te fuerunt*] Haec Hotomani coniectura fuerat, a Lambino recepta, ut *te* adiiceretur, nunc confirmata Lag. 29 Paris. A B. Neque enim aliter fere solet Cicero. — *Concedo*] Lag. 42 (p. m.). Vulgo *concedam.* At praesens pro futuro est et magis urget.

§. 107. *amplum putavit*] Sic Lag. 1 et 42 (pr. m.). Vulgo *amplum esse* languide. Post *ex civium* omnes mss. praeter Lag. 42. Primus Naugerius dederat *e*, quod propter illius codicis auctoritatem denuo mutare noluimus.

e civium Romanorum numero, ex amicorum atque hospitum suorum copia, quem cognitorem daret. Quem delegit? quis in tabulis scriptus est? C. Claudius, C. F. Palatina. Non quaero, quis hic sit Claudius, quam splendidus, quam honestus, quam idoneus, propter cuius auctoritatem et dignitatem Sthenius ab omnium Siculorum consuetudine discederet, et civem Romanum cognitorem daret. Nihil horum quaero. Fortasse enim Sthenius non splendorem hominis, sed familiaritatem secutus est. Quid? si omnium mortalium Stenio nemo inimicior, quam hic C. Claudius, cum semper, tum in his rebus et temporibus fuit? si de litteris corruptis contra venit? si contra omni ratione pugnavit? utrum potius pro Sthenio inimicum cognitorem esse factum, an te ad Sthenii periculum inimici eius nomine abusum esse credemus?

---

§. 107. *Fortasse*] Lag. 29 Paris. A B *fortassis*, malo poetico verbo abutentes. Tum *inimicicior* edd. vett. usque ad Aldinam et Lag. VII Paris. A B, pervulgato vitio. Lag. 42 (p. m.) *innocentior.*

cum semper tum in his rebus] Vulgo nunc *tum semper tum in his ipsis rebus* editur, quod non reprehendo, propterea quod additum *ipsis* idem fere efficit, quod constructione particularum *cum — tum* efficitur. Verum *cum* et olim editum est usque ad Naugerium, et reperitur in codd. non modo vulgaribus aliquot, sed bonis omnibus; tum vero *ipsis* abest ab uno sed optimo illo Lagom. 42 (pr. m.).

contra omni ratione pugnavit] *Contra pugnare* ut *contra petere*, *contra dicere* absolute de eo qui pro adversario est. Mendose Lag. 42 (pr. m.) *contra omnium rationem.*

ad Sthenii periculum] Vulgo nunc *in Sthenii periculo*, quod fecit Lambinus priore editione, cum ante illum fuisset *in Sthenii periculum.* Sed ne hoc quidem veram codd. manum repraesentat, sed profectum est a Naugerii coniectura, cum principes editores ex vulgaribus mss. descripsissent *Sthenii periculum*, nihil aliud. Boni autem, nostri quidem quattuor Lag. 29 et 42 Paris. A B, exhibent *ad Sthenii periculum*, idque unum verum est. Sed ea verba cave aliter explices atque Ernestius, magnopere eam ob rem laudatus a Garatonio, explicanda esse docuit in clave Ciceroniana. *Ad Sthenii periculum* est: ad explendas tabulas publicas rerum in iudicio actarum, ubi et damnatum esse Sthenium, et quo nomine, quibus accusatoribus, testibus, cognitoribus da-

44 Ac, ne quis forte dubitet, cuiusmodi hoc totum
108 sit negotium: tametsi iamdudum omnibus istius improbitatem perspicuam esse confido, tamen paulum etiam attendite. Videtis illum subcrispo capillo, nigrum, qui eo vultu nos intuetur, ut sibi ipsi peracutus esse videatur? qui tabulas tenet? qui scribit? qui monet? qui proximus est? Is est Claudius, qui in Sicilia sequester istius, interpres, confector negotiorum, prope collega Timarchidi numerabatur, nunc obtinet

mnatus, perscriptum erat. Cum haec igitur conscriberet Verres, nomine hominis nequam abusus est, qui se cognitorem Sthenii fuisse, cum nihil minus esset, perscribi pateretur. Verbum est forense, vide Brisson. de verbb. significatione, qui explicat „tabula s. libellus, unde sententias recitare solebant iudices," et titulus codicis Theodosiani est *de sententiis e periculo recitandis.* Nostrorum auctorum Cornelius Nepos loco celebri in vita Epam. c. 8 eam verbi vim probat: neque aliter explicandus ipse Cicero in Verr. lib. III, 79 *quod eorum hominum* (scribarum) *fidei tabulae publicae periculaque magistratuum committuntur.* Quodsi quis haec longius quaesita putet et *ad Sthenii periculum* simpliciter esse ad periculum illi creandum, ut ille bonis everteretur, hoc velim cogitet, ad eam rem Verri non opus fuisse cuiusquam cognitoris nomine. Iam damnatus erat Sthenius absens, nullo cognitore, sed Verres cum tribunorum plebis Rom. decreto commotus esset, ne absentis nomen recepisse videretur, falsum periculum confecit, ad eamque rem Claudii nomine, quasi cognitoris a Sthenio delecti, abusus est.

§. 108. *Ac ne quis*] In primo verbo variant, ut solent, codices. Lag. 6 *an*, 27 et 42 (pr. m.) *at*, sed dubium esse nequit quin recte vulgo scribatur. Tum *qui* Lag. 5, 6, 27 quos vix aliquos esse puto, sed etiam 42 et Paris. B. Neque tamen muto in tanta depravandi licentia. Quin etiam idem Lag. optimus mox *dubitaret*, sed ex eodem recepi *hoc*, quod vulgo abest. — *paulum etiam attendite*] Editi *paululum*, sed alterum mss. omnes, praeter Lag. 48. — *ut sibi ipsi*] Hoc verius esse puto quam quod vulgo editur *sibi ipse*, nam cui videatur, non qui videatur, id refert scire. Exhibet Lag. 42, sed legebatur iam olim in editis exemplaribus Aldina prioribus. — *Claudius*] Praenomen *C.* quod in editis est, a mss. abest neque desideratur in homine turpi. *Clodius* etiam vocabatur ante repetitam Lambinianam, sicut est in mss. praeter unum Lagom. 42 omnibus. — *nunc obtinet*] primum legitur in repet. Lamb. sine nota in marg. quamquam Lamb. in priore ediderat cum P. Manutio *nunc obtinebat*, priores autem omnes, (ut Lag. VII

eum locum, ut vix Apronio illi de familiaritate concedere videatur, et qui se non Timarchidi, sed ipsius Verris collegam et socium esse dicebat. Dubitate 109
etiam, si potestis, quin eum iste potissimum ex omni numero delegerit, cui hanc cognitoris falsi improbam personam imponeret, quem et huic inimicissimum, et sibi amicissimum esse arbitraretur? Hic vos dubitabitis, iudices, tantam istius audaciam, tantam crudeli-

---

et Oxon.) *obtineat* s. *optineat* habebant. Gruterus autem ut solet repet. Lamb. secutus est. Lambinum ipsum sic edere voluisse e cod. Fabric. iam apparet consensu reliquorum bonorum. Et verum est: nam cum antea qualis *in Sicilia* homo habitus esset Cicero dixisset, iam quo loco nunc apud Verrem sit dicere debet. Quod sequitur *et qui — dicebat* referendum videtur ad prius illud *qui*. Nam Garatonio accedere non possum, qui etiam h. l. *dicit* corrigere se velle significat. Collega enim Verris homo dici non potest, nisi quamdiu in magistratu ille erat. In verbis *collega Timarchidi numerabatur* non dubito, quin *Timarchidi* Genitivus casus sit, ut cap. 54 *in Timarchidi potestate*, lib. IV, 10 *in Timarchidi prandium;* cf. ad III, 66 *epistolam Timarchidi*. Quin etiam mox itidem *Timarchidi* pro vulg. *Timarchidis* scribendum esse, cum antea suspicatus essem, iam liquido comprobari video Lag. 42 (pr. m.).

§. 109. *Dubitate etiam, si potestis]* Pleraeque edd. vett. sicut cod. Huydec. et Lagom. 1. 27 *dubitare*, quod vitium librariorum sustulerunt Iuntinus editor (Nicolaus Angelius) et Naugerius melioribus libris usi. Sed Victorius aliam corrigendi viam ingressus *dubitare etiamnum potestis* edidit, omissa *si* vel *sic* (ut est in Ascens.), secutique eum sunt P. Manutius et Lambinus. Verum denuo restituit Gruterus. — *hanc cognitoris falsi improbam personam]* Olim edebatur, ut est in plerisque omnibus libris mss., *cui improbam personam imp.* Nannius e suo libro Genitivos *falsi cognitoris* adiiciendos censuit, sed ipse parum accurate codicis scripturam rettulisse videtur. Nam Gruterus e Metelliano plenius etiam laudavit, sicut legitur etiam in Lag. 42 (pr. m.), in editione autem minus accurate veterem ordinem verborum retinuit. — *et sibi amicissimum]* Sic in superlativo gradu Lagom. 42 (pr. m.) et 27, quod non erit contemnendum prae vulgata *amicum*. — *Hic vos dubitabitis]* Variatur in codicibus, nam h. l. Nannianus (et Lag. 42) *dubitabitis*, altero, si coniectura facienda de Lag. 42, *dubitatis*, et tertio in fine capitis, ubi reliqui omnes *dubitabitis*, item *dubitatis*. Hic igitur reliqui boni nostri Lag. 29 Paris. A B decernunt, qui tribus locis liquido Futurum exhibent. Neque aptum

tatem, tantam iniuriam vindicare? dubitabitis exemplum iudicum illorum sequi, qui, damnato Cn. Dolabella, damnationem Philodami Opuntii resciderunt, quod is non absens reus factus esset, quae res iniquissima et acerbissima est, sed cum ei legatio iam Romam a suis civibus esset data? Quod illi iudices multo in leviore causa statuerunt, aequitatem secuti: vos id statuere in gravissima causa, praesertim aliorum auctoritate iam confirmatum, dubitabitis?

45 At quem hominem, C. Verres, tanta, tam insi-
110 gni iniuria affecisti? cuius absentis nomen recepisti? quem absentem, non modo sine crimine et sine teste, verum etiam sine accusatore damnasti? Quem hominem? dii immortales! non dicam amicum tuum,

---

videtur praesens, quod adversus Ernestium valeat, propterea quod ea res non proprie ad hoc iudicium, sed ad rem post illud faciendam pertinet. — *sed cum ei legatio — a suis civibus esset data]* intellige, neque tamen dum ille profectus esset: nam si profectus, procul dubio iniuria longe etiam atrocior fuisset, cum rei publicae causa abesset. Sed ne suscepta quidem legatione cum in eo esset, ut proficisceretur, nomen eius a praetore recipi debebat. Sic facile tollentur difficultates, quas Ernestius hoc loco invenit. Sed magis perspicua erit oratio, si *iam* receperis ex quattuor illis bonis nostris Lag. 29 et 42 Paris. A B.

§. 110. *At quem hominem* cet.] Hunc locum integra periodo ex cod. Fabric. Lambinus in altera editione augeri voluit: *At quem hominem, C. Verres, tanta, tam insigni iniuria affecisti? quem hominem absentem de litteris corruptis, causa incognita, condemnasti? cuius absentis nomen recepisti?* cet. Iisdem verbis haec leguntur etiam in Lag. 42. Equidem quamquam illos codices plurimi aestimo, non possum tamen hoc additamentum Ciceronis ipsius putare. Duplex enim iniuria erat, quod nomen Sthenii absentis recepit, et quod eum inaudita re condemnavit. Eam optime exponit scriptura vulgata. In illa Lambiniana autem, antequam de nomine recepto dicatur, interiicitur aliquid, quod ad posterius pertinet, atque de damnatione prius quam de accusatione dicitur. Neque quicquam illis verbis *de litteris corruptis, causa incognita*, continetur, quod ad rem pertineat, aut non in seqq. melius ac fortius proferatur. Garatonius tamen Lambinum defendens ad duplicem Sthenii damnationem respici putavit, cuius ego viri iudicium quamvis magni faciam, hoc tamen loco sequi non possum. Ceterum Lag. 42 (p. m.) pro *at* initio capitis habet *et*.

quod apud homines carissimum est, non hospitem, quod sanctissimum est: nihil enim minus libenter de Sthenio commemoro, nihil aliud in eo, quod reprehendi possit, invenio, nisi quod homo frugalissimus atque integerrimus te, plenum stupri, flagitii, sceleris, domum suam invitavit; nisi quod, qui C. Marii, Cn. Pompeii, C. Marcelli, L. Sisennae, tui defensoris, ceterorum virorum fortissimorum hospes fuisset atque esset, ad eum numerum clarissimorum hominum tuum quoque nomen adscripsit. Quare de hospitio violato et de tuo isto nefario scelere nihil que- 111

---

§. 110. *quod apud homines carissimum est]* Ernestius *apud omnes* corrigendum censuit, male, nam *hominum* mentio etiam eo pertinet, ut eum non hominem esse, sed belluam humanitatis sensus expertem intelligamus, apud quem carissimum amici nomen nullam vim habuerit. Idem Ernestius *gravissimum* putavit emendandum esse, sed amicitiae nihil magis proprium est caritate. — *te plenum stupri]* Sic Lag. 42 (p. m.) omisso quod vulgo post *te* interponitur verbo *hominem*. — *nisi quod]* Lag. 42 (p. m.) *at si quod*, tum pro *qui C.* habet *quicquid* mendose, ut vides. Sed idem tamen solus *et*, quod vulgo ante nomen *Cn. Pompeii* legebatur, quodque Lambinus iam priore editione suo iudicio usus omisit, cum reliqui mss. omnes servent, condemnat. Item ille solus de Lagomarsinianis, sed tamen etiam Paris. A et C (ut videtur) *adscripsit* (sive ille potius *ascripsit)* exhibent, quod quamvis propter praegressum *invitavit* necessarium sit, in reliquis codicibus et editionibus vett. usque ad repetitionem Lamb. mendose scribitur *adscripserit*. — *ceterorum virorum fortissimorum]* Codd. et edd. principes *ceterorum fortissimorum*, omisso verbo *virorum*, sed etiam sine copula. Eam primum additam inveni in Victor. et Hervagiana. *Virorum* autem adiecit de coniectura, ut opinor, Lambinus priore sic: *fortissimorum virorum;* post in repetita editione, acceptis interim Fabricii variis lectionibus, ordinem verborum invertit, ut est etiam in Lag. 42, sed copulam retinuit. Eam igitur nunc eiecimus iussu librorum omnium: *virorum* retinuimus propter illorum optimorum auctoritatem. Neque assentior Garatonio, qui illud verbum subintelligi potius quam adiici voluit, quoniam ad honorificam hominum appellationem prorsus necessarium videtur. Consule aures, et censebis non recte abesse. De copula autem fere omissa cum verbis qualia sunt *reliqui, ceteri, alii* in extrema enumeratione vide Goerenzium ad Cic. de Legg. III, 9 §. 20, de Fin. III, 15 §. 51.

§. 111. *et de tuo isto]* Vulgo *et de isto tuo:* equidem secutus

ror: hoc dico — non iis, qui Sthenium norunt, hoc est, nemini eorum, qui in Sicilia fuerunt: nemo enim ignorat, quo hic in civitate sua splendore, qua apud omnes Siculos dignitate atque existimatione sit: sed ut illi quoque, qui in ea provincia non fuerunt, intelligere possint, in quo homine statueris exemplum eiusmodi, quod cum propter iniquitatem rei, tum etiam propter hominis dignitatem acerbum omnibus atque
46 intolerandum videretur. Estne Sthenius is, qui omnes
112

---

sum Lag. 29 et Paris. A B et Lag. 42 (pr. m.) quamquam ab eo utroque loco *de* abest. — *hoc dico: non iis* cet.] Oratio ἀνακόλουθος est, propter interiectas enuntiationes: pergere sic debebat: hominem omnes honores in patria facillime adeptum cet. — *in quo homine statueris]* Omisi *tu* auctoritate Lag. 42 (pr. m.) cuius pronominis hoc quidem loco nulla vis est. Idem cum vulgari secta postea habet *huiusmodi* contra Lag. 29 Paris. A B. *Exemplum* puta factum insigne, quod ceteris hominibus proponi potest, si bonum est, ad imitandum, si malum, ad fugiendum. Vocem derivari puto a verbo *eximendi*, ut sit quod e multis rebus ut singulare proferas et segreges.

cum propter] Vulgo *tum*, neque in eo offensus est quisquam editorum. At quanto elegantius, immo vere, quattuor boni nostri *cum — tum etiam*.

§. 112. *Estne Sthenius is]* Interrogandi particulam *ne* sensu aiente (pro *nonne)* et hoc loco et bis paulo post positam esse, non erat cur Ernestius admiraretur, atque adeo contra legitimam Latini sermonis consuetudinem putaret. Eandem opinionem aliis etiam locis compluribus, quamquam paulo lenius sibique diffidens protulit, ut de or. II, 15, ubi *nulla* restituendum, et Cat. mai. c. 10. Sed eam omnino abiicere debebat, cum sexcenti apud Ciceronem loci inveniantur, quibus adiectum *ne* pro *nonne* ponitur. Cf. Heusingeros ambo ad lib. III de Off. c. 17 init. et Matthiaeum ad or. pro Rosc. Am. c. 12. Ego etiam in Gramm. Lat. 352 paucis novam, sed, ut mihi persuadeo, veram sententiam exposui, qua facilius haec res diiudicabitur. Docui enim, particulam *ne*, si sensum aientem orationi conciliet, non adiici fere nisi primario enuntiationis verbo, quod proprie dicatur, contra, ubi alicui nomini aut particulae adiungatur, negationem exprimere. Prioris generis exempla et supra laudata sunt, et haec a Schellero Obss. p. 17 proferuntur: p. Mil. 14 extr. *potuitne, cum domum ac deos penates suos, illo oppugnante, defenderet, iure se ulcisci?* Phil. XII, 8 *Quid? vitae censetisne habendam mihi aliquam esse rationem?* ne quid dicam de his fere perpetuis: *videsne* in Vat. 12 extr. et II Acad. 18;

honores domi suae facillime cum adeptus esset, amplissime ac magnificentissime gessit? qui oppidum non maximum maximis ex pecunia sua locis communibus monumentisque decoravit? cuius de meritis in rem publicam Thermitanorum Siculosque universos fuit aenea tabula fixa Thermis in curia, in qua publice erat de huius beneficiis scriptum et incisum; quae tabula tum imperio tuo revulsa, nunc a me tamen deportata est, ut omnes eius honores inter suos et amplitudinem possent cognoscere. Estne hic, qui apud Cn. 113
Pompeium, clarissimum virum, cum accusatus esset, quod propter C. Marii familiaritatem et hospitium contra rem publicam sensisse eum inimici et accusatores eius dicerent, cumque magis invidioso crimine, quam

---

videmusne, de Fin. V, 18; *videtisne*, Cat. mai. 10 §. 31 et p. Rosc. Am. 24. alterius cum negatione haec: de nat. deor. I, 33 pr. *Omnesne tibi illi delirare visi sunt, qui sine manibus et pedibus constare deum posse decreverunt?* i. e. num tibi omnes visi sunt? in Verr. III, 77 *his civitatibus omnisne pecunia, quae pro frumento debita est, dissoluta est?* Eodemque pertinet genus interrogandi admirabundum imprimis frequens, cum rem nobis parum credibilem videri dicimus, id quod Germ. praemittimus: *ist es möglich dafs.* V. c. I, 18 *Apollinemne tu Delium spoliare ausus es? illine tu templo* cet. et I, 30 §. 77. III, 40 extr. — *nunc a me tamen deportata est] Deportata* c Nann. cod. est, confirmaturque Lag. 42 (p. m.) cum olim legeretur (quod et est in codd. reliquis nostris) *reportata.* Patet autem Ciceronem illam tabulam secum abstulisse Romam ad iudicium. Idem vero Nann. omisso *tamen* pro *nunc* habet *inde:* alterum fero, *nunc* necessarium videtur, sed utrumque non est in Lag. 42. Hic contra, ut saepissime, pro *tum* exhibet *tamen*, librario nota decepto, melius autem *eius* pro vulg. *huius.*

§. 113. *quod — contra remp. sensisse eum inimici — dicerent]* De coniunctivo verborum *putandi* ac *dicendi* post *quod*, orto illo quidem ex contractione quadam sententiae, pluribus dixi in Gramm. Lat. §. 551. Locis ibi laudatis hos adde ex his ipsis oratt. Verrinis, lib. II, 61 *uno genere circumscribere habetis in animo genus hoc aratorum, quod eos infenso animo atque inimico venisse dicatis.* III, 58 *Quaestores, legatos, praefectos suos multi missos fecerunt, et de provincia decedere iusserunt, quod eorum culpa se minus commode audire arbitrarentur.* — *cumque magis invidioso — arcesseretur]* Codd. msti vulgares (VII Lag.) et principes editiones

vero arcesseretur, ita a Cn. Pompeio absolutus est, ut in eo ipso iudicio Pompeius hunc hospitio suo dignissimum statueret? ita porro laudatus defensusque ab omnibus Siculis, ut idem Pompeius non ab homine solum, sed etiam a provincia tota se huius absolutione inire gratiam arbitraretur? Postremo estne hic, qui et animum in rem publicam habuit eiusmodi, et tantum auctoritate apud suos cives potuit, ut perficeret in Sicilia solus, te praetore, quod non modo Siculus nemo, sed ne Sicilia quidem tota potuisset, ut ex oppido Thermis nullum signum, nullum ornamentum, nihil ex sacro, nihil de publico attingeres; cum praesertim et essent multa praeclara, et tu omnia con-
114 cupisses? Denique nunc vide, quid inter te, cuius nomine apud Siculos festi dies aguntur, et praeclara illa

---

quod cum; eum errorem sustulit Naugerius correxitque *quod tum;* Hotomanus denique simpliciter *cum*, ut ipse quidem dicit, ex msto cod. et impressis nonnullis scribendum censuit. Hoc editores insecuti receperunt omnes, ac videtur inventum esse in Paris. B, quippe ex quo nihil a Gruteriana scriptura diversum enotatum sit. Verum Metell. et Lag. 42 (p. m.) *cum quo*, quod viam ostendit ad id, quod et verum est, et extat in Lag. 29 Paris. A *cumque.* Iam originem omnis corruptelae vides et sermonis integritatem agnosces, quod *προτάσεις* ad unum finem tendentes illa copula connecti solent.

ut — Pompeius hunc — dignissimum statueret] Correxit Ernestius cum olim fuisset *statuerit*, propterea quod in altero membro et eadem orationis forma sequitur *arbitraretur.* Recte: nam etiamsi per se quidem *statuerit* defendi possit, tamen cur in hac continuatione temporibus variare debuerit, ratio nulla apparet. Aliquam sibi invenisse visus est Beckius, quem vide. — *animum in remp. habuit eiusmodi] Animum eiusmodi* dici pro *tali* animo, rarum opinor, sed c. 57 *fuit eiusmodi*, er war so, benahm sich so gegen dich. — *ex oppido Thermis]* Debebat *in oppido*, sed *attingere* h. l. auferendi significationem habet, ad eamque rationem construitur. — *et essent]* Sic eleganter quattuor boni nostri, cum vulgo et in ceteris libris mss. *et* omittatur.

§. 114. *festi dies aguntur]* Sic Lag. 42 (pr. m.) Vulgo *dies festi agitantur.* Nomen *Verria* s. *Verrea* abest a codd. vulgaribus (Lag. VII Paris. C) neque in editis prius accessit, quam in Victor. et Hervagiano.

Verria celebrantur, cui statuae Romae stant inauratae, a communi Siciliae, quemadmodum inscriptum videmus, datae: vide, inquam, quid inter te et hunc Siculum, qui abs te est, patrono Siciliae, condemnatus, intersit. Hunc civitates ex Sicilia permultae testimonio suo legationibusque ad eam rem missis publice laudant: te omnium Siculorum patronum una Mamertina civitas, socia furtorum ac flagitiorum tuorum, publice laudat; ita tamen, novo more, ut legati laedant, legatio laudet: ceterae quidem civitates publice litteris, legationibus, testimoniis accusant, queruntur, arguunt; si tu absolutus sis, funditus eversas se esse arbitrantur.

Hoc de homine, ac de huius bonis, etiam in Eryco 47
monte monumentum tuorum flagitiorum crudelitatisque 115

---

§. 114. *a communi Siciliae]* Graece inscriptum sic cogita ἀπὸ τοῦ κοινοῦ τῆς Σικελίας, vide ad lib. I c. 38 pr. Cf. h. lib. 59 *in commune Siciliae conferre* et 63 ibiq. Ursinum. Quod ante Hotom. legebatur *a communi Sicilia* vix Latinum est, sed codd. hoc quidem loco omnes *Sicilia.* Post *scriptum* pro *inscriptum* Lag. 42 (pr. m.) verum praecedit littera *m.* — *legationibusque ad eam rem missis]* Hodie vulgatur *ob eam rem*, cuius lectionis fons est in repetita edit. Lambini, ita ut nescias utrum sic ipse Lambinus voluerit, an sua sponte repetitores correxerint. Nam in marg. nihil notatur, et priore Lambinus cum antiquioribus omnibus *ad* edidit. Gruterus autem bona fide repetitae illius editionis textum vulgatum putavit, nec de suis codd. quicquam annotavit. Redii igitur ad veterem scripturam, quam nunc gaudeo etiam libris mss. meis quidem ad unum omnibus defendi.

eversas se esse] Se deest in edd. principibus, additur in Ascensiana, denuo omittitur in Iunt. et Aldina, sed comparet in Vict. et Basil. ceterisque, neque e codd. quicquam notabatur diversi. At eam voculam nunc video abesse ab omnibus, in uno tamen Lag. 42 servari, id quod satis mihi quidem est.

§. 115. *in Eryco monte]* Cf. ad cap. 8. Nimirum h. l. Ernestius, quamvis in omnibus libris constanter *Eryco* sit, tamen sese item constantiae causa *Erycino* dicit edidisse. Lambinus secundum Hotom. *Eryce* dedit, sicut Lag. 27. 45. 48. Reliqui, qui non *Eryco* vel *Erico*, habent *Eruccio.*

posuisti, in quo Sthenii Thermitani nomen adscriptum est. Vidi argenteum Cupidinem cum lampade. Quid tandem habuit argumenti aut rationis res, quamobrem in eo potissimum Sthenianum praemium poneretur? utrum hoc signum cupiditatis tuae, an tropaeum necessitudinis atque hospitii, an amoris indicium esse voluisti? Faciunt hoc homines, quos in summa nequitia non solum libido et voluptas, verum etiam ipsius nequitiae fama delectat, ut multis in locis notas ac
116 vestigia suorum flagitiorum relinqui velint. Ardebat amore illius hospitae, propter quam hospitii iura violarat. Hoc non solum sciri tum, verum etiam commemorari semper volebat. Itaque ex illa ipsa re, quam, accusante Agathino, gesserat, Veneri potissimum deberi praemium statuit, quae illam totam accusationem iudiciumque conflarat. Putarem te gratum in deos, si hoc donum Veneri non de Sthenii bonis dedisses, sed de tuis; quod facere debuisti, praesertim cum tibi illo ipso anno a Chelidone venisset hereditas.

117 Hic ego, si hanc causam non omnium Siculorum rogatu recepissem; si hoc a me muneris non universa provincia poposcisset; si me animus atque amor in rem publicam existimatioque offensa nostri ordinis ac iudiciorum non hoc facere coegisset, atque haec una causa fuisset, quod amicum atque hospitem meum Sthenium, quem ego in quaestura mea singulariter dilexissem, de quo optime existimassem, quem in pro-

---

§. 115. *ac vestigia suorum flagitiorum]* Vulgo *scelerum suorum*, sed iam non de sceleribus, sed de flagitiis, quae ad libidinem et voluptatem pertinent, sermo est. Praestat igitur longe quod Lambinus iam priore editione scripsit *flagitiorum suorum*, modo ne ordinem verborum temere mutasset, et firmant quattuor nostri meliores.

§. 117. *quem ego in quaest.]* Excidit *ego* in Gruteriana mero typographorum errore, neque animadverterunt insecuti editores.

vincia existimationis meae studiosissimum cupidissimumque cognossem, tam crudeliter, scelerate, nefarieque tractasses: tamen digna causa videretur, cur inimicitias hominis improbissimi susciperem, ut hospitis salutem fortunasque defenderem. Fecerunt hoc multi 118
apud maiores nostros: fecit etiam nuper homo clarissimus Cn. Domitius, qui M. Silanum, consularem hominem, accusavit propter Aegritomari Transalpini hominis iniurias. Putarem me idoneum, qui exemplum sequerer humanitatis atque officii, proponeremque spem meis hospitibus ac necessariis, quo tutiorem sese vitam meo praesidio victuros esse arbitrarentur. Cum vero in communibus iniuriis totius provinciae Sthenii quoque causa contineatur, multique uno tempore a me hospites atque amici publice privatimque defendantur: profecto vereri non debeo, ne quis hoc, quod facio,

---

§. 117. *tamen digna causa videretur]* Apodosis non respondet principio periodi *Hic ego*, cui aptius esset: „tamen hanc causam dignam existimarem," si orator accurate componere verba voluisset. Verum illud ipsum *videretur* e cod. Fabric. (Metell. apud Gruterum) fluxit, (sed repertum etiam est in quattuor nostris melioribus,) in ceteris libris et edd. primis deest. In Victoriana primum expletur *esset*, quod P. Manutius et Lambinus priore edit. retinuerunt, in altera tandem Fabricianum illud expressit. Recte: nam sine ullo verbo, ut Gruterus et Ernestius ediderunt, sententia male hiaret prorsus contra Ciceronis consuetudinem. Neque verum est, quod Beckius dicit, debuisse *fuisset:* quasi non etiamnunc illa causa oratori idonea videri possit ac debeat.

§. 118. *fecit etiam nuper]* Quam *nuper*, disces ex annot. ad Divin. c. 20, nimirum ante quadraginta ferme annos. Erat tum Trib. plebis *Cn. Domitius*, Cos. a. 96 a. Chr. 658 u. c. De scriptura nominis *Aegritomari* (ut h. l. mstus Fabric.) cf. ad eundem Div. locum. Lag. 42 *Acritomari*. — *consularem hominem — Transalpini hominis]* Vulgo non *hominem*, sed *virum* appellant, nos autem non potuimus deserere consensum meliorum Lag. et Pariss. Porro autem vulgo *Transalpini hospitis*. Nos *hominis* ex Lag. 42 (p. m.) dedimus, nam paene ridicule sonat *transalpinus hospes*. — *sese vitam]* quattuor meliores nostri. Vulgo *vitam sese*.

non existimet me summi officii ratione impulsum coactumque suscepisse.

48 Atque, ut aliquando de rebus ab isto cognitis iudicatisque et de iudiciis datis dicere desistamus, et, quoniam facta istius in his generibus infinita sunt, nos modum aliquem et finem orationi nostrae criminibusque faciamus: pauca ex aliis generibus sumemus.
119 Audistis ob ius dicendum Q. Varium dicere procuratores suos isti centum triginta milia nummum dedisse: meministis Q. Varii testimonium, remque hanc totam C. Sacerdotis, hominis ornatissimi, testimonio comprobari: scitis, Cn. Sertium, M. Modium, equites Romanos, sexcentos praeterea cives Romanos multosque Siculos dixisse, se isti pecuniam ob ius dicendum dedisse. De quo crimine quid ego disputem, cum id totum positum sit in testibus? quid porro argumenter, qua de re dubitare nemo possit? An hoc dubi-

---

§. 118. *existimet me]* Adiecit *me* Lambinus priore editione de coniectura, ut videtur, sed firmata nunc Lag. 42.

et de iudiciis] Abest *de* a Lag. 42 (pr. m.)

§. 119. *Q. Varium]* Cod. Metell. et Lag. 42 (pr. m.) *Quartum*, quod facile explicatur. Quae praeterea Gruterus ad h. l. de Lambino annotat, et falsa sunt et nihil prosunt. Nam in repet. Lamb. *Qu. Marium* errore typogr. — *centum triginta]* Vulgo *centum et triginta*, sed altera ratione maluit scriptor noster, et invenitur in Lag. 42 (p. m.)

Cn. Sertium] insolitum sibi nomen Ernestius arguit. Nec iniuria. Nam libri quoque variant: Lag. VII *Sergium*, *Sercium*, *Servicium*, 42 *Sirtium*. E Paris. nihil enotatum est. Mihi *Sentium* corrigendum videtur. Tum Lag. 42 (p. m.) non *sexcentos*, sed *C* i. e. centum.

dixisse, se isti cet.] *Se* accessit in repet. Lamb. in textu, et in marg. est *libros vulgares* eam voculam non habere. Recte. Verum extat in Lagom. 42, ut Lambinum in hac re Fabricianum secutum esse appareat. — *ob ius dicendum]* Sic Lag. 42 (p. m.) et edd. vett. usque ad repetitam Lamb. in qua primum *dicundum*. Item paulo post *dicendum* omnes Lagomarsiniani. — *cum id totum]* Etiam *id* eodem modo accessit in altera edit. Lamb., cum antiquiores et ipse Lamb. priore edit. omittant, eandemque fere habet auctoritatem.

tabit quisquam omnium, quin is venalem in Sicilia iurisdictionem habuerit, qui Romae totum edictum atque omnia decreta vendiderit? et quin is ab Siculis ob decreta interponenda pecunias ceperit, qui M. Octavium Ligurem pecuniam ob ius dicendum poposcerit?

Quod enim iste praeterea genus pecuniae cogen- 120
dae praeteriit? quod non ab omnibus aliis praeteritum excogitavit? Ecqua res apud civitates Siculas expetitur, in qua aut honos aliquis sit, aut potestas, aut procuratio, quin eam rem tu ad tuum quaestum nun-
dinationemque hominum traduxeris? Dicta sunt priore 49
actione et privatim et publice testimonia: legati Centuripini, Halesini, Catinenses, Panhormitanique dixerunt, multarum praeterea civitatum, iam vero privatim plurimi: quorum ex testimoniis cognoscere potuistis, tota Sicilia per triennium neminem ulla in civitate senatorem factum esse gratis, neminem, ut leges eorum sunt, suffragiis, neminem nisi istius imperio aut litteris; atque in his omnibus senatoribus cooptandis non modo suffragia nulla fuisse, sed ne

---

§. 119. *et quin is]* Sic olim edebatur. In repetita Lamb. *et* sublatum est et in marg. notatum sic in libris vulgaribus esse. Verum h. l. dissentit Lag. 42, cui plus fido quam repetitorum fidei. — *ob decreta interponenda]* Pertinent ad bonorum possessionem datam, sicut factum in Heraclii et Epicratis causis. — *pecunias ceperit]* scribi voluit Lamb. in repet. edit. margine, cum priore ipse cum ceteris edidisset *pecuniam acceperit.* Nihil Gruterus de cod. Metell. annotat, sed recte Lambinus Fabricianum secutus, quem nunc adiuvant Lag. 42 (pr. m.) et 29 et Paris. B. In Paris. A est *pecunia susceperit*, quod eodem pertinet. Eorundem librorum cum Lamb. (in repet. edit. marg.) consensus fecit ut *pecuniam* mox adiiceremus: alioquin facile cogitando addi posset.

§. 120. *Quod enim iste]* Sic plane in Fabriciano esse Lamb. in marg. annotavit, et Gruterus Metell. auctoritatem adiecit, nosque nunc Lag. 42 (p. m.). Ceteri codd. et edd. princ. pro *iste* habent *est*, solito errore, sed quem insequentes editores partim ita correxerunt ut vocem importunam delerent, partim *quod* adderent ad verbum *praeteriit.* Iam utroque carebimus.

in his omnibus senatoribus cooptandis] Non praetor eos coopta-

genera quidem spectata esse, ex quibus in eum ordinem cooptari liceret, neque census, neque aetates,
121 neque cetera Siculorum iura valuisse; quicunque senator voluerit fieri, quamvis puer, quamvis indignus, quamvis ex eo loco, ex quo non liceret, si is pretio apud istum fieret idoneus, ut vinceret, factum esse semper; non modo Siculorum nihil in hac re valuisse

---

vit, sed illarum civitatum senatus in locum demortuorum videntur e ceteris civibus legisse, sed tum a Verre commendatos sine ambitu recepisse inter se. Itaque difficultatis nihil in hoc verbo, sicut Ernestius, invenio. Sic explico etiam p. M. Coelio c. 2 ubi dicit, Puteolanos absentem Coelium in amplissimum ordinem *cooptasse*, ut hoc non in universum de civibus Puteolanis intelligatur, sed de senatu illius civitatis. — *neque census, neque aetates, neque cetera Siculorum iura valuisse*] *Aetates* recepi ex edd. principibus usque ad Aldinam omnibus (et Lag. 42. 5. 27.) Quod a Naugerio primo editum est *aetatis* et ipsum potest pro accusativo haberi, sed ipse certe id noluit: quapropter reprehendendus videtur. Nam genitivum quemadmodum recte aliquis explicare possit non video: *ius* enim *aetatis* illud est, quo quis aetatis beneficio aliquid adipiscitur, v. c. vacationem rei militaris, non quod h. l. intelligitur, ne quis ante certam aetatem in senatum cooptetur. Praeterea duplex genitivus ab orationis elegantia abhorret, certe debebat tum „neque ceterarum rerum iura apud Siculos." Pluralis autem neminem offendere potest, cum plures fuerint homines, plures ac diversae civitates, et in singulis diversa instituta, quem quisque censum, quam aetatem habere deberet.

§. 121. *voluerit fieri*] Codd. et edd. vett. (nisi forte Paris. C excipias) omnes *voluerat*. Correxerat Naugerius, sed vere correxisse puto, neque enim Indicativum patitur oratio. — *apud istum fieret idoneus ut vinceret*] *Istum* primus dedit ex aliquo meliorum Naugerius, antea fuit *illum*. Sed alia scripturae varietas postea extitit cum Nannius in suo libro vet. sic legi notavit: *Si is pretio apud istum idoneus vinceret.* Idem Gruterus de Metelliano tradidit et legitur in Lag. 42 (pr. m.), praeterea *ut* abest a Lag. 29 et Pariss. A B. Itaque Lambinus altera editione verba *ut vinceret*, Ernestius contra media illa *fieret idoneus ut* haud paulo verisimilius tollenda censuerunt. Mihi tamen eiusmodi omissionis vitia in illis codicibus notanda, raro probanda videntur. Ut hoc loco ingrata orationis durities existit, si simpliciter Nannianum codicem sequeris; contra lepide dictum videtur, quod in illis hominibus aetatis, verbi causa, defectus pecunia expletus est. *Ut* quidem facile excidere potuisse, cum sequatur *vi*, apparet.

leges, sed ne ab senatu quidem populoque Romano datas. Quas enim leges sociis amicisque dat is, qui habet imperium a populo Romano, auctoritatem legum dandarum ab senatu: hae debent et populi Romani et senatus existimari.

Halesini pro multis ac magnis suis maiorumque 122 suorum in rem publicam nostram meritis atque beneficiis, suo iure nuper, L. Licinio Q. Mucio consulibus, cum haberent inter se controversias de senatu cooptando, leges ab senatu nostro petiverunt. Decrevit senatus honorifico s. c. ut his C. Claudius Appii filius Pulcher, praetor, de senatu cooptando leges conscriberet. C. Claudius, adhibitis omnibus Marcellis, qui tum erant, de eorum sententia leges Halesinis dedit: in quibus multa sanxit de aetate hominum, ne qui minor triginta annis natu; de quaestu, quem

§. 121. *ab senatu] Ab* Lag. 29 et 42 Paris. A, alii. Post iidem *ac magnis,* quod vulgo est *et magnis.* Iunt. *magnisque.*

§. 122. *C. Claudius Appii fil. Pulcher]* Praetor igitur fuit a. 95 a. Chr.: eundem Aedilem curulem fuisse a. 99, Consulem a. 92 ex auctorum testimoniis intelligitur. Lege ad h. l. Garatonii notam.

ne qui minor triginta annis natu] Primum *qui* pro vulg. *quis* ex cod. Nann. et Franc. dedit Graevius, firmantque de nostris Paris. A B et Lag. 42 (p. m.) qui quidem mendose habent *iniqui.* Sed grammatica huius loci interpretatio multis difficultatibus implicari coepta est a Garatonio, cum contenderet, non *natu* sed *natus* vel invitis libris legendum esse. Verum adiuvatur nunc auctoritate librorum Lag. 29. 42 (pr. m.) Paris. B. In qua docta disputatione hoc unum desidero, quod eius casus, quo ipsi *anni* ponuntur, minorem, quam par fuit rationem habuit. Omnibus enim locis, quibus illa dicendi formula legitur, accusativus est, non ablativus: Nepos de Reg. c. 2 *maiorque annos sexaginta natus decessit.* Tab. Heracleens. edit. Mazoch. compluribus locis *qui minor annos XXX natus est.* Frontin. Strateg. IV, 1, 10 *ne quis minor quinquaginta annos natus hospitio matris familias uteretur,* ubi alii codd. sed non optimi *annis* habent. Ipsius Ciceronis locus pro Rosc. Am. c. 14 etiamsi ita scribatur, ut Garatonius ad h. l. retractata priore sententia vult: *annos natus maior quadraginta* (de qua re nunc nihil statuo, quamvis verborum collocatio vulgatam potius scripturam *(magis* pro *amplius),* quam hanc postulare videatur) tamen

qui fecisset, ne legeretur; de censu, de ceteris rebus. Quae omnia ante istum praetorem et nostrorum magistratuum auctoritate et Halesinorum summa voluntate valuerunt. Ab isto et praeco, qui voluit, illum ordinem pretio mercatus est, et pueri annorum senum septenumque denum senatorium nomen nundinati sunt:

---

nos ad hanc rem nihil iuvat. Etiam plenius Liv. lib. XLV, 32 *quos cum liberis maioribus quam quindecim annos natis praecedere in Italiam placeret*, et A. Gellius I, 12 *qui de virgine capienda scripserunt — minorem quam annos sex, maiorem quam annos decem natam, negaverunt capi fas esse.* Laudat quidem Garatonius inter cetera etiam legis Serviliae verba haec: *qui minor annis XXX maiorve annos LX gnatus siet*, apud Sigonium de Iud. lib. II et Brissonium de Form. II, 24 (edit. Klenz. legis Serviliae p. 22), sed nisi statuere velimus, auctorem legis temere casus variasse, praestat *minorem annis triginta* ita coniungere, ut *natus* eo non referatur, sed ablat. ita positus sit, ut alibi *maior annorum triginta* genitivo casu legitur. Unus locus superest Nepotis in vita Hannib. c. 3 *Sic Hannibal minor quinque et viginti annis natus, imperator factus*, huic nostro simillimus, et unus Garatonio patrocinans. *Sed nemo interpretum Nepotis est, quin hunc corruptum putet, et aut *annos* corrigendum aut *natu* scribendum. Illud longe mihi probabilius videtur, quam quod recentissimi editores fecerunt, ut *natus* omnino eiicerent. Iam vero si concedis, accusativum etiam cum comparativo *maior* et *minor* aeque necessarium esse, atque est si absolute dicas *tot annos natus*, superest ut h. l. si *natus* receperis, etiam *annos* scribas contra libros, aut *natu* serves cum Paris. A ceterisque codicibus, quod ita adiectum putes, quemadmodum *aetatis annus* hic vel ille saepe legitur. *Minor quinque et triginta annis* dixit Livius lib. XXII, c. 11, dixit Suetonius, et apud Ictos vett. saepe leguntur *minores viginti quinque annis: natu* etiam additur in loco ex Edicto Praetoris apud Ulpianum, Digest. lib. IV tit. 4, l. 1 *Praetor edicit, quod cum minore quam viginti quinque annis natu gesta esse dicetur, uti quaeque res erit, animadvertam*, item apud Iulianum Digest. XXXVIII tit. V, l. 8 *Sed si minori quam viginti quinque annis natu filio familias crediderit* cet. *Quam* additum nihil prorsus mutat, nam Edicti verba Ulpianus ipse statim explicat: *apparet minoribus annis XXV eum opem polliceri;* (ut sit fere minor quam qui est XXV annis.) — *illum ordinem]* Vulgo *istum*, sed neque contemptus neque alterius personae ulla ratio est. Scribe igitur quattuor meliorum iussu *illum*. — *annorum senum septenumque denum]* De forma genitivi dixi in Gramm. §. 119.

et, quod Halesini, antiquissimi et fidelissimi socii atque amici, Romae impetrarant, ut apud se ne suffragiis quidem fieri liceret, id pretio ut fieri posset, effecit.

Agrigentini de senatu cooptando Scipionis leges 50
antiquas habent, in quibus et illa eadem sancta sunt, 123
et hoc amplius: cum Agrigentinorum duo genera sint;
unum veterum, alterum colonorum, quos T. Manlius
praetor ex s. c. de oppidis Siculorum deduxit Agrigentum; cautum est in Scipionis legibus, ne plures essent in senatu ex colonorum numero, quam ex vetere Agrigentinorum. Iste, qui omnia iura pretio exaequasset, omniumque rerum delectum atque discrimen pecunia sustulisset: non modo illa, quae erant aetatis, ordinis, quaestusque permiscuit, sed etiam in his duobus generibus civium novorum veterumque turbavit.
Nam, cum esset ex veterum numero quidam 124

§. 123. *et illa eadem]* Sic quattuor boni. Vulgo *et eadem illa.*

T. Manlius praetor] Lamb. in marg. rep. edit. *L. Manlius* voluit, ut est etiam in Lag. 42 (p. m.). Sed hunc eundem esse constat, quem Livius lib. XXVII, 36 e probatissimis libris correctus *C. Mamilium* vocat. Eiusdem libri c. 35 lectio discrepat, sed c. 8 et praenomen Gaii, quod in Manliis locum non habet, certum est, et ipsum nomen *Mamilii* probabilius est quam alterum *Manilii.* Iam vero apud nostrum qui *C. Mamilius* corrigeret, eum non reprehenderem: ipse non faciam, quamvis suadeat Pighius ad annum 546 (qui nostris rationibus 547 est) cum excusatio memoriae in promptu sit. Hoc autem patet, rem pertinere ad illum annum 547 u. c. 207 a. Chr. cum tribus annis ante M. Valerius Laevinus Agrigentum cepisset et graviter afflixisset, P. Scipio autem tertio anno post, 549 u. c., Siciliae praeesset resque turbatas componeret. — *in senatu]* Haec verba accesserunt e Nanniano, eumque recepta essent in textum repet. Lamb. per Gruterianam ad recentiores editiones propagata sunt. A codd. nostris praeter unum Lag. 42 absunt. — *quam ex vetere Agrigentinorum]* Secundum Hotoman. *veterum* correxerunt Lambinus et Graevius, recte illud Ernestius exquisitius dicit. — *delectum]* Lag. 42 *dilectum.* Cf. ad divin. c. 4 extr.

civium nov. veterumque turbavit] Illa quod praecedit ita possis explicare ut cogites *iura*, ni praestet universe intelligere, quae pertinent ad eam rem. Sed turpiter interpolavit locum, quisquis est, qui

senator demortuus, et cum ex utroque genere par numerus reliquus esset: veterem cooptari necesse erat legibus, ut is amplior numerus esset. Quae cum ita se res haberet, tamen ad istum emptum venerunt illum locum senatorium non solum veteres, verum etiam novi. Fit, ut pretio novus vincat, litterasque a praetore auferat. Agrigentini ad istum legatos mittunt, qui eum leges doceant, consuetudinemque omnium annorum demonstrent: ut iste intelligeret, ei se illum locum vendidisse, cui ne commercium quidem esse oporteret. Quorum oratione iste, cum pretium iam
125 accepisset, ne tantulum quidem commotus est. Idem fecit Heracliae. Nam eo quoque colonos P. Rupilius deduxit, legesque similes de cooptando senatu et de numero veterum ac novorum dedit. Ibi non solum iste, ut apud ceteros, pecuniam accepit, sed etiam genera veterum ac novorum numerumque permiscuit.

---

primus de suo adiecit *civium nov. veterumque delectum ordinemque turbavit.* Equidem primum inveni in Victor. et Hervag. eiusdem anni, sed omni librorum mss. auctoritate carent.

§. 124. *ex veterum numero]* Sic Naugerius dedit ex aliquo meliore, prius editi et Lag. VII et Paris. C *vetere.* — *ut is amplior numerus esset]* Olim edebatur *his amplius.* Nannius protulit e suo libro *his amplior,* unde Lamb. priore *hic amplior* fecit, sed acceptis Fabr. cod. lectionibus altera *is amplior* voluit, quod Gruterus etiam ex Pal. sec. recepit. Nostri libri omnes *is,* sed *amplior* non est nisi in quattuor bonis. — *emptum venerunt illum]* Verba collocavi secundum meliores nostros quattuor. Vulgo *venerunt emptum locum illum.* Item ex uno Lag. 42 dedi *verum* pro vulgato *sed,* neque enim haec permutatio vitio nata videtur. — *cui ne commercium quidem esse]* i. e. qui ad emendum ne admittendus quidem esset, cum non liceret ex eo ordine fieri. Lepide dictum.

§. 125. *Heracliae]* dedimus pro vulg. *Heracleae* ex Lag. 42 (p. m.) suntque incolae in melioribus libris semper *Heraclienses*, cf. III, 43, pro Arch. 4. Ex eodem est *et de numero* pro vulg. *ac,* paulo post.

P. Rupilius] a. 131 Chr., 623 u. c. extincto motu servorum in Sicilia, et Henna, praecipua illorum sede, capta.

Nolite expectare, dum omnes obeam oratione mea 51
civitates. Hoc uno complector omnia, neminem isto praetore senatorem fieri potuisse, nisi qui isti pecuniam dedisset. Hoc idem transfero in magistratus, cu- 126
rationes, sacerdotia: quibus in rebus non solum hominum iura, sed etiam deorum religiones immortalium omnes repudiavit. Syracusis lex est de religione, quae in annos singulos Iovis sacerdotem sortito capi iubeat, quod apud illos amplissimum sacerdotium putatur: cum 127
suffragiis tres ex tribus generibus creati sunt, res revocatur ad sortem. Perfecerat iste imperio, ut pro suffragio Theomnastus familiaris suus in tribus illis renuntiaretur: in sorte, cui imperare non poterat, ex-

---

§. 125. *dum omnes obeam oratione mea civitates]* i. e. ait Hotom. dum persequar quid in singulis civitatibus fecerit. Laudat Garatonius de hac potestate verbi *obire* Cannegieter. ad Arrian. fab. 38.

Hoc uno complector omnia] Crimine post *complector* nostri libri mss. praeter Lag. 42 omnes, addebaturque in editis ante Gruterum: is auctoritate libri Metelliani delevit: interpretandi causa adiectum ostendit etiam varians lectio Franc. *nomine*. *Hoc uno* per se satis est, hac una re.

§. 126. *deor. relig. immort.]* Faciliore verborum ordine Lag. 29 Paris. A B *deorum immortal. relig.* — *Iovis sacerdotem sortito capi iubeat]* Sustulit Ernestius vitium typogr. quod ab edit. Gruteriana ad ceteras permanavit, *iubebat*. De amplitudine illius sacerdotii, secundum quod anni a Syracusanis, usque dum coloni pop. Rom. fierent et Latinitatis ius acciperent, numerabantur, vide Diodorum lib. XVI, c. 70. Vocabatur ἡ ἀμφιπολία Διὸς Ὀλυμπίου, ipsique flamines ἀμφίπολοι. Praeterea Ciceronem accurate secundum Romanum morem dixisse *capi illum Sacerdotem* locus A. Gellii I, 12 a Garatonio allatus probat, qui praeterquam in virginibus Vestalibus, etiam in flaminibus Dialibus, Pontificibus et Auguribus praecipuam illius verbi sedem ac potestatem olim fuisse docet.

§. 127. *ex tribus generibus]* Quaenam illa tria Syracusanorum genera? Nihil me usquam de civium tribus ordinibus legisse memini. Itaque puto de tribus urbis partibus intelligendum esse, quoniam ne in quarta parte, Insula, cives Syracusani habitarent interdictum erat. Vid. lib. IV, 53. — *ut pro suffragio — renuntiaretur]* Dictum hoc sicut vulgo *pro testimonio*, „bei der Abstimmung." Non cepit hoc sive Lambinus, sive alius, qui in marg. repet. Lamb. locum ita corrigere

pectabant homines, quidnam acturus esset. Homo, id quod erat facillimum, primo vetat sortiri: iubet extra sortem Theomnastum renuntiari. Negant id Syracusani per religiones sacrorum ullo modo fieri posse: fas denique negant esse. Iubet iste sibi legem recitari: recitatur: in qua scriptum erat, *ut, quot essent renuntiati, tot in hydriam sortes coniicerentur: cuium nomen exisset, ut is haberet id sacerdotium.* Iste homo ingeniosus et peracutus, *Optime,* inquit: *nempe scriptum ita est, quot renuntiati erunt. Quot ergo,* inquit, *sunt renuntiati?* Respondent, *tres. Numquid igi-*

---

voluit, ut aut *pro suffragio* cum *imperio* coniungeretur, et *ut* postponeretur, aut *populi suffragio* scriberetur. — *cui imperare non poterat]* Lag. 29 Paris. A B *cum — potuerat,* Lag. 42 (p. m.) *cui — potuerant.* Nihil esse puto. Post *erat* abest a Lag. 42 (p. m.)

quidnam acturus esset] Lambinus edidit *facturus* de suo: non placet, nam explico „quid incipere vellet, quid conaturus esset."

per religiones sacrorum] P. Manut. (a. 1540) et Lamb. priore ediderunt *religionem,* in altera Lamb. *alios* sic legisse notatur, quasi improbarit ipse Lambinus. Verumtamen quamvis ipse a sententia sua discesserit, cum opportunitas corrumpendi in proclivi fuerit, *religionem sacrorum* longe rectius dici existimo, quam *religiones,* neque hoc usquam legere me memini. — *Iubet iste sibi legem recitari] Recitari* primum comparet in repet. Lamb., haud dubie ex Fabric. contra institutum repetitorum, ut tot aliis locis factum est, in textu positum. Nam sic etiam est in Lag. 42, cum reliqui omnes scripti et ante editi *legem legi* exhibeant. Sed unum supererat emendandum, ut *iste* corrigeretur pro vulg. *ille,* quod de Verre sine oppositione aliqua, quae h. l. non est, dici nequit. Et legitur *iste* in Lag. 14. 48. 29 Paris. A B.

cuius nomen exisset] Cod. Nannii et vet. cod. in marg. repet. Lamb. (Fabric.) *cuium nomen,* neque multum abit Lag. 42 (p. m.) in quo mendose scriptum est *civium.* Habet hoc antiquum legum colorem, sicut etiam lib. I, 54 *cuia res sit, cuium periculum.* Itaque postliminio reduxi.

id sacerdotium] Accessit *id* in repet. Lamb. et tuetur Lag. 42. Item *iste* in principio seq. periodi primum comparuit in textu illius editionis, sed auctores habuit praeter Lag. 42 etiam reliquos tres bonos. Ridiculum autem vitium in edit. Gruterianam typographorum culpa irrepsit: *homo negotiosus* pro *ingeniosus.* Rem primus perspexit Garatonius, quamquam etiam Graevius et Ernestius, sed caute necdum satis fidentes correxerunt. — *inquit]* e Fabric. accessit in repet. Lamb. neque adhuc animadversum est. Sic item Lag. 42, in reliquis tribus bonis

tur oportet, nisi tres sortes coniici, unam educi? Nihil. Coniici iubet tres, in quibus omnibus esset inscriptum nomen Theomnasti. Fit clamor maximus, cum id universis indignum ac nefarium videretur. Ita Iovis illud sacerdotium amplissimum per hanc rationem Theomnasto datur.

Cephaloedi mensis est certus, quo mense sacer- 52
dotem maximum creari oporteat. Erat eius honoris 128
cupidus Artemo quidam, Climachias cognomine, homo sane locuples et domi nobilis. Sed is fieri nullo modo poterat, si Herodotus quidam adesset: ei locus ille atque honos in illum annum ita deberi putabatur, ut ne Climachias quidem contra diceret. Res ad istum defertur, et istius more deciditur: toreumata sane nota ac pretiosa auferuntur. Herodotus Romae erat: satis putabat se ad comitia tempore venturum, si pridie venisset. Iste, ne aut alio mense, ac fas erat, comitia haberentur, aut Herodoto praesenti honos adimeretur, (id quod iste non laborabat, Climachias minime volebat,) excogitat, (dixi iamdudum, non est homo acu-

---

verborum ordo hic est *quot ergo sunt, inquit, renuntiati:* a vulgaribus prorsus abest. Ex iisdem quattuor bonis *respondent* dedi pro vulg. *responsum*, quod miror cur veteres illi omiserint. — *nihil]* abest a Lag. 42 (pr. m.) — *esset inscriptum*] Secutus sum quattuor illos bonos. Vulgo enim *scriptum esset.* Iidem *ac nef.* pro vulg. *atque nefarium.*

§. 128. *Cephaloedi*] quattuor nostri et cod. vet. apud Lambinum, qui est Fabricianus, quoniam priore edit. ipse Lambinus Hotomani sententiam secutus scripsit *Cephaledii.* Vulgo autem adhuc *Cephaledi* fuit. Hoc quidem falso. Nam diphthongus οι in Graeco nomine est, sive Κεφαλοίδιον cum Strabone et Diodoro, sive Κεφαλοιδίς cum Ptolemaeo vocari debet. Plinius libro III et ipse *Cephaloedis* et ad eum nominativum hic ablativus videtur revocandus esse. — *Artemo*] Sic primus Gruterus e libris mss. pro eo quod olim fuit, *Arthenio.* Recte.

toreumata — auferuntur] *Er trägt davon*, i. e. accipit Verres. Neque enim *auferre* semper de vi dicitur, sed etiam quae quis ab aliquo alia ratione impetrat. Ceterum *et* (non *ac) pretiosa* Lagom. 29. 42 (pr. m.)

tior quisquam, nec fuit,) excogitat, inquam, quemadmodum mense illo legitimo comitia haberentur, nec
129 tamen Herodotus adesse posset. Est consuetudo Siculorum ceterorumque Graecorum, quod suos dies mensesque congruere volunt cum solis lunaeque ratione, ut nonnunquam, si quid discrepet, eximant unum aliquem diem aut summum biduum ex mense; quos illi ἐξαιρεσίμους dies nominant: item nonnunquam uno die longiorem mensem faciunt aut biduo. Quae iste cum cognosset, novus astrologus, qui non tam coeli rationem, quam caelati argenti duceret, eximi iubet non diem ex mense, sed ex anno unum dimidiatumque mensem; hoc modo, ut, quo die, verbi causa, esse oporteret Idus Ianuarias, eo die Calendas Martias proscribi iuberet. Itaque fit, omnibus recusantibus et plorantibus: dies is erat legitimus comitiis habendis: eo modo sacerdos Climachias renuntiatus est.

---

§. 129. *aut summum biduum*] *Summum*, non *ad summum*, pro eo quod nos dicimus *höchstens*, Tullianum esse, recte Garaton. etiam ex h. l. probavit ad orat. p. Mil. c. 5, ubi vulgo legitur *quando enim frequentissimo senatu quattuor, ad summum quinque sunt inventi*, sed legendum est *aut summum*, sicut et ipse inveni in Erfurt. optimo.

ἐξαιρεσίμους] Graece verbum scribi coeptum est in Vict. et Hervagiana. Codd. tamen omnes *exheresimos*. Similis res est quae in *Panhormo* supra cap. 26 §. 63. — *quae iste cum cognosset*] Sic Lamb. altera edit. voluit et est in Lag. 29 Paris. A B. Lag. 42 (pr. m.) *cognosceret*, sed sic etiam supra plus semel peccat. — *eo die — proscribi iuberet*] Sic Nann. Fabric. Lag. 42, cum vulgo sit *proscriberet*. Sed Fabric. quoque (Nannianus siletur) et Lag. ille *in eo die*, quo uti non possum. — *omnibus recusantibus et plorantibus*] *Plorantibus* Lamb. altera edit. (e Fabric.) et Gruterus e Metell. (quod etiam in Lag. 42 inveni) cum olim fuisset *implorantibus*. Defendi hoc quidem potest, quamvis neget Lambinus, facile enim accusativum subintelligemus, *eius fidem:* neque suum codicem mutare Nannius annotat. *Plorandi* verbum aliquanto gravius videtur, nisi antiquos homines de turbatis religionibus suis anxios fuisse putamus. Contra, quod Lambinus, priusquam Fabric. cod. variantes accepisset, emendavit *improbantibus* iusto lenius est. — *dies is erat*] Abest *is* a Lag. 42 (p. m.) Idem post *ab Roma*.

Herodotus cum Roma revertitur, diebus, ut ipse pu- 130
tabat, quindecim ante comitia, offendit eum mensem, qui consequitur mensem comitialem, comitiis iam abhinc diebus xxx factis. Tunc Cephaloeditani decre-

---

§. 130. *diebus*] e Nannii codice, simulatque prolatum est, a nullo non editore receptum. Sed cum de Fabric. et Metell. sileatur, unum auctorem nunc habeat Lag. 42. — *offendit eum mensem, qui consequitur mensem comitialem*] Verba *qui consequitur mensem* a Lambino altera editione de coniectura adiecta esse, Gruterus affirmat et credibile est, si in Metell. non sunt inventa; sed nihil ego certius existimo, nihil magis necessarium ut intelligi locus possit. Nam si ea verba absint, iam inane fit illud *offendit mensem comitialem*, quem si offendisset, omnia salva fuissent, modo ne ultimo eius die venisset. Sed hoc ipsum de ultimo die non intelligimus nisi ex verbis *comitiis iam abhinc XXX diebus habitis.* Hoc satis fuisset: priora illa expectationem auditorum frustrantur. Quid porro facimus pronomini *eum*, quod certe aliquid post se requirit? Quod nunc editum legimus, ita dictum est, ut debebat Cicero dicere, si eorum qui audirent admirationem improbitate rei gestae excitare vellet. Nam quid incredibilius, quam qui ex itinere redux quindecim ante Calendas diebus se advenire putet, non modo illum mensem in quo tum maxime erat, sed ne insequentem quidem, ad cuius Calendas praesto esse vellet, offendere? Num haec omnia ita gesta sint, num sacerdotum comitia ipsis illis Calendis habita sint, nihil ad Ciceronem: ita narrat, ut auditoribus maxime perspicuum fieri potest, utque fieri certe potuit. Verumtamen haec disputatio, qua coniecturam ingeniosissimam tueri conarer, frustra mihi suscepta est, quandoquidem quod Lambinus de suo adiecisse adhuc visus est, id liquido in Lag. 42 (p. m.) extat. Fuerit hoc igitur certissimum documentum, quam paucorum librorum fide omnis emendatio horum librorum nitatur. Neque mihi persuadere possum illa verba non fuisse a Gulielmo in Metell. inventa, enotare potius oblitum esse arbitror. — *abhinc diebus XXX factis*] Sic Lag. 42. Vulgo *abhinc triginta diebus habitis*, sed etiam in Paris. B primum fuerat *factis*, correctumque deinde *habitis*. Sic etiam in Act. I c. 6 extr. *consularibus comitiis factis*. Unum me commovet quod *abhinc*, ubi non referatur ad tempus praesens, i. e. eius qui loquitur, alium locum adhuc nullum cognovi. Lag. 29 *ab me*, quod nisi merum mendum est, ut videtur esse, emendandi viam ostendere videtur, ut fuerit *ante*.

Cephaloeditani decrerunt] Vulgo *decreverunt*. Lambinus altera edit. voluit *fecerunt*, ex Fabric., nam Lag. 42 (pr. m.) *fuerunt*. Sed latere videtur in eo forma verbi contracta, quam restituimus, quoniam eadem est in Lag. 29 Paris. A B.

runt intercalarium XLV dies longum, ut reliqui menses in suam rationem reverterentur. Hoc si Romae fieri posset, certe aliqua ratione expugnasset iste, ut dies XLV inter binos ludos tollerentur, per quos solos iudicium fieri posset.

53
131 Iam vero censores quemadmodum in Sicilia isto praetore creati sint, operae pretium est cognoscere.

---

§. 130. *ut dies XXXXV inter binos ludos tollerentur*] Lag. 42 XXXV. Sed vulgata scriptura verissima videtur esse, nec potest numerus dierum mutari, etiamsi re vera aliquanto pauciores inter binos ludos dies sint, quin disputationis concinnitas pereat. Verum ratio constat. Dies enim intelligendi sunt inter ludos Romanos et Victoriae circiter quadraginta, quos Act. I c. 10 Hortensium dicit voluisse dicendo et excusando consumere. Vide Garatonii notam a typographis ea parte male habitam, ubi se dicit putare Tullio haec agente ludos Victoriae pridie Nonas Novembr. aut certe postridie Cal. *Nov.* celebratos esse: sic enim debet, non *Decembr.* etsi in Calendario vetere VI Cal. Nov. fieri dicantur. Sic ex a. d. 13 Cal. Octobres, qui dies ultimus erat Circensium Rom., usque ad prid. Non. Nov. ipsi fiunt 45 dies, paulo pauciores si aliam rationem ingrediare.

§. 131. *quemadmodum — creati sint*] Codices mss. nostri *sunt*, primusque correxit Lambinus, post eum denuo Ernestius. Recte, me quidem iudice. Nam quamvis fieri possit, ut Indicativus absolute intelligatur, tamquam admirantis, minus tamen ea explicatio ad sententiam loci et usum scriptoris apta videtur. Ut autem quorundam hominum doctorum opinionem probem, qui etiam ab auctoribus pedestris orationis post pronomina et adverbia interrogativa, ubi enuntiatio e verbo quodam pendeat, utrumque modum adhiberi promiscue, aut ita, ut certitudo quaedam facti Indicativo significetur, contenderunt, eam igitur sententiam tantum abest, ut probem, ut satis mirari non possim, cur diversissimas res miscere, aut bonorum librorum auctoritati refragari, aut denique nonnullis in locis lenissima remedia emendandi aversari pergant. Nam nihil erat quod Goerenzius locum lib. IV de Fin. 24 §. 67 *at quo nituntur homines acuti argumento ad probandum, operae pretium est considerare*, huic nostro simillimum diceret: non enim philosophus eo loco vult referre, quo argumento *nitantur* Stoici, sed illud ipsum argumentum considerare, quale sit: ut relativum pronomen sit, non interrogativum. Cuius annotatio errore quodam corrupta transversum egit Ramshornium, hominem a critica ratione alienissimum, in Gramm. p. 712 edit. alterius: nam hoc certe Goerenzius noluerat, de Fin. II, 5 pr. *si ego non intelligam, quid Epicurus lo-*

Ille enim est magistratus apud Siculos, qui diligentissime mandatur a populo, propter hanc causam quod

---

quitur scribendum esse pro vulg. *loquatur*, sed paulo post pro vulgata *vide, ne sit aliqua culpa eius, qui ita loquatur, ut non intelligatur* restitui *qui ita loquitur:* quamquam etiam huius Indicativi probandi ratio longe alia est, quam si quis hoc loco *sunt* commendare velit. Relativum item est de legg. I, 9 §. 27 *oculi, quemadmodum animo affecti sumus, loquuntur;* in Verr. II 66 extr. *quae gesta sunt cognoscite;* p. Rosc. Amer. c. 30 *quaeramus ubi maleficium et est et inveniri potest*, ad quem locum quae Matthiaeus in priore editione annotaverat, ea in altera correxit, Ramshornius eodem uti in diversa re non desinit. Interrogatione directa instituta quemadmodum Indicativus defendi possit, demonstravit Malaspina ad lib. VII, ep. 12 ad Atticum, et ego in Gramm. §. 553. Qui autem loci nullam huiusmodi explicandi rationem admittunt, eos magnopere velim, priusquam temere adhibeant, ad codices mss. accurate exigant, sicut pro Mil. c. 18 pr. *videte quantae res his testimoniis confectae sint* in optimo Erfurtensi est, et de Fin. V, 9 §. 24 et 10 §. 30 ubi Goerenzius Indicativos posuit: *intelligere quam ob causam habet* et *si — quemadmodum affecti sumus, nihil nostra arbitrabimur interesse*, codex Vratislaviensis *habeat* et *simus* tuetur. Tollantur etiam de numero in Verr. III, 14 §. 37 ubi *attendite cuiusmodi edicta sint* in bono Paris. A, et eodem lib. 26 §. 64 ubi *intelligunt, cur — quaesiverit* in bonis omnibus legitur. Relinquentur paucissimi ex iis maxime libris, quorum critica tractatio ob penuriam codd. mss. difficilis est: ad Atticum I, 1 extr. *Vides enim in quo cursu sumus:* at sequitur continuo *putemus;* ad Att. XIII, 18 *vides propinquitas quid habet:* at Bosius *habeat;* or. in toga cand. non multum post init. *me qua amentia inductus est ut contemneret, constituere non possum:* verum Asconius qua ratione adhuc editus sit patet. Etiam de leg. agr. III, 4 *quoniam qua de causa et quorum causa ille hoc promulgavit ostendi* adhuc editur, sed corrigendum videtur *promulgaverit.* Nam qui norint quotiens in mss. nota *er* Coniunctivi omittatur, quamque crebro *sumus* et *simus*, *sunt* et *sint* commutentur, vix sibi expectandum putabunt donec omnes auctoritates exquirantur, quin lenissimo remedio scriptori succurrant. Aliam rem esse in vetustis comicis fateor: nam Coniunctivi sive potius Subiunctivi hic usus elegantior oratorum demum concinnitatis studio excultus videtur, ab eoque recedere etiam aureae aetatis poetis interdum licuit: Ciceronem ut putem in tot milibus certissimorum exemplorum a semet ipso quasi desciscere voluisse, propter paucos illos locos undeunde corrogatos non adducor ut credam. Ceterum Lag. 29 et Paris. B *isto praetore in Sicilia* mutato verborum ordine.

qui diligentiss.] Apparet *qui* unice verum esse. Veruntamen *cui*

omnes Siculi ex censu quotannis tributa conferunt: in censu habendo potestas omnis aestimationis habendae summaeque faciendae censori permittitur. Itaque et populus cui maximam fidem suarum rerum habeat maxima cura deligit, et propter magnitudinem potestatis hic magistratus a populo summa ambitione con-
132 tenditur. In ea re iste nihil obscure facere voluit, non in sortitione fallere, neque dies de fastis eximere. Nihil sane vafre nec malitiose facere conatus est: sed, ut studia cupiditatesque honorum atque ambitiones ex

---

omnes codd. nostri praeter Lag. 42 et vett. edd. usque ad Aldinam, in quo emendatum est. — *in censu habendo — permittitur*] Hotom. volebat *et in censu* cet. Lamb. coniecit *in censu autem habendo*. Coniunctionis defectus sane offendere possit, verum codd. non mutant. Post *aestimatio habenda* eodem modo dicitur, ut *censum, delectum habere*. Illa enim aetate census qui Romanorum civium fiebat, eiusmodi aestimationem singularum rerum non amplius habebat, et erat recensus potius civium, quam fortunarum cuiusque aestimatio. *Summae faciendae* Lag. 42. Vulgo *faciundae*. — *et populus cui maximam fidem suarum rerum habeat*] Locus et olim bonorum mss. defectu et recentiore aetate editorum incuria male habitus. Primum enim libri mss. vulgares *ei populus*, quod cum non coiret cum verbo *deligit*, Naugerius correxit *eum*, cum deberet *et* facere, quod responderet alteri membro *et a populo*. Atque sic legitur re vera in codd. quattuor nostris melioribus. Tum reliqua ita prorsus, ut edidi, sunt in omnibus edd. usque ad Gruterum. Hic autem describi passus est *qui maximam — habebat*. Correxit Graevius *cui*, Ernestius etiam alterum *habebat*, sed denuo corruptelae locum fecit, cum ederet *maxime*. Secuti eum sunt Beckius et Schützius. Ceterum *fidem habere alicui* addito genitivo rei, quam alicui credimus ac permittimus, nusquam alibi legi, nisi apud Plautum in Persa V, 2, 8: *Toxilus haec mihi concivit. Quia ei fidem non habui argenti, eo mihi eas machinas molitu'st*. Lag. 29. 42. 1. 48 Paris. A B *diligit*. *magistratus a populo — contenditur]* Etiam hoc raro legitur, quia *contendere* fere sine accusativo dicimus, postulare ut aliquis aliquid faciat.

§. 132. *iste nihil obscure facere voluit*] *Iste* accessit e Nanniano (et Lag. 42), *facere* a Metell. abesse notat Gruterus et abest a Lag. 42 (p. m.). Sed probare nequeo, quoniam tum *obscuri* scribendum esset. Videtur mendum esse, siquidem Paris. A mox pro *fallere* item *facere* exhibet.

hominibus civitatibusque tollerentur, quae res evertendae rei publicae solent esse, ostendit, sese in omnibus civitatibus censores esse facturum. Tanto mer- 133
catu praetoris indicto, concurritur undique ad istum Syracusas. Flagrabat domus tota praetoria studio hominum et cupiditate: nec mirum, omnibus comitiis tot civitatum unam in domum revocatis, tantaque ambitione provinciae totius in uno cubiculo inclusa. Exquisitis palam pretiis et licitationibus factis, describebat censores binos in singulas civitates Timarchides. Is suo labore suisque accessionibus, huius negotii atque operis molestia consequebatur, ut ad istum sine ulla sollicitudine summa pecuniae referretur. Iam

---

§. 132. *ex hominibus civitatibusque tollerentur]* Singularis haec est scriptura necdum commemorata Lag. 42 (p. m.). Vulgo *ex omnibus civitatibus tolleret;* nec utrum praestet facile est dicere, sed praemeditatae interpolationis suspicio certe et ab hac lectione et a toto codice abest. — *quae res evertendae reip. solent esse*] Addebatur olim *causa*, sed bene factum, quod ignorantis librarii adminiculum exturbatum est imprimis Fabric. (Metell.) codicis auctoritate, sed suffragantibus etiam reliquis praeter paucissimos quosdam. Rarissimum tamen illud loquendi genus apud Ciceronem, et nescio an hoc uno loco inventum, verum frequens admodum apud Sallustium et Livium, vide Cortium ad Sall. Catil. c. 6. Gronovium et Drakenb. ad Liv. V, 3. Ne cum Garatonio dativos potius illos existimes, quam genitivos, confer quae in Grammat. Lat. §. 662 collegi, nam genitivum interpretor si pro pertinere ad aliquam rem faciendam ponatur, dativum ad rationem talium locutionum revoco, quemadmodum *non solvendo esse* dicitur, ut *idoneus* sive *par* subintelligas.

§. 133. *Flagrabat domus]* Lag. 29 Paris. A B *fragrabat*, Lag. 42 *tota domus praetoris*. — *Is suo labore — molestia consequebatur]* Offendunt bini ablativi, quapropter etiam eos, qui vulgaris codd. recensionis auctores fuerunt, existimo *molestiam* correxisse, nam ablativus *molestia* a Lamb. demum et Grutero e Nann. et Fabr. (Metell.), nunc etiam Lag. 42, restitutus est. Sed duplices illos ablativos feremus, si priores quasi absolutos intelligamus, ut sit „cum laborem hominum appellandorum et cum iis de pretio dando colloquendi suscepisset." Nam temerarium certe videretur, si quis cum Schützio omnia haec *huius negotii atque operis molestia* delere vellet. — *summa pecuniae]* Sic optime Lag. 42 (pr. m.) pro vulg. *summa pecunia:* nam quanta

hic Timarchides quantam pecuniam fecerit, plane adhuc cognoscere non potuistis: verumtamen priore actione, quam varie, quam improbe praedatus esset, multorum testimoniis cognovistis.

54 Sed ne miremini, qua ratione hic tantum apud
134 istum libertus potuerit, exponam vobis breviter, quid hominis sit, ut et istius nequitiam, qui illum secum habuerit, eo praesertim numero ac loco, et calamitatem provinciae cognoscatis. In mulierum corruptelis et in omni eiusmodi luxuria atque nequitia mirandum in modum reperiebam hunc Timarchidem ad istius flagitiosas libidines singularemque nequitiam natum atque aptum fuisse: investigare, adire, appellare, corrumpere, quidvis facere in eiusmodi rebus, quamvis callide, quamvis audacter, quamvis impudenter; eundem mira quaedam excogitare genera furandi. Nam ipsum Verrem tantum avaritia semper hiante atque imminente fuisse, ingenio et cogitatione nulla; ut, quicquid sua sponte faciebat, item ut vos Romae cogno-
135 vistis, eripere potius, quam fallere videretur. Haec

---

illa pecunia fuerit, *iam* dicit se demonstraturum: nunc praetorem sine molestia sua fructum eius nundinationis percepisse dicit. — *priore actione]* Lag. 42 (p. m.) *in priore act.* sed ubique in his orationibus solus ablativus legitur, sine praepositione. Contra verissime post idem *multorum testimoniis* pro vulg. *multorum ex testimoniis.*

§. 134. *eo praesertim numero]* Ita or. tert. adv. Antonium c. 6 *Bambalio quidam, homo nullo numero.* — *eundem mira quaedam excogitare genera furandi]* Ita dicit quasi homo etiamnunc eadem re occupetur: nam quod sequitur *nam ipsum Verrem fuisse* actione perfecta necesse fuit proferre, quia ad certum quoddam tempus administrationis provincialis pertinet. Ernestius quidem, quod praegressos Infinitivos actionis imperfectae putaret e verbis *natum atque aptum fuisse* pendere, hoc loco *excogitasse* correxit. Verum illi Infinitivi pendent et ipsi e verbo *reperiebam.* — *semper hiante atque imminente]* Vulgo *imminenti*, sed secutus sum Lag. 42 (pr. m.): ante Gruterum etiam alio ordine verborum *tantum avaritia semper hiante*, ut est in cod. vulgaribus.

vero huius erat ars et malitia miranda, quod acutissime tota provincia, quid cuique accidisset, quid cuique opus esset, indagare et odorari solebat: omnium adversarios, omnium inimicos diligenter cognoscere, colloqui, attemptare; ex utraque parte voluntates perspicere, facultates et copias; quibus opus esset, metum offerre; quibus expediret, spem ostendere: accusatorum et quadruplatorum quicquid erat, habebat in potestate: quod cuique negotii conflare volebat, nullo labore faciebat: istius omnia decreta, imperia, litteras peritissime et callidissime venditabat. Ac non solum 136
erat administer istius cupiditatum; verum etiam ipse sui meminerat: neque solum nummos, si qui isti ex-

---

§. 135. *huius erat ars]* Sic primum in textu Lambinianae repetitae. Antea fuit *eius*, ut legitur etiam in omnibus nostris. Solus Lag. 42 (p. m.) *huiusm.* Idem pro *acutissime* habet *accuratissime.*

quid cuique accidisset] Tria haec verba accesserunt e codd. Nann. et Fabric. (Metell.) nunc etiam Lag. 42. Deinde Lambinus edidit, confirmatque idem Lagom. *quid cuique opus esset* pro vulg. *quid cuique esset necesse.* Item *omnium adversarios* adiectum primum in repet. Lamb. e Fabric. et posthac a Grutero e Metelliano: inventum est nunc etiam in Lag. 42. Fuisse etiam in Nanniano credo, sed ipse Nannius nihil protulit, fortasse glossema ratus. Sed sic etiam alibi Cicero, velut c. 61 §. 149 *inimici omnes et adversarii sunt. — ex utraque parte vol. perspicere]* Vulgo *ex utraque parte causas, voluntates persp.*, in qua scriptura offendere debuit asyndeton, item quod ille *causas* perspexisse dicitur, quo nihil iustius est. Verum animadvertendum est, verbum *parte* abesse a Lag. 29 Paris. A B, neque *causas* in Lag. 29 et Par. B esse, sed *causa*, eamque ipsam vocem non legi in Lag. 42 (p. m.), unde apparere existimo alteram alterius esse interpretationem, et *causam* quidem explicandi gratia adiectum. Itaque delendum censui.

metum offerre] Sic Lamb. (iam priore edit.) et quattuor nostri meliores pro vulg. *afferre.* Potest utrumque Latine dici, sed *offerre* tamen terrendi magis significationem habet: sic etiam Epist. XV, 1 med. *metu oblato. — conflare volebat]* Ante repetitas Lamb. curas legebatur *conflari*, sed recte se habet quod nos edidimus auctoritate Lag. 42; ipse enim conflat Timarchides.

§. 136. *neque solum]* Edd. principes et codd. mss. *aeque non solum*, Ascensiana *atque non solum*, Naugerius dispertitis verbis *meminerat aeque: non solum*, quod adhuc obtinuit. Sed in hac scri-

ciderant, tollere solebat, ex quibus pecuniam maximam fecit, sed etiam voluptatum flagitiorumque istius ipse reliquias colligebat. Itaque in Sicilia non Athenionem, qui nullum oppidum cepit, sed Timarchidem fugitivum omnibus oppidis per triennium scitote regnasse: in Timarchidi potestate sociorum populi Romani antiquissimorum atque amicissimorum liberos, matresfamilias, bona fortunasque omnes fuisse. Is igitur, ut dico, Timarchides in omnes civitates, accepto pretio, censores dimisit: comitia, isto praetore, censorum ne simulandi quidem causa fuerunt.

55 Iam hoc impudentissime: palam (licebat enim vi-
137 delicet legibus) singulis censoribus denarii trecenti ad statuam praetoris imperati sunt. Censores cxxx facti sunt: pecuniam illam ob censuram contra leges clam dederunt; haec denarium xxxix milia palam salvis legibus contulerunt in statuam. Primum quo tantam pecuniam? Deinde quamobrem censores ad statuam tibi conferebant? Ordo aliqui censorum est? colle-

---

ptura displicet asyndeton, in Ascens. nimia similitudo initiorum. Restat Lambiniana lectio in marg. repetitae editionis, quae eadem est Lag. 42, *neque solum.* — *in Timarchidi potestate]* Priscianus p. 706 Putsch., Krehlii lib. VI c. 11 p. 259 *Timarchidi* ex hoc loco laudat. Res nota: et quamvis codices nostri h. l. non suffragentur, tamen quia III, 66 et IV, 12 veterem formam pro vulgari *Timarchidis* habent, in uno nomine non videtur scriptor inconstans esse potuisse.

§. 137. *impudentissime]* Adiicitur in Lag. 42 (pr. m.) *statuam datam*, quod ad inscriptionem huius capitis rettulerim. — *pecuniam illam ob censuram]* Lallem. h. l. cum in tot locis tacuisset, scripturam cod. Paris. profert *aliam*, eamque magis ad sententiam Cic. esse dicit. Non video: nam cum *haec* sequatur, quid aptius h. l. quam *illam* dici pecuniam, de qua iam dixit, ab hominibus honoris cupidis expressam. Neque in tribus Parisinis, quibus ego utor, quicquam eiusmodi inventum est. — *haec denarium XXXIX milia]* *Denarium* pro vulg. *denaria* recte emendavit Hotomanus, et receperunt Lambinus et Gruterus; poterat idem Hotom. ex Ascens. repetere: et est in Paris. B Lag. 42. — *Ordo aliqui censorum est? collegium?]* Sic interpungendum, non ut hucusque factum est, una continuatione usque

gium? genus aliquod hominum? Nam aut publice civitates istos honores habent, aut generatim homines, ut aratores, ut mercatores, ut navicularii. Censores quidem qui magis, quam aediles? Ob beneficium? Ergo hoc fatebere, abs te haec petita esse: (nam empta non audebis dicere:) te eos magistratus hominibus, beneficii, non rei publicae causa, permisisse? Hoc cum tute fateare, quisquam dubitabit, quin tu istam apud populos provinciae totius invidiam atque offensionem, non ambitionis, neque beneficiorum collocandorum, sed pecuniae conciliandae causa susceperis?

---

ad verbum *collegium* scribendum. Quomodo enim explicare velles? Hoc nemo dixit. Neque enim *collegium censorum* coniungere possumus, cum bini censores non efficiant collegium, neque *ordo censorum*, quoniam tum ita deberet: *ordo censorum collegium aliquod est?* Omnino bini in civitatibus censores, cum nullam inter se coniunctionem habeant, neque ordo sunt ut senatores, equites, neque collegium ut Romae tribuni vel praetores, neque certum aliquod hominum genus, ut sunt aratores, mercatores, alii. Ceterum *aliqui* dedimus pro vulgato *aliquis* quattuor meliorum iussu. — *aut generatim]* Libri olim editi et mss. praeter Lag. 6 *aut si generatim*, qua coniunctione addita nihil utare. Delevit primus Victorius. Unde sit nata, difficile est dicere. Lag. 29 *aut arat.* et omittit *ut* ante *navicularii*. Paris. A *aut mercat.*

nam empta non audebis dicere] Vulgo *erepta*, quod cum Ernestius se explicare posse neget, miror cur hanc I. Fr. Gronovii emendationem e vestigiis codicis Metelliani *epta* non receperit. Verum illa non est emendatio, sed constans edd. principum usque ad Naugerium lectio, certe sic Garat. in Ven. 1493, ego in Ven. 1499, Ascens. Iuntina invenimus, Naugerius primus ex depravato codice *erepta* recepit. Nunc etiam meorum codd. mss. omnium auctoritatem adiicio.

Hoc cum tute fateare] Codd. vulgares et edd. vett. *hoc autem tute fatebare.* In Victoriana primum adiectum *hoc autem cum tute fatebere.* A melioribus (Lag. 29. 42 Paris. A B) abest *autem*, porro Parisini quidem *fateare*, neque aliter inventum esse opinor in Lagomarsinianis illis, quamquam excerpta mea *fatebare* exhibent. Atque hoc verissimum haberi debet. — *provinciae totius]* Sic denuo quattuor mei meliores. Vulgo *istius*, cuius pronominis usus hoc quidem loco, cum proxime praecesserit *istam invidiam*, haud dubie offendit.

138 Itaque illi censores fecerunt idem, quod in nostra re publica solent ii, qui per largitionem magistratus adepti sunt: dederunt operam, ut ita potestatem gererent, ut illam lacunam rei familiaris explerent. Sic census habitus est te praetore, ut eo censu nullius civitatis res publica posset administrari. Nam locupletissimi cuiusque censum extenuarant, tenuissimi auxerant. Itaque in tributis imperandis tantum oneris plebi imponebatur, ut, etiamsi homines tacerent, res ipsa illum censum repudiaret: id quod intelligi facillime re ipsa potest.
56 Nam L. Metellus, qui, posteaquam ego inquirendi causa in Siciliam veni, repente Letilii adventu istius non modo amicus, verum etiam cognatus factus est, is, quod videbat istius censum stare nullo modo posse, eum censum observari iussit,

---

§. 138. *Itaque illi censores]* *Illi* est a Lamb. repetita editione, in cuius edit. contextum cum receptum esset, latuit Gruterum. Sed est in quattuor melioribus. — *locupletissimi cuiusque censum extenuarant, tenuissimi auxerant]* Lamb. et Graevius e codd. Fabr. (Metell.) et Franc. receperunt *hauserant*, quod miror quemadmodum explicaverint. Num *censum extenuare* et *haurire* dictum putabant quasi facultates sive rem familiarem minuere et prorsus consumere? Ita videtur. At censorum istud quidem non erat, ipsam rem familiarem attenuare, sed aestimationem aut iustam aut iniustam facere, et iniustam quidem, si demerent his, quorum inire gratiam vellent, adderent illis, quos contemnere se posse putarent. Quid multa? Varietas illa scripturae librariis imputanda est, X et S litteras cum alibi saepe, tum in hoc verbo commutantibus, qua de re vid. Drakenb. ad Liv. lib. XXVI c. 19. Cf. eundem ad Silium Italic. I, 290. Oudendorp. ad Lucanum X, 62. Neque ullum verbum magis in hac re proprium quam hoc *augendi:* confer de Off. lib. II, 20 med. *neque vero verbis auget suum munus, si quo forte fungitur, sed etiam extenuat.* Ceterum Lamb. *censum* (iam pr. edit.) pro vulg. *census* dedit; placet, quoniam *quisque* apud Cic. cum singulari numero construitur: sed miror unde acceperit, quoniam e nostris solus Lagom. 42 habet.

cognatus factus est] Cf. supra c. 26 *cognationem commemoraret*, post paulo hoc cap. *cognatus voluntarius.* — *censum stare]* In Metelliano et Fabriciano libro Gruterus tradit inventum esse *census stari*, unde Gulielmum coniecisse *censu stari.* Optime, haud dubie.

qui viro fortissimo atque innocentissimo Sex. Peducaeo praetore habitus esset. Erant enim tum censores legibus facti, delecti a suis civitatibus; quibus, si quid commisissent, poenae legibus erant constitutae. Te autem praetore, quis censor aut legem metueret, 139
qua non tenebatur, quoniam creatus lege non erat, aut animadversionem tuam, cum id, quod abs te emerat, vendidisset? Teneat iam sane meos testes Metellus: cogat alios laudare, sicut in multis conatus est: modo haec faciat, quae facit. Quis enim unquam tanta a quoquam contumelia, quis tanta ignominia affectus est? Quinto quoque anno Sicilia tota censetur. Erat censa praetore Peducaeo: quintus annus cum te praetore incidisset, censa denuo est. Postero anno L. Metellus mentionem tui census fieri vetat: censores dicit de integro sibi creari placere: interea Peducaeanum censum observari iubet. Hoc si tuus inimicus tibi fecisset, tamen, si animo aequo provincia tulisset, inimici iudicium grave videretur. Fecit amicus

---

Sed de Fabric. incerta res: margo enim Lamb. repet. *al. census*, de *stari* nihil, neque Lag. 42. Quod si hoc constaret, Gulielmi coniecturam recipiendam putarem: nunc vulgatam fero.

§. 139. *quis censor aut legem metueret]* Sic optime Lamb. pro olim vulgato *metuerit*, quod prorsus stare h. l. nequit. *Metueret* enim de re non facienda dictum est, et, si verum quaeris, quae ne tum quidem facienda fuit, i. e. ut fere dicere solemus, Imperfectum pro Plusquamperf. positum est. Sicut et nos dicere utraque ratione solemus, wer sollte fürchten vel wer hätte fürchten sollen? Legitur autem *metueret* in quattuor bonis. Porro *quis censor* Lambinus et Lag. 42 pro vulg. *qui*. Recte: est enim non qualis censor, sed quis, cum censuram emisset. — *quae facit]* posteriore edere voluit Lambinus, et edidit Gruterus e Fabric. (Metell.). Antea *fecit*, minus graviter. — *cum te praetore]* Temporis definitio est, nec opus Lambiniana correctione *in te praetorem*. Idem Lambinus post *edicit*, non male. — *tamen, si animo aequo prov. tulisset] Tametsi* an *tamen etsi* legatur, perinde est: illud edd. princ. habent, hoc Muretus e suis codd. (Var. Lect. XI, 17) plerisque insequentibus editoribus harum orationum probavit. Sed utrumque ad sensum falsissimum est. Nam cum duae rationes sint,

recens et cognatus voluntarius: aliter enim, si provinciam retinere, si salvus ipse in provincia vellet
57 esse, facere non potuit. Expectas etiam, quid hi iu-
140 dicent? Si tibi magistratum abrogasset, minore ignominia te affecisset, quam cum ea, quae in magistratu gessisti, sustulit atque irrita iussit esse. Neque in hac re sola fuit eiusmodi, sed, antequam ego in Siciliam veni, in maximis rebus ac plurimis: nam et Heraclio Syracusanos tuos illos palaestritas bona restituere iussit, et Epicrati Bidinos, et pupillo Drepanitano A. Claudium: et, nisi mature Letilius in Siciliam cum litteris venisset, minus xxx diebus Metellus totam triennii praeturam tuam rescidisset.

---

quibus interpretari possis, ut aut *animo aequo ferre* dicas esse pro perinde habere, neque probare, neque reprehendere, aut aestimationem illam putes intelligi, non Metelli factum: alterum contra sermonis usum est, alterum longe quaesitum. Scribendum erat cum P. Manutio et Lambino, sicut nos fecimus. Nam illud iudicium, quamvis inimici, dicit tamen gravissimum esse, si id provincia ferat et approbet. Si enim Siculi reclamarent et Verrinum censum ut veriorem et praesenti cuiusque fortunarum statui accommodatiorem praeferrent, tum sane illud non iudicium inimici, sed odii et inimicitiarum documentum esset. Sed haec longe aliter esse dicit: provincia enim non solum aequo animo tulit, quod vetus census revocatus esset, sed etiam ne salvam quidem se fore testata est, nisi illud fieret. *Tamen si*, in quibus codd. olim collatis legatur, a nemine expressis verbis indicatur, sed esse in Huydecop. et Oxoniensi comperimus, nunc autem non in paucis illis, sed utique in omnibus esse intelligimus praeter Lag. 6 et 45. In Lag. 42 (pr. m.) *tamen* omittitur, sed requirere orationis concinnitas videtur.

§. 140. *minore ignominia]* Lag. 42 (pr. m.) *minori.* — *Syracusanos tuos]* Opportune Lag. 42 (pr. m.) adest, cum in vulg. scriptura *Syracusano* concinnitatem oppositionis desideraremus, quoniam sequitur *Epicrati Bidinos.* — *pupillo Drepanitano]* Plurali numero utitur lib. IV, 17, sed augendi causa, sive ut rem magis in universum significet. Hominem ipsum illo loco *A. Clodium* vocat, recens civem Rom. factum, cum antea fuisset Apollonius. — *cum litteris venisset]* Sic verba collocantur in quattuor bonis nostris. Vulgo *ven. cum litteris.* Et *tuam* additum primum est in marg. repet. Lamb. (e Fabric.) firmaturque iisdem illis nostris.

Et quoniam de ea pecunia, quam tibi ad sta- 141
tuam censores contulerunt, dixi: non mihi praetermittendum videtur ne illud quidem genus pecuniae conciliatae, quam tu a civitatibus statuarum nomine coegisti. Video enim eius pecuniae summam esse pergrandem, ad HS tricies: tantum conficitur ex testimoniis et litteris civitatum. Et iste hoc concedit, nec potest aliter dicere. Quare cuiusmodi putamus esse illa, quae negat, cum haec tam improba sint, quae

---

§. 141. *ad* HS *tricies]* Ausus sum aliquid in describendo hoc numero et h. l. et bis paulo post, sed erat aliquid audendum, nisi diutius quod prorsus esset absurdum circumferri vellemus. Vulgo enim legitur ad HS *CXX milia*, Paris. A B Lag. 29 CXXX, quae pecunia nimium quantum infra veritatem est. Nam soli censores suo nomine XXXIX milia denarium i. e. CLVI milia HS dederunt, una porro civitas Centuripina CCC milia ad statuas contulit. Quantum igitur ab universis Siciliae civitatibus (65) datum putabimus? certe si decies plus confectum dico, non quod ultra verisimile sit auxisse eam summam mihi videor. Et corrupti quidem ignorantia librariorum numeri certa sunt vestigia: hoc enim loco Metell. (Fabr.) Lag. 42 XXLVI, infra c. 69, ubi eadem summa repetitur, Lag. 42 CC CC CC et Nannianus Co Co Co habent: cf. Nann. ad h. l. Hoc vero signum cum Garatonio natum puto ex CIƆ, millenarii numeri nota, eidem porro numero superinductam lineolam millies mille significare, i. e. decies. Nam vide, ut hoc utar, c. 75, ubi quod recte duodecies legitur, in cod. Nann. scriptum est ∞CC, in Lag. 42 utique $\overline{\infty}$CC. Omissam saepe esse illam lineolam constat. Tria igitur talia signa cum in codice Nanniano sint, similisque figura ex corrupta cod. Metell. scriptura proveniat, *tricies* HS potius eo numero significari putavi, quam *vicies*, quod Garatonius voluit. Neque illa summa nimia videtur, siquidem una civitas Centuripina eius decimam partem dederit. Unum hoc favet Garatonio, quod c. 69 cod. Metell. habet ω ω i. e. $\overline{\text{CIƆ}}$ $\overline{\text{CIƆ}}$, vicies. Sed, ni error in ea re versatur, uni libro duos opponimus. Haec adhuc satis probabiliter disputata videbantur, verumtamen certam coniecturae Garatonianae confirmationem nunc demum adiicere possum, quod capite insequenti, ubi vulgo HS *CXX milia capta* leguntur, Lag. 42 (p. m.) reliqua mendose HS *XX* exhibens liquido *captum* ostendit, quod stare nequit nisi multiplicativum numerum praecessisse statuas.

tantum conficitur] Lag. 29 et Paris. B *configitur*, Lag. 42 *conficietur*. Idem (p. m.) *et litteris*, quod praetulimus vulg. *ac*, constantiae causa. — *improba sint]* Libri mss. omnes *sunt*, obtinuitque hoc

fatetur? Quid enim vis constitui? consumptam esse omnem istam pecuniam in statuis? Fac ita esse: tamen hoc ferendum nullo modo est, tantam ab sociis pecuniam auferri, ut in omnibus angiportis praedonis improbissimi statua ponatur, qua vix tuto transiri
58 posse videatur. Verum ubi tandem aut in quibus sta-
142 tuis ista tanta pecunia consumpta est? Consumetur, inquies. Scilicet expectemus legitimum illud quinquennium: si hoc intervallo non consumpserit, tum denique nomen eius de pecuniis repetundis statuarum nomine deferemus. Reus est maximis plurimisque criminibus in iudicium vocatus. HS tricies ex hoc uno genere captum videmus. Si condemnatus eris, non, opinor, id ages, ut ista pecunia quinquennio consumatur in statuis: sin absolutus eris, quis erit tam amens, qui te ex tot tantisque criminibus elapsum post quinquennium statuarum nomine arcessat? Ita,

---

vitium etiam editos usque dum Gruterus tacite sustulit. Nam vitium esse, quamvis pervagatum, mihi quidem videtur manifestum esse.

qua vix tuto transiri posse videatur] Olim *transire posse videamur* legebatur, sed Gruterus ex Metell., quod et Lamb. e Fabric. voluit, alterum edidit, confirmatque nunc Lag. 42 (pr. m.). Sed iidem tamen illi viri docti, quod item in suis libris invenisse videntur, sicut ego inveni excerptum e Lag. 42 (p. m.), tacuerunt, eodem iure primum *in omnibus* non *omnibus in*, tum *statua ponatur*, non *statuae ponantur* scribendum esse.

§. 142. *de pecuniis repetundis]* legitimo verborum ordine Lag. 29 et 42 Paris. A B, non *de repet. pecuniis.* Tum *deferamus* Gruterus e textu repetitae Lambinianae recepit, qua auctoritate adhuc nesciebamus, et expectabam consensum Lag. 42, ut illud fuisse in Fabriciano (Metell.) censerem. Nunc autem video, etiam Lag. illum cum reliquis libris facere, nisi quod duplici *r* habet *deferremus*, et illud e coniectura Lambini positum esse, quod referret ad id quod praecedit *expectemus.* Sed nemo non videt etiam Futurum habere quo se facile tueatur. — *quinquennio]* Libri mss. omnes *in quinquennio*, neque sustulit praepositionem quisquam ante Lambinum (priore edit.). Ferrem, diceremque esse quod *intra quinquennium*, modo alterum abesset, *in statuis.*

si neque adhuc consumpta est ista pecunia, et est perspicuum non consumptum iri: licet iam intelligamus, inventam esse rationem, quare et iste HS tricies uno genere conciliarit et ceperit, et ceteri, si hoc a vobis erit comprobatum, quam volent magnas hoc nomine pecunias capere possint; ut iam videamur non a pecuniis capiundis homines abstinere, sed, cum genera quaedam pecuniarum capiundarum comprobarimus, honesta nomina turpissimis rebus imponere. Etenim, si 143
C. Verres HS cxx milia populum, verbi gratia, Cen-

---

§. 142. *consumpta est]* Sic Lag. 42 (pr. m.) Vulgo *consumpta ista pec. est*. Item post ille *si hoc a vobis*, pro vulg. *si a vobis hoc*.

inventam esse rationem, quare — conciliarit] Edidit Lambinus *qua ratione*, cum recte observasset repeti non raro cum pronomine relat. praegressum nomen, verum rectius fecerunt insecuti editores, qui eum non audiendum putarent, nec, quod et ipsum in marg. repet. annotatur, *qua* pro *quare* reciperent. Nam *quare* saepe est pro *ut* in eiusmodi locis. — *a pecuniis capiundis hom. abstinere]* Vulgo *absterrere*, sed alterum var. lectio in marg. repetitae Lambinianae et Lag. 42 (p. m.). Utrumque recte dicitur, quamquam aliquam causam video, cur docti interpolatores *abstinere* noluerint, nimirum quod non fere apud Ciceronem accusativus personae alterius ei verbo additur. Verum addunt alii scriptores, neque ratio obstat: contra *absterrere* videri possit violentius esse dictum. Quicquid est, causa non est idonea, cur a libris semper probatis in causa dubia discedamus. Ut mox *comprobarimus* adhuc coniectura nitebatur eius, qui Hervagianam curavit, quam etiam Lambinus priore secutus est. Reliquae editiones veteres ante Gruterianam *comprobaremus*, quod falsum est sine dubio, sed defenditur librorum mss. consensu. Nunc autem Lag. 42 auctor fit. Gruterus item primus *capiundis* et *capiundarum* scripsit pro eo quod in prioribus fuit *capiendis*, *capiendarum*. Confirmant nunc Lag. 42 et Paris. A, reliqui Pariss. etiam *capiundis*, si recte excerpti sunt.

§. 143. *si C. Verres HS CXX milia populum — poposcisset]* Recte Schützius corruptum etiam hunc numerum videri annotavit, vel eam ob causam, quod non intelligeretur, cur in re ficta tam accurate definitam summam posuisset. De emendatione dubito, quia codd. nihil adiuvant, nisi quod Lag. 42 XX, verum *C milia* satis sunt, certe super eam summam progredi non videtur debuisse. Alter autem numerus, is quem Verres re vera a populo Centuripino videtur exegisse, a Iuntino editore factus est *CCC milium*, cum in principibus edd. fuisset una plus littera *CCCC*. Sed codices assentiuntur praeter Lag. 42,

turipinum poposcisset, eamque ab his pecuniam abstulisset: non, opinor, esset dubium, quin eum, cum id planum fieret, condemnari necesse esset. Quid, si eundem populum HS ccc milia poposcit, eaque coegit atque abstulit? num idcirco absolvetur, quod adscriptum est, eam pecuniam datam statuarum nomine? Non, opinor: nisi forte id agimus, non ut magistratibus nostris moram accipiundi, sed ut sociis causam dandi afferre videamur.

Quodsi quem statuae magnopere delectant, et si quis earum honore aut gloria ducitur, is haec tamen constituat necesse est: primum, averti pecuniam domum non placere; deinde, ipsarum statuarum modum quendam esse oportere; deinde illud, certe ab invitis
59 exigi non oportere. Ac de avertenda pecunia, quaero
144 abs te, utrum ipsae civitates solitae sint statuas tibi faciundas locare ei, cui possent optima condicione locare, an aliquem curatorem praeficere, qui statuis faciundis praeesset, an tibi, an cui tu imperasses, an-

---

qui *CC.* Certius est, quod vulgo editur *si tum id planum fieret*, auctoritate quattuor meliorum Lag. 29. 42 Paris. A B debere esse *cum id planum fieret.* — *moram accipiundi, sed ut sociis causam dandi afferre videamur]* Sic optime locus se habet: itaque piget recensere veterum varios et explicandi et corrigendi conatus, priusquam ex Metell. optimo vera lectio *afferre* pro *auferre*, quam eandem etiam Hotomanus coniectura assecutus erat, in lucem protracta est. Confirmatur ea nunc Lag. 42 (pr. m.), recepta primum est a Graevio.

aut gloria] Sic quattuor meliores. Vulgo *et gloria.* — *deinde illud]* Scribendum videtur *denique.*

§. 144. *Ac de avertenda pecunia]* Transit ad ea, quae modo dixerat, probanda, in qua quidem continuatione *ac* fere solet adhiberi. Cod. Nann. et Lag. 42 (pr. m.) *age* temere, opinor, nam ei principio non convenit reliquae orationis forma. — *optima cond. locare]* Abest hoc *locare* a Lag. 42 (pr. m.), idem *procuratorem*, sed hic a civitatibus delectus ex civium numero vix dicatur *procurator* verbo forensi. Post pro *an cui tu imperasses* Lambinus edidit *aut*, de suo, nec opus est: corrigit enim quodammodo se Cicero. Lagom. autem liber *imperasset* sine *tu* mendose.

numerare pecuniam. Nam si per eos statuae fiebant, a quibus tibi iste honos habebatur, audio: sin Timarchidi pecunia numerabatur, desine, quaeso, simulare, te, cum in manifestissimo furto teneare, gloriae studiosum ac monumentorum fuisse.

Quid vero? modum statuarum haberi nullum placet? Atqui habeatur necesse est. Etenim sic consi- 145
derate. Syracusana civitas (ut eam potissimum nominem) dedit ipsi statuam: est honos; et patri: bella haec pietatis et quaestuosa simulatio; et filio: ferri hoc potest; hunc enim puerum non oderant: verum quotiens et quot nominibus a Syracusanis statuas auferes? Ut in foro statuerent, abstulisti: ut in curia, coegisti: ut pecuniam conferrent in eas statuas, quae Romae ponerentur, imperasti: ut iidem darent homines aratorum nomine: dederunt: ut iidem pro parte in commune Siciliae conferrent: etiam id contulerunt. Una civitas cum tot nominibus pecuniam contulerit, idemque hoc civitates ceterae fecerint: nonne res ipsa vos admonet, ut putetis modum aliquem huic cupiditati constitui oportere?

---

§. 144. *in manifestissimo furto]* Sic cod. Nannianus, a quo Lag. 42 non abit, nisi in eo quod praepositionem omittit. Superlativum gradum a Cicerone nondum adhibitum legi, sed nihil impedit quominus adhibeatur, et invenitur apud alios argenteae aetatis scriptores. Alia res est de verbo *teneri* sine praepositione, hac quidem significatione ubi est pro deprehendi, convinci. Cf. ad lib. III, 64. Facillima h. l. fuerit corruptela, etiam a Paris. C abest.

§. 145. *hunc enim puerum non oderant]* Amabant contra, nam recte Hotomanus infamiae cuiusdam suspicionem his verbis contineri arbitratur. — *ut iidem darent homines]* Pertinet ad illud, quod dixerat, pluribus nominibus pecuniam ab iisdem exactam esse: quater igitur contulerunt, bis ad statuas Syracusis positas, in foro et in curia, viritim, bis plerique ad eas quae Romae ponerentur, neque enim omnes videntur inter aratores contulisse. — *nonne res ipsa]* Sic Lag. 42 (p. m.) recte et ex usu. Vulgo *non*.

Quodsi hoc voluntate sua nulla civitas fecit, si
omnes imperio, metu, vi, malo adductae pecuniam
statuarum nomine contulerunt: per deos immortales,
num cui dubium esse poterit, quin, etiamsi statuerit,
accipere ad statuas licere, idem tamen statuat, eri-
146 pere certe non licere? Primum igitur in hanc rem te-
stem totam Siciliam citabo, quae mihi una voce sta-
tuarum nomine magnam pecuniam per vim coactam
esse demonstrat. Nam legationes omnium civitatum
in postulatis communibus, quae fere omnia ex tuis
iniuriis nata sunt, etiam hoc ediderunt, *ut statuas ne*
cui, nisi cum is de provincia decessisset, polliceren-
60 *tur*. Tot praetores in Sicilia fuerunt; totiens apud
maiores nostros Siculi senatum adierunt, totiens hac
memoria: tamen huiusce novi postulati genus atque
147 principium tua praetura attulit. Quid enim tam no-
vum, non solum re, sed genere ipso postulandi? Nam
cetera, quae sunt in iisdem postulatis de iniuriis tuis,

---

§. 145. *Quodsi hoc voluntate sua nulla civitas fecit]* Hic tertius locus est, quem supra tetigit, *certe ab invitis exigi non oportere. Quodsi* est pro *si vero*, nec audiendi sunt Lag. 29 Paris. B qui exhibent *Quid si.* — *metu, vi, malo adductae]* In hac continuatione verborum non ego adducor, quin *malum* de plagis ac verberibus accipiam. *Malum* enim pro damno et incommodo non dicitur absolute nisi apud poetas, prosarii scriptores, nisi philosophantur, aut adiectivum addunt, aut *mala* plurali numero dicunt. Non equidem credo homines ad pecuniam hanc conferendam verberibus admonitos esse, sed quod h. l. praecedit *metu*, quemadmodum intelligendum sit, docet: verebantur enim ne, si diutius se collaturos negarent, res ad plagas veniret. Ceterum *malo* primum editum est a Naugerio, priores et codd. vulgares *modo*, quod nihil est. Mox vulgo *tibi pecuniam statuarum nomine contulerunt:* sed *tibi* delevimus auctoritate Lag. 42 (pr. m.) neque desiderabis. — *etiamsi statuerit]* Delevimus *quis* quod vulgo interiicitur cum iam fuerit *num cui*, eademque persona sit, et absit a Lag. 42 (p. m.)

§. 146. *Primum]* fecit Naugerius, antea enim editi, ut etiam scripti plerique, *primam.* — *magnam pecuniam]* Abest adiectivum a Lag. 42 (pr. m.) neque nunc de magnitudine illius pecuniae agitur.

sunt nova, sed tamen non novo modo postulantur.
Rogant et orant Siculi patres conscriptos, *ut nostri
magistratus posthac decumas lege Hieronica vendant.*
Tu primus contra vendideras. Audio. *Ne, in cellam
quod imperatur, aestiment.* Hoc quoque propter tuos
ternos denarios nunc primum postulatur: sed genus
ipsum postulandi non est novum. *Ne absentis nomen
recipiatur.* Ex Sthenii calamitate et tua natum est
iniuria. Cetera non colligam. Sunt omnia Siculorum
postulata eiusmodi, ut crimina collecta in unum reum
te esse videantur; quae tamen omnia novas iniurias
habent, sed postulationum formulas usitatas. Hoc po- 148
stulatum de statuis ridiculum esse videatur ei, qui
rem sententiamque non perspiciat. Postulant enim —
non uti ne cogantur statuere. Quid igitur? *ut ipsis
ne liceat.* Quid est hoc? petis a me, quod in tua
potestate est, ut id tibi facere ne liceat: pete potius,

---

§. 147. *non novo modo postulantur]* Libri mss. fere *non* omittunt, contra Lag. 42 *modo*, ut appareat origo vitii. Idem Lagom. et Nannianus *postulant*, sed recte Nannius vulgatam praetulit concinnitatis causa. Iam additur in Lag. 42 (p. m.) *sed*, quod nihil est, nisi forte *sic* emendes. — *genus ipsum]* Sic quattuor meliores nostri. Vulgo *istud.* — *in unum reum te]* Sic mss. omnes, editi *in unum te reum.*

§. 148. *qui rem sententiamque non perspiciat]* Priscian. lib. XVIII p. 1147 Putsch. §. 95 Krehl. *respiciat* laudat, οὐκ ἄρα κατίδοι explicandi causa addens. Non dubito tamen, quin vel ipsius Graeci verbi causa *perspiciat* praeferam. — *uti ne]* Olim *ut ne* ut codd. reliqui, Gruterus ex Metelliano, ut videtur e consensu Lag. 42, primus *uti.* — *Quid est hoc]* Lag. 42 (pr. m.) *Quid enim? — ut — ne liceat]* Optime Lag. 29 et 42 Paris. A B. Reliqui *ut — non liceat.* Ex his cum principes editiones ductae essent, Naugerius *ne* dedit ex aliquo meliorum, itaque obtinuit usque ad repetitores Lambinianos, qui per negligentiam *non* revocarunt. Item paulo post, ubi *ut omnino mihi ne liceat polliceri* ab initio edebatur, iidem repetitores Lamb. de suo *non liceat* perperam ediderunt, utrumque per Gruterum ad Graevium et Ernestium et hanc novissimam aetatem propagatum est.

ne quis te invitum polliceri aut facere cogat. Nihil egero, inquit: negabunt enim omnes se coegisse: si me salvum esse vis, mihi impone istam vim, ut omnino mihi ne liceat polliceri. Ex tua praetura primum haec est nata postulatio: qua cum utuntur, hoc significant, atque adeo aperte ostendunt, sese ad statuas tuas pecuniam metu ac malo coactos invitissimos contulisse.

149 Quid? si hoc non dicant, tibi non necesse sit ipsi id confiteri? Vide et perspice, qua defensione sis usurus. Iam intelliges, hoc tibi de statuis confiten-
61 dum esse. Mihi enim renuntiatur, ita constitui a tuis patronis, hominibus ingeniosis, causam tuam, et eos ita abs te institui et doceri, ut quisque ex provincia Sicilia gravior homo atque honestior testimonium vehementius dixerit, sicuti Siculi multi primarii viri multa dixerunt, te statim hoc istis tuis defensoribus dicere, *inimicus est propterea, quod arator est.* Ita-

---

§. 148. *Nihil egero, inquit]* Sic edidi auctore Garatonio ex vet. cod. Ursini et uno Paris. apud Lallemandum, (video iam duos esse, A et B, quibus accedit Lag. 29) pro vulgato *nihil ergo*, quod vix probabiliter explicari potest. Nam si subintelligeres ex praegressis *petam*, nimis cito ab iusta postulatione sua Siculi desistere viderentur. Nannii vet. cod. et Lag. 42 (p. m.) *nihil rogo* habet, sed opportune Garaton., cum *egero* ita in codd. scribatur, ut litterae *er* unco tantummodo significentur, hinc omnem corrumpendi facultatem derivandam esse animadvertit. — *haec est nata]* Sic quattuor meliores. Vulgo *nata est haec*. — *sese ad statuas tuas] Tuas* accessit in textu repet. Lambinianae, in marg. *alii* omittere dicuntur, qua fere significatione nova lectio Fabric. latet. Et sic est, nam extat illud verbum in Lag. 42.

§. 149. *Iam intelliges]* Sic libri mss. et editi omnes. Primum in repetita Lambiniana comparuit *nam*, quod adhuc auctorem e libris mss. nullum invenit, nec inveniet, opinor, nisi mendosum. Post *tibi* abest a Lag. 42 (pr. m.).

dixerit] Lag. 42 (pr. m.) *dixit*, falso, nam alioquin non opus esset eo, quod adiecit, *ut Siculi multi dixerunt*. Idem omittit *Siculi*, quod sequi liberet, nisi liber ille in omittendis verbis interdum vitiosus videretur, et hoc ipso loco simile verbum antecederet.

que uno genere, opinor, circumscribere habetis in animo genus hoc aratorum, quod eos infenso animo atque inimico venisse dicatis, quia fuerit in decumis iste vehementior. Ergo aratores inimici omnes et adversarii sunt: nemo eorum est, quin perisse te cupiat. Omnino praeclare te habes, cum is ordo atque id hominum genus, quod optimum atque honestissimum est, a quo uno et summa res publica et illa provincia ma-

---

§. 149. *uno genere circumscribere — genus hoc aratorum]* i. e. una illa re ac defensione totum crimen, quod ad aratores pertinet, a cetera causa separare, removere, tollere. Sic I, 16 *hoc omni tempore Sullano ex accusatione circumscripto*, ubi addita verba *ex accusatione* explicandi rationem docent. Cf. etiam Garat. ad orat. p. Mil. c. 33 init. Sed iuvat animadvertere quemadmodum Cicero vocem *genus* adhibere soleat, nam *uno genere* dicit pro *una re* sive, ut nos diceremus *hoc uno*, quandoquidem unum illud, quotienscunque res incidisset, saepius repetiturus erat. Mox de coniunctivo *dicatis* cf. ad c. 46 §. 113 hui. orat. — *inimici omnes et adversarii sunt]* Ante Lamb. atque adeo in eius priore recens. legebatur *ergo aratores inimici omnes, adversarii*, sine verbo. Additum non hoc solum est in repet. editione, sed praeterea copula, ut esset *et adversarii*. Sed Gruterus cum *sunt* tacitus recepisset, copulam non admisit, sed velle se potius *omnes* repetere scribit. Quodsi Lambinus copulam de suo addidisset, quod sine ea duo nomina componi non posse putaret, deficerem et ipse, quamquam tum *omnes* post *aratores* collocandum censerem. Nunc autem ex quattuor meis bonis intelligo, in ea quidem re Lambinum nihil nisi libros secutum esse, et dubitari potius posse de addendo verbo, quippe quod in uno Lag. 42 supersit. Operae autem pretium est videre hoc loco, quam nulla fides habenda sit Lallemando, qui cum Gruteri iudicium revereretur, velletque et ipse criticus haberi, sic prorsus ut ille voluerit tradidit inveniri in duobus Parisinis, deduxitque ea affirmatione Beckium in errorem, ut pro Tulliana talem verborum compositionem venditaret: *Ergo aratores inimici omnes, omnes adversarii?*

nemo eorum est quin] Libri mss. nostri omnes praeter Lag. 42 *nemo est eorum*. Hic autem *qui non*. Edd. non mutant. Post *id hominum genus* mss. omnes, editi *id genus hom.* — *praeclare te habes]* i. e. bene tecum comparatum est: raro tamen *habeo me, habes te* personaliter pro impersonali *habet se* sive *res se habet* usurpatur. Ad Att. VII, 2 *quamquam videbatur se non graviter habere*, etsi tertia persona plus habet excusationis. — *summa res publica]* Sic Lambinus, etiam priore, et auctores fiunt Lag. 29 Paris. A B. Vulgo *summa rei publicae*. Cf. ad c. 10. Neque curo quod dissen-

150 xime continetur, tibi est inimicissimum. Verum esto:
alio loco de aratorum animo et iniuriis videro: nunc,
quod mihi abs te datur, id accipio, eos tibi esse inimicissimos. Nempe ita dicis, propter decumas. Concedo; non quaero, iure an iniuria sint inimici. Quid ergo illae sibi statuae equestres inauratae volunt, quae populi Romani oculos animosque maxime offendunt, propter aedem Vulcani? Nam inscriptum esse video, quandam ex his statuam aratores dedisse. Si honoris causa statuam dederunt, inimici non sunt: credamus testibus: tum enim honori tuo, nunc iam religioni suae consulunt. Sin autem metu coacti dederunt, confiteare necesse est, te in provincia pecunias
151 statuarum nomine per vim ac metum coegisse. Utrum
62 tibi commodum est, elige. Equidem libenter hoc iam
crimen de statuis relinquam, ut mihi tu illud concedas, quod tibi honestissimum est, aratores tibi ad statuam honoris tui causa, voluntate sua, contulisse. Da

---

tire videtur Lag. 42. Is enim liber eiusmodi verba fere notare solet, non integra ponere. Ceterum *a quo continetur* me offendit, malim *quo* sine praepositione scribi, nam aliter me legere non memini, ubi significat *niti*. Posset praepositio illa addi, quamquam exemplum nullum habeo, si coercendi significatio inesset. Sic ut est, defensionem aliam ego non video, nisi ut aliquid ei rationi tribuatur, quod *genus aratorum* pro hominibus ipsis positum est, qui si appellantur, omnino non fere praepositio abesse solet.

§. 150. *Nempe ita dicis]* Lag. 42 (pr. m.) *id ait*. Verum omnis disputatio cum ipso Verre est. Tum idem *quid ergo ille quid sibi statuae*. Fortasse *quid ergo? quid illae sibi* cet. — *Nam inscriptum esse video]* Sic primum edit. repetita Lamb. in textu, vulgo *scriptum*, ut reliqui codd. praeter Lagom. 42. Sed causa erroris in promptu est. — *credamus testibus]* tamquam non iniquis, aut semper inimicis. Paulo post pro *consulunt* Lamb. *consulent*, iam pr. edit. i. e. ex coniectura. Nam codices nihil mutant. — *pecunias statuarum nomine]* Vulgo *pecuniam*, sed pluralem numerum et sua vi probabilem et in hac fere re usitatum Lag. 42. Reliqui tres boni prorsus omittunt.

§. 151. *hoc iam crimen]* Lag. 42 (p. m.) omittit *iam*. Post idem *aratores honestis esse*, omisso pronomine. Voluit fortasse *infestos*.

mihi hoc: iam tibi maximam partem defensionis praecideris. Non enim poteris aratores tibi iratos esse atque inimicos dicere. O causam singularem! o defensionem miseram ac perditam! nolle hoc accipere reum ab accusatore, et eum reum, qui praetor in Sicilia fuerit, aratores ei statuam sua voluntate statuisse; aratores de eo bene existimare, amicos esse, salvum esse cupere! metuit, ne hoc vos existimetis; obruitur enim aratorum testimoniis. Utar eo, quod datur. 152
Certe hoc vobis ita iudicandum est, eos, qui isti inimicissimi sunt, ut ipse existimari vult, ad istius honores atque monumenta pecunias voluntate sua non contulisse. Atque ut hoc totum facillime intelligi possit, quem voles eorum testium, quos produxero, qui ex Sicilia testes sint, sive togatum, sive Siculum, ro-

---

§. 151. *salvum esse cupere]* A Lag. 42 (p. m.) abest *esse*, quod et ipse libenter delerem, si vel unus codex accederet, ut illud non errore omissum esse videretur.

§. 152. *vobis ita]* Sic libri, quibus utimur, omnes. Vulgo *ita vobis*, postquam Naugerius constituit. — *eos, qui isti inimicissimi sunt]* Lag. 29 Paris. B *sint*, quod ne cui placeat, hoc moneo, esse h. l. aratores intelligendos, non in universum quicunque Verrem persequantur. Sed mox *pecunias volunt. sua non contulisse* accuratius scribitur in quattuor melioribus nostris pro vulg. *pecuniam non vol. sua contulisse.* — *Atque ut hoc totum* cet.] Sic e Fabriciano edi voluit Lambinus et edidit (ex Metell.) Gruterus. Priore edit. Lambinus secundum Hotom. *tandem* dederat, cum in edd. principibus *tantum* fuisset, et inde ab Iuntina *tamen* edi consuesset. Codices deteriores *tantum*, meliores *totum*. — *qui ex Sicilia testes sint]* Hotomanus e vetere libro *ex* protulit commendavitque, recepit Lambinus, firmavit Gruterus auctoritate Metelliani. Iam accedit Lag. 42. Reliqui scripti et olim editi *qui in Sicilia.* Idem Lag. tamen *sunt* exhibet pro *sint*, sed nisi quaedam accuratior definitio sit, non opus est omnino hoc additamento. Cf. nostram Gramm. Lat. §. 559. — *sive togatum, sive Siculum] Togatum* olim explicaverant magistri *civem Romanum*, quod interpretamentum expulsa glossa omnes codd. obsedit, neque correctum est nisi Fabric. (et Metell.) beneficio. Emendaverat sic iam ante Lambinum Cuiacius, Oper. Tom. I. p. 1045 (cit. Garat.) e suis libris, qui libri quo pervenerint nescio. Parisini regii nunc non sunt, nam A *Ro-*

gato, et eum, qui tibi inimicissimus esse videbitur, qui se spoliatum abs te dicet, ecquid suo nomine in tuam statuam contulerit. Neminem reperies, qui ne-
153 get: etenim omnes dederunt. Quemquam igitur putas dubitaturum, quin is, quem tibi inimicissimum esse oporteat, qui abs te gravissimas iniurias acceperit, pecuniam statuae nomine dederit vi atque imperio adductus, non officio ac voluntate? Et huius ego pecuniae, iudices, quae permagna est, impudentissimeque coacta ab invitis, non habui rationem, neque

---

manum, B C *civem Romanum*. Verum Lag. 42 (p. m.) *rogatum*, ut inseq. capite deteriores fere omnes peccant. Porro autem, quod adhuc intactum fuit, *sive togatum velis*, *sive Siculum*, in nullo libro manuscripto est, nisi forte in Lag. 45 neque desiderabis si sublatum fuerit. — *rogato et eum]* Omissa sunt haec verba in Lag. 42 (p. m.).

spoliatum abs te] sic pro vulg. *a te* Lamb. vet. cod. i. e. Fabricianus et meliores nostri. *Esse* additur in edd. Aldina prioribus et Lag. 14. 42.

§. 153. *quem tibi inimicissimum]* Hoc ordine verborum libri mss. omnes, editi *inim. tibi*. Sed Lag. 42 (pr. m.) simpliciter *inimicum*. Peccat hic liber in eodem verbo postea, ubi pro *invitis* et *invitissimis* bis habet *inimicis* et *inimicissimis*. Neque enim mihi persuadeo illis locis vulgatam non esse verissimam. — *Et huius ego pecuniae* cet.] Coniunge *quantum huius pecuniae ab aratoribus* cet. *datum esset*. Nam quam se alteram interpretandi rationem videre dicit Garatonius, ut pecuniae summa ab aratoribus et negotiatoribus coactae illa, quam supra confecerat, non contineatur, eam ego non puto cum Latinitate posse conciliari. Debebat enim non *esset*, sed *est datum*. Neque vero eam omnino desidero, quoniam rectissime sententia constat. Tricies HS ab universa Sicilia statuarum nomine coactum dixerat; iam quo loco indignum esse disputare coeperat, cogi pecuniam ab invitis, de singulis ordinibus, imprimis de aratoribus, dixit. Quod ut magis etiam probaret, futurum videbatur, ut adiiceret etiam, quantum ab illis expressum esset pecuniae. Hoc se dicit non facere, nec facere posse, nimirum quod difficile sit quantum quisque hoc vel illo nomine dederit conquirere, cum pluribus dederint. Veram autem fuisse causam puto, quod longe maior pecunia a civitatibus, quam ab singulis ordinibus contributa erat, propterea quod ad illam pecuniam ex aerariis singularum civitatum non parum conferretur. Itaque maluit universam pecuniam prodere, ut pro portione ab aratoribus, quorum maxima erat multitudo, datum esse existimaretur.

habere potui, quantum ab aratoribus, quantum ab negotiatoribus, qui Syracusis, qui Agrigenti, qui Panhormi, qui Lilybaei negotiantur, esset coactum: quoniam intelligitis, ipsius quoque confessione ab invitissimis coactam esse.

Venio nunc ad civitates Siciliae, de quibus fa- 63
cillime iudicium fieri voluntatis potest. An etiam Si- 154
culi inviti contulerunt? non est probabile. Etenim sic C. Verrem praeturam in Sicilia gessisse constat, ut, cum utrisque satisfacere non posset, et Siculis, et togatis, officii potius in socios, quam ambitionis in cives rationem duxerit. Itaque eum non solum PATRONUM illius insulae, sed etiam SOTERA inscriptum vidi Syracusis. Hoc quantum est? ita magnum, ut Latine uno verbo exprimi non possit. Is est nimirum SOTER, qui salutem dedit. Huius nomine etiam dies festi agitantur, pulchra illa Verria, non quasi Marcellia, sed pro Marcelliis, quae illi istius iussu sustulerunt. Huius fornix in foro Syracusis est, in quo nudus filius stat, ipse autem ex equo nudatam ab se provinciam prospicit. Huius statuae locis omnibus: quae hoc de-

---

§. 154. *iudicium fieri]* Lag. 42 solus *fieri iudicium.* Idem postea *in civis.* — *Itaque eum — Sotera inscriptum vidi]* Ita paulo post *huic incisum esse.* De *Soteris* cognomine Ernest. in clave satis dixit, cf. etiam inscriptionem bilinguem apud Sponium Itin. Tom. III p. 145, laudatam a Garatonio curis secund. in Plancianam p. 36 (repet. Orell. c. 19). Sed *illius* potius *insulae* quam, sicut vulgo est, *istius* scribere malui auctoritate Lag. 42 (p. m.). Item veterem lectionem plurimorum codicum restitui *Latine*, pro qua Naugerius edere coepit *Latino uno verbo.* Videtur id enim collocatio verborum postulare. — *Marcellia sed pro Marcelliis]* Vocalem *i* h. l. omnes boni, sed in altero verbo offenderunt et exhibent *Marcellis.* — *fornix]* Libri longe plurimi, etiam Paris. A B, sed non Lag. 29 vel 42, *fornex.* — *Huius statuae locis omnibus]* Desideratur *locis* in codd. deterioris familiae fere omnibus, item in edd. vett. usque ad Aldinam, in qua adeo stellulis lacuna notatur. Eodem anno et Victorius et Hervagius ita expleverunt ut *locis erectae sunt* adderent. Quod nunc legimus, ex Fabric. (et Metell.) restituerunt

monstrare videantur, propemodum non minus multas
statuas istum posuisse Syracusis, quam abstulisse.
Huic etiam Romae videmus in basi statuarum maxi-
155 mis litteris incisum, *a communi Siciliae datas.* Quam-
obrem qui hoc probari potest cuiquam, tantos hono-
64 res habitos esse ab invitis? Hic tibi etiam multo ma-
gis, quam paulo ante in aratoribus, videndum et con-
siderandum est, quid velis. Magna res est. Utrum
tibi Siculos publice privatimque amicos, an inimicos
existimari vis? Si inimicos, quid te futurum est? quo
confugies? ubi nitere? Modo aratorum honestissimo-
rum hominum ac locupletissimorum, et Siculorum et
civium Romanorum, maximum numerum abs te aba-

Lamb. et Gruterus. Sed tamen quattuor meliorum iussu *locis omnibus* fiet. — *demonstrare videantur]* Corrupit subtilem sermonis elegantiam Victorianus editor, quod, cum fuisset antea (etiam in Hervag.) *videantur*, ex paucis neque bonis libris *videntur* edidit. Lepida enim inest significatio, quasi hoc iam ipsorum Siculorum consilium esse potuerit, sed significatio tantum. Crassius fuisset *demonstrarent.* Sic tempore ad se rettulit, modo ad Siculos. — *a communi Siciliae]* Genitivum Hotomanus de coniectura ponendum censuit, ut supra c. 46 et infra c. 69; nam codd. quidem vulgares *Sicilia* habent; neque aut Lambinus aut Gruterus cum illi paruissent, de codd. suis quicquam annotarunt. Est autem illud, quod Hotom. coniecit, h. l. in Lag. 29 et 42 Paris. A B, infra in uno Lag. 42.

§. 155. *Quamobrem qui hoc probari potest* cet.] Restitui veterem Naugerii, Victorii, Manutii interpunctionem, a qua recentiores editores, nulla sententiae ratione habita, ita abierunt, ut interrogandi signum post *quamobrem* ponerent.

quam paulo ante in aratoribus] Utraque particula et *paulo* et *in* carent libri mss. deteriores. *In* additum est a Naugerio nec posthac omissum, *paulo* e Nanniano Stephanus, Lambinus, Graevius receperunt, Gruterus noluit. Sed eadem prorsus utriusque verbi auctoritas est. — *existimari vis]* Deteriores *existimare* solito errore, quem primus sustulit Naugerius. Sed Lag. 42 (p. m.) *velis.* Placeret, ni interiectum esset *magna res est*, ex quo suspendere molestum est.

hominum — Romanorum] Sic prorsus de nostris Lag. 42: in ceteris varia omittendi genera. Nam meliores tres (Lag. 29 Paris. A B) verba *hominum ac locupletissimorum* omittunt, deteriores cum vett. edd. alteram partem *et Sic. et civ. Rom.* Quae verba cum in Nanniano

lienasti: nunc de Siculis civitatibus quid ages? Dices, tibi Siculos esse amicos? qui poteris? qui, quod nullo in homine antea fecerunt, ut in eum publice testimonium dicerent, cum praesertim ex ea provincia condemnati sint complures, qui ibi praetores fuerunt, duo soli absoluti; hi nunc veniunt cum litteris, veniunt cum mandatis, veniunt cum testimoniis publicis: qui, si te publice laudarent, tamen id more potius suo, quam merito tuo facere viderentur; hi, cum de tuis factis publice conqueruntur, nonne hoc indicant, tantas esse iniurias, ut multo maluerint de suo more decedere, quam de tuis moribus non dicere? Confitendum est igitur tibi necessario, Siculos inimi- 156
cos esse, qui quidem et in te gravissima postulata consulibus ediderint, et me, ut hanc causam salutisque suae defensionem susciperem, obsecrarint; qui

---

inventa essent, ne Lambinus quidem recepit, sed fecit Gruterus, quia Metellianus accesserat. Idem autem Nannianus etiam *abs te alienasti.*

antea fecerunt] Lag. 42 *fecerant*, mendose, opinor, neque enim convenit reliquis temporibus. — *hi nunc veniunt cum litteris]* Sic scripsimus auctoritate bonorum librorum nostrorum, Paris. A B Lag. 29 et 42, etiam sine illis scripturi unius Metelliani fide, quae adhuc ab omnibus praeter Garatonium neglecta fuit. Illis bonis libris etiam unus et alter e deteriore familia accedunt, ut Pal. sec. apud Gruterum, qui fortasse Lagom. 14 est. Reliqui deteriores *hinc conveniunt*, quod editores quoque principes secuti sunt, donec Angelius fecit *huc conveniunt*, quo repetitionis elegantia tollitur. Garatonius quidem non inepte ex illa syllaba redundante scribendum censuit *hi nunc contra te veniunt*, atque adeo id ille e ms. Iannoctiano, ego ex Lag. 14 enotatum invenimus: saltem haec verba cogitatione addenda putat. Potest hoc fieri, sed constructio tamen alia est, et haec quidem: *hi* Siculi (qui olim tam patientes fuerunt) nunc veniunt, non laudaturi, quod ipsum parum momenti haberet, sed conquesturi de iniuriis tuis. Vides illud *contra te* ultimo verbo contineri, eaque re expectationem oratorie duci.

si te publice laudarent] Graevius secundum unum cod. Francianum, non bonum librum, *publice* delendum censuit delevitque Ernestius; temere. Neque enim sua vi caret.

§. 156. *qui quidem — ediderint — obsecrarint — duxerint — dixerint]* Coniunctivos pro Indicativis Lamb. e Fabric. restituendos censuit,

cum a praetore prohiberentur, a quattuor quaestoribus impedirentur, omnium minas atque omnia pericula prae salute sua levia duxerint; qui priore actione ita testimonia graviter vehementerque dixerint, ut Artemonem Centuripinum legatum et publice testem Q. Hortensius accusatorem, non testem esse diceret. Etenim ille cum propter virtutem et fidem cum Androne, homine honestissimo et certissimo, tum etiam propter eloquentiam legatus a suis civibus electus est, ut posset multas istius et varias iniurias quam apertissime
65 vobis planissimeque explicare. Dixerunt Halesini, Catinenses, Tyndaritani, Hennenses, Herbitenses, Agy-

---

restituitque Gruterus (ex Metell.), rectissime. Lag. 42 (pr. m.) cum *ediderint* et *obsecrarint* exhibeat, duo reliqua tamen mendose effert, Paris. A contra *ediderunt* quidem habet, sed reliqua sic ut nunc est.

prae salute sua levia duxerint] Miror Gruterum edere coepisse *pro sal*, neminemque insequentium editorum vitium illud, si non operarum, (nam est in Lag. 42,) certe librariorum correxisse. Nam vitium certo est. Nulla enim sunt pericula *pro salute*, nec *pro salute* contemnimus vel negligimus, vel leve ducimus aliquid, sed *prae salute*, i. e. si salus ante oculos ponatur, et comparatio instituatur utrum eam velis eligere, an aliud quid. *Salutem* autem *suam Siculi* damnatione Verris contineri putabant, qui cap. inseq. dicantur domos et agros relicturi, nisi ille damnatus fuerit. Etiam *pro* vulgo putatur in comparatione locum habere, sed ea non est comparatio ipsarum rerum, sed consequentium, κατά τι, utrum respondeant necne. Altera significatio praepositionis *pro*, quae huic loco adhiberi possit, quatenus opponitur *contra*, verbum postulat actionis, non existimationis aut voluntatis. Itaque pro Mil. 2 etiam contra Erfurt. optimum librum scribendum censeo *clamores maximos prae salute vestra neglexit*, ut hui. libri c. 16 Verres dicitur *pro nihilo prae sua praeda res sanctissimas duxisse*, aliaque eius generis exempla inveniuntur apud Horat. Tursellinum de particulis p. 593.

Etenim ille cum propter cet.] *Ille* e cod. Metell. a Grutero receptum, legitur etiam in Paris. B et ut opinor in Lag. nonnullis, nam ex iis forte nihil excerptum est, nisi 29 habere *cum ille*, inverso ordine eorum verborum. Post *Andro* vocatur homo *certissimus*, qualem appellationem honoris causa nusquam alibi legere me memini. Sed supra c. 38 init. Verres *homo certus* appellatur, qui constituti temporis memor fuerit.

Hennenses] De scriptura nominis cf. Eckhel. Doctr. Num. T. I p. 206,

rinenses, Netinenses, Segestani; enumerare omnes non est necesse. Scitis, quam multi et quam multa priore actione dixerint: nunc et illi et reliqui dicent.
Omnes denique hoc in hac causa intelligent, hoc animo 157
esse Siculos, ut, si in istum animadversum non sit, sibi relinquendas domos ac sedes suas, et ex Sicilia decedendum atque adeo fugiendum esse arbitrentur. Hos homines tu persuadebis ad honorem atque amplitudinem tuam pecunias maximas voluntate sua contulisse? credo, qui te in tua civitate incolumem esse nollent, hi monumenta tuae formae ac nominis in suis

---

docentem esse aliquem antiquissimum nummum Graecum, in quo aspirata notetur littera singulari, et in Romanis constanter *Hennam* scribi. Etiam editores plerique et accuratissimi in optimis mss. Latinis aspiratam esse et rectius sic scribi annotarunt, Drakenborch. ad Silium Ital. I, 93 et ad Livium XXIV, 37. Dukerus ad Florum III, 19, 8. Oudendorpius ad Frontini Strateg. IV, 7, 22 et Lucan. VI, 740, alii, quorum nomina sunt in penu critica Tzschuckii ad Pomponium Melam II, 7, 16. Sed pauci sunt, qui ipsi sic scripserint, nec quisquam recentiorum apud Ciceronem, quamquam etiam in his orationibus libri mss. non solum optimi, sed etiam plurimi, aspirant. — *Segestani]* Tutiorem hanc esse nominis scripturam, sed ne alteram quidem *Egestani* Graecorum certe scriptorum et nummorum recentiorum (imprimis ex Rom. aetate) auctoritate carere, docet idem Eckhel. T. I p. 236. Nostri libri h. l. nihil mutant. — *enumerare omnes non est necesse]* Vulgo *numerare*, quod num hoc modo dici possit, iure dubitare mihi videor, ubi non certus quidam numerus conficiendus est, sed separatim singularum nomina recensenda. Itaque cum in cod. Metelliano legeretur *et numerare*, secundum Lambini coniecturam *enumerare* scribendum existimavi. — *Scitis quam multi et quam multa]* Lag. 42 (p. m.) *scio quam multa*, omissis mediis. Vulgares codd. et vett. edd. *satis — dixerunt*. Correxit ex aliquo meliorum Naugerius. Item *denique* abest a Lag. 42 (pr. m.) et *adeo*: tum *arbitrarentur*.

§. 157. *ad honorem atque amplitudinem]* Sic ex Hotomani vet. libro cum Lambino malui scribere quam retinere vulg. *ad honores*. Dici hi non possunt nisi ubi de gerendis muneribus publicis sermo est, certe de uno statuarum honore pluralis numerus cum singulari coniunctus contra leges elegantis orationis est. Confirmant nunc quattuor libri nostri meliores, unus Lag. 29 praeterea *amplitudinemque*.

civitatibus esse cupiebant. Res declarabit, ut cupierint. Iamdudum enim mihi nimium tenuiter Siculorum erga te voluntatis argumenta colligere videor, utrum statuas voluerint tibi statuere, an coacti sint.

158 De quo homine auditum est unquam, quod tibi accidit, ut eius in provincia statuae, in locis publicis positae, partim etiam in aedibus sacris, per vim et per universam multitudinem deiicerentur? Tot homines in Asia nocentes, tot in Africa, tot in Hispania, Gallia, Sardinia, tot in ipsa Sicilia fuerunt: ecquo de homine hoc unquam audivistis? Novum est, iudices: in Siculis quidem et in omnibus Graecis monstri simile. Non crederem hoc de statuis, nisi iacentes revulsasque vidissem: propterea quod apud omnes Graecos hic mos est, ut honorem hominibus habitum in monumentis eiusmodi, nonnulla religione deorum consecrari arbi-
159 trentur. Itaque Rhodii, qui prope soli bellum illud

---

§. 157. *Res declarabit]* Ostendit se nunc de statuis eversis dicturum, itaque malui secundum Metell. et Lag. 42 (pr. m.) pro vulg. *declaravit.*

§. 158. *de quo hom. auditum est]* Vulgo nunc *de quo homine hoc*, quod primum comparet in textu repetitae Lambinianae, eaque ratione facile per Gruterianas propagatum est. A Fabriciano esse verisimile fit ex Lag. 42 (pr. m.), sed in hoc tamen *de quo hoc homine*, ut facile appareat vitium in ea re versatum esse. — *per vim et per universam multit.]* Sic Lambinus repetita editione voluit, nimirum ut *et* adderetur. En copula legitur in iisdem illis quattuor. Lag. 42 (p. m.) praeterea *immensam*, mendose. — *audivistis]* Lag. 42 (p. m.) aptissimum ad appellationem iudicum. Vulgo *audivimus*. Lag. 29 et Paris. B *audiimus*. — *et in omnibus Graecis]* i. e. et omnino in Graecis, nam et Siculi Graeci sunt, et inter eos numerari solent. Itaque cur Ernest. vere dicat Gulielmum emendasse *hominibus*, non intelligo. Post *eiusmodi* pro vulg. *huiusmodi* postulavit consensus meliorum.

iacentes revulsasque] Lag. 42 *iacentis revolsasque*, prorsus antique et libenter recepissem, si vel unus liber sibi constaret.

§. 159. *Itaque Rhodii, qui prope soli* cet.] Vulgo sic editur: *Itaque cum Rhodii bellum illud prope soli superius cum Mithridate rege gesserint, omnesque — exceperint, cum et regis inimici — essent, statuam eius — ne tum quidem — attigerunt.* In ea scri-

superius cum Mithridate rege gesserunt, omnesque eius copias acerrimumque impetum moenibus, litoribus, classibusque suis exceperunt, tamen, cum ei regi inimici praeter ceteros essent, statuam eius, quae erat apud ipsos in celeberrimo urbis loco, ne tum quidem in ipsis urbis periculis attigerunt. Ac forsitan vix convenire videretur, quem ipsum hominem cuperent evertere, eius effigiem simulacrumque servare: sed tamen videbam, apud eos cum essem, et religionem esse quandam in his rebus a maioribus traditam, et hoc disputari, cum statua se eius habuisse temporis rationem, quo posita esset, cum homine vero, quo gereret bellum atque hostis esset. Videtis igitur, 66
consuetudinem religionemque Graecorum, quae monu-

---

ptura multa displicent, primum illud *cum — gesserint*, quod, cum sequatur *cum essent*, non intelligas, cur non item sit *cum gererent* et *exciperent*, tum verborum confusio poetica *bellum illud*, *prope soli*, *superius*, tum *et* quod debebat esse *iidem*. His offensionibus magna ex parte medetur Lambini ratio in margine edit. repetitae: *Rhodii*, *qui — gesserint omnesque — exceperint*, *tamen cum ei regi inim. essent* rel. quam adhuc omnes illius ingenio excogitatam, non librorum fide nixam putarunt. Nunc vero ex Lagom. 42 intelligo, Fabriciani codicis fuisse scripturam, a qua Lag. 42 non discrepat, nisi quod *gesserunt* exhibet. Eam igitur recepi, sed cum *gesserunt* retinuerim, etiam *exceperunt* correxi. Neque enim illi coniunctivi perfecti cum reliqua oratione concordant: indicativi historiae serviunt. Notandum denique, Gruterum, qui Lambinum in reliqua constitutione loci non sequeretur, duo tamen ab eo accepisse et propagasse, primum ut repetitum *eius* ante *impetum*, tum ut praepositionem *a* omitteret, quae vulgo fuit *a moenibus*. Verum absunt haec duo verba etiam a reliquis quattuor bonis nostris, in quibus et ordo verborum idem, qui in Fabriciano, est, et *tamen* adiicitur, pro *Rhodii qui* autem *Rhodii cum*, verbis similibus permutatis. Iam igitur loci scripturam et sententiae veritate et librorum auctoritate satis constitutam arbitror. Nec tamen silendum, in Lag. 42 (p. m.) esse non *apud ipsos*, sed *apud istos*.

Ac forsitan] Sic Lag. 42 (pr. m.) Vulgo abest *ac*, quae tamen particula non inutilis videtur ad nexum sententiae. — *et hoc disputari]* Est ab eodem Lag. 42 (p. m.) Vulgo *disputare*, quod explicare poteris, si cogites *eos*. Verum praestat tamen passiva constructio. Pro *vero*, quod sequitur, plerique libri *non*, unus Lag. 42 *eius*.

menta hostium in bello ipso soleat defendere, eam summa in pace praetoris populi Romani statuis prae-
160 sidio non fuisse. Tauromenitani, quorum est civitas foederata, homines quietissimi, qui maxime ab iniuriis nostrorum magistratuum remoti consuerant esse praesidio foederis; hi tamen istius evertere statuam non dubitaverunt. Qua abiecta, basim tamen in foro manere voluerunt, quod gravius in istum fore putabant, si scirent homines, statuam eius a Tauromenitanis esse deiectam, quam si nullam unquam positam esse arbitrarentur. Tyndaritani deiecerunt in foro: et eadem de causa equum inanem reliquerunt. Leon-

---

§. 160. *Tauromenitani]* In monstris corruptionum unum tamen hoc omnes et Lagom. et Paris. commune habent ut *me*, non *mi* mediam syllabam efferant. Item sic lib. V, 19 et 64 et plerique omnes mss. neque nummi variant. Videtur igitur tertia vocalis editoribus veteribus deberi, recentiorem pronuntiandi morem secutis. — *maxime — remoti consuerant esse]* Sic edi coeptum est in repetit. Lambiniana ex Fabric. (verisim. Metell.) quocum et Lag. 42 et Nannianus consentit, nisi quod ex hoc ipse Nannius *esse consueverunt* negligenter, opinor, citat. Lag. 29 et Paris. B *remoti consueverant esse.* Reliqui libri mss. omnes et olim editi *maxime — remotissimi consueverant esse*, atque hoc Graevius Ernestiusque restituerunt (tantum quod *consuerant* ex Lamb. retinuerunt) cumulatos superlativos a Ciceronis optimorumque scriptorum usu non abhorrere existimantes. Laudat certe in clavi Ernestius epist. ad Att. XII, 38, Livium libro XLI c. 23, sed malim ego doctissimi Ruhnkenii iudicium ad Vell. II, 27 sequi, sordes has esse et meliorum librorum beneficio atque editorum ingenio eluendas censentis. Neque difficilem illorum locorum emendationem esse invenies, collatis quae ad quemque locum interpretes annotarunt.

non dubitaverunt] Sic Gruterus et de meis codd. Lag. 42. Reliqui *dubitarunt.* — *Qua abiecta basim tamen]* Vulgo *ablata*, quod lenius quam pro re dictum videtur. *Abiecta*, quod nos ex Paris. A B dedimus, cum contemptu dicitur, quasi cadaver. Idem coniecerat scribendum esse Lambinus ex Fabriciani (Metell.) vitio *ablecta.* Lag. 42 *ableta*, 29 *abluta.* Ceterum Latinum accusativum *basim* cum Cicero et lib. IV, 35 et tribus praeterea locis a Conr. Schneidero Gramm. Lat. p. 298 indicatis adhibuerit, nullo *basin*, dedi hoc quoque loco ex Lag. 29. Cf. ad V, 56. — *positam esse]* Addidi *esse* iussu quattuor meliorum. — *Leontinis]* correxerat Hotomanus pro eo quod erat *Leontini*

tinis, misera in civitate atque inani, tamen istius in gymnasio statua deiecta est. Nam quid ego de Syracusis loquar, quod non est proprium Syracusanorum, sed et illorum, et commune conventus illius ac prope totius provinciae? Quanta illic multitudo, quanta vis hominum convenisse dicebatur tum, cum statuae sunt illius deiectae atque eversae? At quo loco? Celeberrimo ac religiosissimo: ante ipsum Serapim, in primo aditu vestibuloque templi. Quodnisi Metellus hoc tam graviter egisset, atque illam rem imperio

---

(sicut codd. vulgares omnes Lag. VII Paris. C Oxon. Huydec.) Putares *Leontii* fuisse, si tale nomen illius urbis inveniretur: nam apud Ptolemaeum III, 4 incertum est. Nimirum nullum est urbis proprium nomen, sed commune cum populo, id quod apparet ex eiusmodi locis, quales sunt apud Liv. XXIV, 30 *Leontinos ire.* har. oratt. lib. III, 24 *Leontinis in foro biduum tenuit.* Ea cur *misera* civitas vocetur, disce ex lib. III, 46. — *sed et illorum, et commune conventus]* Vulgo *sed et illorum commune et conventus*, sed non est haec codicum scriptura, verum Naugerii coniectura: a mss. enim omnibus abest alterum *et.* Debebat autem certe *sed commune et illorum et conventus.* Quanto verius, quod Lag. 42 (p. m.) praebet, nosque edidimus, a reliquis codicibus non diversum, nisi loco, quo particula nunc posita. Dicit igitur, esse illud factum Syracusanorum quidem, sed non proprium illis, verum simul commune factum conventus earum omnium civitatum, quae in illud forum conveniant, i. e. paene totius provinciae. Lambinus priore editione scripsit *sed aliorum commune et conventus*, altera voluit *sed et aliorum commune et conventus*, utrumque de coniectura, neque ea probabili.

Quanta illic mult.] Sic Lag. 42 (p. m.) non *illuc*, ut vulgo. Neque enim Syracusas convenisse illam multitudinem dicere vult, sed Syracusis ad destruendas statuas. Tum vulgo *atque eversae*, nostri quattuor meliores *et.* — *ante ipsum Serapim]* Nomen hoc debemus cod. Fabriciano (Metell.), quocum tamen et reliqui boni et Pal. sec. consentiunt. Codd. vulgares vel *sepim*, vel *sepī*, vel *sepini*, vel *saepe.* Hoc ipsum in principibus edd. legitur, verum paulo post (iam Ascens.) edi coeptum est illud *sepim*, donec Victorius atque insequentes *Iovem* correxerunt. Iam vero nulla correctione opus est. — *illam rem]* Non est *rem* in libris vulgaribus. Ex Nanniano edere coepit Stephanus, quem secuti sunt omnes. Inde accidit ut nulla mentio fieret aliorum codicum, qui cum Nanniano consentirent. Nunc auctores fiunt quattuor nostri, Paris. A B Lag. 29. 42.

161 edictoque prohibuisset: vestigium statuarum istius in tota Sicilia nullum esset relictum.

Atque ego hoc non vereor, ne quid horum non modo impulsu, verum omnino adventu meo factum esse videatur. Omnia ista ante facta sunt, non modo quam ego Siciliam, verum etiam quam iste Italiam attigit: dum ego in Sicilia sum, nulla statua deiecta est. Posteaquam illinc discessi, quae sunt gesta, co-
67 gnoscite. Centuripinorum senatus decrevit, populusque iussit, ut, quae statuae C. Verris ipsius et patris eius et filii essent, eas quaestores demoliendas locarent, dumque ea demolitio fieret, senatores ne minus xxx adessent. Videte gravitatem civitatis ac dignita-

---

§. 161. *quam iste Italiam attigit]* Sic editum est inde a Iuntina anni 1515, cum in prioribus fuisset *attingeret;* hoc revocavit Ernestius, male auctoritate editionum principum ex deterrimis libris ductarum, a quibus Iuntina ubi discrepat, ratione facit, abutens, male item Latinitati consulens, quae in simplici temporis significatione illi particulae Indicativum adiungit. Quid vero quod *attingeret* ne in ullo quidem manuscripto est? Sed eidem Ernestio videbatur etiam post scribendum esse *dum ego in Sicilia fui*, nam utriusque verbi tempora eadem esse debere e forma legitima, ideoque aut *sum — deiicitur*, aut *fui — deiecta est* scribendum esse. De ea re cf. quae observavi in Gramm. Lat. §. 507. — *quae sunt gesta]* Intellige *ea*, ne Lagomars. sex vulgaribus et Paris. C credas, in quibus est *sint*.

et patris eius] Accessit *eius* ex Lag. 42 (p. m.) quin possit abesse dubium non est, sed ille liber talia non addere solet de suo. Post idem *molitio*. — *senatores ne minus XXX adessent]* Sic Lambinus e Fabric. secundis curis restitui voluit, cum antea fuisset *senatores triginta non minus adessent*, quod in decreto locum non habet, et confirmavit Gruterus Metellianum librum laudans. Itaque typographorum culpam incidisse puto, quod aliter atque ipse in notis voluit, edidit *ne XXX minus*, mutato in deterius verbb. ordine. Nam hoc perinde est utrum *non minus* vel *ne minus* (servato quidem eodem discrimine, quod inter simplex *non* et *ne* interest,) numero praeponas an postponas. Illud frequentius est, cf. exempla collecta a Drakenborchio ad Livium XXXVIII, 24, 5 quo tamen ipso loco legitur *duo ne plus*, et XLII, 28 *cum C et L non minus adessent*. Et molestum est, quod ne hic quidem certa auctoritate constituere possum, utrum ponendum sit. Nam in Lag. 42 et 29 traditur legi *ne minus XXX*, e Paris. A B excerptum est *XXX ne minus*. — *ac dign.]* Vulgo *et*, illud est ex Lag. 42 (p. m.)

tem. Neque eas in urbe sua statuas esse voluerunt, quas inviti, per vim atque imperium, dedissent; neque eius hominis, in quem ipsi, cum gravissimo testimonio, publice, quod nunquam antea, Romam mandata legatosque misissent: et id gravius esse putarunt, si publico consilio, quam si per vim multitudinis factum esse videretur. Cum hoc consilio statuas Cen- 162
turipini publice sustulissent, audit Metellus: graviter fert: evocat ad se Centuripinorum magistratus et decemprimos: nisi restituissent statuas, vehementer minatur. Illi ad senatum renuntiant: statuae, quae istius causae nihil prodessent, reponuntur: decreta Centuripinorum, quae de statuis erant facta, non tolluntur. Hic ego aliud alii concedo: Metello, homini sapienti,

---

§. 161. *Neque eas — statuas esse voluerunt] Voluerant* edere coepit Gruterus, sed haud dubie non ipse, sed typographi negligentes, quoniam perpetua priorum scriptura fuit *voluerunt*, quod convenit sequenti *putarunt*. (Sic enim, non *putaverunt* libri mss. omnes.) Subiectum huius verbi, cives Centuripinos, ex voce *civitas* cogitatione supplendum esse, annotavit Garatonius, laudato Drakenb. ad Liv. IV, 32. Cf. etiam nos ad lib. I c. 31. — *publice, quod nunquam antea]* Vox *publice* accessit e libro Nanniano, atque ut multa alia, cum iam recepta esset in textum editionis repet. Lamb., Gruterum fefellit. Itaque quod suorum librorum (Metell.) nullam facit mentionem, non eo debet valere, ut cum Ernestio vocem esse additiciam suspicemur, cuius vim sane non mediocrem intelligere nobis videmur. Nunc autem inventa est non solum in Lag. 42, sed etiam in Paris. A B Lag. 29, quamquam in his quidem tribus *publico*. — *factum esse]* Legitur *esse* in Lag. 42. Vulgo abest.

§. 162. *Centuripinorum magistratus]* Vulgo *Centuripinum magistratum*, et potuit unus fuisse. Sed cum Lambinus altera editione voluisse traditur *Centuripinorum magistratum*, videtur idem invenisse in Fabric., quod ex Lag. 42 enotatur et a me editum est. — *vehem. minatur]* Delevi *iis*, quod vulgo interiicitur, auctoritate Lag. 42 et 6, nec non proficitur aliquid ad velocitatem orationis. — *decreta Centuripinorum — non tolluntur]* Totum hoc orationis comma adhuc fide Nanniani libri nitebatur, a quo tamen non dissentire vel Fabricianum vel Metellianum verisimile erat, quoniam Lambinus etiam altera edit. et Gruterus recepissent. Nunc certum fit per Lag. 42. Neque ulla ratione abesse poterunt verba.

prorsus non possum ignoscere, si quid stulte facit. Quid? ille hoc putabat Verri criminosum fore, si eius statuae essent deiectae, quod saepe vento aut aliquo casu fieri solet? Non erat in hoc neque crimen ullum, neque reprehensio. Ex quo igitur crimen atque accusatio nascitur? Ex hominum iudicio et voluntate.
68 Ego, si Metellus statuas Centuripinos reponere non
163 coegisset, haec dicerem: Videte, iudices, quantum et quam acerbum dolorem sociorum atque amicorum animis inusserint istius iniuriae; cum Centuripinorum amicissima et fidelissima civitas, quae tantis officiis cum populo Romano coniuncta est, ut non solum rem publicam nostram, sed etiam in quovis homine privato nomen ipsum Romanum semper dilexerit, ea publico consilio atque auctoritate iudicarit, C. Verris statuas esse in urbe sua non oportere. Recitarem decreta Centuripinorum: laudarem illam civitatem, id quod verissime possem: commemorarem, decem milia civium esse Centuripinorum, fortissimorum fidelissimorumque sociorum, eos omnes hoc statuisse, monumentum istius in sua civitate nullum esse oportere.
164 Haec tum dicerem, si statuas Metellus non reposuisset. Velim quaerere nunc ex ipso Metello, quidnam sua vi et auctoritate mihi ex hac oratione praeciderit. Eadem opinor omnia convenire. Neque enim, si maximae statuae deiectae essent, eas ego vobis possem iacentes ostendere. Hoc uno uterer, civitatem tam gravem statuas iudicasse C. Verris demoliendas. Hoc

§. 163. *Centuripinos reponere]* Hoc ordine verba collocantur in Lag. 42 (pr. m.) vulgo inverso. — *Romanum]* Lag. 42. Vulgo *Romanorum.* — *in urbe sua]* Accesserat *sua* ex aliquo meliorum in edit. Aldina. Omittunt vulgares libri. — *decem milia civium esse]* Vulgo abest *esse*, sed amplificatur oratio ipsa divisione rerum, quas commemoraturus fuisset. Et est hoc quidem loco in Lag. 42, tres reliqui boni post *milia* collocant. Ex iisdem quattuor *hoc* ad *statuisse* adiectum est.

mihi Metellus non eripuit: hoc etiam addidit, ut quererer, si mihi videretur, tam iniquo iure sociis atque amicis imperari, ut iis ne in suis quidem beneficiis libero iudicio uti liceret: ut vos rogarem, ut coniecturam faceretis, qualem in his rebus in me L. Metellum fuisse putaretis, in quibus rebus obesse mihi posset, cum in hac re tam aperta cupiditate fuerit, in qua nihil obfuit. Sed ego Metello non irascor, neque ei suam purgationem eripio, qua ille apud omnes utitur, ut nihil malitiose neque consulto fecisse videatur.

Iam igitur est ita perspicuum, ut negare non pos- 69
sis, nullam tibi statuam voluntate cuiusquam datam, 165
nullam pecuniam statuarum nomine nisi vi expressam et coactam. Quo quidem in crimine non illud solum intelligi volo, te ad statuas HS tricies coegisse: sed multo etiam illud magis, quod simul demonstratum est, quantum odium aratorum, quantum omnium Si-

---

§. 164. *hoc etiam addidit]* Pariss. et Lag. omnes praeter 6 et 42 *haec.* — *ut vos rogarem]* Abest *ut* a Metell. et Lag. 42.

qualem in his rebus] Sic Gruterus: priores omnes *in iis rebus*, et miror cur Gruterus mutarit. Verum nihil ab eo diversum e codd. nostris enotatum est. Post *rebus* abest a Lag. 42. — *neque ei suam purgationem eripio]* Quae illa fuerit nescimus. Fortasse hoc reprehenderat, quod Centuripini inconsulto praetore honorem praetori habitum sustulissent, qua re dignitas populi Romani laedi videretur. Verum ipsum verbum a Naugerio videtur esse: codices quidem nostri omnes (praeter Paris. B fortasse omissum) et edd. vett. *vagationem*, Lag. 42 *vocationem*, Lag. 1 *navigationem.* Neque tamen ipse aptius excogito. Nam Cicero de Inv. I, 11: *purgatio est, cum factum conceditur, culpa removetur.*

§. 165. HS *tricies coegisse]* Vulgo *CXX milia*, sed cf. ad cap. 57.

quod simul demonstratum est] Particip. praeteriti temporis ex Nann. libro restitutum est, cum olim fuerit et in nostris libris praeter Lag. 42 legatur *demonstrandum*, nec discrepat Metell. nisi quod *est* omittit, Lag. 42 non *est* tantum, sed etiam *quantum*, mendose, opinor. Sed idem rectius verba *in te*, quae vulgo adduntur ad *odium*, omittit cum Paris. A B.

culorum sit et fuerit. In quo quae vestra defensio
166 futura sit, coniectura assequi non queo. *Oderunt Siculi: togatorum enim causa multa feci.* At hi quidem acerrimi inimicissimique sunt. *Inimicos habeo cives Romanos, quod sociorum commoda ac iura defendi.* At socii in hostium numero sese abs te habitos queruntur. *Aratores inimici sunt propter decumas.* Quid? qui agros immunes liberosque arant, cur oderunt? cur Halesini? cur Centuripini? cur Segestani? cur Halicyenses? Quod genus hominum, quem numerum, quem ordinem proferre possis, qui te non oderit, sive civium Romanorum, sive Siculorum? ut, etiamsi causam, cur te oderint, non possim dicere, tamen illud dicendum putem, quem omnes mortales
167 oderint, eum vobis quoque odio esse oportere. An hoc dicere audebis, utrum de te aratores, utrum denique Siculi universi bene existiment, aut quo modo existiment, ad rem id non pertinere? Neque tu hoc dicere audebis, nec, si cupias, licebit. Eripiunt enim

---

§. 166. *inimicissimique]* Abest *que* a Lag. 27 et 42. Pro *hi quidem* Lag. 6 *idem.* — *sese abs te]* Vulgo *se*, illud Lag. 42. Lag. 29 et Paris. A omittunt. — *proferre possis]* Miror in quattuor melioribus Lag. 29 et 42 Paris. A B esse *possum.* Post *causas* Lag. 42.

eum vobis quoque] Vulgo *eum quoque vobis*, quod dudum corrigi debuit, quoniam certissimae sermonis legi refragatur, et nunc corrigetur auctoritate Paris. A Lag. 29. 42. Simile vitium sustulimus Act. I c. 8. Sed breviter moneo, quod in orat. pro Rosc. Amerino c. 19 legitur, *verum haec quoque tu intelligis esse nugatoria*, non debere mendosum existimari, neque recte a Matthiaeo, alioquin optime de Cicerone interpretando merito, temptatum esse. Nam revera sunt *haec quoque*, quae tu iecisti de conviviis, quae opponuntur priori probationi quod ruri vivere Roscius solitus fuerit.

§. 167. *utrum — bene existiment, aut quo modo existiment]* Sic e cod. Nanniano editum est a repetitoribus edit. Lambinianae, cum ille ipse ex emendatione Hotomani *bene an male existiment* edidisset. Nimirum absunt verba *aut quomodo existiment*, quibus apodosis illa, quasi mutata orationis forma, correctione quadam continetur, ab edd. antiquis et codd. praeter Lag 42 (et Fabric.) — *si cupias]* Sic primum

tibi istam orationem contemnendorum Siculorum atque aratorum statuae illae equestres, quas tu paulo ante, quam ad urbem venires, poni inscribique iussisti, ut omnium iniquorum tuorum animos accusatorumque tardares. Quis enim tibi molestus esset, aut quis ap- 168
pellare auderet, cum videret statuas ab negotiatoribus, ab aratoribus, a communi Siciliae? Quod est aliud in illa provincia genus hominum? Nullum. Ergo ab universa provincia, generatimque a singulis eius partibus, non solum diligitur, sed etiam ornatur. Quis hunc attingere audeat? Potes igitur dicere, nihil tibi obesse oportere aratorum, negotiatorum, Siculorumque omnium testimonia, cum eorum nominibus in statuarum inscriptione oppositis omnem te speraris invidiam atque in-

---

edit. repet. Lamb. ne verbo quidem addito, nec priore lectione notata. Erat autem antea *cupies*, quod etiam in plerisque codd. legitur, ita tamen ut Lag. 42 *cupias* tueatur. Omiserat Lambinus notare, *nec* esse in Fabriciano. Nam sic etiam quattuor nostri boni. — *Eripiunt enim tibi istam orat. contemnendorum Siculorum]* *Enim* accessit in edit. Lamb. repet. sed notato discrimine priorum editionum (adde etiam codicum praeter Fabric. et Lag. 42) in quibus coniunctio deest. Ceterum pro *contemnendorum Siculorum* codex Ursini traditur habere *negotiatorum*, quod olim nonnulli temere receperunt.

iniquorum tuorum] Vet. cod. in margine rep. Lamb. *iniquorum*, quem Fabricianum esse dubitare non patitur consensus Lag. 42, optime, et videtur haec dicendi ratio *iniqui mei*, *tui* nonnemini offensioni fuisse, ut corrigendum videretur *inimicorum*. Est autem Ciceroni minime infrequens, v. c. in Verr. V, 69 pr. pro Planc. 16 §. 40 quibus locis non desunt, qui *inimicos* voluerint. Sic et *invidos suos* dicit epist. VII, 2. Verum hoc Lambinus omisisse videtur, etiam *tuorum* in Fabriciano fuisse. Nam est non solum in Lag. 42, sed etiam in 29 et Paris. A B.

§. 168. *Quod est aliud — genus hominum]* *Humanum* vulgo, nec alia auctoritas alterius lectionis adhuc erat nisi Hotomani veteris codicis. Recepit tamen Lambinus ac servavit alteri editioni. Recte, nam *humanum* quidem insolenter diceretur, et legitur illud in Lagom. 29. 42 Paris. B. — *cum eorum nominibus — speraris]* Emendavit Hotomanus, nam codd. et edd. princ. *sperabis*, Naugerius et insequentes *sperabas*, Nannianus *speras*. Sed recte omnino Hotomanus,

famiam tuam posse extinguere? an, quorum auctoritate tu statuas cohonestare tuas conatus es, eorum ego dignitate accusationem meam comprobare non potero?

169 Nisi forte, quod apud publicanos gratiosus fuisti, in ea re spes te aliqua consolatur. Quae gratia ne quid tibi prodesse posset, ego mea diligentia perfeci: ut etiam obesse deberet, tu tua sapientia curasti.
70 Etenim rem totam, iudices, breviter cognoscite. In scriptura Siciliae pro magistro est quidam L. Carpinatius, qui et sui quaestus causa, et fortasse quod sociorum interesse arbitrabatur, bene penitus in istius familiaritatem sese dedit. Is cum praetorem circum omnia fora sectaretur, neque ab eo unquam discederet: in eam iam venerat familiaritatem consuetudinemque in vendendis istius decretis et iudiciis transigendisque negotiis, ut prope alter Timarchides numera-
170 retur. Hoc erat etiam capitalior, quod idem pecunias his, qui ab isto aliquid mercabantur, fenori dabat. Ea

---

et auctorem nunc invenit Lag. 42. Sed *oppositis* auctoritate quattuor meliorum scripsimus pro vulg. *positis*. — *an quorum auctoritate* cet.] Acute Ernestius proprietatis verborum causa *auctoritatem* ac *dignitatem* locos suos commutasse putat, nam magis convenire verbum cohonestandi *dignitati*, comprobandi *auctoritati*. Verum potest ea de re in utramque partem disputari. Magis moveor Ernestii iudicio, quod non *in ea re*, sed *ea re* scribendum censet. Esse enim pro *propterea*. Mihi quidem vere videtur monuisse, codd. tamen auctoritatem desidero.

§. 169. *In scriptura Siciliae]* Abest *Siciliae* a Lag. 42 (p. m.) *bene penitus] Bene* pro *admodum* non raro dici apud Ciceronem notum est. Vide etiam Horat. Tursellinum ea voce. Inest autem aliquis irrisionis vel potius ioci color. — *in eam iam venerat familiaritatem consuetudinemque]* In cod. Metell. uno verbo minus legebatur *in eam iam venerat consuetudinem*, a Lag. 42 etiam *iam* abest.

§. 170. *Hoc erat etiam capitalior]* i. e. perniciosior, caput sive ipsam vitam petens: homines alibi sic vocantur *capitales* Philipp. V, c. 12 et lib. III de Off. c. 21. — *pecunias his]* Sic quattuor nostri meliores, vulgo *pecuniam iis*, sed numerus pluralis, cum multi homi-

autem feneratio erat eiusmodi, iudices, ut etiam is quaestus huic cederet. Nam quas pecunias ferebat his expensas, quibuscum contrahebat, eas aut scribae istius, aut Timarchidi, aut etiam isti ipsi referebat acceptas. Idem praeterea pecunias istius extraordinarias grandes suo nomine fenerabatur. Hic primo Car- 171
pinatius, antequam in istius tantam familiaritatem pervenisset, aliquotiens ad socios litteras de istius iniuriis miserat. Canuleius vero, qui in portu Syracusis operas dabat, furta quoque istius permulta nominatim ad socios perscripserat, ea quae sine portorio Syracusis erant exportata: portum autem et scripturam eadem societas habebat. Ita factum est, ut essent permulta, quae ex societatis litteris dicere in istum et

---

nes fuerint, qui peterent aliquid, sermonis usu maxime comprobatur. De *his* autem vel *iis* alia lex nulla constitui videtur posse, nisi ut probatissimos quosque libros sequamur. Sicut mox Lag. 42 *eiusmodi* habet, ubi vulgo *huiusmodi*, et Paris. A *ferebat his*, in qua collocatione verborum etiam reliqui codd. cum edd. antiquis consentiunt.

ut etiam is quaestus] Sic Lamb. in marg. altera edit. eoque pertinet nostrorum quattuor meliorum scriptura *his questus*. Vulgo *hic*, quod cum ceteris minus bene coit. — *eas aut scribae] Eas* Lambinus in marg. repet. editionis adiiciendum censuit, corrupta sui codicis scriptura, ut videtur, usus, quae et in Lag. 42 est *aea ait*. Desiderare autem illud pronomen aures ipsae videntur. — *isti ipsi]* Hoc ordine verba collocantur in Lag. 42. 6. 48 et edit. Lamb., meliore opinor, quam quo vulgo leguntur *ipsi isti:* sic mox §. 175 *istos ipsos principes*, et lib. V, 18 §. 47 *ab istis ipsis Mamertinis*. Post *grandis* Lag. 42; et omittit *primo*, haud male, sed tamen solus, ut errorem suspicari possis.

§. 171. *ea, quae sine portorio — erant exportata]* Non probo quod Lambinus priore edidit, altera in marg. tamquam coniecturam posuit *eorum quae* cet. Nam eas ipsas merces sive cistas mercium plenas nominatim, vel singulatim, ille detulerat. — *portum autem et scripturam]* Sic e Nannii codice editum erat a Stephano et Lambino, quem male putat Gruterus bonam lectionem, quam eandem etiam Fabric. habuerit (nam habet Metell.), denuo cum deteriore atque adeo falsissima *et scripturas* mutasse, quia repetitores illud vel recipere in textum, vel annotare ad marginem omiserunt. Verum singularis numerus etiam in plerisque deterioribus est, nec legitur *scripturas* in Lagom. praeter 14. 45. 48.

172 proferre possemus. Verum accidit, ut Carpinatius, qui iam cum isto summa consuetudine, praeterea re ac ratione coniunctus esset, crebras postea litteras ad socios de istius summis officiis in rem communem beneficiisque mitteret. Etenim cum iste omnia, quaecunque Carpinatius postulabat, facere ac decernere solebat; tum etiam ille plura scribebat ad socios, ut, si posset, ea, quae antea scripserat, plane extingueret. Ad extremum vero, cum iste iam decedebat, eiusmodi litteras ad eos misit, ut huic frequentes obviam prodirent, gratias agerent, facturos se, si quid imperasset, studiose pollicerentur. Itaque socii fecerunt, vetere instituto publicanorum, non quo istum ullo honore dignum arbitrarentur, sed quod sua in-

---

§. 171. *et proferre]* Sic quattuor meliores. Vulgo *ac.*

§. 172. *re ac ratione]* Olim edebatur *oratione* ex deterioribus, Naugerius fecit *ratione* ex aliquo meliore, sed omisit quod in illo codice, quo utebatur, haud dubie fuit *ac ratione.* E Nanniano demum libro editum est *re ac ratione,* quod plenum non extat de nostris nisi in Lag. 42. — *cum iste — tum ille]* Est e Fabric. (Metell.) quocum concordant h. l. quattuor boni nostri. Olim *tum iste.* Sed debet etiam scribi *tum etiam ille* ex Lag. 42 (p. m.), non *tum ille etiam:* item mox *ea* ante *quae* poni, non eo quo vulgo loco collocatur, *quae antea scripserat, ea.* Ad eiusmodi enim hyperbaton longior verborum ambitus requiritur. — *gratias agerent]* Olim legebatur *gratiasque agerent, facturos esse,* sed Lambinus altera edit. et *que* deleri et *se* pro *esse* scribi voluit. Sic etiam e Metell. Gruterus repperit, verum cum alterum reciperet, *se,* alterum omisit, quod longe gravius: copula enim ad medium verbum adiecta omnis loci concinnitas turbatur. Cum Lambino facit Lag. 42 (p. m.) — *non quo istum — dignum arbitrarentur]* Lambinus, Gruterus, Graevius ediderant *non quod,* non opinor ex libris mstis, certe nullius mentio facta est, neque nunc fit, sed coniectura sua usi in re a grammaticis illius temporis saepe disceptata. Cf. supra ad c. 35 §. 87. Revocavit Ernestius vett. editionum lectionem, recte, quia librorum auctoritatem tuetur, verum falsa ratione usus, quasi *quod* cum Coniunctivo poni non posset. Adeo igitur res in contrarium verti coepit, ut quod veteres illi unice verum putassent, hic iam negaret ferendum. Sed Ernestius et Ciceronis et sui oblitus videtur, neque enim *quod* solum, sed etiam *quia* in hac structura, ubi, quid non sit, significatur, cum Coniunctivo apud Cice-

teresse putabant, se memores gratosque existimari:
gratias isti egerunt: Carpinatium saepe ad se de eius
officiis litteras misisse dixerunt. Iste cum respondis- 71
set, ea se libenter fecisse, operasque Carpinatii ma- 173
gnopere laudasset: dat amico suo cuidam negotium,
qui tum magister erat eius societatis, ut diligenter
caveret atque prospiceret, ne quid esset in litteris
sociorum, quod contra caput suum aut existimationem
valere posset. Itaque ille, multitudine sociorum re-
mota, decumanos convocat: rem defert. Statuunt illi
atque decernunt, ut eae litterae, quibus existimatio
C. Verris laederetur, removerentur, operaque daretur,
ne ea res C. Verri fraudi esse posset. Si ostendo, 174
hoc decrevisse decumanos, si planum facio, hoc de-
creto remotas esse litteras: quid expectatis amplius?
possumne rem magis iudicatam afferre, magis reum
condemnatum in iudicium adducere? At quorum iudi-
cio condemnatum? nempe eorum, quos ii, qui seve-
riora iudicia desiderant, arbitrantur res iudicare opor-
tere, publicanorum iudicio; quos videlicet nunc popu-

---

ronem ponitur, et placide tulerat Ernestius v. c. Tusc. I, 1. II, 23 extr. de nat. deor. 36 aliis locis, quos putidum esset colligere, cum satis magnam copiam habeas apud Tursellin. pag. 494 sqq. Cf. etiam quae strictim posui in Gramm. Lat. §. 537.

§. 173. *ea se*] Vulgo *se ea*, sed errore typographorum, qui in repetita Lamb. versati sunt. — *caput suum aut*] Vulgo *suum caput atque*, in quo collocatio adiectivi displicet. Nos igitur Lag. 42 (p. m.) sequimur. — *eae litterae*] Edd. vett. *hae* usque ad P. Manutium, qui primus *eae litterae* edidit. Notavit hoc Garatonius, sed idem omisit, paulo post eadem auctoritate *hi, qui sever.* cet. tuendum esse. Verum h. l. *eae* certe Lag. 42 et 45, altero *ii* omnes codices videntur exhibere, neque enim notatum est quicquam.

§. 174. *decrevisse*] Lag. 29 Paris. A B *decresse*. — *desiderant, arbitrantur res iudicare*] Olim edebatur *desiderabunt arbitrentur res iudicari*, ut et plerique codd. mss. Naugerius correxit ex aliquo meliorum *desiderant*, sed fecit de coniectura *reos*. Verum restituit Hotomanus, et confirmavit Fabric. (Metell.) Lagom. 42.

lus iudices poscit, de quibus, ut eos iudices habeamus, legem ab homine non nostri generis, non ex equestri loco profecto, sed nobilissimo, promulgatam
175 videmus. Decumani, hoc est principes et quasi senatores publicanorum, removendas de medio litteras censuerunt. Habeo ex iis, qui affuerunt, quos producam, quibus hoc committam, homines honestissimos ac locupletissimos, istos ipsos principes equestris ordinis; quorum splendore vel maxime istius, qui legem promulgavit, oratio et causa nititur. Venient in medium; dicent, quid statuerint. Profecto, si recte homines novi, non mentientur: litteras enim communes de medio removere potuerunt, fidem suam et religionem removere non possunt. Ergo equites Romani, qui te suo iudicio condemnarunt, horum iudi-

---

§. 174. *sed nobilissimo*] L. Aurelio Cotta, Praet. eo anno, quinto post Consule. Aureliam gentem et Cottarum familiam iure vocat nobilissimam, quamquam e plebeiis erat, quippe quae rei publicae per ducentos ferme annos summos magistratus dedisset.

§. 175. *quibus hoc committam*] Edd. princ. usque ad Iuntinam et codd. vulg. *quibus hoc producam*, Nauger. primus omisit. Lamb. in alt. edit. et Gruterus ex Metell. et uno Palatino ita restituerunt ut *committam* ex illis libris scriberent: atque recte Ernestius contra Graevium videtur defendisse, est enim pro „quorum religioni rem permittam." Iam auctores fiunt etiam Lag. 29 et 42 Paris. A B. — *istos ipsos*] Accessit *ipsos* in margine Lambinianae repetitae receptumque est a Grutero, nulla librorum auctoritate apposita. Nunc e Fabric. (Metell.) venisse certum fit Lag. 42. Mox *istius*, quoniam non cum contemptu dictum est, offendit Lambinum, ut aut *ipsius* aut *eius* vellet. Longe melius Schütz. *illius*. Sed tamen *iste* quasi adversarius iudicum et ipsius Ciceronis dicitur. — *nititur*] Sic Hotomanus scribendum censuit, et scripserunt Steph. Lambinus: antea enim fuit *nitatur* de coniectura Naugerii, prius *nitetur*, ut est in libris mss. Unus Lag. 42 *nititur* confirmat, sed fortasse etiam unus et alter e deterioribus, qualis est Paris. C.

communes] Lag. 42 *communis*. — *equites Romani*, *qui te suo iudicio condemnarunt*, *horum iudicio condemnari noluerunt*] Edd. princ. *equites Romani te suo iudicio condemnari voluerunt*, Naugerius et seqq. *noluerunt*, ut legitur etiam in plerisque codicibus mss. Sed corrupto loco medicinam attulerunt codd. Nann. Fabric. (Metell.), quibus nunc etiam Lag. 42 aggregatur, quam nemo sine librorum auxi-

cio condemnari noluerunt. Vos nunc, utrum illorum iudicium an voluntatem sequi malitis, considerate.

Ac vide, quid te amicorum tuorum studium, quid 72
tuum consilium, quid sociorum voluntas adiuvet. Di- 176
cam paulo promptius: neque enim iam vereor, ne quis
hoc me magis accusatorie, quam libere dixisse arbi-
tretur. Si istas litteras non decreto decumanorum ma-
gistri removissent, tantum possem in te dicere, quan-
tum in litteris invenissem: nunc, decreto isto facto
litterisque remotis, tantum mihi licet dicere, quantum
possum; tantum iudici suspicari, quantum velit. Dico,
te maximum pondus auri, argenti, eboris, purpurae,
plurimam vestem Melitensem, plurimam stragulam,
multam Deliacam supellectilem, plurima vasa Corinthia,
magnum numerum frumenti, vim mellis maximam Sy-
racusis exportasse: his pro rebus, quod portorium non
esset datum, litteras ad socios misisse L. Canuleium,
qui in portu operas daret. Satisne magnum crimen 177
hoc videtur? Nullum, opinor, maius. Quid defendet

---

lio tam certam praestare potuisset. *Iudicium* ac *voluntas* decumanorum inter se opponuntur, illo Verrem damnabant, hac damnari nolebant.

Vos nunc] Abest *vos* a Lag. 42 (pr. m.). Nollem factum.

§. 176. *Ac vide*] Vulgo *at*, quod non puto in eiusmodi appellatione adhiberi posse. *Ac* principio orationis positum est *und nun*, *at* si verum esset, sequi deberet irrisio *multum te adiuvat amicorum studium!* Itaque Lag. 42 secutus scripsi *ac*. — *dicam paulo promptius*] Vulgares libri *paulo amplius*, illud ex Nann. (Fabric.) Metell. et nunc etiam Lag. 42 nostrae recensionis auctoribus editur.

quantum possum] Ernestius, quoniam Coniunctivus *velit* sequatur, etiam h. l. *possim* mavult. Non probo. Nam quid ipse possit, penes ipsum est, quid velit iudex, nescit.

§. 177. *crimen hoc videtur*] *Cr. hoc* dedimus pro *hoc cr.* ex Lag. 42, sed idem etiam *videretur*, quod non placet propterea quod sequi deberet *quid defenderet*. Neque *qui id defendet* recipiam ex eodem illo libro, nam *defendere crimen* non videtur dici posse. Nunc *defendere*, ut alibi saepe, est defendendi causa contra dicere. Post *eiusmodi* consensus quattuor meliorum postulavit ut scriberemus pro *huiusmodi*.

Hortensius? postulabit, ut litteras Canuleii proferam? crimen eiusmodi, nisi litteris confirmetur, inane esse dicet? Clamabo, litteras remotas esse de medio: decreto sociorum erepta mihi esse istius indicia ac monumenta furtorum. Aut hoc contendat nunquam esse factum, aut omnia tela excipiat necesse est. Negas esse factum? Placet mihi ista defensio, descendo: aequa enim contentio, aequum certamen proponitur. Producam testes, et producam plures eodem tempore: quoniam tum, cum actum est, una fuerunt, nunc quoque una sint: cum interrogabuntur, obligentur non solum iurisiurandi atque existimationis periculo, sed etiam
178 communi inter se conscientia. Si planum fit, hoc ita, quemadmodum dico, esse factum: num poteris dicere, Hortensi, nihil in istis fuisse litteris, quod Verrem laederet? Non modo id non dices, sed ne illud quidem tibi dicere licebit, tantum, quantum ego dicam, non fuisse. Ergo hoc vestro consilio et gratia perfecistis, ut, quemadmodum paulo ante dixi, et mihi summa facultas ad accusandum daretur, et iudici libera potestas ad credendum.

---

§. 177. *omnia tela*] Metellianus, notante Grutero ac probante, *omnium*, item Lag. 42 (pr. m.): mihi non probatur, quia non intelligo. Sed mox *aequa contentio* Metell. et Lag. 42 (pr. m.), recte. Vulgo *aequa condicio*, sed de *condicione* adhuc non dicitur, *contentio* est testium comparatio, quam consequitur certamen. Ceterum *aequumque* ante Lambinianam repet. legebatur, Lambinus autem copulam auctoritate Fabric. delevit, quocum etiam nostri quattuor meliores faciunt.

una sint] Sic emendasse sibi primus videbatur Ernestius. At fuit iam olim haec enotata Metelliani libri scriptura, et accedunt quattuor illi nostri, nisi quod Lag. 42 (p. m.) *adsint*. Vulgo *sunt*.

§. 178. *num poteris dicere*] Sic Lamb. edit. repet. (itaque ex Fabric.) pro vulg. *non*, quod et ipsum sublato interrogationis signo intelligi poterat. Sed Lag. 42 (p. m.) *unum*, quod propius accedit ad *num:* reliqui *non* tenent. — *Non modo id non*] Alterum *non* abest a Lag. 29 Paris. A B, quod noli amplecti eam ob causam quod sequatur *sed ne illud quidem*, est enim suum utrique parti verbum.

et iudici] Sic Lag. 29 et 42 Paris. B. Vulgo *iudicibus*, quod ad

Quod cum ita sit, nihil fingam tamen. Memi- 73
nero, me non sumpsisse, quem accusarem, sed rece- 179
pisse, quos defenderem; vos ex me causam non a me prolatam, sed ad me delatam, audire oportere; me Siculis satis esse facturum, si, quae cognovi in Sicilia, quae accepi ab ipsis, diligenter exposuero; populo Romano, si nullius vim, nullius potentiam pertimuero; vobis, si facultatem vere atque honeste iudicandi fide et diligentia mea fecero; mihimet, si ne minimum quidem de meo curriculo vitae, quod mihi semper pro-
positum fuit, decessero. Quapropter nihil est quod 180
metuas, ne quid in te confingam: etiam quod laetere, habes: multa enim, quae scio a te esse commissa, quod aut nimium turpia, aut parum credibilia sunt, praetermittam: tantum agam de hoc toto nomine societatis. Ut iam scire possis, quaeram, decretumne sit: cum id invenero, quaeram, remotaene sint litte-

---

idem redit. Porro Lag. 42 (p. m.) utrumque *et* omittit, et extr. cap. habet *ad cernendum.*

§. 179. *quos defenderem*] a Victorio de coniectura positum videtur, prius enim editi et mss. nostri praeter Lag. 42 *quod.* — *nullius vim, nullius potentiam*] Lag. 42 (p. m.) ceteris omissis *nullius potestatem.* — *mihimet, si*] Sic e Fabric. (Metell. Lag. 42) primum edi coeptum est. Reliqui libri *mihi in eo, si.* Sed hoc et Lambinus et Gruterus consulto omisisse videntur, quod et in illis libris et in Nanniano et utique in omnibus libris mss. et editis ante Vict. vel Hervag. est *de meo curriculo.* Atqui non video quid tantopere praestet, quod illi scripserunt, *de eo.*

§. 180. *ne quid in te confingam*] Edd. vett. et codd. vulgares *ne quid mecum fingam.* Nannius e suo notavit *ne quid in te fingam*, idque recepit Lambinus priore editione. Verum in repetita *confingam* editum est, notata in marg. prioris editionis varietate tamquam vulgarium librorum. Recte, ac videtur in hoc ipsius Nannii culpa fuisse. Post *a te* dedimus ex Lag. 42 (pr. m.) pro vulg. *abs te.*

Ut iam scire possis] editum est ex Fabric. (Metell. Lag. 42) ceteri codd. et edd. princ. *ut eam scire possitis*, Victorius primus edidit *ut verum sc. possitis*, haud dubie de coniectura, quem ceteri secuti sunt, donec certior lectio bonorum codd. prolata est.

rae: cum id quoque constabit, vos iam, me tacito, intelligetis, si illi, qui hoc istius causa decreverunt, equites Romani, nunc iidem in eum iudices essent, istum sine dubio condemnarent, de quo litteras eas, quae istius furta indicarent, et ad se missas et suo decreto remotas scirent esse — quem igitur ab iis equitibus Romanis, qui istius causa cupiunt omnia, qui ab eo benignissime tractati sunt, condemnari necesse esset: is a vobis, iudices, ulla vi aut ratione absolvi potest?

---

§. 180. *vos iam, me tacito, intelligetis — condemnarent*] Liber Metell. et Lag. 42 (pr. m.) *vos me iam hoc*, Lag. 29 et Paris. B *vos iam hoc me tacito*, unde tuto iam recipere posses *hoc*, ni hi duo libri alterum *hoc*, quod statim sequitur, omitterent, eaque re fidem proderent. Verum parum hoc esset ad locum emendandum, si emendatione potius, quam interpretatione egeret. Atque illam quidem rationem, quam Ernestius proposuit, ut post *intelligetis* plenius interpungatur et reliqua per se intelligantur, probare nequeo propter inconcinnitatem, quam tollere studuit Lambinus vocem *cetera* ingerendo. Neque Garatonio quisquam obtemperabit, *si* pro *num* intelligendum esse censenti, quippe cum ille parum reputaverit, coniunctionem tam dupliciter ac diversa significatione poni. Confugiendum omnino est ad figuram *anacoluthon.* Nimirum orator propter condicionem pluribus verbis expositam, oblitus, antea sese posuisse verbum *intelligendi*, e quo haec penderent, ita perrexit, quasi periodus ab illa condicionis particula inciperet. Id haud raro ei accidisse, ut principium enuntiationis quasi amittatur, dum apodosis ad interiecta membra instituitur, docent cum alii, tum hi loci: Tusc. V, 29 *A te impetrarim libenter, ut, nisi molestum est* cet. *id velim audire*, pro *audiam.* p. Mur. 26 extr. *Nunc mihi tertius ille locus est orationis de ambitus criminibus, perpurgatus ab iis, qui ante me dixerunt, a me, quoniam ita Murena voluit, retractandus*, ut iam *mihi* redundet. Cf. in Verr. III, 71 init. *ex te quaero, tu — fueritne tibi quaestui*, et quae ad eum locum annotavit Graevius.

et ad se missas] Lag. 42 (pr. m.) sine *et: ad se missas esse.* Idem omittit *Romanis*, ne hoc quidem probabile. — *ulla vi aut ratione*] Olim editi *nulla*, sine interrogatione. Quam cum frigidam conclusionem esse recte intellexisset Hotomanus, emendavit *ulla*, id quod librorum mss. auctoritate, quotquot postea collati sunt, confirmatum est. Verum Ernestius quae vis in absolvendo Verre cogitari posset intelligere sese negans, *via* corrigendum censuit, quod revera legitur in

Ac, ne forte ea, quae remota de medio atque 181
erepta nobis sunt, omnia ita condita fuisse atque ita abdite latuisse videantur, ut haec diligentia, quam ego a me expectari maxime puto, nihil eorum investigare, nihil assequi potuerit: quae consilio aliquo aut ratione inveniri potuerunt, inventa sunt, iudices: manifestis in rebus hominem iam teneri videbitis. Nam quod in publicanorum causis vel plurimum aetatis meae versor, vehementerque illum ordinem observo, satis commode mihi videor eorum consuetudinem usu tractandoque
cognosse. Itaque ut hoc comperi, remotas esse lit- 74
teras societatis, habui rationem eorum annorum, per 182
quos iste in Sicilia fuisset: deinde quaesivi, quod erat inventu facillimum, qui per eos annos magistri illius societatis fuissent, apud quos tabulae fuissent. Scie-

Lag. 29. Neque tamen probo. Pertinet enim *vis* ad opes adversariorum, *ratio* ad eorum astutiam et calliditatem.

§. 181. *erepta nobis]* i. e. mihi vobisque. Sic scripsi ex Lag. 29. 42 (pr. m.) Paris. B pro vulg. *vobis.* Post Lag. 29 Paris. A B *abdita.* Lag. 42 (pr. m.) *obedire.* — *ut haec diligentia — nihil eorum investigare]* Vulgo sic editur: *ut hac diligentia — nihil horum investigari, nihil assequi potuerit,* in quo *assequi* passive positum nonnullos offendit, pluribus excusari posse visum est exemplis aliorum verborum deponentium a Cicerone passive adhibitorum, qualia sunt *adulari*, *criminari*, *dignari*, porro communia esse defendimus *arbitrari* ad lib. V, 41, *sortiri* lib. II, 15, *admetiri* ad III, 31. Tuebere etiam *tutari* in or. pro Sulla 20 §. 60, et fortasse *fateatur* in or. II de lege agr. 21 passive posita. Verum *sequi* ne apud Priscianum quidem lib. VIII p. 791 Putsch. in accuratissimo indice communium comparet, nec *persequi* est: *consequi* Orbilii, Horatiani illius antiquarii, loco quodam allato munit: *assequi* autem, quamvis in indice habeat, nulla tamen auctoritate probat. Itaque dudum putavi recte I. Fr. Gronovium in Obss. I, 12 correxisse *haec diligentia* et *investigare,* et nunc video *hec* esse in Lag. 42 (pr. m.), *investigare* in Lag. 29 et Paris. A. Praeterea *nihil eorum* libri mss. omnes, editi *horum.* — *cognosse]* Sic Gruterus ex uno aliquo meliorum. Vulgares *cognovisse,* Lag. 42 (p. m.) perpetuo errore *cognoscere.*

§. 182. *eorum annorum]* Vulgo abest *eorum,* quod adiecimus auctoritate quattuor meliorum nostrorum. — *apud quos tabulae fuissent]* Hoc commate auctiorem locum exhibent Nannianus et Fabricia-

bam enim hanc magistrorum, qui tabulas haberent, consuetudinem esse, ut, cum tabulas novo magistro traderent, exempla litterarum ipsi habere non nollent. Itaque ad L. Vibium, equitem Romanum, virum primarium, quem reperiebam magistrum fuisse eo ipso anno, qui mihi maxime quaerendus erat, primum veni. Sane homini praeter opinionem improviso incidi. Scrutatus sum, quae potui, et quaesivi omnia: inveni duos solos libellos, a L. Canuleio missos sociis ex portu Syracusis, in quibus erat ratio scripta mensium complurium rerum exportatarum istius nomine sine por-

---

nus et Lag. 42, quin etiam reliqui boni, nisi quod hi (Lag. 29 Paris. A B) *et* praemittunt. Horum in hac parte similem etiam optimum Francii fuisse puto, quem Graevius auctorem Nannianae scripturae laudat. A vulgaribus libris illa verba absunt, neque receperunt Gruterus et Ernestius, quod e proxime sequentibus nata putarent. Sed recte Graevius non magistros tantum quaesitos ait, sed eos magistros, qui tabulas haberent, ut altero potius loco, si breviter dicendum fuisset, pro repetitis verbis *magistrorum qui tabulas haberent* simplex pronomen *eorum* poni debuisset. Verum haec narratio, in qua delectatio quoque auditorum quaeritur, non nimis verbis adstricta est. Eodem pertinet repetitio pronominis *per eos annos*, sicut recepimus ex Nanniano et Lag. 42 pro vulg. *per eosdem annos*. *Istius* autem *societatis* miror unde in exemplaria venerit, cum libri scripti omnes habeant *illius*, quod sine dubio longe praestat. — *mensium complurium] Mensium* an *mensum* scribatur, cum in prosae orationis scriptore prorsus ex auctoritate mss. pendeat, (nam poetas quidem breviore forma, ubi versus posceret, usos esse constat, v. c. Ovidium Metam. VIII, 500. Fast. V, 187, 424. cf. Priscianum p. 771 Putsch. et Conr. Schneideri gramm. Lat. p. 244) doleo h. l. et post init. c. 75 nondum certo posse constitui. Nam h. l. Lambinus in annotatione *mensum* confirmat in Fabric. legi, sed de altero loco c. 75 nihil addit, nec in margine repet. edit. posuit, Nannius autem ad c. 75 universe dicit, quia saepius id inveniatur, semel annotare se velle, in cod. suo vetere *mensum* legi, et Gruterus cum h. l. Metellianum laudans *mensum* scripsisset, altero tamen *mensium* servavit. De tertio c. 77 cf. ad eum locum. Nostrorum vero codicum nullus praeter Paris. B h. l. *mensum* habet, plerique omnes et Lag. 42 *mensium*, Lag. 29 tribus locis et Paris. A primo et tertio *mensuum*. Neque epist. VII, 17 *mensum* auctoritate librorum alteri formae praestare videtur. Itaque quamquam multi fuerunt et docti editores, qui *mensum*, sicubi a bono aliquo codice praeberetur,

torio. Itaque obsignavi statim. Erant haec ex eo 183
genere, quod ego maxime genus ex sociorum litteris reperire cupiebam; verum tantum inveni, iudices, quod apud vos quasi exempli causa proferre possem. Sed tamen, quicquid erit in his libellis, quantulumcunque videbitur esse, hoc quidem certe manifestum erit: de ceteris ex hoc coniecturam facere debetis. Recita mihi, quaeso, hunc primum libellum: deinde illum alterum. LIBELLI CANULEIANI.

Non quaero, unde cccc amphoras mellis habueris, unde tantum Melitensium, unde quinquaginta tricliniorum lectos, unde tot candelabra: non, inquam, iam

---

reciperent, ut Oudendorpius in Caesare et Suetonio, nolui tamen sine certa librorum auctoritate eorum exemplum sequi.

§. 183. *Erant haec ex eo genere]* Fortasse hic subest aliquid, quod emendetur. Nam Lagom. 42 et Fabric. *Erat ex eodem genere*, etiam reliqui tres meliores nostri *eodem*. Neque tamen his sic uti possum, quamquam Lambinus in altera recensione sic edere voluit. Vellem *erat aliud ex eodem genere*, sive *erant alia* vel *plura ex eodem genere*. Hotomano olim corrigendum videbatur *nec erant haec ex eo genere*, verum haud dubie illi libelli maxime ad rem faciebant. Lagom. 42 (pr. m.) etiam *cupiam* pro *cupiebam*. *Tantum* minuendi causa dictum est, Germ. *nur so viel*, unde pendet Coniunctivus.

quantulumcunque] Lag. 42 (pr. m.) *quantulum*, 29 et Paris. A *quantulumque*. — *debetis]* Lag. 6 et 42. Vulgo *debebitis*.

Libelli Canuleiani] Vulgo nunc *Libelli Canuleii*. *Iam:* sed hoc de coniectura sua dederat Lambinus priore edit. servatumque est a repetitoribus, itaque propagatum est. Olim fuit *libellus Canuleiani*, ne hoc quidem secundum libros mss., sed deteriores *libellum Canuleiani*, quod etiam editum est inde a Naugerio usque ad Lambinum, optimi vero *Libelli Canuleiani*, prorsus ex more Latini sermonis.

unde tantum Melitensium] Iure succenseas Grutero, qui quid in Metelliano fuerit, lectorem celarit, sed novam scripturam tacitus ex repet. Lamb. receperit ac propagarit. Antiquiores enim omnes et ipse Lambinus priore *unde tantam Melitensem vestem*, id quod Ernestius restituit. Sed vix tamen feres *tantam vestem* dici pro *tantum vestium*, cum illud de magnitudine, hoc de copia ac multitudine certissime dicatur: et nunc suffragio Lag. 42 intelligo, quod de coniectura emendatum videri potuit, e Fabriciano ductum esse.

quaero, unde haec habueris: sed quo tantum tibi opus fuerit, id quaero. Omitto de melle: sed tantum Melitensium; quasi etiam amicorum uxores: tantum lectorum; quasi omnium istorum villas ornaturus esses.
75 Et cum haec paucorum mensium ratio in his libellis
184 sit, facite, ut vobis triennii totius veniat in mentem. Sic contendo: ex his parvis libellis, apud unum magistrum societatis repertis, vos iam coniectura assequi posse, cuiusmodi praedo iste in illa provincia fuerit, quam multas cupiditates, quam varias, quam infinitas habuerit; quantam pecuniam non solum numeratam, verum etiam huiuscemodi in rebus positam, confecerit: quae vobis alio loco planius explicabuntur.
185 Nunc hoc attendite. His exportationibus, quae recitatae sunt, scribit HS LX socios perdidisse ex vicesima portorii Syracusis. Pauculis igitur mensibus, ut hi pusilli et contempti libelli indicant, furta praetoris, quae essent HS duodecies, ex uno oppido solo exportata sunt. Cogitate nunc, cum illa Sicilia sit, hoc est insula, quae undique exitus maritimos habeat, quid

---

§. 183. *tantum tibi]* Sic quattuor meliores. Vulgo *tibi tantum*.

Omitto de melle] Sic Lag. 42 (pr. m.) Vulgo *mitto*. Utrumque dicitur, sed facilius *o* exciderit quam accreverit. Post ex eodem libro *tantum* sine interrogandi particula *ne* scripsimus, quoniam pendet oratio e verbo quaerendi; denique *etiam*, quod vulgo etiam alteri *quasi* adiicitur *(quasi etiam omnium)* auctoritate quattuor illorum omisimus.

§. 184. *Et cum haec]* Vulgo abest *et*, quod adiecimus ex Lag. 42 (p. m.), neque enim non ratio argumentationis copulam admittit.

huiuscemodi in rebus] Sic libri mss. et olim editi. Primum in repet. Lambin. textu est *huiusmodi*, fortasse errore typographorum. Sed *in* abest a codd. Lag. praeter 29 et a Paris. C editionibusque Aldina antiquioribus. *Alius locus*, quem dicit, est in libro IV, imprimis c. 26.

§. 185. HS *LX socios perdidisse]* Nihil certius hoc numero, siquidem paulo post *duodecies* recte legitur, (Lag. 42 $\overline{\infty}$ CC) nam vicies sexagena milia efficiunt duodecies centena milia. Lag. 42 (p. m.) tamen *n. s. DC*. — *cum illa Sicilia sit, hoc est insula]* Sic quattuor meliores, cuius scripturae etiam in deterioribus vestigium superest, qui exhibent *cum illa sit haec est insula*. In editis autem exem-

ex ceteris locis exportatum putetis; quid Agrigento, quid Lilybaeo, quid Panhormo, quid Thermis, quid Halesa, quid Catina, quid ex ceteris oppidis; quid vero Messana, quem iste sibi locum maxime tutum arbitrabatur, ubi animo semper soluto liberoque erat, quod sibi iste Mamertinos delegerat, ad quos omnia, quae aut diligentius servanda aut occultius exportanda erant, deportaret. His inventis libellis, ceteri remoti et diligentius sunt reconditi: nos tamen, ut omnes intelligant, hoc nos sine cupiditate agere, his ipsis libellis contenti sumus.

Nunc ad sociorum tabulas accepti et expensi, 76
quas removere honeste nullo modo potuerunt, et ad 186
amicum tuum Carpinatium revertemur. Inspiciebamus
Syracusis a Carpinatio confectas tabulas societatis,
quae significabant, multis nominibus eos homines versuram a Carpinatio fecisse, qui pecunias Verri dedissent. Quod erit vobis luce clarius, iudices, tum cum eos ipsos produxero, qui dederunt. Intelligetis enim, illa tempora, per quae, cum essent in periculo, pretio sese redemerunt, cum societatis tabulis non so-
lum consulibus, verum etiam mensibus convenire. Cum 187
haec maxime cognosceremus, et iam in manibus tabulas haberemus, repente aspicimus lituras eiusmodi quasi quaedam vulnera tabularum recentia. Statim su-

pluribus deleto *est* omnis simul veritas sepulta est. Sic Cicero ad Qu. fr. II, 3 extr. scribens illum cogitare iubet *istam esse Sardiniam.*
tutum arbitrabatur] Lag. 42 *esse* interponit.

§. 186. *pecunias]* pro vulg. *pecuniam* dedimus e Lag. 29. 42 Paris. A B. Vide supra c. 70. — *Quod erit vobis* cet.] Sic Lambinus repet. edere voluit, et exhibet Lag. 42 (p. m.), qui praeterea, sed cum reliquis bonis, accuratius *tum cum.* Vulgo et *quod* et *tum* abest.

§. 187. *lituras eiusmodi quasi quaedam vulnera tabularum recentia]* Restitui *tabularum*, pro eo, quod in edit. Gruteriana nescio quomodo irrepsit, *tabellarum.* Quod admonet Ernestius videri vocem *eiusmodi* redundare, sed orationem contractam esse ex eo quod debe-

spicione offensi, ad ea ipsa nomina oculos animumque transtulimus. Erant acceptae pecuniae C. VERRUTIO C. F. sic tamen, ut usque ad alterum R litterae constarent integrae, reliquae omnes essent in litura. Alterum, tertium, quartum, permulta erant eiusdemmodi nomina. Cum manifesta res, tum flagitiosa litura tabularum atque insignis turpitudo teneretur: quaerere incepimus de Carpinatio, quisnam is esset Verrutius, quicum tantae pecuniae rationem haberet. Haerere homo, versari, rubere. Quod lege excipiuntur tabulae publicanorum, quominus Romam deportentur, ut res quam maxime clara ac testata esse posset, in ius ad Metellum Carpinatium voco, tabulasque societatis in forum defero. Fit maximus con-

---

ret esse: *quae quasi vulnera essent*, verum videtur, itaque nihil est, quod idem se non impedire ait, si quis *eiusmodi* delere velit.

a C. Verrutio C. F.] Adiectae sunt postremae duae litterae ex libris illis optimis, Nann. (Fabr.) Metell. nunc etiam Lag. 42, et ad accuratam tabularum descriptionem maxime pertinent. Neque enim in litteris publicis, vel quae publicam fidem habere debent, omittitur illa patris significatio. Sed magis etiam animus advertendus erat ad hanc varietatem librorum, quod a Lag. 42 (p. m.) et sine dubio etiam ab illius similibus abest praepositio *a*. Ea sublata restituitur ipse quasi sermo negotiatorum, sunt enim illis acceptae pecuniae, quae *alicui* inter accepta relatae sunt. — *eiusdemmodi]* ex Fabric. (Metell.) editum pro vulg. *eiusmodi*, quod in nostris omnibus est. — *flagitiosa litura]* Alterum verbum addere volebat Lambinus in altera edit. ex Fabriciano, ut nunc intelligitur e consensu Lag. 42 (p. m.) Silet quidem Gruterus, sed res ipsa et verborum collocatio clamat, ut male excidisse videatur.

quisnam is esset Verr.] Hoc ordine verba collocata leguntur in quattuor melioribus nostris. Vulgo minus eleganter *quisnam esset is*, quapropter Ernestius *iste* voluit, ut est paragrapho insequenti. Post *quicum* recte dedit P. Manutius: antea fuerat *qui tum* ex deterioribus.

Haerere homo, versari cet.] *Versari* edi coeptum est a Grutero libri Metelliani auctoritate, cum antea fuisset *aversari*, neque dubium est quin melius, siquidem *versari* dictum est pro *versare se* (vid. I, 54 pr. II, 30 §. 74), quamquam hoc simili loco Ciceronis probare nequeo. De nostris libris mss. est in solo Lag. 42, reliqui aut *aversari* aut *adversari*. — *tabulasque — defero] Defert*, tertia persona, in Nann. et Metell. esse dicitur, et inventum est in Lag. 42 (p. m.), quod si

cursus hominum, et quod erat Carpinatii nota cum isto praetore societas ac feneratio, summe expectabant omnes, quidnam in tabulis teneretur. Rem ad 77
Metellum defero, me tabulas perspexisse sociorum; in 188
his tabulis magnam rationem C. Verrutii permultis nominibus esse; meque hoc perspicere ex consulum mensiumque ratione, hunc Verrutium neque ante adventum C. Verris, neque post decessionem quicquam cum Carpinatio rationis habuisse: postulo, ut mihi respondeat, qui sit iste Verrutius, mercator, an negotiator, an arator, an pecuarius; in Sicilia sit, an iam decesserit. Clamare omnes ex conventu, neminem unquam in Sicilia fuisse Verrutium. Ego instare, ut mihi re-

---

probes, coniunctio *que* delenda erit. Verumtamen efficacius longe esse quod vulgo legitur nemo negabit. — *summe]* dedit Naugerius, recte, sed priores edd. et libri mss. nostri praeter Lag. 42 *summa*, quod cum proxime praecedentibus coniungeretur. — *quidnam in tabulis teneretur] Quidnam* pro *quid* editum est a Grutero fide Metell. (Fabric.) libri, nunc etiam Lag. 42. Tum vulgo *contineretur*, quod si certum esset, mallem deleri praepositionem, quia *continetur in* aliqua re non unum aliquid, sed cum pluribus. Cf. lib. V, 27, et II, 47 extr. *cum in communibus iniuriis totius provinciae Sthenii quoque causa contineatur.* Verum quattuor meliorum consensus postulat *teneretur*, estque hoc quasi de furto deprehenso dictum. *Tenetur* enim, quod manifesto convinci potest.

§. 188. *consulum mensiumque] Mensum* Gruterus tradit esse in cod. Metell. Sed dubito, nam Lag. 42 *ex consulumque rationem* mendose et omisso verbo. — *postulo ut]* Vulgo abest *ut*, quod reduximus iussu quattuor meliorum. — *mercator an negotiator] Negotiator* accessit ex codd. Nann. Metell. (Fabric.) firmaturque nunc etiam Lag. 42, neque quisquam abesse velit. Habes iam quattuor illa genera civium Rom. in provincia, de quibus huius libri c. 3 init. dixit: *quos illa partim mercibus suppeditandis cum quaestu compendioque dimittit, partim retinet, ut arare, ut pascere, ut negotiari libeat.* Itaque etiam facile sustulit Naugerius plurimorum codd. mss. et olim editorum mendum *pecuniarius. Iam* primum inveni in Car. Stephani editione, receptum ex aliquo meliorum, nam a deterioribus abest. — *in Sicilia fuisse Verrutium]* Vulgo *ex Sicilia*, ego secutus sum cod. Metell. et Lag. 42 (p. m.) Miror autem Lallemandum

sponderet, quis esset, ubi esset, unde esset; cur servus societatis, qui tabulas conficeret, semper in Ver-
189 rutii nomine, certo ex loco, mendosus esset. Atque hoc postulabam, non quo illum cogi putarem oportere, ut ea mihi responderet invitus, sed ut omnibus istius furta, illius flagitium, utriusque audacia perspicua esse posset. Itaque illum in iure metu conscientiaque peccati mutum atque exanimatum ac vix vivum relinquo: tabulas in foro, summa hominum frequentia, exscribo: adhibentur in exscribendo de conventu viri primarii: litterae lituraeque omnes assimulatae, expressae, de
190 tabulis in libros transferuntur. Haec omnia summa cura et diligentia recognita et collata et ab hominibus honestissimis obsignata sunt.

Si Carpinatius mihi tum respondere noluit, responde mihi nunc tu, Verres, quem esse hunc tuum paene gentilem Verrutium putes. Fieri non potest, ut, quem video te praetore in Sicilia fuisse, et quem ex ipsa ratione intelligo locupletem fuisse, eum tu in

---

idem in Regio Paris. a se inventum tradere, neque enim nostri Parisini a vulgata discedunt. — *quis esset, ubi esset]* Inverso ordine ante Gruterum *ubi esset, quis esset* edebatur, sed Gruterum in ea re Metellianum secutum esse probat nunc Lag. 42. — *servus societatis]* intellige librarium, qui etiamsi libertus fuerit, a Cicerone tamen, ad quem eius condicio non pertinebat, poterat servus vocari, quoniam servus fuisset. Ceterum Lag. 42 (p. m.) *servos — conficeret.* Hoc alterum haud dubie recipiendum, nam quod vulgo legitur *confecerit* temporibus excidit et debebat esse *confecisset.*

§. 189. *hoc postulabam]* Unum est quod Cicero postulat, quamvis pluribus interrogationibus constet, ut sese de homine doceat. Itaque ex Lag. 42 (p. m.) restitui *hoc* pro vulg. *haec.* — *in iure metu conscientiaque* cet.] Optime emendaverat Lambinus iam priusquam Fabric. cod. lectiones accepit, quod erat *iniuriae metu,* eaque emendatio posthac libro Metell. confirmata est, confirmaturque nunc quidem omnium codd. nostrorum auctoritate.

§. 190. *mihi tum]* Paris. A B Lag. 29 et 42. Vulgo *tum mihi.* Post *cognoveris* dedi ex Lag. 42 (p. m.) solo, sed in eiusmodi rebus fide digno pro vulg. *cognoris.*

tua provincia non cognoveris. Atque adeo, ne hoc aut longius aut obscurius esse possit, procedite in medium, atque explicate descriptionem imaginemque tabularum, ut omnes mortales istius avaritiae non iam vestigia, sed ipsa cubilia videre possint. Videtis Ver- 78
rutium? videtis primas litteras integras? videtis extre- 191
mam partem nominis, caudam illam Verris, tamquam in luto, demersam esse in litura? Sic habent se tabulae, iudices, ut videtis. Quid expectatis? quid quaeritis amplius? Tu ipse, Verres, quid sedes? quid moraris? nam aut exhibeas nobis Verrutium necesse est, aut te esse Verrutium fateare.

Laudantur oratores veteres, Crassi illi et Antonii, quod crimina diluere dilucide, quod copiose reorum causas defendere solerent. Nimirum illi non in-

---

§. 190. *ne hoc aut]* Collocatio verborum et verbum *aut* est ex Fabr. (Metell.) Lag. 42. Vulgo ante Gruterum *hoc ne longius.* Sed ex eodem Fabric. (Lamb. in marg.) firmatumque Lag. 42 *atque* adiecimus.

§. 191. *Videtis Verrutium]* Mirum quod Lambinus adiiciendum in altera edit. censuit *liber explicetur.* Voluit nimirum hoc esse pro illis indicibus, quos aliis in locis, ubi testimonia aliaeque comprobationes recitandae erant, adiecit, quosque nos, etiam illis in rebus codd. potius sequendos rati, denuo plerosque sustulimus. Nam sic fuisse in Fabric. non adducor ut credam, quoniam Gruterus silet de Metelliano. Verum posthac in Paris. B et Lag. 29 didici esse *Liber explicatur*, ut iam, quamvis non probes, intelligas tamen Lambinum aliquem librum Memmii auctorem habuisse. — *caudam illam Verris] Codam* Nannius in cod. suo invenit, et e nostris libris enotatum est ex Paris. B Lag. 15. 27. 45. *quodam* ex Lag. 6. 42. Adi, si placet, de illa varietate scribendi doctissimi Schneideri grammat. Element. p. 60. — *te esse Verrutium fateare]* Metell. *te Verrutium fateare* traditur exhibere, Lag. 29 Paris. B *Verr. esse.*

Laudantur — quod — solerent] Erat olim *solebant*, sed modo coniunctivo edi coepit a Lambino et Grutero ex Fabric. (Metell.), nunc etiam Lag. 42. Verum Ernestius iam etiam *laudabantur* ex coniectura edendum sibi esse putavit, quoniam id tota oratio requireret. Non credo: nunc laudantur quod tunc, cum res erat, ita agere *solebant*, et quod *solerent* dixit, id nihil aliud nisi aliorum esse iudicium flexu aliquo significat.

genio solum his patronis, sed fortuna etiam praestiterunt. Nemo enim tunc ita peccabat, ut defensioni locum non relinqueret: nemo ita vivebat, ut nulla eius vitae pars summae turpitudinis esset expers: nemo ita in manifesto peccatu tenebatur, ut, cum impudens fuisset in facto, tum impudentior videretur, si nega-
192 ret. Nunc vero quid faciat Hortensius patronus? Avaritiaene crimina frugalitatis laudibus deprecetur? At hominem flagitiosissimum, libidinosissimum, nequissimumque defendit. An ab hac eius infamia, nequitia, vestros animos in aliam partem fortitudinis commemoratione traducat? At homo inertior, ignavior,

---

§. 191. *tunc ita]* Lag. 29 Paris. B *tum ita*, Lag. 42 *ita tamen*, sed *tunc* et *tamen* perpetuo fere ab hoc librario permutantur.

in manifesto peccatu] Rarior et, si vis, singularis haec forma pro vulg. *peccato* adhuc nitebatur solo testimonio A. Gellii Noct. Att. lib. XIII, 20, qui eam cum analogia probabiliter defendisset, tum sese in uno et altero antiquissimae fidei libro Tironiano repperisse tradidit. Itaque auctore Hotomano Lambinus, Gruterus, reliqui receperant, nihil de codicibus suis addentes. At hoc maxime opus erat, nam in eiusmodi rebus, nisi quid ipsa sententia requirat, ultra codicum fidem sapere periculosum est. Verum res in tuto est, nam unus certe, sed probatissimae fidei liber, Lag. 42 *peccatu* confirmat. Ceterum analogia patet: solent enim substantiva verbalia inter formas secundae et quartae declinationis variare, sicut est *iussum* et *iussus*, *praetextum* et *praetextus*, *eventum* et *eventus*, alia. Alia res est de *perangusto fretu*, quod idem Gellius e libro V, 66 laudat et Ciceronis manu profectum dicit.

§. 192. *Hortensius patronus]* Adiecimus alterum verbum ex Lag. 42 (p. m.) neque enim videbatur glossam sapere, neque omnino ille liber ea suspicione laborat. *Patronus* uno verbo dicitur fere pro „si patronus esse velit." — *ab hac eius infamia, nequitia]* Cumulantur nomina propter affectum ut I, 48 *aderant amici, propinqui*, II, 24 pr. *inimicus, hostis esses*, et saepissime Sallustius v. c. in bello Catil. c. 10 *otium, divitiae*, c. 20 *reges, tetrarchae*. Ex alio genere sunt, quae collegimus ad IV, 35 extr. De adiectivis vide ad V, 65 extr. Quodsi in substantivis minus placeat, quamquam mihi quidem prorsus ferendum videtur, facile fuerit interiicere *ac nequitia*. Aliam viam iniit Lambinus priore editione, *infamia nequitiae* corrigens. Ceterum Paris. A *infamia nequissima*. Lag. 42 (pr. m.) *illius* pro *eius* habet, sed idem *nostros* et *iners*.

magis vir inter mulieres, impura inter viros muliercula proferri non potest. At mores commodi. Quis contumacior? quis inhumanior? quis superbior? At haec sine cuiusquam malo. Quis acerbior? quis insidiosior? quis crudelior unquam fuit? In hoc homine atque in eiusmodi causa quid facerent omnes Crassi et Antonii? Tantum, opinor, Hortensi: ad causam non accederent, neque in alterius impudentia sui pudoris existimationem amitterent. Liberi enim ad causas solutique veniebant, neque committebant, ut, si impudentes in defendendo esse noluissent, ingrati in deserendo existimarentur.

---

§. 192. *impura inter viros muliercula]* Sic libri mss. nostri quidem omnes, sed editorum magna olim varietas fuit. Nam edd. principes *quam impura*, quod miror Nannium tradere etiam in suo libro vet. esse, sed ita ut absit *impura*. Victorius et P. Manutius et Lambinus scripserunt *inter mulieres nequam*, *impura*. Tandem Gruterus locum auctoritate Metelliani constituit, sed, ut dixi, ne ceteri quidem codices variant. Utique omnis perturbatio inde videtur profecta esse, quod editores non intelligerent *magis* etiam ad sequentia referendum esse, ut nemo Verre virilior inter mulieres, muliebrior inter viros diceretur. — *ad causam non accederent, neque — amitterent]* Restitui hunc locum primum ad libri Metell. (et Lag. 42 pr. man.) auctoritatem ita ut *hanc* cum Ernestio eiicerem, quod in vulgatis omnibus voci *causam* praeponitur. Neque enim *ad hanc causam* illi accedere poterant, sed ad *talem* causam non accessissent. Hoc facile subintelligetur, si vox ista sublata erit. Deinde reddidi Ciceroni, quod primus editor Victorianae nullis codd. usus mutaverat, *neque* pro *ne*. Mirum, tot editores, ac ne Garatonium quidem, animadvertisse eam rem, quamquam hic annotavit Lambinum ex suo vet. cod. voluisse *neque*. Nimirum non unus ille codex est, quem vel solum sequi possemus: sed omnes omnino (praeter unum fortasse Lag. 29) et codd. et edd. vett. illud habent, quo oratio longe concinnior fit.

esse noluissent] Res satis per se loquitur, itaque in tanta depravandi facilitate non moror, quod in Lag. 29 et 42 et Oxon. est *voluissent*. Videtur tamen idem Lambinus in Fabriciano invenisse, si ipsi imputandum est, quod *voluissent* in textu repetitae editionis legitur, cum in priore fuerit *noluissent*. At Hortensius, si impudens esse voluerit, non ingratus habebitur. Pertinere autem illud, quod de grato et ingrato Cicero iacit, ad Hortensium pretiosis muneribus a Verre corruptum docte annotat Hotomanus, laudatis auctoribus Plinio hist. nat. lib. XXXIV c. 18 et Quintiliano inst. VI, 3 §. 98 Spald.

ACTIONIS SECUNDAE

SIVE

ACCUSATIONIS IN C. VERREM

LIBER TERTIUS.

[FRUMENTARIA.]

ARGUMENTUM EDITORIS.

Tertius hic liber de iniuriis a C. Verre in omni re frumentaria provinciae Siciliae commissis est. Prooemio orator sese iudicibus commendat demonstrando, quam gravem recte vivendi legem cum omnes, qui alterum nulla propria laesi iniuria accusent, tum ipse sibi praescripserit, qui Verrem tot criminibus reum persequatur: neque aliam sese causam inimicitiarum habere, quam quod omnem improbitatem oderit, cum adversarii eam ipsam in reo diligant (cap. 1—4). Transit deinde ad ipsam rem et causam frumentariam, deprecans, ne in tanta rei gravitate iudices animorum oblectationem desiderent (cap. 5). Cumque hoc crimen frumentarium tripertitum sit,

I. primum agit de iniuriis, quae ad frumentum decumanum pertinent (cap. 6—69). Condicionem agrorum decumanorum, id est maioris partis provinciae, ostendit (cap. 6), sed Verrem Hieronicam legem, qua decumae venire consueverint, commutasse, religiose antea observatam et utrisque utilissimam (cap. 7 et 8). Fecisse hoc Verrem Apronii causa, cuius mores uni praetori gratissimi describuntur (cap. 9). Edicta praetoris nova reprehenduntur, primum quod aratorem tantum dare iusserit, quantum decumanus poposcisset, promisso quidem iudicio in octuplum, sed iniquo, cum et aratori petendum esset, et iudices de cohorte darentur cum decumano colludentes (cap. 10—14, §. 35): deinde quod aratorem vetuerit tollere frumentum ex area, priusquam pactus esset, idemque imperarit, ut ante Cal. Sext. ad mare

deportatum haberet (cap. 14): tum quod statuerit, ut arator decumano, quo decumanus vellet, vadimonium promitteret, et iugera sationum profiteretur (cap. 15). Ostendit orator, non posse Verri prodesse, quod magno decumas vendiderit: pessumdedisse enim provinciam et successori exhaustam tradidisse (cap. 16—19, §. 48): neque hoc illum rei publicae gratia fecisse, sed suae praedae causa, cum socius decumanorum fuerit (cap. 19, §. 49 et 20).

Sequuntur exempla iniuriarum, primum in privatos homines, et Siculos (cap. 21—23), et cives Romanos (cap. 24 et 25), cum amplificatione (cap. 26); deinde in civitates, Agyrinensem (cap. 27—31), Herbitensem (cap. 32—35), Acestensem (cap. 36), Liparensem (cap. 37), Tissensem (cap. 38), Amestratinam (cap. 39), Petrinam (cap. 39, §. 90), item in Halicyenses et Segestanos incolas (cap. 40), qua in re copiosius ostenditur, ne senatores quidem populi Rom. exemptos Verri fuisse iniuriae (cap. 41): porro in Thermitanos, Imacharenses, Hennenses (cap. 42), Calactinos, Mutycenses, Hyblenses, Menaenos, ceterosque omnes (cap. 43). Sed quantum fuerit lucrum, clarissime ostenditur in Aetnensium iniuriis (cap. 44 et 45) et decumis agri Leontini (cap. 46—49), et fuisse etiam alias accessiones pecuniae (cap. 50, §. 118).

Itaque pessime egisse Verrem concluditur, qui non decumas magno vendiderit, sed provinciam everterit: quod demonstratur imminutione profitentium aratorum (cap. 50, §. 119—52), et litteris L. Metelli, qui Verri successit, Romam missis (cap. 53—55), quin etiam mortibus, quas sibi ipsi aratores nonnulli consciverint (cap. 56, §. 129). Sed, quod caput est criminis, magnam partem eius lucri ad ipsum praetorem pervenisse probatur primum sermonibus ab Apronio in provincia habitis, a Verre non vindicatis (cap. 57—61); tum eo, quod cum alii contra Apronium licerentur et plus sese daturos pollicerentur, Verres his tradere noluerit (cap. 62—64); denique ipsis amicorum illius iudiciis (cap. 65). Concluditur hoc crimen recitata et explicata epistola Timarchidis ad Apronium missa, in qua flagitia multa domus praetoriae continentur (cap. 66—68).

II. Altero loco de furtis C. Verris in frumento empto agit orator (a cap. 70 — 80): cuius ratione descripta (cap. 70) primum arguit Verrem, quod pecuniam publicam feneratus sit publicanis (cap. 70 et 72); deinde Aeneae Halesini testimonio docet, Verrem civitatibus pro frumento nummos abstulisse, acceptos de publico retinuisse (cap. 73—77); tum si quibus civitatibus pecuniam solverit, ab ea variis nominibus deductiones fieri

passum esse, in gratiam scribarum suorum, quorum unum etiam anulo aureo publice donarit (cap. 78—80).

III. Extremo loco de frumento aestimato dicit (cap. 81—97, §. 225), quod cum praetori in cellam sumere licuerit, senatusque liberaliter aestimarit, Verrem retinuisse pecuniam publicam, pro frumento item pecuniam ab aratoribus, et multo quidem maiorem, quam quanti frumentum fuerit, (ternos denarios pro binis vel ternis Sestertiis) exegisse (cap. 81—87). Neque posse illum exemplis aliorum, nisi forte unius nocentissimi hominis M. Antonii sese excusare (cap. 88—93), et ubicunque illud fiat, animadversione esse dignum (cap. 94 et 95): iudices autem spe eiusdem licentiae corrumpere infame et perniciosum esse ordini senatorio (cap. 96—97, §. 225).

In epilogo iudices admonet, amissam esse Siciliam populo Rom., ni damnatione Verris recuperetur (cap. 97, §. 226—98).

1 Omnes, qui alterum, iudices, nullis impulsi ini-
1 micitiis, nulla privatim laesi iniuria, nullo praemio adducti, in iudicium rei publicae causa vocant, providere debent, non solum quid oneris in praesentia tollant,

---

§. 1. *non solum quid oneris in praesentia tollant]* Non legitur *solum* in editt. vett. usque ad Iuntinam, quae prima habet, nec in codd. deterioribus, Pall. Franc. Huyd. sex Lagom. (nam a codice nr. 6 abest haec oratio) Paris. C. E melioribus nihil a vulgata iam lectione diversum notatur, atque vidi etiam voculam adesse in Erfurtensi fragmento. Eaque h. l. nulla ratione carere possumus, quoniam fieri vix potest ut *solum* subintelligamus. Loci quidem, quotquot ex Ciceronis libris ad hanc rem probandam, a Dukero ad Flor. II, 2, 20 laudantur, omnes aut corrupti sunt, ut in Verr. IV, 61. de leg. agrar. or. II, 16, aut male intellecti, ut pro Cn. Plan. c. 2, ad quem locum cf. Garatonium, et pro Sext. c. 15 extr. ubi *non — sed* positum est pro *non dico, sed.* Locum describam quo rectius percipiatur: *eaque non silentio consulum dissimularentur, sed et voce et sententia comprobarentur:* facile iam intelliges, prius *et* non esse pro *etiam*, sed cum altero coniungendum. Certum videtur esse apud Livium lib. XXVIII c. 11 *ita ut non praeda, sed armati quoque in periculo fuerint*, sed etiam hoc quasi absit *quoque* intelligendum est. Verum Lag. 42 (p. m.) postea *etiam* omittit, idem *vocent* pro *vocant* exhibet, quorum neutrum mihi probatur, et excidisse *etiam* videtur ob praegressum *sed*, ut item c. 9 §. 23. Cf. etiam ad V, 1. Alia res est V, 24 init.

sed etiam quantum in omnem vitam negotii suscipere conentur. Legem enim sibi ipsi dicunt innocentiae virtutumque omnium, qui ab altero rationem vitae reposcunt; atque eo magis, si id, ut ante dixi, faciunt nulla re commoti alia, nisi utilitate communi. Nam 2
qui sibi hoc sumpsit, ut corrigat mores aliorum, ac peccata reprehendat, quis huic ignoscat, si qua in re ipse a religione officii declinarit? Quapropter hoc etiam magis ab omnibus eiusmodi civis laudandus ac diligendus est, quod non solum ab re publica civem impro-

---

nec solum in Sicilia, sed in omnibus provinciis, ad quam rationem h. l. deberet esse *quid oneris non solum in praesentia, sed in omnem vitam suscipiant.* — *in praesentia*] Nulla est codd. varietas, ne quis Oudendorpio ad lib. I de Inv. c. 17 assentiatur, rectius scribi de tempore *in praesenti.* Sed hoc non inveni nisi Epist. lib. II, 10, nec ipse videtur alibi legisse apud Ciceronem. — *negotii*] abest ab Erf. fragm. quo si Gruterus usus esset, aliquid opinioni suae adiumenti invenisset, quoniam tria haec ultima verba abesse maluit. Sed concinnitas orationis postulat, quae Grutero quidem nunquam curae fuit.

sibi ipsi dicunt innocentiae virtutumque omnium] Ante repet. Lambinianam et Gruterianam *indicunt* legebatur, correctum ex Fabric. et Metell. nunc etiam Lag. 42 (pr. m.). Recte. Nam *legem dicere* legitima formula est, de qua vide c. 7, cum *indicere* proprium sit minantis vel punientis. Ceterum *ipsi* deest in edd. princ. et vulgaribus codd., primum adiectum ex aliquo meliorum a Naugerio. Idem Metell. et fragm. Erf. (idem puto esse quae schedae Hittorpii apud Gruterum vocantur) et Lag. 42 (p. m.) vocem *continentiae* omittunt, quorum auctoritati cedendum est, quamvis defendere possis. Post *id* ab Lag. 42 (p. m.) abest, et abesse potest melius quam *hoc*, quod sequitur, in VI Lag. et Paris. C editionibusque Aldina prioribus desideratur.

§. 2. *a religione*] Sic Lag. 14. 42 (p. m.) Paris. A. Vulgo *ab.*

magis ab omnibus] Lag. 29 pro *magis* habet *vobis*, et cod. 42 (pr. m.) *tibi* adiicit post *Quapropter.* Mirum hoc: *tibi*, *vobis*, *ab omnibus;* et suspicari possis ea omnia abesse debere.

quod non solum ab re publica] Dedi *quod* pro vulg. *qui*, sicut Lambinus in repet. edit. margine ex Fabriciano (Metelliano Gruteri) voluit et ipse in fragmento Erfurt. (schedis Hittorpii) inveni, adstipulante Lag. 42 (p. m.). Tum *ab rep.* iidem praeter Lag. 42 (in quo videtur esse *a rep.*) sed insuper etiam Lagom. 29 Paris. A B. Vulgares libri plerique et editiones *rei publicae*, quod ferri nulla ratione potest, alii (Lag. 1. 14. 27) *re publica*, quod Ernestius de coniectura posuit, sed

bum removet, verum etiam se ipsum eiusmodi fore profitetur ac praestat, ut sibi non modo communi voluntate virtutis atque officii, sed etiam vi quadam ma-
3 gis necessaria recte sit honesteque vivendum. Itaque hoc, iudices, ex homine clarissimo atque eloquentissimo, L. Crasso, saepe auditum est, cum se nullius rei tam poenitere diceret, quam quod C. Carbonem unquam in iudicium vocavisset: minus enim liberas omnium rerum voluntates habebat, et vitam suam pluribus, quam vellet, observari oculis arbitrabatur. Atque ille, his praesidiis ingenii fortunaeque munitus, tamen hac cura continebatur, quam sibi, nondum confirmato consilio, sed ineunte aetate, susceperat. Quo

---

ne ipsum quidem usu scriptoris valde commendatur. Itaque in oratione subdita p. domo 9 §. 22 *quod M. Catonem tribunatu tuo removisses* ipse Ernestius praepositionem excidisse putavit, sed certius exemplum est in Oratore c. 2 pr. *sed ne opifices quidem se artibus suis removerunt*, quamquam Schützius de Lambini coniectura *ab artibus* edidit: et comparari potest p. Roscio Am. 25 extr. *magnitudine poenae maleficio summoveri.* Posterioris aetatis scriptoribus non utor: cf. Sueton. Tib. 42 *quasi civitatis oculis remotus* et ad eum locum interpretes. — *voluntate virtutis]* h. l. studium virtutis est, propensio quaedam, quam omnes homines habent ad virtutem. — *vi quadam magis necessaria recte]* Mirum quantum hac fragm. Erf. (sched. Hittorp.) et Metell. codicis scriptura loci elegantia adiuvatur, cum olim fuerit *sed etiam ut — magis necessaria ratione recte.* In qua lectione nemo non sentit importunitatem repetitae coniunctionis, ubi verbum quidem unum idemque est. *Ratione* vero etiam ab cod. Lag. 42 (pr. m.) abest, quam vocem necesse erat addere, ubi semel oculorum errore *ut* pro *vi* scriptum fuit. Quin quod in eo codice mendose legitur *in* pro *ut*, quo pertineat facile apparet.

§. 3. *Itaque hoc* cet.] Ante Steph. et Lamb. legebatur *Ita*, qui sic e Nanniano correxerunt, consentientibus Metell. Erf. (Hitt.) Pal. sec. Lagomarsinianis et Pariss. melioribus. — *atque eloquentissimo]* Absunt haec verba a Lag. 42 (p. m.). — *C. Carbonem]* anno post consulatum, quem gessit a. 120 a. Chr. u. c. 634. — *omnium rerum volunt.]* Sic primum Lamb. repet. solita negligentia, quoniam hunc ordinem verborum Lambinus e Fabric. demum restituit, sed recte. Confirmant enim nostri meliores omnes. Verum vulgares, sicut olim cum quaesita elegantia edebatur, *omn. vol. rerum.*

minus etiam praecipitur eorum virtus et integritas, qui ad hanc rem adolescentuli, quam qui iam firmata aetate descendunt. Illi enim, antequam potuerunt existimare, quanto liberior vita sit eorum, qui neminem accusarint, gloriae causa atque ostentationis accusant: nos, qui iam et quid facere et quantulum iudicare possemus ostendimus, nisi facile cupiditates nostras teneremus, nunquam ipsimet nobis praecideremus istam licentiam libertatemque vivendi.

Atque ego hoc plus oneris habeo, quam qui ce- 2
teros accusarunt, (si onus est id appellandum, quod 4
cum laetitia feras ac voluptate,) verumtamen ego hoc amplius suscepi, quam ceteri, quod ita postulatur ab hominibus, ut his abstineant maxime vitiis, in quibus alterum reprehenderint. Furem aliquem aut rapacem

---

§. 3. *praecipitur eorum virtus]* i. e. ut ipsius Ciceronis verbis utar, cogitatione futura eorum virtus praecipitur, sive minus certo de virtute eorum, quam postea in vita publica probaturi sint, coniectura capitur. Hoc longe aptius quam vulg. *perspicitur* codicis Hittorp. (Erf.) auctoritate commendavit Gulielmus, et Garatonius duorum Parisinorum Lallemandi adiecit, si verum est, nam mea excerpta silent. Sed ab illa lectione non multum abit Metell. et Lag. 42 (p. m.) *percipitur.* Omnino tria illa verba permutationi obnoxia esse facile intelligitur. Sed ut verbum etiam addam de vulgata lectione: integritas alicuius hominis ex accusatione alterius improbi nondum *perspicitur*, neque enim potest perspici aliquid, nisi re factisque se proferat atque aperiat: reprehendere autem quivis potest: verum illa ipsa reprehensione, quid homines de se velit sperare, ostendit. — *et quantulum iudicare possemus]* Ex cod. Nann. *quantillum dicere* (hoc alterum etiam Lag. 42 (p. m.) habet) Lambinus Stephanum secutus in edit. priorem recepit, in altera eius rei facta mentio est nulla, nescio an ipsius Lambini iudicio. Nam haud dubie vitium in ea re versatum est.

§. 4. *Atque ego hoc]* Sic Lagom. 42 et Erf. et hoc loco et paulo post. Vulgo nunc quidem *hoc ego*, ante Naugerium secundum deteriores *ego* priore loco aberat. — *hominibus, ut his abstineant — reprehenderint]* Ita plane Erfurtensis et Metell. sed Nannianus et Lag. 42 (pr. m.) in eo vulgaribus obtemperant quod habent *ut ab iis se abst.* Ceteri etiam *omnibus* pro *hominibus*, et *reprehenderunt.* Sed coniunctivus modus haud dubie sermonis legibus maxime convenit, et,

accusaris? vitanda tibi semper erit omnis avaritiae suspicio. Maleficum quempiam adduxeris aut crudelem? cavendum erit semper, ne qua in re asperior aut inhumanior fuisse videare. Corruptorem, adulterum? providendum diligenter, ne quod in vita vestigium libidinis appareat. Omnia postremo, quae vindicaris in altero, tibi ipsi vehementer fugienda sunt. Etenim non modo accusator, sed ne obiurgator quidem ferendus est is, qui, quod in altero vitium reprehendit, in eo ipse deprehenditur.
5 Ego in uno homine omnia vitia, quae possunt in homine perdito nefarioque esse, reprehendo: nullum esse dico indicium libidinis, sceleris, audaciae, quod non in istius unius vita perspicere possitis. Ego in isto reo legem hanc

---

postquam Lambinus recepit, ab omnibus servatus est. Utrum autem dicas *abstineo me vitio*, an *abstineo vitio*, an *abstineo a vitio*, prorsus perinde habendum, unum fortasse illud minus probandum, *abstineo me a vitio*, quandoquidem talis fere accusativus praepositioni iunctus solet esse rei, v. c. *manus abstineo ab aliquo*. — *Maleficum quempiam adduxeris]* Adiecerat Lamb. edit. priore *in iudicium adduxeris*, male, nam quo adductus fuerit, facile ex praegresso *accusandi* verbo patet. Per se quidem eam significationem, qua h. l. positum est, verbum non habet. — *Omnia postremo]* pro *denique* positum, ut paucis rem absolvam et complectar, alibi me legisse non memini. — *is qui]* Lag. 42 (p. m.) omittit *is*. — *in eo ipse deprehenditur]* *Reprehenditur* Paris. A Lag. 14. 48. 42 (p. m.), idemque dicitur fuisse in Metell. et Hittorp. De hoc quidem miror, nam in Erfurt. est, ut debet, *deprehenditur*.

§. 5. *nullum esse dico indicium* cet.] Verbum *dico* Lambinus altera edit. (ex Fabric. haud dubie) primus Ciceroni restituit. Quod quia contra institutam illius editionis rationem statim in textu positum est, fefellit Gruterum, ex cuius silentio auctoritatem libri Metell. pro nobis esse mihi persuadeo. Ipse Lambinus priore editione pro *esse* scripserat *est*, nam ex *reprehendo* certe non possunt haec ultima pendere. Nunc autem *dico* etiam in Paris. A B Lag. 29 fragmento Erfurt. repertum est, ut dubitari de integritate loci non possit. — *in istius unius]* Sic Gruterus tacite. Antea, quod et in plurimis mss. est, *in unius istius*, et restituissem nisi illud in Lag. 42 et, quod plus etiam mihi est, in fragm. Erf. esset, unde verisimile fit Gruterum edidisse ex Metelliano et oblitum notare.

mihi, iudices, statuo, vivendum ita esse, ut isti non modo factis dictisque omnibus, sed etiam oris oculorumque illa contumacia ac superbia, quam videtis, dissimillimus esse ac semper fuisse videar. Patior, non moleste fero, iudices, eam vitam, quae mihi sua sponte antea iucunda fuerit, nunc iam mea lege et condicione necessariam quoque futuram.

Et in hoc homine saepe a me quaeris, Hortensi, 3
quibus inimicitiis aut qua iniuria adductus ad accusan- 6
dum descenderim. Mitto iam rationem officii mei necessitudinisque Siculorum: de ipsis tibi inimicitiis respondeo. An tu maiores ullas inimicitias putas esse, quam contrarias hominum sententias ac dissimilitudines studiorum et voluntatum? Fidem sanctissimam in vita qui putat, potest ei non inimicus esse, qui quaestor consulem suum, consiliis commissis, pecunia tradita, rebus omnibus creditis, spoliare, relinquere, prodere, oppugnare ausus sit? Pudorem ac pudicitiam qui colit, potest animo aequo istius cotidiana adulteria, meretriciam disciplinam, domesticum lenocinium videre? Qui religiones deorum immortalium retinere vult, ei, qui fana spoliarit omnia, qui ex tensarum orbitis

§. 5. *mihi iudices*] Vulgo inverso ordine: secutus sum Paris. A B Lag. 29 Erf. — *Patior, non moleste fero*] Vocem *fero* idem Lamb. altera demum edit. protulit, ex Fabriciano igitur: habet etiam Erfurt. et Lag. 42 (pr. m.). Melius sic esse non puto quemquam negaturum, etsi *moleste patior* quod pertinet ad dicendi rationem non improbo: dicitur enim *indigne pati* et *aegre pati*, quidni igitur etiam *moleste pati?* Singulare tamen esset. Iam sicut nunc est, etiam lib. I init. *patior, iudices, et non moleste fero.* — *sua sponte*] Abest *sua* a Lag. 29 Paris. A B. Tum *ante ineunda* Lag. 42 (p. m.) et *iocunda* Lag. VI cum 29.

§. 6. *An tu maiores* cet.] Pro *tu* in cod. Erfurt. legitur *ne:* vox plane omittitur in Lag. VI Paris. C Huydec. editisque Aldina prioribus. Paulo post *ac volunt.* Lag. 42 et Erf. pro vulg. *et vol.* Sed aliquot versibus interiectis *ac pudicitiam* pro *et pud.* omnes Lagom. Erf. Paris. C. — *Qui religiones — retinere vult*] Malim *retineri*, nam orator quidem ipse non potest omnes retinere, sed cupit quemvis illud facere in sua vita.

praedari sit ausus, inimicus non esse qui potest? Qui iure aequo omnes putat esse oportere, is tibi non infestissimus sit, cum cogitet varietatem libidinemque decretorum tuorum? Qui sociorum iniuriis provinciarumque incommodis doleat, is in te non expilatione Asiae, vexatione Pamphyliae, squalore et lacrimis Siciliae concitetur? Qui civium Romanorum iura ac libertatem sanctam apud omnes haberi velit, is non tibi plus etiam quam inimicus esse debeat, cum tua verbera, cum secures, cum cruces ad civium Romanorum
7 supplicia fixas recordetur? An, si qua in re contra rem meam decrevisset aliquid iniuria, iure ei me inimicum esse arbitrarere: cum omnia contra omnium bonorum rem, causam, rationem, utilitatem, voluntatemque fecerit, quaeris, cur ei sim inimicus, cui populus Romanus infestus est? qui praesertim plus etiam,

---

§. 6. *haberi velit*] Olim edebatur *vult*, sicut est in plerisque libris, etiam bonis, nam *volt* Lag. 29, *habere volt* Paris. A B. Sed *velit* ex Fabric. Lambinus, ex Metell. Gruterus enotavit, hic etiam edere coepit, et firmant Erfurt. et Lag. 42. Itaque cum iam bis Coniunctivus legatur, *velit* et *doleat*, Beckius etiam proximo superiore loco *putet* scribendum coniecit. Nihil impedit, sed nullus tamen mstus auctor fit, neque intelligas, cur eadem res non pertineat etiam ultra, ut iterum *velit* scribatur pro *vult*. Nimirum Coniunctivus cuiusvis hominis est, Indicativus ad unum Ciceronem pertinet, neque male ab uno ad plures et omnes transitus fit. Ceterum animadvertenda est etiam personarum permutatio. Nam cum antea Hortensium allocutus, de Verre tertia persona usus esset, iam ipsum reum appellat, rursus autem post tria haec membra ad Hortensium convertitur, nullo alio indicio nisi quod sententia postulat. — *An — iure ei me inimicum esse arbitrarere*] *Arbitrarer* vulgo legitur, etiam in Erfurt. codice, sed alteram personam longe aptiorem esse intelligo, cum de Hortensii admiratione dicere coeperit et etiamnunc dicat. Eam Hotomano debemus, sed mutatio tam exigua est, ut vix excusatione opus sit. Antea *decrevisset* Erf. et Lag. 42. Vulgo *decresset*. *ei me* Erf. Lag. 29 Paris. A B. quod propter auctoritatem librorum recipiendum putavimus pro vulg. *me ei*.

infestus est] Lag. 42 (p. m.) et Erfurt. quod necesse videtur, ne de ea re dubitari posse videatur. Vulgo *sit*. — *qui praesertim*] Omnes codices nostri *cui*, notabili vitio.

quam pars virilis postulat, pro voluntate populi Ro-
mani oneris ac muneris suscipere debeam? Quid? 4
illa, quae leviora videntur esse, non cuiusvis animum 7
possunt movere? quod ad tuam ipsius amicitiam ce-
terorumque hominum magnorum atque nobilium faci-
liorem aditum istius habet nequitia et audacia, quam
cuiusquam nostrum virtus et integritas? Odistis ho-
minum novorum industriam; despicitis eorum frugali-
tatem; pudorem contemnitis; ingenium vero et virtu-
tem depressam extinctamque cupitis: Verrem amatis.
Ita credo: si non virtute, non industria, non innocen- 8
tia, non pudore, non pudicitia; at sermone, at litteris,
at humanitate eius delectamini. Nihil eorum est: con-
traque sunt omnia cum summo dedecore ac turpitu-
dine, tum singulari stultitia atque inhumanitate oblita.
Huic homini si cuius domus patet, utrum ea patere,
an hiare ac poscere aliquid videtur? Hunc vestri ia-
nitores, hunc cubicularii diligunt: hunc liberti vestri,
hunc servi ancillaeque amant: hic cum venit, extra
ordinem vocatur: hic solus introducitur; ceteri, saepe
frugalissimi homines, excluduntur. Ex quo intelligi
potest, eos vobis esse carissimos, qui ita vixerint, ut
sine vestro praesidio salvi esse non possint. Quid? 9
hoc cuiquam ferendum putas esse, nos ita vivere in

---

§. 6. *pro voluntate populi Rom.]* quam erga Ciceronem ostendit, cum eum, hominem novum, et quaestorem et nuper aedilem curulem summo studio fecisset.

§. 7. *hominum magnorum]* Sic Lambinus in marg. repet. e Fabric. protulit, Gruterus postea ex Metell. et Hittorp. (Erf.) edidit, cum antea ederetur, quod et in ceteris omnibus mss. est, *omnium maiorum.* Ipse Lambinus comparativum non ferens, priore edidit *omnium clarorum atque nobilium virorum.* — *industriam]* Vulgo *industrias*, quod si solum esset neque sequeretur *frugalitatem, pudorem* rel. non reprehenderem: nunc Lag. 42 et Erf. scripturam praefero.

§. 8. *Nihil eorum]* Sic omnes boni libri nostri pro vulg. *horum.*
qui ita vixerint] Sic solus Lag. 42 (p. m.), quod Ernestius coniecerat scribendum. Vulgo *vixerunt.*

pecunia tenui, ut prorsus nihil acquirere velimus; ut dignitatem nostram populique Romani beneficia non copiis, sed virtute tueamur: istum, rebus omnibus undique ereptis, impune eludentem circumfluere atque abundare? huius argento dominia vestra, huius signis et tabulis forum comitiumque ornari? praesertim cum vos vestro Marte his rebus omnibus abundetis? Verrem esse, qui vestras villas suis manubiis ornet? Verrem esse, qui cum L. Mummio certet? ut plures hic sociorum urbes, quam ille hostium, spoliasse videatur, plures hic villas ornamentis fanorum, quam ille fana spoliis hostium ornasse: et is erit ob eam rem vobis carior, ut ceteri libentius suo periculo vestris cupiditatibus serviant?

5 Verum haec et dicentur alio loco, et dicta sunt:
10 nunc proficiscemur ad reliqua, si pauca ante fuerimus

§. 9. *impune eludentem]* absolute dictum, sed subintelligi potest *nos*, *homines*. Opportune Garatonius laudat Liv. II, 45 *adeo superbe insolenterque eludebat hostis*, ut fere sit pro nostro *sich brüsten*.

huius argento dominia vestra — ornari] Lectio iam certissima, quam debemus codici Fabriciano in marg. Lambini et Hittorp. (Erfurt.), adde etiam, si diversum esse ab illo Fabr. existimas, Metelliano, denique nunc Lag. 42. Vulgo enim legebatur *domos* vel *domus* (sic enim codd.) *vestras*. Sed talibus experimentis praestantia librorum perspicitur. Vox antiqua est, sed cuius usum ne posterioribus quidem temporibus evanuisse declarat A. Gellius lib. II, 24 *mutitarent*, *id est*, *mutua inter se dominia agitarent*, quaeque sine dubio apud Nonium voce *dominus* restituenda est pro corruptis *M. Tullius in Verrem frumentaria: Adria argento dominos vestrae*, ut scribatur *ornari argento dominia vestra*, eam igitur vocem iam apparet a magistro olim ad captum discentium correctam esse. Contulerim cum nostro *Gastgebote*. — *vestro Marte]* haud dubie ridicule dictum, ut vis et rapinae significentur: acute observavit Ernestius. Atque pergit in ea metaphora. — *suis manubiis]* Sic primus Naugerius: antea enim ut et codd. nonnulli Lag. 29. 42. 5. 27 mendose *suis manibus*.

plures hic villas] Adiicitur vulgo *hic solus*, quod nemo dixerit quo pertineat. Omisimus, quia abest ab Erfurt. et Lag. 42 (p. m.). Iidem ambo *pluris*, Erf. utroque loco, Lag. tantum priore.

§ 10. *et dicentur alio loco] Et* primus adiecit Lambinus, qui

a vobis, iudices, deprecati. Superiore omni oratione perattentos vestros animos habuimus: id fuit nobis gratum admodum. Sed multo erit gratius, si reliqua voletis attendere: propterea quod in his omnibus, quae antea dicta sunt, erat quaedam ex ipsa varietate ac novitate rerum et criminum delectatio. Nunc tractare causam instituimus frumentariam, quae magnitudine iniuriae fere criminibus ceteris antecellit, iucunditatis in agendo et varietatis minus habebit: vestra autem auctoritate et prudentia dignissimum est, iudices, in audiendi diligentia non minus religioni tribuere, quam
voluptati. In hac causa frumentaria cognoscenda haec 11

---

item paulo post *fuerimus deprecati* pro *erimus* in margine repetitae, *oblitus* nimirum, aut e Fabric., correxit. Utrumque Gruterus recepit, neque aliter enotatum ex Lag. 42 aut ipse in Erfurt. inveni. Usque ad haec ipsa verba pertinet hoc fragmentum codicis Erfurtensis.

Superiore] Lag. 42 (p. m.) *superiori*. — *ex ipsa varietate]* Sic Naugerius primus, codice ms. non mediocris bonitatis usus. Nam nostri omnes praeter unum Lag. 42 *ex iis* aut *ex his*, sicut item olim edebatur. Post *nobilitate* pro *novitate* Lag. 42 (p. m.) et Metell. quod tuetur Gulielmus, Garatonius merum mendum putat. Recte hic, neque enim hoc orator concesserit in prooemio, crimen frumentarium nobilitate ulli cedere. Porro *et criminum* Lag. 29. 42. Paris. B et Lamb. in marg. repet. quod sono praestat vulgato *ac criminum*.

fere criminibus ceteris] Vet. cod. in marg. Lamb. *et re crim.* quod Gruterus, cum in Metell. inventum esset, in textum recepit (quamquam in notis scripsit *ac re*). Idem fecerunt Ernestius et Beckius, hoc imprimis prementes, debere etiam de ipso obiecto criminum dici. Verum illa, quam Cicero dicit, *magnitudo iniuriae* obiectum est, magna enim fit, si res de qua agitur, magni pretii est. Mihi quidem *res* tam ieiune neque pro rei gravitate dictum videtur, ut a Cicerone ita scriptum esse persuadere mihi non possim. Contra *fere* et aptum est ad sententiam, cum orator etiam ceteris criminibus gravitatem suam servare velit, et prorsus cum sermonis usu convenit. Videtur igitur illud mendum esse, quod item est in Lag. 42 a pr. m. Sed si accurate agendum, utraque scriptura coniuncta in illo *et re fere* est. Post *antecellet* Lag. 42 (p. m.) quod intelligo defendi posse nec tamen necessarium esse. — *autem auct.]* Abest *autem* a Lag. 42. — *in audiendi diligentia]* ex Fabric. (Metell.) ediderunt Lamb. repet. et Gruterus: antea *in audiendo diligentiam*. Firmat e meis unus Lag. 42 (p. m.).

vobis proponite, iudices, vos de rebus fortunisque Siculorum omnium, de civium Romanorum, qui arant in Sicilia, bonis, de vectigalibus a maioribus traditis, de vita victuque populi Romani cognituros. Quae si magna atque adeo maxima vobis videntur, quam varie et quam copiose dicantur, expectare nolite.

Neminem vestrum praeterit, iudices, omnem utilitatem opportunitatemque provinciae Siciliae, quae ad commoda populi Romani adiuncta sit, consistere in re frumentaria maxime: nam ceteris rebus adiuvamur ex
12 illa provincia: hac vero alimur ac sustinemur. Ea causa tripertita, iudices, erit in accusatione: primum enim de decumano, deinde de empto dicemus frumento, postremo de aestimato.

6 Inter Siciliam, ceterasque provincias, iudices, in agrorum vectigalium ratione hoc interest, quod ceteris aut impositum vectigal est certum, quod stipen-

---

§. 11. *Siculorum omnium]* Varietates scripturae e Lag. 42 (p. m.) enotantur hae, ut *omnium* absit, deinde *de victu vitaque* inverso ordine verborum, tum *videbuntur* pro vulgato *videntur*, quae omnes admodum dignae sunt illis optimis libris. Nam etsi *vita* ubi cum *victu* coniungitur praeponi fere solet, non est tamen hoc sine exceptione, v. c. ad Att. XII, 28, et h. l. *victus* principalem notionem continet. Sed imprimis *videbuntur* mihi quidem placet concinnitatis causa. Tamen cum suffragia reliquorum bonorum librorum desint, anceps videtur uni illi confidere.

quae ad commoda pop. Rom. adiuncta sit] circumlocutio pro: quod attinet ad populum Romanum. — *nam ceteris rebus adiuvamur]* Sic repet. Lamb. in textu (sed dubium esse non potest, quin ipso Lamb. ex Fabriciano sic volente, est enim etiam in Lag. 42) et ex ea ceterae edd. omnes, antea *in ceteris rebus* legebatur, sine *nam*. Tamen Lag. 42 (p. m.) *adiuvatur*. — *ac sustin.]* Coniunctionem primus addidit Naugerius, e bonis: nam in deterioribus VI Lag. et Paris. C *et sust.* Tum *haec* Lag. 29 et Paris. B pro *ea*.

§. 12. *primum enim]* Abest *enim* a Lag. 42 (pr. m.) solo.

in agrorum vectig. ratione] Sic Lamb. in marg. repet. (ex Fabr. quod ex Lag. 42 et Paris. A coniicio), cum et ipse et alii olim edidissent *rationibus*, quae ad hunc locum non conveniunt. Codd. autem ceteri *rationes*.

diarium dicitur, ut Hispanis et plerisque Poenorum, quasi victoriae praemium, ac poena belli; aut censoria locatio constituta est, ut Asiae, lege Sempronia. Siciliae civitates sic in amicitiam fidemque recepimus, ut eodem iure essent, quo fuissent; eadem condicione populo Romano parerent, qua suis antea paruissent.
Perpaucae Siciliae civitates sunt bello a maioribus no- 13
stris subactae: quarum ager cum esset publicus populi Romani factus, tamen illis est redditus, is ager

§. 12. *quod stipendiarium dicitur]* Alibi homines vel civitates stipendiariae vocantur, non vectigal ipsum *stipendiarium.* Hoc offendit Garatonium. Sed cur non possit atque adeo debeat sic vocari, ne ipse quidem dixerit. — *et plerisque Poenorum]* Sic primus Naugerius, antea *ceterisque* (ut et est in Oxon. et Huydec. Lagom. VI et Paris. C) ex deterioribus. — *censoria locatio]* et Romae quidem, cum vectigalia Siciliensium agrorum in ipsa provincia a praetoribus locarentur.

Asiae] primus edidit Lambinus de coniectura Hotomani, confirmata illa quidem postea melioribus libris, Lag. 29 Paris. A B, reliqui et Lag. 42 *Asia.* — *fidemque recepimus]* Paris. A B *accepimus.*

antea] Lag. 42 (pr. m.) *ante.* Idem (ead. man.) pro *sunt* habet *superiori*, et omittit *Romani.*

§. 13. *tamen illis est redditus]* i. e. ut uterentur et possiderent, quamdiu populo Rom. videretur, manebat enim publicus populi Rom. Vide Ferratium. Harum civitatum neque numerum definit, neque nomina tradit, videlicet quod invitus nunc quidem in hac pertinacia veterum populi Rom. hostium commoratur. Fuisse *septendecim* ex corrupta lectione V, 47 primus, ut videtur, P. Manutius sibi persuasit, quem ceteri omnes, sive illo loco *non eramus* sive *numeramur* legunt, secuti sunt. Male, nam is numerus nulla re nititur nisi illa lectione, quam esse manifesto falsam illo loco docebimus. Ipsum tamen numerum, quamvis orator *perpaucas* civitates esse dicat, noli iusto maiorem putare: nam videtur etiam aliquantum minor esse vero. Habemus enim aliam rationem, qua ad eum perveniamus, si animadvertamus, quarum civitatum nomina in crimine decumano non inveniantur. Nam cum omnes in Sicilia agri praeter civitates immunes aut decumani aut censorii fuerint, apparet, quos inter illos, qui soli praetoris iniuriis expositi fuerunt, non nominarit, eos publicos populi Rom. fuisse. Neque verisimile videtur, a Cicerone nonnullas civitates omissas esse, quippe qui crimina sua vel per tenuissima oppidula persecutus sit, huius lib. c. 43. Recenset autem civitates XXXIV decumanas. Totum autem numerum Sicularum coniicimus ex lib. II, 55 fuisse LXV, i. e. earum, quarum res publica curae praetoris commissa esset. Itaque fortasse duas foederatas et quinque immunes ac liberas addes, ut sint omnes

a censoribus locari solet. Foederatae civitates duae sunt, quarum decumae venire non soleant, Mamertina et Tauromenitana: quinque praeterea sine foedere immunes ac liberae, Centuripina, Halesina, Segestana, Halicyensis, Panhormitana. Praeterea omnis ager Siciliae civitatum decumanus est, itemque ante imperium populi Romani ipsorum Siculorum voluntate et
14 institutis fuit. Videte nunc maiorum sapientiam, qui, cum Siciliam, tam opportunum subsidium belli atque pacis, ad rem publicam adiunxissent, tanta cura Siculos tueri ac retinere voluerunt, ut non modo eorum

---

LXXII, quamquam ego quidem nolim nisi duas foederatas, Messanam et Tauromenium. Relinquentur igitur minimum XXI, quarum agri publici populi Rom. sint, et inter eas praecipuae Syracusae, Drepanum, Lilybaeum, Mylae, Herbessus, Camarina, Bidis, Echetla, pleraeque autem parvae et bellorum calamitatibus perditae. Nomina si quaeris, adi Plinium in celebri catalogo hist. nat. III, 14, ubi maritimas recenset XIX, mediterraneas L. Verum is locus, si quis alius, et emendantis manum et explicantis doctrinam desiderat: insunt enim civitatum nomina inaudita, *Etini*, quos *Elorinos* esse, *Herbulenses*, quos *Heraclienses* esse puto, et bis commemorantur *Drepanitani* et *Selinuntii*, item *Naxii*, quos paulo ante *Tauromenitanos* factos dixerat. Contra omissi sunt *Lilybaetani* et *Apollonienses*, quorum frequens mentio apud Ciceronem, denique *Capitini*, quos Cicero appellat III, 43, nisi latent in Plinianis *Cacyrinis*. Quid multa? si de Pliniano catalogo exemeris tres illas civitates bis commemoratas et Zanclaeos, quos Plinius Messeniorum esse dicit, ut relinquantur LXV, addideris autem Lilybaetanos et Apollonienses, conficietur Ciceronianus ille numerus LXVII. — *Foederatae civitates duae sunt]* Omisit tertiam *Netinam*, quam V, 51 *foederatam* appellat, et V, 22 eandem causam foederis ac Mamertinos habere tradit. Sed aliquid tamen interfuisse videtur, quo factum est, ut cum Messana apud Plinium sit urbs civium Rom. Netum tantum Latinae condicionis ius acceperit. — *immunes ac liberae]* Omisi *civitates*, quod verbum vulgo post *immunes* ponitur, sed melius cogitatur, auctoritatem secutus Lag. 42 (pr. m.) Ceterum quod ad nomina civitatum pertinet, *Tauromenitana* etiam h. l. omnes mss. Cf. ad II, 66. *Panhorm.* cum aspirata Lag. 29 et Paris. B. *Halesa* codd. constanter, Graecorum scriptorum solus Diodorus Ἄλεσαν, reliqui et nummi Ἄλαισαν nominant. Condita ab Archonida Herbitensi Olymp. 94, 2 (a. Chr. 403) cito crevit, ἀτελῆ etiam Diodor. XIV, 16 tradit fuisse, Cicero Epist. XIII, 32 *civitatem lautam et nobilem* appellat.

§. 14. *ac retinere]* Sic Paris. A Lag. 29. 42. Vulgo *et*.

agris vectigal novum nullum imponerent, sed ne legem quidem venditionis decumarum, neve vendundi aut tempus aut locum commutarent, ut certo tempore anni, ut ibidem, in Sicilia, denique ut lege Hieronica venderent: voluerunt eos in suis rebus ipsos interesse: eorumque animos non modo lege nova, sed ne nomine quidem legis novo commoveri. Itaque decu- 15
mas lege Hieronica semper vendundas censuerunt, ut

---

§. 14. *ne legem quidem]* Primus Naugerius addidit *quidem:* deest enim in deterioribus libris, quin etiam Paris. A. — *neve vendundi aut tempus aut locum commutarent]* Genitivus *vendundi* ex Fabric. (Metell.) cod. restitutus est a Lambino et Grutero: antea *vendendis* legebatur, quod notatur inveniri in Lag. VI et 29 Paris. B. Servari potuisse dativum, Ernestio non crediderim, nimis enim abhorret a Ciceronis sermone. Sed eidem Ernestio prorsus assentior, *neve* h. l. contra legem Latinitatis positum esse: nam quod Schellerus in Obss. opponit, dici etiam alibi *neque* sic, ut possit etiam *neve* eius loco poni, verum illud quidem est, neque tamen contra *neve* positum memini, ubi debebat esse *neque.* Nimirum cum *neve* promiscue dicatur pro *aut ne*, quod legitimum est, atque *et ne:* pro eo, quod est *et ne*, poni videtur etiam *neque, nec;* ut recte secundum aliquot libros correxisse putem Heusingerum lib. I de Off. 26 §. 91 *cavendum est ne assentatoribus patefaciamus aures, neu adulari nos sinamus*, pro eo quod fuit *nec*, male Beierum lib. II de Off. 21 §. 73 *videndum erit, ut suum quisque teneat, neve de bonis privatorum publice deminutio fiat*, pro eo, quod in libris est, *neque.* Nam negare usquam ferendum esse *neque (nec)*, ubi poni possit *neve*, temerarium est. Cf. enim praeter locos Cic. divin. 16 §. 52. in Verr. III, 48 extr. Liv. XXIV, 3, 14, in Gramm. §. 535 a me laudatos, hos a docto amico indicatos: Livii XXIII, 3, 3. XXI, 43, 3. Cic. Epist. I, 9 §. 19. Hoc autem de quo agimus loco, ubi simplex *ne* locum non esset habiturum, ne *neve* quidem poni potest. Quid igitur? corrigendumne videtur esse? Non credo, sed dicendi flumine abreptum oratorem censeo, cum *ne — quidem* praecessisset, illud *quidem* omisisse, et alteri *ne* temere iam *neve* subiecisse. In Lag. 42 (p. m.) memorabiliter legitur *decumarum nomine nove vend.* ex quo tamen nihil sani efficio, nam de novo legis nomine post paulo dicitur. Item mendose idem cod. pro *certo tempore* habet *toto terco.*

eorumque animos] Adiecta est copula Fabric. (Metell.) codicis auctoritate a Lamb. altera edit., et confirmant Lag. 42 Paris. A B.

§. 15. *Itaque decumas]* Vulgo *ita*, quod cum non excipiatur insequenti *ut*, ex Lag. 42 *itaque* malui recipere. — *vendundas censuerunt]* Gruterus primus videtur hac forma edidisse, antea enim *vendendas*, ut plerique libri mss. praeter Paris. A et Lag. 42.

iis iucundior esset muneris illius functio, si eius regis, qui Siculis carissimus fuit, non solum instituta, commutato imperio, verum etiam nomen maneret. Hoc iure ante Verrem praetorem Siculi semper usi sunt: hic primus instituta omnium, consuetudinem a maioribus traditam, condicionem amicitiae, ius societatis, convellere et commutare ausus est.

7 Qua in re primum illud reprehendo et accuso,
16 cur in re tam vetere, tam usitata, quicquam novi feceris. Ingenio aliquid assecutus es? tot homines sapientissimos et clarissimos, qui illam provinciam ante te tenuerunt, prudentia consilioque vicisti? Est tuum, est ingenii diligentiaeque tuae. Do hoc tibi et concedo. Scio, te Romae, cum praetor esses, edicto tuo possessiones hereditatum a liberis ad alienos, a primis heredibus ad secundos, a legibus ad libidinem tuam transtulisse. Scio, te edicta superiorum omnium correxisse, et possessiones hereditatum non secundum eos, qui proferrent, sed secundum eos, qui di-

---

§. 15. *muneris illius functio]* Germ. *die Leistung jener Pflicht*, nam *fungi* verbum proprium est de hac re, cf. c. 86 med. *tamen hoc vobis est statuendum, quid aratorem ipsum arationis nomine muneris in re publica fungi ac sustinere velitis.* Et recte *munus* in marg. Lamb. λειτουργία explicatur.

§. 16. *tam vetere]* Sic quattuor nostri meliores, Paris. A B Lag. 29. 42. Vulgo *veteri.* — *sapientissimos et clarissimos]* Sic edidit Gruterus e Metelliano, a quo h. l. mentio Fabriciani discedit, quem *clarissimosque* habere in marg. alterius editionis legitur. Sed Gruteriana excerpta accuratiora in hac re fuisse probat Lag. 42, quem solum non invenio in eorum numero, qui verba *et clarissimos* omittant. Ipsa omissio quin defendi possit non dubito, sed praestat tamen sequi illum librum, sine quo permultis locis erraremus. Paulo post *diligentiae* editum est ex iisdem, sed accedunt etiam reliqui boni tres, olim fuit *prudentiae*, quae cum praecessisset male repeteretur.

a liberis ad alienos] Sic Nannianus et Metellianus, quibuscum quattuor meliores nostri faciunt. Palatinus secundus *a suis*, ceteri mendose omittunt. Ernestius lectionem Palatini praetulit codicibus iam spectatis, ut sermonem Ictorum servaret, sed hanc tamen orationis formam *hereditates a suis ad alienos transtulit* Ciceronianam habere nequeo.

cerent testamentum factum, dedisse: easque res novas abs te prolatas et inventas magno tibi quaestui fuisse scio: eundemque te memini censorias quoque leges in sartis tectis exigendis tollere et commutare, ne is redimeret, cuia res esset; ne pupillo tutores propinquique consulerent, quo minus fortunis omnibus everteretur: exiguam diem praefinire operi, qua ceteros ab negotio excluderes, ipse in tuo redemptore nullam certam diem observares. Quamobrem novam 17
legem te in decumis statuisse non miror, hominem in edictis praetoriis, in censoriis legibus tam prudentem, tam exercitatum: non, inquam, miror, te aliquid excogitasse: sed, quod tua sponte, iniussu populi, sine senatus auctoritate, iura provinciae Siciliae mutaris, id reprehendo, id accuso. L. Octavio et C. Cottae 18
consulibus senatus permisit, ut vini et olei decumas, et frugum minutarum, quas ante quaestores in Sicilia vendere consuessent, Romae venderent, legemque his rebus, quam ipsis videretur, dicerent. Cum locatio

---

§. 16. *praefinire operi*] Sic emendaverat Hotomanus, cum olim scriberetur *praefiniri*, et confirmatum est quattuor illis nostris, nec Gruterum puto secuturum fuisse Lambinum in recipienda illa emendatione ni eius Metell. habuisset. Sed quod Ernestius volebat, ut *quo* non *qua* ex edd. princ. ederetur, minus probum est. Nam illae editiones ex pessimis libris ductae sunt (uno Lag. 5), et Naugerius cum sententiae tum fidei consuluit, cum *qua* (die) correxit. Difficultatem vero, propter quam Hotomanus addere volebat *cum ipse*, ne illa quidem scriptura tollit, additque novam, *quo* pro *ut* sine comparativo positi. Quin contractam et continuatam orationem dicimus, cum deberet esse *ipsum — observare?*

§. 17. *mutaris*] Lag. 42 (p. m.) *mutaveris*.

§. 18. *quas ante quaestores in Sic. vendere consuessent*] *Ante te* vulgo editur. Num igitur huius quoque rei in Verre culpa est? Non est, sed illi consules fuerunt anno ante Verrem praetorem urbanum. Dele igitur pronomen *te*, sive quod natum est ex praecedente syllaba, sive quod *ante* pro praepositione habitum librarios induxit, ut accusativum adderent. Et abesse iam invenio a Lag. 42 (pr. m.).

legemque his rebus, quam ipsis videretur, dicerent] De constructione verbi *videri* cum accusativo, e verbo primario pendente, vide

fieret, publicani postularunt, quasdam res ut ad legem adderent, neque tamen a ceteris censoriis legibus recederent. Contra dixit is, qui casu tum Romae fuit, tuus hospes, Verres, hospes, inquam, et familiaris tuus, Sthenius hic Thermitanus. Consules causam cognoverunt, cum viros primarios atque amplissimos civitatis multos in consilium advocassent: de consilii sententia pronuntiarunt, se lege Hieronica
8 venditūros. Itane vero? prudentissimi viri, summa
19 auctoritate praediti, quibus senatus legum dicendarum in locandis vectigalibus omnem potestatem permiserat, populusque Romanus iusserat, Siculo uno recu-

---

Drakenborch. ad Livium VI, 26 init. exemplorum copiam ex illo scriptore proferentem, ex quibus unum tantum documenti causa h. l. laudabo, lib. XXXI, c. 3 *Decrevitque frequens senatus, ut P. Aelius Consul, quem videretur ei, cum imperio mitteret.* In cod. Nanniano *quae ipsis videretur* legebatur atque sic Lambinus priore ediderat, postea annotavit in cod. Fabriciano *quam* esse, prioremque sententiam mutavit. Gruterus contra, fortasse quia Lambinum in altera parte stare vidit, *quae* recepit suorum codd. consensum negligens. *Quam* item nostri omnes. Praeterea *diceret* h. l. cum Lambino (in notis ad priorem edit. cum in repet. legatur iam in textu) et Garatonio corrigendum censui pro vulg. *ediceret*, nam *legem dicere* hoc sensu de condicione alicuius rei faciendae proponenda legitimum est et redit §. 19, firmaturque iam contra reliquos omnes libros testimonio Lag. 42 (pr. m.).

a ceteris censoriis legibus] Hoc additum videtur ab oratore, quo significaret non iniustum fuisse aliquid, quod publicani petebant, sed eiusmodi, quod etiam in aliarum provinciarum vectigalibus vendendis fieri soleret. Iam vero, cur ipse senatus in ea certe re Siculorum ius praecipuum imminuerit, quod locum ubi venderentur istae decumae commutaret, hoc non dicit. Ordinem autem verborum eum constitui, qui est in quattuor melioribus. Vulgo enim ex deterioribus *a censoriis ceteris legibus.* — *hospes inquam]* Quem tu nefarie iniuria affecisti, cf. II, 34 sqq. Ceterum Lag. 42 (pr. m.) *is* et *hic* omittit, et pro vocativo *Verres* habet *Verris*, male quidem, nam Romae fuit Sthenius cum iudicium agebatur. Idem unus *cognorunt*, quod Graevius ex Franciano dederat, confirmat.

§. 19. *populusque Romanus iusserat]* scil. leges dicere, et poteris etiam facile accusativum *quos* audire. Sic autem unus Lag. 42 (p. m.): vulgo legitur *idem iusserat*, quod non immerito explicandi causa additum censueris. Populus *iubet*, senatus *mandat*, pro quo h. l. est *permittere potestatem.*

sante, cum amplificatione vectigalium nomen Hieroni-
cae legis mutare noluerunt: tu, homo minimi consilii,
nullius auctoritatis, iniussu populi ac senatus, tota Si-
cilia recusante, cum maximo detrimento atque adeo
exitio vectigalium, totam Hieronicam legem sustulisti?
At quam legem corrigit, iudices, atque adeo totam 20
tollit! acutissime ac diligentissime scriptam, quae lex
omnibus custodiis subiectum aratorem decumano tra-
didit, ut neque in segetibus, neque in areis, neque in
horreis, neque in amovendo, neque in exportando fru-
mento, grano uno posset arator sine maxima poena
fraudare decumanum. Scripta lex ita diligenter est,
ut eum scripsisse appareat, qui alia vectigalia non ha-
beret; ita acute, ut Siculum; ita severe, ut tyrannum:
qua lege Siculis tamen arare expediret. Nam ita di-
ligenter constituta sunt iura decumano, ut tamen ab
invito aratore plus decuma non posset auferri.

Cum haec essent ita constituta, Verres tot annis 21
atque adeo saeculis tot inventus est, qui haec non

---

§. 19. *totam Hieronicam]* Lag. 42 (pr. m.) *tum totam* addit.

§. 20. *quae lex omnibus custodiis* cet.] Sic Lamb. in marg. alt. edit. ex Fabriciano, ut fidem facit Lag. 42. Vulgo *lex* omittitur. Tum idem Lamb. paulo post *neque in exportando frumento* pro eo, quod vulgo et in priore Lambiniana legitur *asportando*. Et confirmatur etiam hoc Paris. A B. Pertinet enim *amovere* ad frumentum ex areis in horrea vehendum, *exportare* ad vendendum aliorsum. Iam constructio orationis, quae vulgo et in plerisque codd. haec est: *tradit, ut — posset*, recte Ernestium offendit, ut corrigeret *possit*, quippe quod etiamtum maneret. Sed nos aliud remedium non minus efficax et sermoni etiam convenientius ex Lag 29. 42 afferimus, in quibus scriptum est *tradidit. — constituta sunt iura decumano]* non *decumani*, quod, priusquam Nanniani Fabricianique (Metell.) codd. lectiones innotuissent, edebatur, et legitur in meis omnibus uno excepto Lag. 42. Itaque ex hoc uno recepi etiam *posset* pro vulg. *possit*, quo id efficitur, ut iam omnia referantur ad eam condicionem, quae fuit antequam Verres Siciliae praeesset.

§. 21. *atque adeo saeculis tot]* Hoc alterum *tot* recepimus propter consensum quattuor bonorum, interque eos Lag. 42 (p. m.). Vulgo abest.

commutaret, sed everteret, eaque, quae iamdiu ad salutem sociorum, utilitatemque rei publicae composita comparataque essent, ad suos improbissimos quaestus converteret: qui primum certos instituerit nomine decumanos, re vera ministros ac satellites cupiditatum suarum; per quos ostendam sic provinciam per triennium vexatam atque vastatam, iudices, ut eam multis annis, multorum innocentia sapientiaque recreare ne-
9 queamus. Eorum omnium, qui decumani vocabantur,
22 princeps erat Q. ille Apronius, quem videtis: de cuius improbitate singulari gravissimarum legationum querimonias audistis. Aspicite, iudices, vultum hominis et aspectum: et ex ea contumacia, quam hic in perditis rebus retinet, illos eius spiritus Sicilienses quos fuisse putetis, cogitate ac recordamini. Hic est Apronius, quem in provincia tota Verres, cum undique nequissimos homines conquisisset, et cum ipse secum

---

§. 21. *qui haec non commutaret, sed everteret, eaque — converteret]* Codd. vulg. et edd. vett. *commutarit, everterit*, sed eaedem *converteret*. Itaque recte Lambinus e cod. Nann. duo priora correxit, secutusque eum est Gruterus nullo suorum codicum dissensu commemorato. Confirmant iam quattuor nostri meliores. Quod sequitur: *qui primum instituerit* ex alio genere est, quamquam Lag. 29 Paris. B etiam illic Imperf. tempus exhibent. Verte Germ. er, der erstlich bestimmte Leute unter dem Nahmen von Decum. — eingesetzt *hat*. Huic *primum* nihil respondet, sed subiicere voluit: deinde nova edicta proposuerit. — *utilitatemque]* Coniunctio primum in Victor. et Hervag. addita de meis codicibus solius Lag. 42 fide nititur, a reliquis omnibus abest, et abesse potest, quoniam eadem est sociorum salus, quae rei publicae utilitas. — *multorum innocentia]* Addidit Lambinus *praetorum*, sed iam in priore edit. priusquam Fabr. cod. lectiones nactus est. Quoniam igitur Nannius nihil ex suo notavit, apparet illum sic de coniectura dedisse, qua quidem facile carere possumus. Neque in ullo nostrorum librorum est.

§. 22. *Aspicite — aspectum]* dictum pro „quo vultu nos aspiciat." Solent enim *vultus aspectusque* coniungi, atque eam ob causam venia habenda erat oratori, quod eiusdem stirpis verbum parum eleganter addidit. Nam Lag. 29 scriptura *videte*, cum nullus praeterea auctor accedat, corrigentis videtur librarii esse.

sui similes duxisset non parum multos, nequitia, luxuria, audacia sui simillimum iudicavit. Itaque istos inter se perbrevi tempore, non res, non ratio, non commendatio aliqua, sed studiorum turpitudo similitudoque coniunxit. Verris mores improbos impuros- 23
que nostis: fingite vobis, si potestis, aliquem, qui in omnibus isti rebus par ad omnium flagitiorum nefarias libidines esse possit: is erit Apronius ille; qui, ut ipse non solum vita, sed etiam corpore atque ore significat, immensa aliqua vorago est aut gurges vitiorum turpitudinumque omnium. Hunc in omnibus stupris, hunc in fanorum expilationibus, hunc in impuris conviviis principem adhibebat: tantamque habet morum similitudo coniunctionem atque concordiam, ut Apronius, qui aliis inhumanus ac barbarus, isti uni commodus ac disertus videretur: ut, quem omnes odissent, neque videre vellent, sine eo iste esse non posset: ut, cum alii ne conviviis quidem iisdem, quibus Apronius, hic iisdem etiam poculis uteretur: postremo,

---

§. 22. *istos]* Lag. 42 *ipsos*, mendose.

§. 23. *nostis]* Sic primus Naugerius ex aliquo bonorum, nam principes ex deterioribus *noscitis* (Lag. VI Paris. C), sicut fere peccant *cognoscere* et rel. pro eo, quod est *cognosse*. — *si pot. aliquem]* Lag. 42 *aliquem si potestis*. — *qui in omnibus isti rebus par] Isti* ex emendatione Manutii est in edit. 1540, codd. enim praeter Iannoctianum (vide Garat.) omnes *istis* videntur habere. Sed vere esse a Manutio correctum, res ipsa clamat. — *is erit Apronius]* Olim *erat*, rectius praebuerunt Nannianus et Metell. nostrique quattuor meliores. Lambinus tamen hoc ordine *is ille erit Apronius*. — *sed etiam corpore]* Omittitur *etiam* in Lag. 42 et Metell. Vide ad c. 1. — *aut gurges]* Ursinus e suo cod. vet. *ac gurges* legendum censuit, idque multis probavit, qui particulae *aut* in rebus inter se similibus locum esse negarent. At hae res similes quidem sunt, non tamen eaedem, ut non possint dirimi. Succedit alterum in alterius locum, quasi *aut dicam gurges*. — *hunc in fanorum expil.]* Alterum *hunc* e cod. Nanniano accessit, quo figura repetitionis completur, et inventum est etiam in quattuor nostris bonis. — *tantamque habet]* In universum dictum est, quod Verres tum in Sicilia probabat. Nam *habebat*, quod vulgo editur, Metelliani codicis et quattuor meliorum nostrorum consensui cedere debet.

ut odor Apronii taeterrimus oris et corporis, quem
(ut aiunt) ne bestiae quidem ferre possent, uni isti
suavis et iucundus videretur. Ille erat in tribunali
proximus, in cubiculo solus, in convivio dominus, ac
tum maxime, cum accubante praetextato praetoris filio,
in convivio saltare nudus coeperat. Hunc, uti dicere
24 institui, principem Verres ad fortunas aratorum ve-
xandas diripiendasque esse voluit: huius audaciae, ne-
quitiae, crudelitati fidelissimos socios optimosque ci-
ves scitote hoc praetore traditos, iudices, atque addi-
ctos fuisse, novis institutis et edictis, tota Hieronica
lege (quemadmodum antea dixi) reiecta et repudiata.

25 Primum edictum audite, iudices, praeclarum: *quan-
tum decumanus edidisset aratorem sibi decumae dare
oportere, ut tantum arator decumano dare cogeretur.*
Quomodo? quantum poposcerit Apronius, dato. Quid
est hoc? utrum praetoris institutum in socios, an in
hostes victos insani edictum atque imperium tyranni?
Ego tantum dem, quantum ille poposcerit? poscet
omne, quantum exaravero. Quid omne? plus immo

---

§. 23. *in cubiculo solus]* i. e. cum nemo ad ipsum admittebatur, ille tamen aut minister libidinum, aut ipsae deliciae, aderat. Mstus Hotomani *socius*, quod recepit pro more suo Lambinus, cf. c. 23 §. 56, sed etiam Ernestius certae omnium librorum scripturae praetulit. Antea pro *ille* Lag. 42 *iste*, quod ad vulgarem earum vocum permutationem revoco. — *saltare nudus]* Abest *nudus* a Lag. 29 et Paris. A B.

§. 24. *ad fortunas aratorum vexandas diripiendasque]* Sic edi coeptum est a Lambino (in marg. repet.) et Grutero e Fabric. (Metell.) pro eo, quod non solum in vulgaribus libris, sed etiam melioribus nostris praeter unum Lag. 42, est *ad evertendas fortunas aratorum vexandas diripiendasque.* Recte Gruterus animadvertit, si verum esset *evertendas*, ultimum locum debuisse obtinere.

§. 25. *audite iudices]* Lag. 42. Vulgo *iud. audite* qua collocatione verborum male dirimuntur, quae coniungenda fuerunt. — *Ego tantum dem, quantum]* Sic distinxit Lambinus, vulgo *tantundem*, uno verbo. Ellipsin facile fero, sed cur *tantumdem*, cum *tantum* satis fuerit? Oratio est aratoris ad praetorem. — *quantum exaravero]* Olim ante Victorium *et aravero*, quemadmodum etiam in deterioribus

etiam, inquit, si volet. Quid tum? Quid censes? Aut dabis, aut contra edictum fecisse damnabere. Per deos immortales! quid est hoc? veri enim simile non est. Sic mihi persuadeo, iudices: tametsi omnia in 26
istum hominem convenire putetis, tamen hoc vobis falsum videri. Ego enim, cum hoc tota Sicilia diceret, tamen affirmare non auderem, si haec edicta non ex ipsius tabulis totidem verbis recitare possem: sicuti faciam. Da, quaeso, scribae; recitet ex codice. Recita edictum de professione. EDICTUM DE PROFESSIONE. Negat me recitare totum: nam id significare nutu videtur. Quid praetereo? an illud, ubi caves tamen Siculis, et miseros respicis aratores? edicis enim, te in decumanum, si plus abstulerit, quam debitum

---

codd. legitur. Statim nemo animadvertit ordinem verborum, qui nunc est, *immo plus etiam*, novatum esse a Stephano, cum antea ederetur *plus immo etiam:* neque aliter in codd. mss. ad unum omnibus est. Paulo post *quid est hoc?* libri mss. nostri omnes. Edd. princ. *quicquid*, donec Naugerius scripturam mss. revocavit. Sed rursus Victor. quasi novo remedio excogitato *quid, quid*, et P. Manutius in ed. 1559 cum posterioribus, donec Gruterus simplex *quid?* restituit. Et sic verum est. Mox *veri enim simile non est* edidi, sicut Lamb. in vet. cod. (Fabric. intelligo) fuisse demonstrat, et legitur de nostris in uno Lagom. 42. Reliqui *verisimile enim non est.*

§. 26. *Edictum de professione]* Hoc additum est a Lambino, sed iam prima editione. Fortasse igitur de coniectura Hotomani, ut alibi. Sed hoc tamen loco confirmatur Lag. 42 auctoritate. A ceteris libris nostris aut totum hoc *Recita — professione* aut certe repetitum *Ed. de prof.* abest. — *signif. nutu]* Sic Lambinus priore iam, et deinde reliqui. Antea *nutu significare videtur*, hexametrica clausula, ex deterioribus, Lag. VI Paris. C. — *edicis enim — si plus abstulerit* cet.] *Edicis* de coniectura Hotomani a Lambino est editum, et negligentia repetitorum in textum receptum porro servatum est. Graevius in notas reiecit, quamquam verum existimans. Id ego non sustinui facere, cum cap. 13 §. 34 iterum sit *edixit* et illic in Paris. A B *dixit*. Vide et cap. 22 init. Sed mox vulgo *si plura sustulerit*, pro quo *plus* et *abstulerit* de Garatonii sententia, dicendi rationem Ciceronis servantes, ex codice Ursini correxeramus: saltem *abstulerit* etiam Lambinus repetitis curis maluerat, fortasse ex Fabriciano. *Auferre* verbum pro-

sit, in octuplum iudicium daturum esse. Nihil mihi placet praetermitti. Recita hoc quoque, quod postulat, totum. EDICTUM DE IUDICIO IN OCTUPLUM.

Iudicio ut arator decumanum persequatur? miserum atque iniquum: ex agro homines traducis in forum, ab aratro ad subsellia, ab usu rerum rusticarum
11 ad insolitam litem atque iudicium. Cum omnibus in
27 aliis vectigalibus Asiae, Macedoniae, Hispaniae, Galliae, Africae, Sardiniae, ipsius Italiae, quae vectigalia sunt, cum in his, inquam, rebus omnibus publicanus petitor aut pignerator, non ereptor neque possessor soleat esse: tu de optimo, de iustissimo, de honestissimo genere hominum, hoc est de aratoribus, ea iura constituebas, quae omnibus aliis essent contraria. Utrum est aequius, decumanum petere, an aratorem repetere? iudicium, integra re, an perdita, fieri? eum, qui manu quaesiverit, an eum, qui digito licitus sit,

---

prium in hac re est, cf. c. 12; et *plura*, cum de sola frumenti copia dicatur, vix Latinum. Nunc autem quod probaveramus utique invenimus in Lag. 29. 42 Par. B, *plura abstulerit* in Paris. A. *plus sustulerit* in Lag. 27. — *totum. Edictum]* Sic Lag. 29. 42 Paris. B. In reliquis mss. et edd. vulgo *recita* post *totum* repetitur. Interpunctio autem magnopere variat.

traducis] Sic quattuor nostri meliores, ceteri et vulgo *traduci*. Ad sensum nihil magnopere interest.

§. 27. *quae vectigalia sunt]* primus Naugerius edidit ex aliquo meliorum, nam deteriores et quae ex iis ducta sunt exemplaria vetusta *quae ad vectigalia sunt*, sine sensu. Illud explica, quae partes Italiae vectigales sunt, qualis est ager Campanus ac Stellatis. Sed fuerunt qui *vectigalia* non ferrent dupliciter posita pro substantivo et pro adiectivo: itaque Hotom. ex vetere scriptura coniecit *qua vectigalia sunt*, Lambinus *quae vectigalis sit* etiam edidit, nec mutavit sententiam in alt. edit. Ernestius brevissimo remedio usus totum hoc uncis sustulit. Miror cur noluerint *quoad vectigalia sunt*. Sed nunc tamen bonorum librorum auctoritas constabit. — *aut pignerator]* i. e. pignus capere potest, fore ut tantum sibi solvatur, quantum debetur. Quae actio cum a simplici petitione diversa sit, scripsimus *aut* secundum Lag. 42 (p. m.), cum vulgo sit *ac*.

possidere? Quid? qui singulis iugis arant, qui ab opere ipsi non recedunt, quo in numero magnus ante te praetorem numerus, magna multitudo Siculorum fuit, quid facient? cum dederint Apronio, quod poposcerit, relinquent arationes? relinquent larem familiarem suum? venient Syracusas, ut te praetore videlicet aequo iure Apronium, delicias ac vitam tuam, iudicio recuperatorio persequantur? Verum esto: reperietur 28
aliquis fortis et experiens arator, qui, cum tantum dederit decumano, quantum ille deberi dixerit, iudicio repetat, et poenam octupli persequatur. Expecto vim edicti, severitatem praetoris: faveo aratori, cupio octupli damnari Apronium. Quid tandem postulat arator? nihil, nisi ex edicto iudicium in octuplum. Quid Apronius? non recusat. Quid praetor? iubet recuperatores reiicere. Decurias scribamus. Quas decurias? de cohorte mea reiicies, inquit. Quid? ista cohors quorum hominum est? Volusii haruspicis et Cornelii me-

---

§. 27. *qui singulis iugis arant]* Vulgo *in sing. iugis*, sed quamvis apud Varronem de re rust. I, 10 *iugum* dicatur mensura agri esse in Hispania ulteriore, ut etiam in quibusdam Germaniae regionibus *ein Joch Landes* appellatur, tamen quam parum hoc ad Ciceronem pertineat, apparet; in his certe libris agros metitur *iugeris*, non *iugis*, ut non sane magnopere Lambinum reprehendere velim, qui h. l. *iugeris* correxerit. Verum collato, quod cap. 51 legitur, *minus multis iugis arare*, faciliorem emendandi viam repperisse mihi visus sum, ut praepositio *in* deleatur, et orationi ita nitor suus restituatur. Iam confirmat correctionem Lag. 42 auctoritas, a quo abest praepositio.

magn. mult.] Lag. 29 *ac magna*, male adiuvans. — *aequo iure] Iure* uncis inclusit Ernestius, ut *aequo* cum praetore coniungeretur. Non intelligo quid difficile insit in vulg. lectione. Verre praetore significat neminem aequo iure cum Apronio contendere potuisse.

§. 28. *aliquis fortis et]* Lag. 42 *aliqui*. Porro *et* accessit primum in Lambiniana ex aliquo meliorum: nam deteriores omittunt.

iubet recuperatores reiicere] Vide Ernestii clavem de potestate verbi *reiiciendi*. Nimirum qui non sunt reiecti, iudicant: ut *reiicere* idem fere sit quam pati aliquos facta reiectione de se iudicare. *Decurias scribamus* (Metell. Lag. 42 *exscribamus)* verba sunt aratoris.

dici et horum canum, quos tribunal meum vides lambere. Nam de conventu nullum unquam iudicem nec recuperatorem dedit: iniquos decumanis aiebat omnes esse, qui ullam agri glebam possiderent. Veniendum erat ad eos contra Apronium, qui nondum etiam Apro-
12 niani convivii crapulam exhalassent. O praeclarum et commemorandum iudicium! o severum edictum! o tutum perfugium aratorum!

29 Atque, ut intelligatis, cuiusmodi ista iudicia in octuplum, cuiusmodi isti de cohorte recuperatores existimati sint: sic attendite. Ecquem putatis decumanum, hac licentia permissa, ut tantum ab aratore, quantum poposcisset, auferret, plus, quam deberetur, poposcisse? Considerate cum vestris animis vosmetipsi, ecquem putetis, praesertim cum id non solum avaritia, sed etiam imprudentia accidere potuerit. Multos necesse est. At ego omnes dico plus, ac multo plus,

---

§. 28. *Volusii]* Lag. plerique et Par. B *Volusi.* Par. A *voluisti.* Lag. 42 *Vobisii.* *Reciperator* autem et *reciperare* constanter Lag. 29 Par. B. — *aiebant omnes esse, qui ullam]* Omnes edd. veteres *omnes dicebat esse, qui unam.* In marg. repet. Lambinianae *aliorum* esse traditur *decumanis esse aiebat omnes, qui ullam,* quod Gruterus tacite recepit et ad reliquos propagavit. Nunc ex apparatu nostro intelligimus Fabriciani illam esse scripturam et Gruterum Metelliani sui mentionem facere oblitum esse: *ullam* praeterea in reliquis bonis est: sed tamen positio verborum in Lag. 42 est *aiebat omnes esse.*

nondum etiam] Abest *etiam* a Lag. 42.

§. 29. *isti de coh.]* Sic unus Lag. 42 sed optime, quod facile sentitur. Vulgo *istius.* — *avaritia sed etiam imprudentia]* Edd. principes et codd. plerique omnes *cum id non solum sine avaritia sed etiam imprudentia accidere potuerit.* Victorius et *impudentia* et *accipere* correxit, atque ea sic repetebantur, donec praeterea Lambinus alterum *sine*, uti poscebat sermonis usus, adiecit. Gruterus tandem Metelliani codicis eam scripturam protulit, quam nunc habemus, ipse tamen solita negligentia Lambinianam describendam curavit, quia erat in textu repet. Cum Metelliano codice facit non solum Lag. 42, sed etiam Franc. et Lag. 5. 27, nimirum quia facile erat remedium reperire deleta praepositione. — *ac multo plus]* Haec verba accesserunt

quam decumas, abstulisse. Cedo mihi unum ex triennio praeturae tuae, qui octupli damnatus sit: damnatus? immo vero, in quem iudicium ex edicto tuo postulatum sit. Nemo erat videlicet aratorum, qui iniuriam sibi factam queri posset: nemo decumanorum, qui grano amplius sibi, quam deberetur, deberi professus esset. Immo vero contra, rapiebat et asportabat, quantum a quoque volebat, Apronius: omnibus autem locis aratores spoliati ac vexati querebantur: neque tamen ullum iudicium reperietur. Quid est hoc? 30
tot viri fortes, honesti, gratiosi, tot Siculi, tot equites Romani ab homine nequissimo ac turpissimo laesi, poenam octupli, sine ulla dubitatione commissam, non persequebantur? quae causa? quae ratio est? Una illa, iudices, quam videtis: quod ultro etiam illusos se et irrisos ab iudicio discessuros videbant. Etenim quod esset iudicium, cum ex Verris turpissimo flagitiosissimoque comitatu tres recuperatorum nomine assedissent, asseclae istius, non a patre ei traditi, sed a meretricula commendati? Ageret videlicet causam ara- 31

---

ex cod. Naun. et Metell. (Fabric.) quibuscum faciunt Lagom. 1 et 42, hic autem mox *decumam*. — *damnatus — postulatum sit]* Omnia haec absunt a codd. deterioribus Lag. VI et Paris. C, ergo etiam ab editt. principibus, donec Naugerius ex aliquo meliorum adiecit.

reperietur] Lag. 42 *reperitur*, quod placet, neque tamen satis tuto recipietur.

§. 30. *tot viri]* Accessit *tot* in repetita Lamb. cum nota in margine, abesse a vulgaribus libris. Est igitur e Fabric., sicut nunc probat Lag. 42. A ceteris omnibus abest, sed nequit abesse. Verum mox verbum *uno* ex eiusdem editionis textu sine ulla nota porro propagatum est, quod non dubito quin ipsius Lambini commentum sit: nam nec Lag. 42 habet. — *ac turpissimo]* Absunt haec a Lag. 42 solo: itaque non audeo delere. — *illusos se et irrisos]* Vett. edd. et codd. vulgares *irritos*. Verum Nannianus ac Metellianus (Fabric.) *irrisos*, quod non eam tantum ob causam praefero, quia *irritum* hominem dici ποιητικώτερον fuerit, sed quia nimis exile est, nec rei gravitati accommodatum. Accedit nunc testimonium Lag. 42 et (ex silent.) Paris. A. Lag. 29 *tritos*. — *ex Verris]* Sic meliores, vulgo *e Verris*.

tor: nihil sibi frumenti ab Apronio relictum, bona sua etiam direpta, se pulsatum verberatumque diceret: conferrent viri boni capita, de comissatione loquerentur inter se, ac de mulierculis, si quas a praetore abeuntes possent deprehendere: res agi videretur. Surrexisset Apronius, nova dignitas publicani, non, ut decumanus, squaloris plenus ac pulveris, sed unguentis oblitus, vino vigiliisque languidus: omnia primo motu ac spiritu suo, vini, unguenti, corporis odore complesset: dixisset haec, quae vulgo dicere solebat, non se decumas emisse, sed bona fortunasque aratorum; non se decumanum esse Apronium, sed Verrem alterum, dominum illorum ac tyrannum. Quae cum dixisset, illi viri optimi, de cohorte istius recuperatores, non de absolvendo Apronio deliberarent, sed quaererent, ecquo modo petitorem ipsum Apronio condemnare pos-
13 sent. Hanc tu licentiam diripiendorum aratorum cum
32 decumanis, hoc est, cum Apronio permisisses, ut,

---

§. 31. *res agi videretur]* quamvis *aliae res* (ἀλλότρια) agerentur. *illi viri opt.]* Lag. 42 *illi optiliu*, sine medio verbo. — *ecquo modo — condemnare possent]* In vett. editionibus antequam libri Nanniani lectiones innotuerant, omnia haec ab uno *Apronio* usque ad alterum in cap. inseq. deerant, sic enim est in codd. vulgaribus. Nanniano codici Metellianum accedere dicit Gruterus, miror igitur cur Lambini lectionem de margine repet. edit. (quam nos et ipsi expressimus) receperit, cum Nannius in suo codice et *quomodo* pro *ecquo modo* et *condemnarent* pro *cond. possent* fuisse testetur. Sed Gruterum negligentius locutum esse iudico atque ita fuisse in Metell., quemadmodum in margine Lambinianae est et invenitur in Lag. 42. Reliqui autem meliores nostri *quomodo* habent, sed *condemnarent* mss. omnes, ut Nannianum illud negligenter descriptum videatur. Lambinus priore edit. correxerat *condonarent* admodum leviter. Nam sententia facilis est: homines nefarii non putarent satis esse, si arator octuplum, quod peteret, non acciperet, nisi ipsum etiam ultro condemnassent *Apronio*, i. e. ut poenae nomine aliquid daret illi.

§. 32. *hoc est cum Apronio]* Vulgo non legitur *cum*, sed addidimus nos ex Lag. 29. 42 Paris. B. Statim *permisisses* Nannianus et reliqui meliores, sed deteriores et ex iis editi ante Stephanum *permisis-*

quantum vellet, posceret, quantum poposcisset, auferret: hoc tibi defensionis ad iudicium tuum comparabas, habuisse te edictum, recuperatores in octuplum daturum? Si mehercule ex omni copia conventus Syracusani, splendidissimorum honestissimorumque hominum, faceres potestatem aratori, non modo reiiciundi, sed etiam sumendi recuperatores, tamen hoc novum genus iniuriae ferre nemo posset, te, cum tuos omnes fructus publicano tradidisses, et rem de manibus amisisses, tum bona tua repetere, ac persequi lite atque iudicio. Cum vero verbo iudicium sit in edicto, re 33
quidem vera tuorum comitum, hominum nequissimorum, collusio cum decumanis, sociis tuis atque adeo procuratoribus: tamen audes ullius iudicii mentionem facere? praesertim cum id non modo oratione mea, sed etiam re ipsa refellatur, quod in tantis incommodis aratorum iniuriisque decumanorum nullum ex isto praeclaro edicto non modo factum, sed ne postulatum quidem iudicium invenitur. Erit tamen in aratores le- 34

---

sent, scilicet personis illorum recuperatorum aptantes. Aldina a. 1559 nondum recepto illo supplemento *permitterent*. — *in oct. daturum]* Hoc ordine Lag. 42, cui in eiusmodi rebus fidendum. Vulgo *dat. in octuplum*. — *mehercule]* Unus Lag. 42 *mehercules*. — *splend. honest.que hominum]* Sic primus repet. Lamb. in textu, et Gruterus porro; non sine auctoritate optimi codicis, quod nunc intelligimus ex Lag. 42. Ceteri *splendidissimorum hominum honestissimorumque*. Post *in reiciundi* Paris. A B Lag. 29. *reiciendi* Lag. 1. 42.

§. 33. *re quidem vera]* Lag. 42 *re vera quidem*, male, nam illo potius modo Cicero solet. Idem mox *illusio*. — *ullius iudicii ment.]* Sic cum in Nann. et Metell. esset pro vulg. *illius*, ipse Nannius et Gulielmus recipere dubitarunt, quod non de indiciis in universum, sed de illius natura diceretur. Mirum: quasi ullum iudicium nomen hoc mereatur, si iudices cum partibus colludant. Omnino iudicii nulla debebat mentio fieri, sive in octuplum, sive in simplum erat. *Ullius* etiam Paris. A B Lag. 29, non 42: illi tamen verborum collocationem mutant: *ullius mentionem iudicii facere*. — *quod — invenitur]* Sic Lag. 42 planius et ad rem aptius eo, quod adhuc fuit *cum — inveniatur*.

nior, quam videtur. Nam, qui in decumanos octupli iudicium se daturum edixit, idem habuit in edicto, se in aratorem in quadruplum daturum. Quis hunc audet dicere aratoribus infestum aut inimicum fuisse? quanto lenior est, quam in publicanum? Edixit, ut, quod decumanus edidisset sibi dari oportere, id ab aratore magistratus Siculus exigeret. Quid reliqui est iudicii, quod in aratorem dari possit? Non malum est, inquit, esse istam formidinem: ut, cum exactum sit ab aratore, tamen, ne se commoveat, reliquus metus iudicii sit. Si iudicio vis a me exigere, remove Siculum magistratum: si hanc vim adhibes, quid opus est iudicio? Quis porro erit, quin malit decumanis tuis dare, quod poposcerint, quam ab asseclis tuis quadruplo condemnari?

14 Illa vero praeclara est clausula edicti, quod omnium
35 controversiarum, quae essent inter aratorem et decumanum, si uter velit, edicit, se recuperatores datu-

§. 34. *quam videtur*] primus dedit Naugerius ex aliquo meliore libro. Vulgares enim *videatur*. — *aut inimicum*] Suspicati sunt Faërnus et Ursinus fuisse a Cicerone *iniquum*. Fieri potest, nam frequentissima confusio: sed in codd. h. l. nullum vestigium. — *Quid reliqui est*] Vulgo *quid dereliquit — posset*. Verum margo Lamb. repet. Lag. 29 Paris. A B *quid est reliqui*, Lag. 42 *quid reliqui est* et *possit*. Hoc malui propter auctoritatem libri: alioquin vel pessimorum codd. Oxon. Franc. Huydec. scriptura *reliquit* melior est h. l. quam editorum exemplarium. Nam *derelinquere* nunquam est *reliqui facere*, *(übrig lassen)* semper id quod *deserere* et fortius etiam. — *vis a me*] Libri mss, ad unum omnes, editi *a me vis*. — *quin malit*] Vulgo *qui non malit*, nos sequimur Lag. 29 Paris. A B: etiam Lag. 42 quamquam habet *qui*, tamen *non* omittit. Sequitur *poposcerint*, quod olim fuit *poscerent* ex deterioribus. In marg. Lamb. repet. est *poposcerit* idque Gruterus recepit, quippe (Fabric.) Metelliani codicis scripturam, non animadvertens corrigendum certe esse *poposcerint*. Itaque numerus singularis usque ad Garatonium tolerabatur. Typographorum errorem non putamus esse, significant enim excerpta nostra itidem esse in Lag. 42, verum testes veri adsunt Lag. 29 et Paris. B si opus sit. *Quadruplo* fide Nanniani, Fabric. (Metell.) Lag. 42 nititur. Ceteri *quadrupli*.

§. 35. *si uter velit*] *Uter* h. l. et paulo post pro eo quod est *al-*

rum. Primum, quae potest esse controversia, cum is, qui petere debet, aufert? et cum is non, quantum debetur, sed quantum commodum est, aufert; ille autem, unde ablatum est, iudicio suum recuperare nullo modo potest? deinde in hoc homo luteus etiam callidus ac veterator esse vult, quod ita scribit, *si uter volet, recuperatores dabo.* Quam lepide se furari putat! Utrique facit potestatem; sed utrum ita scripserit, si uter volet, an, si decumanus volet, nihil interest: arator enim tuos istos recuperatores nunquam volet.

Quid? illa cuiusmodi sunt, quae ex tempore, ab 36 Apronio admonitus, edixit? Q. Septitio, honestissimo equite Romano, resistente Apronio, et affirmante, se plus decuma non daturum, exoritur peculiare edictum repentinum, *ne quis frumentum de area tolleret, antequam cum decumano pactus esset.* Ferebat hanc

---

teruter poni, notavit iam Schellerus in lexico, quem vide probationes aliquas ex Ictorum veterum scriptis afferentem. — *et cum is non — aufert]* Sic primus Lambinus, de suo opinor, sed approbatum quattuor meliorum auctoritate, olim *auferat.* — *homo luteus]* Sic primus edidit Naugerius, neque tamen omnibus persuasit: nam Victorius et Ernestius veterem scripturam *lynceus* revocarunt. Hic adeo se Lambinum in ea re sequi dicit: in errorem ductus Gruteri negligentia, qui textum repetitae editionis Lambinianum putaret. Sed quam ineptum hoc esset *lynceus vult callidus esse!* Melius Hotomanus et hoc loco et alibi *luteum*, quod sit contemptum et nullius pretii, significare docet. Quid quod *lynceus* vix in uno et altero codice e numero deteriorum invenitur, nostrorum quidem in Lag. 5. 14.

si uter volet, recuperatores dabo] Lag. 29. 42 *velit*, hic quidem perperam: antea in oratione indirecta legitimum fuit. Etiam post *si dec. volet*, Lag. 42 *velit.* Hoc quidem sive *volet* sive *velit* omittunt editt. princ., restituit Naugerius. — *nunquam volet]* Sic Nannianus Metell. (Fabr.), olim *numquid volet?* Accedunt illis meliores nostri quattuor.

§. 36. *honest. equite Rom.]* Sic Lag. 29. 42 Paris. A B. Vulgo *honestissimo homine equiteque Rom.* Talia et Nannius et Fabricius omiserunt. — *peculiare edictum]* quod ad singulos homines pertinebat, unam causam legis universae nomine continens.

quoque iniquitatem Septitius, et imbri frumentum corrumpi in area patiebatur: cum illud edictum repente uberrimum et quaestuosissimum nascitur, *ut ante Calendas Sext. omnes decumas ad aquam deportatas ha-*
37 *berent.* Hoc edicto non Siculi, (nam eos quidem superioribus edictis satis perdiderat atque afflixerat,) sed isti ipsi equites Romani, qui suum ius retinere se contra Apronium posse erant arbitrati, splendidi homines et aliis praetoribus gratiosi, vincti Apronio traditi sunt. Attendite enim, cuiusmodi edicta sint: *ne tollat,* inquit, *ex area, nisi erit pactus.* Satis haec

---

§. 36. *repente]* Omittit hoc verbum Lag. 42, idem *quaestuosissimumque* habet, porro *ut* et *Cal.* omittit, sed *Sextilis* plene scribit, et *decimas.* — *omnes decumas]* Illud edictum, si quid video, ad alteras decumas, quas populo Rom. emptas Siculi darent, pertinet. Nam primas quidem suis quique in oppidis publicanis emetiebantur, qui postquam a singulis collegerunt, totam summam, quam populo Rom. polliciti erant, repraesentare tenebantur. In alteris decumis nulla decumanorum mentio fit, has ipsi agrorum possessores usque ad mare deportabant, scribae aliique ministri praetorii accipiebant, spectabant, in naves imponendas curabant. Itaque apparere puto, non posse *omnes decumas* coniungi, sed decumas Ciceronem h. l. dixisse in universum pro *alteris decumis.* Res tamen eadem est et iniuria, si hanc causam praetori fuisse credimus, aeque gravis: nam nisi alteras, quas dare debebat, decumas arator aliunde emere vellet, frumentum de area tollere necesse erat, sed non poterat, priusquam etiam primas decumas decumano dedisset.

§. 37. *quidem superioribus]* Interiicitur vulgo *iam*, quod in nullis libris mss. est, nam deteriores *non* habent, meliores omittunt. Id igitur et ipsi facimus. — *isti ipsi]* Sic libri omnes; P. Manutius *illi ipsi* scripsit: sed videntur h. l. equites Rom. tamquam faventes alioquin Verri aratoribus Siculis opponi. — *cuiusmodi edicta sint]* Edd. vett. omnes *sunt*, nec puto Lambinum pr. edit. ex codice correxisse. Nam ne nunc quidem Coniunctivum tuentur praeter Par. A et Lag. 45. Post *ista vis* e Nann. et Metell. pro olim vulg. *ista vi* editum, quibus sese adiungunt nostri meliores omnes. Ex eodem Nann. et Fabric. *non tollam* pro eo quod erat *ne tollam*, item *opponitur* pro *apponitur*, denique extr. cap. e Nanniano *prohibitio* pro vulg. *cohibitio* scribitur, adiuvante nunc in his omnibus uno Lag. 42. Vides igitur quale etiam inter ipsos meliores discrimen sit.

magna vis est ad inique paciscendum: malo enim plus dare, quam non mature ex area tollere. At ista vis Septitium et nonnullos Septitii similes non coercet; qui ita dicunt, Non tollam potius, quam paciscar. His hoc opponitur: deportatum habeas ante Calend. Sextiles. Deportabo igitur. Nisi pactus eris, non commovebis. Sic deportandi dies praestituta tollere cogebat ex area; prohibitio tollendi, nisi pactus esset, vim adhibebat pactioni, non voluntatem.

Iam vero illud non solum contra legem Hieroni- 15
cam, nec solum contra consuetudinem superiorum, sed 38
etiam contra omnia iura Siculorum, quae habent a senatu populoque Romano, ne quis extra suum forum vadimonium promittere cogatur. Statuit iste, ut *arator decumano, quo vellet decumanus, vadimonium promitteret;* ut hic quoque Apronio, cum ex Leontino usque ad Lilybaeum aliquem vadaretur, ex miseris aratoribus calumniandi quaestus accederet. Quamquam

---

§. 38. *ne quis — cogatur*] Sic in repet. editione Lambinus voluerat corrigi, quod in priore ceterisque omnibus esset *ne — cogantur.* Itaque videtur a Fabricio enotatum repperisse. Iam accedunt Par. A B, Lagom. 29. 42; item aliorum Lagom. et Huydec. vestigia eodem pertinentia, quippe in quibus *cogatur* sit. — *quo vellet decumanus*] *Quo* Nannianus liber, ex quo ab insecutis editoribus receptum est, cum in edd. vett. et codd. plerisque (nostris quidem omnibus praeter unum Lag. 42 et Paris. A) legeretur *quod.* — *ex Leontino usque ad Lilybaeum*] Variant ut solent etiam in his levioribus libri. Primum editi ex deterrimis mss. *ex Leontinio usque Lilyb.* Naugerius emendavit *Leontino.* Tum Lambinus priore edit. sine ulla causa *a Leontinis* scripsit, quod Gruterus negligentissimus editor servavit, Ernestius restituta Naugeriana lectione rursus eiecit. Sed nemo animadvertit, quod Lambinus e Fabric. codice alteris curis edere voluerat, in textum repetitae immigrasse novo errore. Illud est, quod nos secuti sumus et legitur in Lag. 42: Lilybaeum enim non urbem dicit, sed regionem Siciliae, sicut agrum Leontinum.

ex miseris arat. calumniandi quaestus] *Calumniandis* passiva significatione, sicut pro Coel. c. 21 *in legatis insidiandis* legeretur, voluit Hotomanus, recepitque Lambinus. Verum etiam Garatonius probavit, sperans aliquando in mss. inventum iri. Quod nondum accidit.

illa fuit ad calumniam singulari consilio reperta ratio, quod edixerat, *ut aratores iugera sationum suarum profiterentur.* Quae res cum ad pactiones iniquissimas magnam vim habuit, sicut ostendam, neque ad ullam utilitatem rei publicae pertinuit, tum vero ad calumnias, in quas omnes inciderent, quos vellet Apro-
39 nius. Ut enim quisque contra voluntatem eius dixerat, ita in eum iudicium de professione iugerum postulabatur, cuius iudicii metu magnus a multis frumenti numerus ablatus, magnaeque pecuniae coactae sunt: non quo iugerum numerum vere profiteri esset difficile, aut amplius etiam profiteri, (quid enim in eo periculi esse posset?) sed causa erat iudicii postulandi, quod ex edicto professus non esset. Iudicium autem

---

Nec opus, opinor; pendet haud dubie praepositio a voce *quaestus*, non a verbo *calumniandi*, sed genitivus Gerundii paulo latiore potestate positus est, ut idem fere sit quod *calumniando*. Quod sequitur *quamquam* more Ciceroniano cum praegressis sic cohaeret, ut significetur eam rem non vanam nec sine certo quodam consilio excogitatam fuisse, quasi dicas: *Und doch gab es genug Gelegenheit zum Chikaniren.*

sicut ostendam, neque ad] *Ostendemus nec* olim legebatur et est in codd. Paris. et Lagom. praeter 42 omnibus, nisi quod Par. A et Lag. 27 *ostendimus.* Et ediderat etiam Lambinus priore, in repet. ad marg. est *L. ostendam*, et in textu *neque*, ad marg. *alii nec.* Sed apparet Gruterum Metelliani cod. scripturam expressisse. Et numerus singularis etiam mox inseq. cap. *docebo*, *convincam.* Ceterum pro *cum*, quod est in principio, deteriores codd. VI Lagom. et editiones Aldina antiquiores *tum* habent.

§. 39. *non quo iugerum*] *Quod* Lambinus priore, in posterioris marg. alii sic habere dicuntur. Habeant, sed in mss. nulla dubitationis causa. Tum Lagom. 42 *quid enim in eo periculo possit esse?*

sed causa erat iud. postulandi] i. e. hoc quasi praetextu Apronius utebatur, ut iudicium postularet eaque denuntiatione aratores terreret. Inanis Hotomani coniectura *formidandi* Lambinum et Ernestium adeo movit, ut *pertimescendi* ille non coniiceret, sed in priore editione scriberet, hic de substituendo alio verbo dubitaret. Sed nihil prorsus fuit quod dubitaret. Extremo cap. Lag. 29 pro *negare* habet *repunegare*, ut videatur voluisse *repugnare*, pro *tantum Apronium* Lag. 42 *Apritamen*, quod fort. est *Apronium tantum.*

quod fuerit isto praetore, si, quae cohors et qui co-
mitatus fuerit, meministis, scire debetis. Quid igitur
est, quod ex hac iniquitate novorum edictorum intel-
ligi velim, iudices? Iniuriamne factam sociis? at vide-
tis. Auctoritatem superiorum repudiatam? non aude-
bit negare. Tantum Apronium isto praetore potuisse?
confiteatur necesse est. Sed vos fortasse, quod vos 16
lex commonet, id in hoc loco quaeretis, num quas ex 40
hisce rebus pecunias ceperit? Docebo, cepisse maxi-
mas, omnesque eas iniquitates, de quibus antea dixi,
sui quaestus causa constituisse convincam, si prius
illud propugnaculum, quo contra omnes meos impe-
tus usurum se putat, ex defensione eius deiecero.

Magno, inquit, *decumas vendidi.* Quid ais? an tu decumas, homo audacissime atque amentissime, vendidisti? tu partes eas, quas te senatus populusque Romanus voluit, an fructus integros atque adeo bona fortunasque aratorum omnes vendidisti? Si palam praeco iussu tuo praedicasset, non decumas frumenti, sed dimidias venire partes, et ita emptores accessissent, ut ad dimidias partes emendas; si pluris vendidisses tu dimidias, quam ceteri decumas, cuinam mi-

---

§. 40. *num quas*] Edit. Iunt. Paris. A B Lagom. 29. 42 *nunc quas.* Ald. *nunquas.* — *constituisse convincam*] Haec est antiqua lectio, donec Victorius cum *irrupisse* prorsus absone edidisset, Hotomano ingenii exercendi occasionem dedit, ut *reperisse* coniiceret. Inde Lamb. edit. priore fecit *reperisse convincam*, sed in repet. marg. notavit codicem veterem (Fabric.) habere *constituisse vincam.* Gruterus *convincam* restituit, Graevius *vincam* magis probavit. Et de his potest esse controversia, nam Fabriciano accedunt Metell. et Lagom. 29. 42; *convincam* habent ceteri Lagomarsiniani et Parisini cum Nanniano. Mihi quidem, etsi *vincere* nonnunquam pro *probare* s. *obtinere* ponitur, haec tamen *convictio* potius videtur fuisse, quae fit demonstrando cap. 20 alioquin, ni ipsius fuisset quaestus, rationem Verris agendi absurdam esse.

Quid ais? an] Offendor interrogandi particula, mox repetita: cumque in Lag. 42 non inveniatur *ais*, potius *an* delendum censeo.

rum videretur? Quid vero, si praeco decumas pronuntiavit, re vera, hoc est lege, edicto, condicione, plus etiam quam dimidiae venierunt? tamen hoc tibi praeclarum putabis, te pluris, quod non licebat, quam ceteros, quod oportebat, vendidisse? Pluris decumas
41 vendidisti, quam ceteri. Quibus rebus id assecutus es? Innocentia? aspice aedem Castoris: deinde, si audes, fac mentionem innocentiae. Diligentia? codicis lituras tui contemplare in Sthenii Thermitani nomine: deinde aude te dicere diligentem. Ingenio? qui testes interrogare priore actione nolueris, et iis tacitus os tuum praebere malueris, quamvis et te et pa-

---

§. 40. *Pluris decumas vendidisti*] Sic Lagom. 42. Vulgo *vendidi decumas.* Mihi videtur praestare, si nunc dicat orator, cum antea ipsius rei verba posuerit.

§. 41. *codicis lituras — in Sthen. Th. nomine*] Lag. 29 Paris. A B *litura*, plures etiam, nimirum Lagom. omnes praeter 42 et Parisinus B omittunt *in*, sicut veteres editiones Aldina priores. — *testes interrogare*] Mirum quod non sic dudum corrigere maluerint vulgatum *interrogari.* Nam ea res omnis ad Verrem refertur: quid enim opus fuit ipsius ingenio, si per Hortensium agenda esset? Sed si ipsius, necesse est *interrogare.* Sic nunc scripsimus adiuti testimonio Lag. 42. Ex eodem et Metelliano *tacitus* dedimus pro eo, quod est vulgo *tacitum.* Bene Gruterus „*os praebet*, qui verberari se aut contumelia affici impune patitur, ut notum ex Terentii Adelph." II, 2, 7. Ibi laudat Ruhnkenius Cic. ad Att. I, 13 *quam dignus, qui Palicano, sicut facit, os ad male audiendum cotidie praebeat.* Liv. IV, 35 *praebere ad contumeliam os.* Tacit. Hist. III, 31 *praeberi ora contumeliis.* Nunquam *tacitum os praebere*, sed quia tacet, ideo os praebet.

quamvis et te] *Quamvis* secundum originem suam pro *quantumvis* dici, et adverbialiter (non coniunctionaliter) cum aliis Adverbiis vel Adiectivis componi, ut h. l. *quamvis ingeniosos*, non est quod multis doceam: pro Rosc. Am. 16 *quamvis multos*, de Orat. II, 26 *quamvis saepe*, Epist. II, 16 *Eo si onere carerem, quamvis parvis Italiae latebris contentus essem*, Liv. I, 4 *posse quamvis languida mergi aqua infantes.* Vide Dukerum ad Liv. II, 51, 7. Sed tamen haec res fugit Basileensem editorem (1528), qui contra libros mss. aut omnes aut certe plerosque (nam de nostris soli Paris. B C silent) *quantumvis* corrigeret: reliqui editores secure eum secuti sunt, neque adhuc detecta fraus, quae aliis locis citius refutata est. Vide ad c. 69 *quamvis bonum fortemque.*

tronos tuos ingeniosos esse dicito. Qua re igitur id, quod ais, assecutus es? Magna est enim laus, si superiores consilio vicisti, posterioribus exemplum atque auctoritatem reliquisti. Tibi fortasse idoneus fuit nemo, quem imitarere: at te videlicet, inventorem rerum optimarum ac principem, imitabuntur omnes. Quis 42
arator, te praetore, decumam dedit? quis duas? quis non maximo se affectum beneficio putavit, cum tribus decumis pro una defungeretur, praeter paucos, qui propter societatem furtorum tuorum nihil omnino dederunt? Vide, inter importunitatem tuam senatusque bonitatem quid intersit. Senatus, cum temporibus rei publicae cogitur, ut decernat, ut alterae decumae exigantur, ita decernit, ut pecunia pro his decumis solvatur aratoribus: ut, quo plus sumitur, quam debetur, id emi, non auferri putetur. Tu, cum tot decumas non senatus consulto, sed novis edictis tuis nefariisque institutis exigeres et eriperes, magnum te fecisse arbitrabere, si pluris vendideris, quam L. Hortensius,

---

§. 42. *Quis arator*] libri quotquot sunt omnes, octo Lagom. tres Paris. unus Huydec. ut, quod ex Nann. Fabric. Metell. nihil notatur, errore hominum factum existimem. Editi eodem consensu *quis aratorum*. — *tribus decumis pro una defungeretur*] Nihil est quod primum in Victoriana extitisse dicitur *defrugeretur*, neque opus ut in refellendo typographi errore immoremur. — *pecunia pro his*] Lag. 42 *pro his dec. pecunia solvatur*. — *quo plus sumitur*] Vulgo *quod plus*. Lambinus solus edidit *quo* voluitque servari in repet. editione, qui, quin auctorem habuerit aliquem de melioribus libris, dubitare me non patitur consensus Paris. A B Lag. 42. Nihil tamen apud Gruterum, neque reliqui Lambinum attenderunt. At sic loquuntur Latini: id pecunia rependitur, *quo* plus sumptum est, quam debetur; ablativo non comparationis sed differentiae, quanto quid aut plus est aut minus, Germ. *um wie viel*. Quod sequitur *id emi* optime correctum est in textu Lamb. repetitae: prius enim editi libri et mss. *idem*. Sed in Fabriciano puto verum fuisse: sed si in illo ut in Lag. 42 paucula verba defuerunt, ingeniosius Lambinus emendavit, quam fecit in priore editione, in qua legitur *id* tantum. — *non S. C.*] legendum hoc esse *Senatus consultis* expressis litteris indicant Lagom. 29 Paris. A B.
magnum te fecisse arbitrabere] Olim edebatur *arbitrabare*, sicut

pater istius Q. Hortensii, quam Cn. Pompeius, quam C. Marcellus, qui ab aequitate, ab lege, ab institutis
43 non recesserunt? An tibi unius anni aut biennii ratio habenda fuit; salus provinciae, commoda rei frumentariae, ratio rei publicae in posteritatem fuit negligenda? Cum rem ita constitutam accepisses, ut et populo Romano satis frumenti ex Sicilia suppeditaretur, et aratoribus tamen arare atque agros colere expediret, quid effecisti? quid assecutus es? Ut populo Romano nescio quid, te praetore, ad decumas accederet, dese-

---

est in Lag. 29 Paris. C. Correxit non immerito Naugerius et induxit *arbitrabere*, quod legitur in codd. plerisque. Sed exquisita Lambini lectio est in edit. rep. marg. (itaque ex Fabric.) quam tuetur Lag. 42 *arbitrare*. Nam hanc Praesentis Indicat. formam Ciceroni usitatam esse docui in Gramm. L. L. §. 166. Ceterum etiam *arbitrabere* satis defenditur, falsum est *arbitrabare*. Post *vendideris* abest a Lag. VI et Paris. C et edd. Aldina prioribus. — *quam C. Marcellus]* *C* pro veteri *M* editum est a Lambino ex cod. Nanniano, ad quem nunc Lag. 42 accedit. Cf. ad lib. II, 21.

§. 43. *hab. fuit]* Lag. 42 *fuit habenda*. — *in posteritatem — populo Romano]* Haec verba et quae sunt interiecta desiderantur in edd. vett. codicibusque quibus illae nituntur, VI Lag. Par. C Huydecop. Causa satis aperta est *reip.* et *p. R.* notarum similitudine. Protulit primus Nannius e suo codice vetere, suntque postea reperta in Fabric. Lagom. 29. 42 Parisinis A B. Sed editiones tamen pro *in posteritatem* praeferebant *in posterum*, ne hoc quidem sine codd. auctoritate, nam expressis verbis ex Lag. 29 id enotatur legiturque, si fides silentio, etiam in A B, quamvis Lallemandus pro solita vanitate verbo Graevianam lectionem Parisinorum codd. auctoritate confirmet. Verum Nanniano, Fabriciano, Lagom. 42 equidem, sicut Graevius et Garat. fecerunt, magis credo. Ac ne quis de Latinitate dubitet, laudat Garatonius hui. orat. cap. 55 *cum salus urbis atque exercituum nostrorum in posteritatem istius avaritia interierit*, item in Catil. I, 9 §. 22, et cap. 12 §. 29. Ordinem etiam verborum mutavi, ut *rem ita constitutam* scriberem, pro *ita rem*, Lagom. et Paris. codd. auctoritate: immo etiam Nanniani, nam quod in Graeviana legitur Nannianum librum habere *iure ita*, error typogr. est, et debet esse *rem ita*. — *Ut populo Rom. nescio quid te praetore]* Olim omittebatur *pop. Rom.*, posthac ex Nanniano codice editum est *ut populo Rom. praetore te nescio quid*. Ego ordinem verbb. mutavi ex Lag. 42, quocum 29. Paris. A B consentire videntur propterea quod exhibent *pop. Rom. nescio quid te ad.*

rendas arationes relinquendasque curasti. Successit tibi L. Metellus. Tu innocentior, quam Metellus? tu laudis et honoris cupidior? tibi enim consulatus quaerebatur, Metello paternus honos et avitus negligebatur. Multo minoris vendidit, non modo, quam tu, sed
etiam, quam qui ante te vendiderunt. Quaero, si ipse 17
excogitare non potuerat, quemadmodum quam plurimo venderet: ne tua quidem recentia proximi praetoris vestigia persequi poterat, ut tuis praeclaris abs te principe inventis et excogitatis edictis atque institutis
uteretur? Ille vero tum se minime Metellum [fore] 44
putasset, si te ulla in re imitatus esset: qui ab urbe Roma, quod nemo unquam post hominum memoriam fecit, cum sibi in provinciam proficiscendum putaret, litteras ad Siciliae civitates miserit, per quas hortatur et rogat, ut arent, ut serant in beneficio populi Romani. Et hoc petit aliquanto ante adventum suum:

---

§. 43. *paternus honos et avitus]* Vulgo *honor*, sed forma Ciceroniana restituenda iam est ex Paris. A B Lagom. 29. In 42 est *bonus*. *Honor* quod est, indicavi in Gramm. §. 59 non inveniri nisi Philipp. IX, 6 extr. et in fragm. p. Tullio §. 21 edit. Peyron. Tum in plerisque *habitus:* quo uti aliquis possit ad tuendum *Cluentium Avitum*, qui apud Quintilianum perpetuo est *Habitus*. Vide Spalding. ad Instit. XI, 1, 61.

non potuerat] Sic Lag. 42 solus, quod sciam, sed prorsus ex sermonis lege. Vulgo *poterat*. — *ne tua quidem]* Deest *quidem* in codd. deterioribus, ideoque in edd. vett. Miror Naugerium non addidisse, sed reliquisse Basiliensi editori 1528 adiiciendum.

§. 44. *se minime Metellum fore]* Vulgo *se Met. minime*. Noster verbb. ordo ex Lag. 29. 42 Paris. A B. Sed remanet aliud vitium. Quae est enim ista coniunctio *se fore putasset?* Est certe Metellus, non futurus est. Delendum censeo *fore*. Neque habet Lag. 42, sed pro *fore putasset*, si recte explico, nihil aliud nisi *putabit*. — *litteras — miserit]* Exquisite Coniunctivum positum agnosces in Lag. 29. 42 Paris. B. Vulgo *misit*. — *serant in beneficio pop. Rom.] In* praepositionem omnes libri praeter Nannianum agnoscunt, rectissime, nam beneficium est in agris, quos populus Rom. vi ceperat, Siculisque concesserat, non in serendo. — *Hoc petit]* Dubito an recte et exquisite Lag. 42 *Et hoc fecit*. Nannianus *Propter hoc petit*, sed *propter* ni-

et simul ostendit, se lege Hieronica venditurum, hoc est, in omni ratione decumarum nihil isti simile facturum. Atque haec non cupiditate aliqua scribit inductus, ut in alienam provinciam mittat litteras ante tempus; sed consilio, ne, si tempus sationis praeterisset, granum ex provincia Sicilia nullum haberemus.
18 Cognoscite Metelli litteras. Recita epistolam L. Me-
45 telli. LITTERAE L. METELLI. Hae litterae, iudices, L. Metelli, quas audistis, hoc, quantum est ex Sicilia frumenti hornotini, exaraverunt: glebam commosset in agro decumano Siciliae nemo, si Metellus hanc epistolam non misisset. Quid? Metello divinitus hoc venit in mentem, an ab Siculis, qui Romam frequentissimi convenerant, negotiatoribusque Siciliae doctus est? quorum quanti conventus ad Marcellos, antiquissimos Siciliae patronos, quanti ad Cn. Pompeium, consulem designatum, ceterosque illius provinciae necessarios, fieri soliti sint, quis ignorat? Quod quidem iudicium nullo unquam de homine factum est, ut absens accu-

---

hil videtur aliud esse nisi *P. R. et.* Certe *et* recipiendum videtur augendi causa, quo minus *fecit* putem, deterret me, quod sequitur *scribit.* Sed si *facit* corrigeretur, ipsum verbum haud dubie praeferretur. *Suum adventum* Nannianus, nullus de nostris. — *cupiditate aliqua scribit inductus]* Sic Fabric. Lag. 29. 42 Paris. B. Vulgo *adductus.* Utrumque probabile, sed *inductus* elegantius, cum reprehendatur talis cupiditas. — *praeterisset, granum ex provincia Sic.]* *Praeterisset* simplici *i* libri plerique omnes, sed *ex* longe exquisitius quam vulg. *in* Lag. 42 et Fabric. cum dicatur de vectigalibus pop. Rom. et sequatur *quantum est ex Sicilia frumenti hornotini.* Tum *Sicilia provincia* inverso ordine deteriores codices VI Lagom. praeter 27. edit. Iunt.

§. 45. Titulus *Litterae L. Metelli* primum in edit. Lambiniana comparet; abest item a codd. mss. praeter Lag. 27 et fort. 29, a quo tamen praecedens colon *Recita epist. L. Metelli* abest. In Paris. A B duo haec cola omittuntur, in C posterius. — *doctus est]* Gulielmus coniecit *edoctus est:* si pertinere putas ad demonstratam provinciae miseriam, rectissime, sin ad epistolam scribendam, minus apte. Atque haec res est. — *soliti sint]* Codd. Lag. 27. 42 *sunt.*

saretur ab iis palam, quorum in bona liberosque summum imperium potestatemque haberet. Tanta vis erat iniuriarum, ut homines quidvis perpeti, quam non de istius improbitate deplorare et conqueri mallent. Quas 46
litteras cum ad omnes civitates prope suppliciter misisset Metellus, tamen antiquum modum sationis nulla ex parte assequi potuit: diffugerant enim permulti, id quod ostendam, nec solum arationes, sed etiam sedes suas patrias, istius iniuriis exagitati, reliquerant.

Non mehercule criminis augendi causa, iudices, dicam: sed, quem ipse accepi oculis animoque sensum, hunc vere apud vos, et, ut potero, planissime exponam. Nam, cum quadriennio post in Siciliam venis- 47
sem, sic mihi affecta visa est, ut hae terrae solent, in quibus bellum acerbum diuturnumque versatum est. Quos ego campos antea collesque nitidissimos viridis-

§. 45. *de istius improbitate]* Sic olim ediderant Steph. et Lamb. ex Nanniano et inventum est in Lagom. codd. 29. 42 et Paris. B, haud dubie verum: nam de *pravitate* Verris, si qua erat, (sed erat aperta avaritia,) amici quererentur, non quorum bona diripuisset. Sed unius Lag. 42 auctoritatem sufficere putavi, ut verba *et iniuriis* tollerentur, ineleganter vulgo addita, (sic: *pravitate et iniuriis)* cum praecessisset *tanta vis erat iniuriarum*. In extr. sententia idem liber *conquemvellent*, unde si quis credat fuisse *conqueri vellent*, non ego repugnarim.

§. 46. *assequi potuit]* Sic rectius opinor editum esse ex Nanniano codice, cum in antiquioribus fuerit *exsequi*. Nec tamen cum Nanniano facit nisi unus Lag. 42. (VII reliqui et Par. A C *exequi*, Par. B *exsequi.)*

nec solum] edidi ex Lag. 29. 42 Paris. A B et Lamb. in marg. repet. i. e. Fabriciano. Vulgo sine coniunctione *non solum*.

mehercule] Lagom. 42 *mehercules*. Post vulgo *dicam*, *iudices*. Quo nos edidimus verborum ordine Lag. 29. 42 Paris. A B, et ex uno Lag. 42 *quem ipse accepi*, meliore opinor collocatione verborum, quam vulgo *quem accepi ipse*.

§. 47. *sic mihi affecta] Mi* Lag. 29 Paris. B. Deinde pro *hae terrae* Lag. 42 *ut esse terrae solent*, non male. Sed fortasse verbum nihil aliud quam natum est ex pronominis altera forma, *eae*, sicut in nonnullis edd. vett. (Aldinis Pauli, Lamb.) legitur.

simosque vidissem, hos ita vastatos nunc ac desertos videbam, ut ager ipse cultorem desiderare ac lugere dominum videretur. Herbitensis ager, Hennensis, Murgentinus, Assorinus, Imacharensis, Agyrinensis, ita relictus erat ex maxima parte, ut non solum iugerum, sed etiam dominorum multitudinem quaereremus; Aetnensis vero ager, qui solebat esse cultissimus, et, quod caput est rei frumentariae, campus Leontinus, cuius antea species haec erat, ut, cum obsitum vidisses, annonae caritatem non vererere, sic erat deformis atque horridus, ut in uberrima Siciliae parte Siciliam quaereremus. Labefactarat enim vehementer aratores iam
19 superior annus, proximus vero funditus everterat. Tu
48 mihi etiam audes mentionem facere decumarum? Tu

---

§. 47. *vastatos nunc — videbam]* Lambinus *tunc*, de coniectura, certe codd. meorum auctoritas deest. Sed iure etiam sine codd. sic videretur emendasse, si *nunc videbam* coniungendum esset. Intellige vero: tum, cum in Sicilia proficiscebar, videbam, nunc i. e. hoc tempore, agros esse vastatos. — *Hennensis]* Aspirata nomen loci scribendum esse supra ad lib. II c. 65 docuimus. Sed codices Lag. 29. 42 Paris. B *Ethennensis*, quod ortum puto ex aliorum scriptura *Ethnensis*, nam copula quid faciamus? Similis contentio est de scriptura urbis *Machara* an *Imachara*. Hoc quidem loco omnes codd. *Macharensis*, infra cap. 42 plerique *Imacharenses*, Naunianus *Acharenses*, Lag. 29 tum *Ymach.* tum *Mach.* sed Paris. B constanter *Macharenses*. Pugnat pro *Imacharensibus* Cluverius Sicil. ant. p. 329 et persuasit Garatonio. *Murgentinus* omnes, non *Morgantinus*, sicut Ernestius corrigendum sibi putavit. — *relictus erat ex max. parte, ut]* Cod. Lag. 42 *ita relictus erat ut ex maxima non solum* cet. Verum esse puto: *ut maximam non solum iugerum, sed etiam dominorum multitudinem quaereremus.* (Lamb. in rep. marg. voluit *requireremus*, sine idonea causa, nam *quaerere* esse „desiderare" Ernestius ostendit ad V, 27, cf. Broukhusium ad Tibull. II, 3, 25.) *Iugerum* explica cultorum, nam quae inculta iacebant, agri non videbantur.

cuius antea species haec erat] Libri mss. *species* eodem consensu, quo olim editi cum Grutero et Ernestio *spes* tuentur. Nec difficile mss. lectio defenditur, quoniam orator h. l. de deformitate agrorum externa loquitur. — *Labefact. enim vehementer]* Lag. 42 *labefacta enim erat aratores*, mendose, sed quod omittit *vehementer*, non caret ratione. A Lag. 29 abest *iam*.

in tanta improbitate, tu in tanta acerbitate, in tot ac tantis iniuriis, cum in arationibus et in earum rerum iure provincia Sicilia consistat, eversis funditus aratoribus, relictis agris, cum in provincia tam locuplete ac referta non modo rem, sed ne spem quidem ullam reliquam cuiquam feceris, aliquid te populare putabis habere, cum dices, te pluris, quam ceteros, decumas vendidisse? Quasi vero aut populus Romanus hoc voluerit, aut senatus hoc tibi mandaverit, ut, cum omnes aratorum fortunas decumarum nomine eriperes, in posterum fructu illo commodoque rei frumentariae populum Romanum privares; deinde, si quam partem tuae praedae ad summam decumarum addidisses, bene de re publica, bene de populo Romano meritus viderere.

Atque perinde loquor, quasi in eo sit iniquitas eius reprehendenda, quod propter gloriae cupiditatem, ut aliquos summa frumenti decumani vinceret, acer-

---

§. 48. *Tu in tanta improbitate]* Absunt haec verba a plerisque codicibus, tribus Paris. VII Lag., ut in uno tamen legantur 42. In editiones vulgares venerunt ex Nanniano. Mox *tot ac tantis* Lag. 42, vulgo *et.* — *in prov. tam locuplete]* Nullus mss. quibus utor a vulg. discedit. Commemoro propterea, quod Priscianus p. 765 Putsch. se h. l. *locupleti* invenisse testatur, eamque formam consensu bonorum librorum IV, 1 restituit Lambinus. — *reliquam cuiquam feceris]* Lag. 42 *cuiusquam.* Idem post pro *dices* habet *dicis*, et addit post *fructu quem* (Lag. 29 *que)*, et verborum ordinem mutat *aut Senatus tibi hoc mandaverit*, et *frumentariae rei Remp.* Sed comma *bene de re publica* ex eodem adiecimus, sicut Lambinus in edit. repet. haud dubie secundum Fabricianum voluerat. Exciderat propter repetitionem eorundem verborum, sicut fere fit: cf. ad §. 63 et §. 96.

Atque perinde] Olim addebatur *haec*, quod omissum est primum in Lambiniana repetita, et in textu quidem, quare facile fieri potuit ut Gruterum fefellerit. Restituissem igitur, cum inveniatur in codd. mss. praeter unum Lag. 42 omnibus, ni hoc ipsum fidem faceret, Lambinum alteri editioni ex Fabriciano destinasse. Idem Lambinus priore scripserat *proinde* ex instituto suo. — *summa frumenti decumani]* Olim *summa decumarum.* Nos sequimur Lag. 29. 42 Paris. A B, quamquam in hoc est *summa frumenti decumarum.* Etiam in Fabriciano libro illud inventum apparet, quia sic Lambinus in marg. repet. voluit.

biorem legem, duriora edicta interposuerit, omnium
superiorum auctoritatem repudiarit. Magno tu decu-
49 mas vendidisti. Quid, si doceo, te non minus do-
mum tuam avertisse, quam Romam misisse decuma-
rum nomine: quid habet populare oratio tua, cum ex
provincia populi Romani aequam partem tu tibi sum-
pseris, ac populo Romano miseris? quid, si duabus
partibus doceo te amplius frumenti abstulisse, quam
populo Romano misisse: tamenne putamus patronum
tuum in hoc crimine cerviculam iactaturum, et populo
se ac coronae daturum? Haec vos antea, iudices, au-
distis: verum fortasse ita audistis, ut auctorem rumo-
rem haberetis, sermonemque omnium. Cognoscite
nunc innumerabilem pecuniam frumentario nomine
ereptam, ut simul illam quoque eius vocem impro-
bam agnoscatis, qui se uno quaestu decumarum omnia
sua pericula redempturum esse dicebat. Audivimus
50 hoc iamdiu, iudices: nego quemquam esse vestrum,

---

§. 49. *oratio tua]* Sic unus Lag. 42, cum vulgo sit *ratio*, et scio posse ad frequentem eorum verborum confusionem referri. Sed verbum *populare* tamen multo magis convenit orationi, quam rationi. Item ex eodem libro *ac populo* recepimus pro vulg. *atque*, quod praeferrem si vocalis sequeretur. — *et populo se ac coronae daturum]* Sic edi voluerat Lamb. repet. fortasse ex Fabric. (quamquam iam ante Car. Stephanus coniectura assecutus est) ediditque Ernestius, non Graevius. Hic enim *se* post *coronae* posuit, sicut est fere in Nanniano: *ac populo ac coronae se.* Lag. 42 *ac populus ac coronae dat.* Sed praestat casum dativum ex illis optimis accipere, ceterorum vero ordinem verborum servare, qui sic habent: *et populo se ad coronam daturum.*

antea, iudices] Paris. B Lag. 29 *ante* — *sermonemque omnium]* Ascens. *hominum*, non male, sed istum nullum video auctorem.

vocem improbam] Codices deteriores (Lag. VI Paris. C Oxon. Huyd.) et editiones principes *probam:* corrigere coeperant *probrosam* unus et alter, donec in Victoriana *improbam* recte editum est.

§. 50. *Audivimus hoc iamdiu]* Lambinus *audimus* dedit, et Gruterus Pall. testimonium adiecit, sed cum antiquum illud idoneos patronos et alios libros Lagom. et codicem 42 habeat, cur deserendum sit non intelligo.

quin saepe audierit, socios istius fuisse decumanos. Nihil aliud arbitror falso in istum esse dictum ab iis, qui male de isto existimarint, nisi hoc. Nam socii putandi sunt, quos inter res communicata est. Ego rem totam fortunasque aratorum omnes istius fuisse dico: Apronium, Veneriosque servos, quod isto praetore fuit novum genus publicanorum, ceterosque decumanos, procuratores istius quaestus et administros rapinarum fuisse dico. Quomodo hoc doces? Quo 51
modo ex locatione illa columnarum docui istum esse praedatum: opinor, ex eo maxime, quod iniquam legem novamque dixisset. Quis enim unquam conatus est iura omnia et consuetudinem omnium commutare cum vituperatione, sine quaestu? Pergam, atque insequar longius. Iniqua lege vendebas, quo pluris venderes: cur, addictis iam et venditis decumis, cum iam ad summam decumarum nihil, ad tuum quaestum multum posset accedere, subito atque ex tempore nova nascebantur edicta? Nam ut vadimonium decumano, quocunque is vellet, promitteretur, ut ex area, nisi pactus esset, arator ne tolleret, ut ante Calend. Sext.

---

§. 50. *falso in istum]* Sic libri meliores Lag. 29. 42 Paris. A B. Vulgo *in istum falso.* Verum cod. 42 *falsum.* Tum Lag 42 *existimarunt*, et *fortunas omnes aratorum.* — *et administros]* Sic Nannianus et Lag. 42, cum in Veneta 1499 et Ascens. *comministros*, in ceteris sit *ministros.* Aptum esse compositum docet Garaton. laudatis II, 54 *administer istius cupiditatum*, III, 33 *libidinis administros.* — *Dico fuisse*, hoc ordine, edd. antiquae, Aldina et posteriores, et tres Paris. VII Lagom. At Lambinus in repet. mendosum censuit, nimirum propter hexametri clausulam, sed corrigendi auctorem praeter edd. Ascens. Iunt. habuit optimum librum manuscriptum.

§. 51. *istum esse praedatum]* Abest *esse* ab Lag. 29 Paris. A B. Post Lag. 29 *ex isto maxime.* — *addictis iam]* Hac collocatione verborum Lag. 42, ceteri *iam addictis.* Ceterum erravit Ernestius quod verba *addictis et* abesse a veteribus edd. dixit. Nihil in quo variarent aliud inveni, nisi quod Ascens. Iunt. *venditisque* habent. Quod sequitur *iam* omisit Lambinus priore editione, superfluum existimans, ut opinor. — *ut ante Calend. Sext.]* Sic plenissime Nannianus et

decumas deportatas haberet, haec omnia, iam venditis decumis, anno tertio te edixisse dico: quae si rei publicae causa faceres, in vendendo essent pronuntiata; quia tua causa faciebas, quod erat imprudentia praetermissum, id quaestu ac tempore admonitus reprehendisti.
52 Illud vero cui probari potest, te sine tuo quaestu, ac maximo quaestu, tantam tuam infamiam, tantam capitis tui fortunarumque tuarum periculum neglexisse, ut, cum totius Siciliae cotidie gemitus querimoniasque audires, cum, ut ipse dixisti, reum te fore putares, cum huiusce iudicii discrimen ab opinione tua non abhorreret: paterere tamen aratores indignissimis iniuriis vexari ac diripi? Profecto, quamquam es singulari crudelitate et audacia, tamen abs te totam alienari provinciam, tot homines honestissimos ac locupletissimos tibi inimicissimos fieri nolles,

Lag. 42, ceteri Lagom. et Paris. C, Huydec. cum edd. antiquis *ut* et *ante* omittunt, scilicet ut sit *Calendis Sextilibus*, Paris. A B *ut* solum. Sed augetur edictorum novorum improbitas ea repetitione. Sed quoniam cum proximis arte cohaeret, *haberet* etiam pro vulg. *haberent* ex Lag. 42 recepi, gavisusque sum idem ab Ernestio iam de coniectura restitutum. — *iam venditis decumis*] *Iam* in libris mss., quorum excerptis utor, omnibus et hoc quidem loco adiicitur: sustulerat Nangerius: rursus addiderat Lambinus, sed post *venditis:* Gruterus denuo abiecerat. Tum *in vendendo* non *vendundo* Lag. 29. 42.

reprehendisti] verum esse consentiunt editores, quamvis in Nanniano et Lag. 42 *deprehendisti* sit. Significat enim illud, quod h. l. debet, restituere, wieder aufnehmen, quod ante feceris vel addendo aliquid vel denuo faciendo corrigere.

§. 52. *ac maximo quaestu*] Lambinus de coniectura addidit *et maximo quidem quaestu.* Sic enim solet.

fortunarumque tuarum] Addidi *tuarum* ex Lag. 42 et ex Lamb. repet., in quam haud dubie Fabric. auctoritate penetravit. Poterat abesse, fateor, sed agnosces tamen Ciceronis consuetudinem, ubi vis aliqua in pronomine est. — *ut cum*] Libri mss. deteriores et edd. vett. Manutiana Pauli antiquiores omittunt *ut*. — *tot homines honestissimos ac locupletissimos*] Vox *homines* adiecta est Nanniani cod. auctoritate, confirmata nunc duobus Lagom. et Paris. A B. Sed quae sequuntur *ac locupletissimos*, praeter Fabricianum ex quo in repet. edit. Lamb. recipi voluit, unus confirmat Lag. 42. Sed satis semet ipsa videntur

nisi hanc rationem et cogitationem salutis tuae pecuniae cupiditas ac praesens illa praeda superaret. Et- 53
enim, quoniam summam et numerum iniuriarum, iudices, vobis non possum exponere; singillatim autem de uniuscuiusque incommodo dicere infinitum est: genera ipsa iniuriarum, quaeso, cognoscite.

Nympho est Centuripinus, homo navus et indu- 21
strius, experientissimus ac diligentissimus arator. Is cum arationes magnas conductas haberet, (quod homines etiam locupletes, sicut ille est, in Sicilia facere consuerunt,) easque magna impensa magnoque instrumento tueretur: tanta ab isto iniquitate oppressus est, ut non modo arationes relinqueret, sed etiam ex Sicilia profugeret, Romamque una cum multis ab isto eiectis veniret. Fecit ut decumanus Nymphonem negaret ex edicto praeclaro, quod ad nullam aliam rem, nisi ad huiusmodi quaestus pertinebat, numerum iugerum professum esse. Nympho cum se vellet aequo iu- 54

---

defendere. Paulo ante verba *totam abs te* hoc ordine effert Nann. et Lagom. 29.

§. 53. *et numerum*] Lag. 42 *ac numerum*. Post *vobis iudices* Lamb. priore et Lag. 29 Paris. A B: *expromere* pro *exponere* Lag. 42. *sigillatim* uno excepto (29) Lagom. omnes et edd. vett. Nannianus contra et, si silentio fides habenda, Paris. tres *singillatim*. Cf. quae annotata sunt ad Divin. c. 15 extr.

homo navus] Sic in libris mss. exaratur: Iuntina *gnavus*, ab Ald. deinde *navus* scribi coeptum, servatumque a reliquis felicius quam alibi. Nam scribendi rationem quam Cic. probet dubium non est, ex Orat. 47. — *facere consuerunt*] Contractam, quam dicunt, formam Lagom. 29. 42 Paris. A B, iidem *magnoque instrumento*, probe utrumque. Nam in perpetua varietate illarum formarum, nullus tamen fere locus est in his certe orationibus, in quo non aut omnes boni aut aliquot breviorem formam exhibeant. Cf. ad III, 43. IV, 21 extr. V, 12 et 31. — *una cum multis ab isto eiectis*] Olim editum fuit *cum multis una*, sicut fere codd. deteriores Paris. C, quinque Lagom. In aliis paulo melioribus *una* non legitur, Lag. 27 Paris. A B. Relinquuntur igitur duo Lagom. 29. 42 patroni eius ordinis verborum, quem Lambiniana repet. primum habet ex Fabric. ut opinor.

negaret — professum esse] Sic bene primus Lamb. repet. edit. voluit restitui (ex Fabric.) edideitque Gruterus ex Pal. sec. assentienti-

dicio defendere, iste viros optimos recuperatores dat, eundem illum medicum Cornelium, (is est Artemidorus Pergaeus, qui in sua patria dux isti quondam, et magister ad despoliandum Dianae templum fuit,) et haruspicem Volusium, et Valerium praeconem. Nympho, antequam plane constitit, condemnatur. Quanti, fortasse quaeritis. Nulla erat edicti poena certa: frumenti eius omnis, quod in areis esset. Sic Apronius decumanus, non decumam debitam, non frumentum remotum atque celatum; sed tritici septem milia medimnum ex Nymphonis arationibus, edicti poena, non redemptionis aliquo iure tollit.

22 55 Xenonis Menaeni, nobilissimi hominis, uxoris fun-

---

bus Paris. tribus, Lagom. duobus melioribus. Antea editum fuit *vocaret — professum non esse*, sensu inserta negandi particula, utcunque fieri potuit, sublevato. Nam codd. deteriores partim *vocaret* sine *non*, partim *necaret*, unde origo et progressus quasi depravationis patet. Sed annotandum etiam *illo*, quod vulgo *edicto* subiicitur, abesse a cod. Lag. 42 Paris. A B. Tum eundem cod. 42 sic exhibere: *ad nullam aliam rem*, pro vulg. *nullam ad aliam rem. Despoliandum* quo Ernestius *dispoliandum* rectius putat, legitur in mss. omnibus, praeter Lag. 29 in quo est *expoliandum*. Vide ad lib. IV, 20.

iste viros cet.] Alio ordine Paris. A B Lag. 29 *dat iste* cet.

Artemid. Pergaeus] Sic coniecerat Hotomanus, voluitque edi Lambinus repet. (Fabr.) et postea inventum est in Paris. A B Lag. 29. 42. Edd. vett. *Pergamenus*. Paris. C *Pergameus*. Illustratur res ex libr. I c. 21 extr. — *dux isti quondam*] Lag. 42 *istius*, quod potest verum esse, potest vero etiam frequenti erroris genere addita vel dempta syllaba *us* natum esse. Certe *Volusium* recipiendum ex eodem, cui accedit Lamb. in repet. auctoritas. Nam ita vocatur idem homo supra cap. 11. Vulgo *Volusianum*. — *antequam plane constitit*] i. e. priusquam adstitisset in iudicio, non, ut Hotom. voluit, priusquam constitit, num ille numerum iugerum professus non esset. Nam talis ellipsis nimis est violenta. — *ex Nymph. arat.*] Haec verba desiderantur in Paris. A B Lag. 29. Hic etiam pro *septem* habet IIII. *Edicti poena* e Nanniano libro edi coeptum a Stephano, cum antea esset *edicto*. Codd. deteriores fere *edita*.

§. 55. *Menaeni*] Vulgo h. l. *Meneni*, altero c. 43 *Meneniorum*, codd. hoc loco, quibus utor, omnes *Meneni*, nisi quod Lag. 42 *Moneni*, altero Nannianus et Paris. A *Meneniorum*, quo eodem pertinet Lag. 42

dus erat colono locatus: colonus, quod decumanorum iniurias ferre non poterat, ex agro profugerat. Verres in Xenonem iudicium dabat illud suum damnatorium de iugerum professione. Xeno ad se pertinere negabat: fundum elocatum esse dicebat. Dabat iste iudicium, *si paret, iugera eius fundi esse plura, quam*

---

scriptura *Menemorum*. Graece urbis nomen fere est Μέναι, unde recte Μεναῖος descendit, et apud Silium Italicum XIV Punic. 266 est *Menaeis viris*. Sed apud Diodorum lib. XI c. 78 etiam Μέναινον est, unde cives Μεναινῖνοι aut Μέναινοι. Vide Wesselingii notam ad eum locum. Plinius in catal. lib. III, 14 *Menanini*, sed apud Ciceronem unice verum est *Menaenus*, siquidem in codicibus saepissime *ae* diphthongus simplici *e* praesertim in nominibus peregrinis scribitur. Eamque nominis formam (ΜΕΝΑΙΝΩΝ) in nummis perpetuam esse testatur Eckhel. doctr. numm. T. I p. 219. — *Xeno ad se* cet.] Vulgo *Xenon*, sed Latina nominis forma tribus hisce locis confirmatur melioribus libris et Prisciani testimonio p. 690 Putsch., quapropter recte sic recentiores praeter Graevium, qui tamen paulo post ipse *Xeno* scripsit. Cf. Schneideri Gramm. p. 276, ubi quod dicit nominativum casum celeberrimi legumlatoris Atheniensis apud Ciceronem non inveniri, nunc item est *Solo* libro II de rep. 1. — *fundum elocatum esse*] *Elocatum* mss. mei omnes, ne quis denuo *locatum* velit, quod in vett. aliquot editionibus est, nam facit aliquid, quod non additur, cui *locatus* sit. Sic Iudaeorum gens p. Flacco c. 28 extr. absolute *elocata* dicitur. Sed iidem mss. *eum* post *fundum*, quod inventum est in Nanniano, non agnoscunt. Paris. A B contra *edicebat*. — *Dabat iste iudicium*] Mirum quam diu vulgaris error librarii editiones doctorum hominum occuparit. Lag. VI Paris. C Oxon. *dabat teste*, inde editt. *testes*, quod servatum est usque ad P. Manutium.

si paret] Vulgo *si pareret*, nam quod editiones veteres, quae ante Hotomanum et Lambinum fuerunt, solito errore *pateret* habent, nunc non moror. Sed lis mota est a Garat. ad c. 17 divinationis possetne atque adeo deberet ipsa formula, quo tempore verbi in actu rerum profertur, etiam in indirecta oratione servari. Atque ut illo loco, quamvis varient codices, optimi tamen *pareret* praeferunt, sic hoc et altero infra c. 28 Fabriciani certam auctoritatem (vid. ipsum Fabricium ad divin.) coniunctam cum Lag. 29. 42 sequi malui. Nam idoneam quidem causam nullam video, quae impediat, quominus alterutra ratione fiat; sicut alias modo Indicativum in interiectionibus servamus, modo Coniunctivum orationi implicamus. E Paris. B nihil a vulg. diversum enotatur, sed A *pararet*, C *si alter appareret*. — *eius fundi esse plura*] *Plura esse* Paris. A B Lag. 29. Edd. vett. usque ad Gruterum, qui

colonus esset professus, tum uti Xeno damnaretur. Dicebat ille, non modo se non arasse, id quod satis erat, sed nec dominum eius esse fundi, nec locatorem: uxoris esse: eam ipsam suum negotium gerere: ipsam locavisse. Defendebat Xenonem homo summo splendore et summa auctoritate praeditus, M. Cossutius. Iste nihilominus iudicium [HS LXXX] dabat. Ille tametsi recuperatores de cohorte latronum sibi parari videbat, tamen iudicium accepturum se esse dicebat. Tum iste maxima voce Veneriis imperat, ut Xeno audiret, dum res iudicetur, hominem ut asservent; cum

---

Fabriciani scripturam in marg. repet. Lambinianae secutus est, *eiusmodi fundi.* Porro *tum ut* fere codd. mss. deteriores et olim editi, nisi qui omiserunt. Post Nanniani cod. lectiones publicatas, *uti* constanter.

id quod satis erat] Turpe additamentum P. Manutii *in satis*, quod Hotomani auctoritas non minus volenti Lambino, quam refraganti Grutero persuasit, codd. omnes ignorant. Qua in re hoc miror, qui fieri potuerit, ut Gruterus Hotomanum auctorem fuisse Manutio putaret, qui iam decem amplius annis ante sic scripsisset. Sed restitui etiam Nanniani et Lag. unius 42 verborum ordinem *non modo se non arasse*, pro quo vulgo *non modo non se arasse.* Nam facile probarant eiusdem libri scripturam *uxoris esse* pro eo, quod non edd. modo vett. et deteriores mss. sex Lagom. sed etiam Paris. A B habent, *uxorem esse.* Accedunt tamen Nanniano duo Lag. 29. 42.

M. Cossutius] Vulgo *Cossetius.* Sed variant libri sic ut illud quod probavi nomen videantur velle, Paris. A B *Cossuetius*, Lag. 42 *in eos sutius*, 29 *Cornutius:* quin Nannianus prorsus sic habere traditur. — *iudicium dabat*] Additur vulgo *iudicium* HS *LXXX*, in recentioribus etiam HS *LXXX millium*, sed *millium* quidem ab omnibus mss. abest, etiam cetera omittit Nannianus, et insuper ipsum verbum *iudicium* Lagom. 42. Secutus sum librum Nannianum, sed inter cancellos adieci tamen pecuniae summam, quae poenae loco edita videtur, unde dicerem in textum venisse ignorans. — *ut Xeno audiret*] Quod in aliis *Xenon* scriptum erat, causa fuit cur deteriores etiam *Xenonem* corrigerent (Lag. 5. 27). Inde editt. principes adhibita nova correctione *ut Xenonem audirent*, Hervag. Victor. *ut Xenonem adirent.* Sic fuit donec Nanniani codicis notitia accepta corrigi coeptum est ut supra. Sed quod in eodem Nanniano est *maxima* pro *magna*, nemo dum recepit. Nunc accedit Lag. 42. Tum edi debet *dum res iudicetur, hominem ut asservent* ex Fabric. et Lag. 42, potest tamen etiam auctoritate ceterorum codicum et exemplo editionum veterum

iudicata sit, ad se ut adducant: et illud simul dixit se non putare, illum, si propter divitias poenam damnationis contemneret, etiam virgas contemnere. Hac ille vi et hoc metu adductus tantum decumanis dedit, quantum iste imperavit.

Polemarchus est Murgentinus, vir bonus atque 23
honestus. Is, cum pro iugeribus quinquaginta medi- 56
mna DCC decumae imperarentur, quod recusabat, domum ad istum in ius eductus est, et, cum iste etiam cubaret, in cubiculum introductus est, quod, nisi mulieri et decumano, patebat alii nemini. Ibi, cum pu-

omnium *dum res iudicaretur*, *hominem ut asservarent* scribi, sed quod Graevius edidit *iudicaretur* — *asservent* nec auctoritatem nec rationem habet. — *cum iudicata sit*, *ad se ut adducant*] Edi sic Lamb. repetit. voluerat, sed insequentium nemo animadvertit. Nunc ad Fabric. accedit Lag. 42 et Paris. B cum Lag. 29. Vulgo *cum iudicatum sit*, *ad se adducant*. — *poenam]* Sing. numero pro vulg. *poenas* Lag. 29. 42 Paris. A B. Iidem libri optimi *decumanis dedit* exhibent, non ut vulgo *tantum decumanis*, *quantum iste imperavit*, *exsolvit*.

§. 56. *pro iugeribus]* Libri mss. omnes, nec audeo mutare, quamvis Lambinus *iugeris* ediderit. Nam etsi in singulari numero formae, quae tertiam declinationem sequuntur, vel apud poetas rarissimae sunt, nec invenitur nisi *iugere* apud Tibullum II, 6, 24, in prosa autem oratione *iugerum*, *iugeri*, *iugero*, alterius declinationis formae, usu receptae sunt (siquidem *iugeris* apud Melam III, 5, 5 incertum est, apud Curtium V, 1, 26 codicum Florent. omnium auctoritate convincitur, *iugere* apud nostrum hoc libro c. 47 fide meliorum librorum redarguitur): haec cum ita sint, tamen in plurali *iugeribus* et apud poetas frequentissimum est, nec ab oratione prosa exulat, Varronis de re rust. et Plinii maioris, (locos vide apud Ruddimannum edit. Lips. T. I p. 111) quamquam iidem etiam *iugeris* alibi dicunt. — *in ius eductus est]* Naugerius primus et quantum intelligo sine auctoritate librorum mss. ediderat *deductus*. Inde propagarunt mediae istae editiones, quas Ernestius sequi maluit, quam vere antiquorum librorum auctoritatem, a Nannio et Grutero commemoratam. Nam *educere* pro *in ius ducere* etiam alibi Cicero lib. II, 26 init. cap. 37 item init. At verba *in ius* Ernestius male addita putavit, quod *in ius* non diceretur, nisi in forum, ad tribunal magistratus, non in domum privatam. Sic est haud dubie: verum hac ipsa re urgetur Verres cupiditasque eius et insolentia demonstratur. — *alii nemini]* Hoc verba ordine omnes libri mss. et olim impressi (ante Gruterum) exhibent restituitque Ernestius. Sed

gnis et calcibus concisus esset, qui DCC medimnis decidere noluisset, mille promisit. Eubulidas est Grosphus, Centuripinus, homo cum virtute et nobilitate domi suae, tum etiam pecunia princeps. Huic homini, iudices, honestissimae civitatis honestissimo, non modo frumenti scitote, sed etiam vitae et sanguinis tantum relictum esse, quantum Apronii libido tulit. Nam vi, malo, plagis adductus est, ut frumenti daret, non quan-
57 tum deberet, sed quantum cogeretur. Sostratus et Numenius et Nymphodorus eiusdem civitatis, cum ex agris tres fratres consortes profugissent, quod iis plus frumenti imperabatur, quam quantum exararant: hominibus coactis, in eorum arationes Apronius venit, omne instrumentum diripuit, familiam abduxit, pecus

---

quod idem adiecit alio esse non posse, erravit, quod Schellerus Obss. p. 57 laudatis exemplis demonstravit. — *concisus esset]* Vulgo nunc fere *conscissus*, sed significatio verbi non convenit. Edd. variant, Iunt. *concisus*, Ald. *conscissus*, etiam mss. librorum auctoritas paene par, nam *conscisus* Paris. A B Lag. 29. — *Eubulidas est Grosphus]* Doricam formam nominis revocavi ex Lag. 42 pro eo quod est *Eubulides*. Sic *Archonidas* infra c. 56 et IV, 26, item miser ille *Philodamus* in libro primo. *Grospus* plerique omnes codd. Lag. etiam 42, 29 *Grossus*. E Pariss. nihil enotatum est. Editorum *Grosphus* primus scripsit Naugerius, antea *Crispus*, *Grispus*. Idem ex aliquo meliorum *cum — tum* restituit, antea *tum — tum*. — *sed etiam vitae]* Adiectum est *etiam* primum in Lambiniana repetita propagatumque a Grutero. Sed quin illud factum sit Fabric. codicis auctoritate, dubitare me non patitur Lag. 42 consensus. Ab aliis mss. omnibus abest. Tam infirma sunt vulgatae lectionis fundamenta. Sed recte tamen secundum morem Tullianum, ubi crescit sententia, *etiam* additur.

non quantum deberet] Miror neminem Lambinum audisse, qui in marg. repet. *deberet* voluerit pro vulg. *haberet*, non suum iudicium secutus (quippe qui ipse in priore alterum dederit) sed cod. Fabricianum. Iam fiunt auctores boni libri omnes Paris. A B Lag. 29. 42, neque non ipsa ratio poscit; et saepe repetita in his causis aratorum affirmatio non plus sese daturos quam *deberent*. Mirum etiam, si quantum *haberent*.

§. 57. *quam quantum exararant]* probum videtur, annoto tamen in Lag. 42 *exararent* esse. Tum qui fere concordant Lag. 29 Paris. A B *deripuit*.

abegit. Postea cum ad eum Nymphodorus venisset Aetnam, et oraret, ut sibi sua restituerentur; hominem corripi ac suspendi iussit in oleastro quodam, quae est arbor, iudices, Aetnae in foro. Tamdiu pependit in arbore socius amicusque populi Romani in sociorum urbe ac foro, colonus aratorque vester, quamdiu voluntas Apronii tulit.

Genera iamdudum innumerabilium iniuriarum, iu- 58
dices, singulis nominibus profero: infinitam multitudinem iniuriarum praetermitto. Vos ante oculos animosque vestros tota Sicilia decumanorum hos impetus, aratorum direptiones, huius importunitatem, Apronii regnum proponite. Contempsit Siculos: non duxit homines: nec ipsos ad persequendum vehementes fore, et vos eorum iniurias leviter laturos existimavit.
Esto: falsam de illis habuit opinionem, malam de vo- 24
bis; verumtamen cum de Siculis male mereretur, ci- 59
ves Romanos coluit, his indulsit, eorum voluntati et gratiae deditus fuit. Iste cives Romanos? At nullis inimicior aut infestior fuit. Mitto vincla, mitto car-

---

§. 57. *Postea cum]* Edd. vett. et codd. plerique omnes *posteaquam*, sed recte nihilominus correxit Naugerius, deesset enim coniunctio, nec conveniret Plusquamperf. Coni. Nunc unus Lag. 42 *cum tuetur.* — *in oleastro quodam]* Naugerius *quadam* de suo edidit, genus masc. recte Lambinus restituit. — *Aetnae in foro]* Nulla causa est cur abundantiam veriti nomen urbis non repetamus, quod legitur in melioribus mss. Nam talia etiam apud Ciceronem multa sunt. Vulgo tamen omittitur, nec est nisi in Stephaniana et Lambiniana edd. ex Nanniano. — *aratorque vester]* Lag. 42 *noster.* Tum pro *genera* habet *summam*, memorabili dissensu, et quem haud facile spernas. Potest enim videri hoc dicere velle, non singulas inesse iniurias in singulis causis, sed multarum complexum: cum *genera* si dicit, eo referat, quod illa exempla tantum sunt, quorum similia alia multa praetereat. Sic supra cap. 20 extr. *genera ipsa* posuit. Item codex post *contempsit singulos* mendose, tum *vehementis*, et *leniter*.

§. 59. *mereretur]* Lag. 42 *mereret*, quod in tropica hac significatione non accipio. Idem *civis* vetuste bis, *cultus* mendose pro *coluit his*. — *At nullis inimicior]* Quod adhuc de coniectura Hotomani Lam-

cerem, mitto verbera, mitto secures, crucem denique illam praetermitto, quam iste civibus Romanis testem humanitatis in eos ac benivolentiae suae voluit esse: mitto, inquam, haec omnia, atque in aliud dicendi tempus reiicio; de decumis, de civium Romanorum condicione in arationibus disputo: qui quemadmodum essent accepti, iudices, audistis ex ipsis: bona sibi
60 erepta esse dixerunt. Verum haec, quoniam eiusmodi causa fuit, ferenda sunt: nihil valuisse aequitatem, nihil consuetudinem: damna denique, iudices, nulla tanta sunt, quae non viri fortes, magno ac libero animo affecti, ferenda arbitrentur. Quid, si equitibus Romanis non obscuris, neque ignotis, sed honestis et illustribus, manus ab Apronio, isto praetore, sine ulla

---

binus, Gruterus, Ernestius ediderunt, iam testimonio librorum meliorum Paris. A B Lag. 29. 42 tutum erit. Reliqui *nullus*. Ceterum *inimicior* primus Naugerius recte dedit: priores et mss. deteriorum cohors *inimicitior*. — *quam iste civibus]* *Iste* omissum est primum in repet. Lamb. incuria correctoris, vitiumque ab insecutis propagatum. Redeat igitur in veterem possessionem. — *erepta esse dixerunt]* Vulgo *dixere*, sed mihi in corrigenda verbi forma a Ciceronis usu aliena testimonium Lag. 42 suffecit. Vide ad libr. I, 6, ubi quod adhuc in Epist. IX, 21 *fuere* retinendum statui, nunc optimi Medicei lectionibus ex editione Orelliana cognitis ne hoc quidem opus est.

§. 60. *quoniam eiusmodi causa fuit]* Sic Lambinus e Fabric. in marg. repet. et unus Lag. 42, nam septem reliqui et Paris. vulgatam referunt *quoniam huiusmodi casus adfuit*. Quin illud longe praestet, nemo dubitavit: res ita comparata est, aiebant homines: avaro praetori cedendum. Sed coniunctio *verum* unde in textum venerit certo dici nequit. Legitur in priore Lambiniana, item in repet. textu, nec adiicitur quicquam. Itaque libenter delessem, nisi ad VII Lagom. deesset unus ille 42. — *magno ac libero]* Paris. A B Lag. 29 *ac magno et libero*, Lag. 42 *magno ac libero*. Hoc mihi praestare videtur, tum propter libri auctoritatem, tum propter usum coniunctionis. *Arbitrarentur* Nannianus. — *non obsc. neque ignotis]* „Sunt synonyma, quae per *atque* coniungi debent." Ern. Prorsus contra sese res habet: *atque* excusari posset, si *non obscurus* ita coniungi deberent, ut essent pro uno verbo positivo, velut *clarus:* sed si negatio manet in sententia, copulativa coniunctio ferri nequit, et debet esse aut disiunctiva, aut negativa.

dubitatione afferebantur: quid expectatis? quid a me amplius dicendum putatis? an id agendum, ut eo celerius de isto transigamus, quo maturius ad Apronium possimus, id quod ego illi iam in Sicilia pollicitus sum, pervenire? Qui C. Matrinium, iudices, summa virtute hominem, summa industria, summa gratia, Leontinis in publico biduum tenuit. Atque ab Apronio, iudices, homine in dedecore nato, ad turpitudinem educato, ad Verris flagitia libidinesque accommodato, equitem Romanum scitote biduum cibo tectoque prohibitum: biduum Leontinis, in foro, custodiis Apronii retentum atque servatum, neque ante dimissum, quam ad condiciones eius depactus est. Nam quid ego de Q. Lol- 25
lio, iudices, dicam, equite Romano spectato atque ho- 61
nesto? Clara res est, quam dicturus sum, tota Sicilia celeberrima atque notissima: qui cum araret in Aetnensi, cumque is ager Apronio cum ceteris agris esset traditus; equestri vetere illa auctoritate et gratia fretus, affirmavit, se decumanis plus quam deberet,

---

§. 60. *ego illi]* codices mss. omnes, nisi a quibus *ego* abest, ut Lag. 29 Paris. A B. Graev. *illi ego.* — *pervenire]* ex Nanniano editur. Accedit unus Lag. 42, nam ceteri ut olim vulgabatur, simplex *venire* habent. — *summa ind.]* Absunt haec verba a Lag. 42.

Atque ab Apronio] Praepositio abest a Pariss. et VII Lag. Par. III item editt. principibus, sed legitur in Victor. et Hervag. rel. Confusio ex similitudine litterarum orta, nam *ab* non potest suppleri, *atque* posset abesse. Et omittere voluit Gruterus, vel mutari in *atqui*, quod Lallemandus levissimus homo ambabus arripuit seque ex Gruterianis mss. et Regio optimo *atqui* edidisse scribit. Verum de Gruterianis mss. somniat, nec quicquam ei credo de Regio. — *in dedecore]* Lag. 42 *indecore*, et post pro *educato* habet *educto*. Postremo *ad condicionem eius deiectus est* pro *ad condiciones eius depactus est.* Hoc item Nannianus, (nisi quod *condiciones* servat) sed mendose uterque. Nam verbum *deiici* locum hic non habet. Fortasse autem *depectus est* scribendum.

§. 61. *vetere illa auctoritate]* Vulgo *et auct.* Sed ea coniunctio est a Naugerio, nec inventa in libris mss. *Veteri* unus Lag. 29.

non daturum. Refertur eius sermo ad Apronium. Enimvero iste ridere ac mirari, Lollium nihil de Matrinio, nihil de ceteris rebus audisse. Mittit ad hominem Venerios: (hoc quoque attendite, apparitores a praetore assignatos habuisse decumanum; si hoc mediocre argumentum videri potest, istum decumanorum nomine ad suos quaestus esse abusum:) adducitur a Veneriis atque adeo attrahitur Lollius, commode cum Apronius a palaestra redisset, et in triclinio, quod in
62 foro Aetnae straverat, decubuisset. Statuitur Lollius in illo tempestivo gladiatorum convivio. Non mehercule haec, quae loquor, crederem, iudices, tametsi vulgo audieram, nisi mecum ipse senex, cum mihi atque huic voluntati accusationis meae lacrimans gratias ageret, summa cum auctoritate esset locutus. Statuitur, ut dico, eques Romanus, annos prope xc natus, in Apronii convivio, cum interea Apronius caput atque os suum unguento confricaret. *Quid est, Lolli?*

---

§. 61. *ad Apronium]* Est e Nanniano et ceteris melioribus. Olim vulgatae cum deterioribus *Apronio.* — *si hoc mediocre] Hoc* accessit ex Nann. nec est nisi in uno Lag. 42, nam ceteri omittunt pronomen.

commode cum] Altera forma Lag. 42 *commodo*, quae tamen nondum apud Cic. inventa est. At *commode cum* Epist. ad Att. II, 12 *Emerseram commode ex Antiati, cum in me incurrit.* Frequentius utroque est *commodum*, sed obtrudere, si codices non addicant, non est opus. Tum *a pal.* idem 42, quod et exquisitius et verius videtur, quam vulg. *e*, nimirum quo sensu dicimus *a balneo venire*, ut non tam locus ipse intelligatur, sed corporis cura. Vide Tursellinum, et verum et personatum Ferd. Handii, viri diligentissimi, in ipso principio.

decubuisset] Vulgo et recte. Unus Lamb. coniecturam non libros secutus *recubuisset.*

§. 62. *haec quae loquor]* Haec addiderunt Steph. et Lambinus ex Nanniano, et confirmatur nunc Lagom. et Pariss. melioribus. — *annos prope XC natus]* Hoc verba ordine collocantur in libris mss. nostris omnibus, editi *prope annos.* — *unguento confricaret]* Parvum est quod annoto, sed non spernendum tamen, in Lag. 42 esse *confr.* pro vulg. *perfricaret.* Utrumque probum est, sed *confricare* tamen maiorem curam et tranquillitatem hominis significat.

inquit: *tu, nisi malo coactus, recte facere nescis?* Homo quid ageret; taceret, responderet; quid faceret denique, illa aetate et auctoritate praeditus, nesciebat. Apronius interea coenam ac pocula poscebat. Servi autem eius, qui et moribus iisdem essent, quibus dominus, et eodem genere ac loco nati, praeter oculos Lollii haec omnia ferebant. Ridere convivae; cachinnare ipse Apronius: nisi forte existimatis, eum in vino atque luxu non risisse, qui nunc in periculo atque exitio suo risum tenere non possit. Ne multa, iudices: his contumeliis scitote Q. Lollium coactum ad Apronii leges condicionesque venisse. Lollius, aetate 63
et morbo impeditus, ad testimonium dicendum venire non potuit. Quid opus est Lollio? nemo hoc nescit: nemo tuorum amicorum, nemo abs te productus, nemo abs te interrogatus, nunc se primum diceret audire.

---

§. 62. *illa aetate et auctoritate]* Vulgo inverso ordine, sed nos secuti sumus consensum meliorum librorum. — *iisdem]* Lag. 42 *eisdem.* Mox *ferebant* e correctione Naugerii: priores et mss. deteriores *fiebant.* — *cachinnare ipse Apronius]* Activam verbi formam passivae substitui iussu librorum meliorum Lag. 29. 42 Paris. A B. Itaque hoc verbum posthac e numero deponentium eximetur, cum et hoc uno loco apud Ciceronem legatur, et apud alios scriptores activa forma ponatur. — *in vino atque luxu]* Sic Lag. 42, quem in magna varietate librorum sequendum putavi. Nam duo Lagom. *ac lustro*, uti edit. Iuntina, plures etiam edd. veteres et codices Franc. Lag. 29. Paris. tres *ac lucro:* primum inveni *ac luxu* in Ascens. ac deinde in Crat. Vict. Hervag. et porro, sed Lambinus in marg. repet. denuo *ac lucro* voluit. Sed non debet dubitari, quin *luxus* rei maxime conveniat. Etiam mox pro *atque exitio* olim ante Lambin. *ac exitio* contra libros mss. Tum *istis contumeliis* pro *his cont.* Lag. 42.

§. 63. *nemo abs te productus, nemo abs te interrogatus]* Vulgus mss. *nemo abs te interrogatus*, omissis quae in medio sunt: sic septem Lagom. tres Parisini. editt. vett. Tum Nanniani libri scriptura innotuit: *nemo tuorum amicorum, nemo prompte abductus, nemo abs te interrogatus*, sed editores tamen Nonium Marcell. Grammaticum magis secuti sunt, qui *nemo abs te productus, nemo interrogatus* s. v. *producere* laudat. Lag. 42 *nemo pro opte abductus, nemo abs te interrogatus* exhibet. Iam videtur liberum esse, utrum *nemo*

M. Lollius, eius filius, adolescens lectissimus, praesto est: huius verba audietis. Nam Q. Lollius, eiusdem filius, qui Calidium accusavit, adolescens et bonus, et fortis, et in primis disertus, cum his iniuriis contumeliisque commotus in Siciliam esset profectus, in itinere occisus est: cuius mortis causam fugitivi sustinent; re quidem vera nemo in Sicilia dubitat, quin eo sit occisus, quod habere clausa non potuerit sua consilia de Verre. Iste porro non dubitabat, quin is, qui alium antea studio adductus accusasset, sibi advenienti praesto esset futurus, cum esset parentis iniuriis et domestico dolore commotus.

26 Iamne intelligitis, iudices, quae pestis, quae im-
64 manitas in vestra antiquissima, fidelissima, proximaque provincia versata sit? Iam videtis, quam ob cau-

---

productus, an *nemo productus a te*, an *nemo abs te productus* scribatur, sed *nemo abs te interrogatus* cur deseratur, causam equidem video nullam. Porro quod sequitur vulgo *nunc se primum hoc dicet audire*, si Nanniano et Lagom. optimo parere volumus, debet esse *nunc se primum diceret audire*, nam *hoc* facillime ex praegressis suppleri potest, et Verres nihil minus faciet quam ut ipse testes huius rei producat. — *M. Lollius, eius filius]* Sic Gruterus et insecuti: priores et codd. praeter unum Lag. 42 *filius eius.* Sed paulo gravius est quod Lag. 42 post exhibet *eiusdem filius* rectissime, nam cum ad eum referatur, cuius modo facta est mentio, aliter non potuit. *Audistis* ex Nanniano editum est, cum antea fuerit ex deterioribus Lag. VI Paris. C *auditis.* — *iniuriis contumeliisque]* Lagom. 42 *contumeliis inique*, i. e. *contumeliis iniuriisque.* — *alium antea]* Hoc ordine iubet consensus meliorum codicum. Sed Paris. A B Lag. 29 etiam *ante*, quod reciperem, nisi obstaret Lag. 42.

§. 64. *in vestra — proximaque]* Lag. 42 *nostra — proxima.*
Iam videtis] In nonnullis edd. vett. ante Aldinam *iamne*, sed codd. non fiunt auctores, neque videtur interrogatio continuari, cum ne proxima quidem *Iam omnes intelligunt* in ea forma orationis maneant. Porro *furta antea* Lag. 42, exquisitiore opinor verborum ordine, quam vulgo *antea furta.* Sed quod sequitur vulgo *non potuerit hoc novum*, si veteribus libris fides habenda, esse debet *hoc non potuerit novum.* Mutaverat primus Lambinus, paulo negligentior dum vult esse diligens, et quod apud Manutium et Stephanum exciderat, restituit *hoc:* sed fefellit Gruterum.

sam Sicilia, tot hominum furta antea, rapinas, iniquitates, ignominiasque perpessa, hoc non potuerit novum ac singulare atque incredibile genus iniuriarum contumeliarumque perferre. Iam omnes intelligunt, cur universa provincia defensorem suae salutis eum quaesiverit, cuius iste fidei, diligentiae, perseverantiae nulla ratione eripi possit. Tot iudiciis interfuistis: tot homines nocentes et improbos accusatos, et vestra et superiorum memoria, scitis esse: ecquem vidistis, ecquem audistis in tantis furtis, in tam apertis, in tanta audacia, tanta impudentia esse versatum? Apronius 65
stipatores Venerios secum habebat: ducebat eos circum civitates: publice sibi convivia parari, sterni triclinia, et in foro sterni iubebat: eo vocari homines honestissimos, non solum Siculos, sed etiam equites

---

§. 64. *contumeliarumque perferre]* Edd. veteres, antequam Nanniani libri scripturae innotuerunt, et codd. Paris. omnes, item Lagom. uno excepto 42 omnes *ferre*. — *cur — quaesiverit]* Coniunctivum meliores libri omnes iubent, sed in ipsa forma discordant. Nam Lag. 29 et Paris. A B *quaesierit*, Lag. 42 et Lamb. *quaesiverit*. Itaque hoc praetuli, nec tamen obsecutus sum Ernestio *posset* corrigenti. Potest enim aeque bene de praesenti re et condicione, ac de consilio praeteriti temporis dici. Ante *intelligant* Lag. 42, mendose opinor. Paulo post *et* ante *improbos* omittit. — *tanta impudentia]* Miror praepositionem *in*, quam Lambinus vet. codice laudato praemitti iusserat, in nullo Lagom. nec Paris. inveniri. Itaque ne ipse quidem recipere ausus sum.

§. 65. *et in foro sterni]* Olim fere *etiam in foro iubebat* editum fuit, Lambinus uti nunc editur e suo cod. vet. (Fabric.) protulit, et Gruterus (e Metell.) recepit: nunc item Lagomarsinianorum optimus auctor fit. Sed *etiam* pro *et* in nullo libro manuscripto.

eo vocari] Plerique libri mss. et olim editi *evocari*, sed iam Victor. *eo vocari* optime, Hotom. tamen *eo convocari* cum commendasset, asseclam invenit Lambinum. Post *quicum* cum sit e Nanniano editum, praeter illum solius Lag 42 fide nititur. Ceteri *quocum*. Sed discedunt inter se duo illi libri, quod Lag. 42 *vivere*, Nann. ut vulgo *inire convivium* traditur habere. Fortasse Nannius parum fidelis, nam mihi quidem *vivere cum aliquo* prorsus Ciceronianum videtur et oppositioni bene servire.

Romanos: ut, quicum vivere nemo unquam nisi turpis impurusque voluisset, ad eius convivium spectatissimi atque honestissimi viri tenerentur. Haec tu, omnium mortalium profligatissime et perditissime, cum scires, cum audires cotidie, cum videres; si sine tuo quaestu maximo fierent, cum tanto tuo periculo fieri paterere atque concederes? Tantum apud te quaestus Apronii, tantum eius sermo inquinatissimus et blanditiae flagitiosae valuerunt, ut nunquam animum tuum
66 cura fortunarum tuarum cogitatioque tangeret? Cernitis, iudices, quod et quantum incendium decumanorum impetu non solum per agros, sed etiam per reliquas fortunas aratorum, neque solum per bona, sed etiam per iura libertatis et civitatis, isto praetore pervaserit. Videtis pendere alios ex arbore; pulsari autem alios et verberari; porro alios in publico custodiri; destitui alios in convivio; condemnari alios a medico et praecone praetoris; bona tamen interea nihilominus eorum omnium ex agris auferri ac diripi. Quid est hoc? populi Romani imperium? populi Romani leges?

§. 65. *quaestu maximo]* meliores: editi inverso ordine. Tum unus 42 *tuo periculo*, item bene: vulgo *per. tuo.* *Et* ante *tantum* Pariss. omnes et Lag. 29. 42 abiici iubent. — *fortunarum tuarum* Lag. 42, vulgo inverso ordine.

§. 66. *neque solum]* Ante Lamb. in marg. repet. edebatur etiam hic *non solum*, sicut in Paris. B C Lag. VII legitur. Supersunt igitur Paris. A et Lag. 42 cum Fabric. concordantes. — *pulsari autem alios]* Omnes libri quorum variantibus utor praeter unum Lagom. 42 *pulsari alios autem*, quod item in edd. vetustissimis legitur, a Naugerio correctum. De discrimine verborum *verberare* et *pulsare* Garatonius Dukerum in Opusculis de Latinitate Ictorum vett. laudat p. 138 et 148. Alii aliter significant, sed *verberantur* homines virgis vel baculis vel alio quodam instrumento artis cuiusdam, *pulsantur* pugnis vel calcibus vel saxis: *verberantur* arte, *pulsantur* vi et rudi impetu.

populi Romani imperium] Lag. 42 *pretor*, solita illius notarum confusione. Tum in Lag. 29 Paris. A B et omittuntur *socii* et coniungitur *fidelis prov. suburbana:* etiam Lag. 42 *fidetios*, quod pertinet ad scripturam *fidelis.* Sed in eodem cod. paulo post *sunt*, quod le-

iudicia? socii fideles? provincia suburbana? nonne omnia potius eiusmodi, quae, si Athenio vicisset, in Sicilia non fecisset? non, inquam, iudices, esset ullam partem istius nequitiae fugitivorum insolentia consecuta.

Privatim hoc modo: quid publice? civitates tra- 27
ctatae quemadmodum sunt? Audistis permulta, iudices, testimonia civitatum, et reliquarum audietis. Ac 67
primum de Agyrinensi populo, fideli et illustri, breviter cognoscite. Agyrinensis est in primis honesta civitas Siciliae, hominum ante hunc praetorem locupletium summorumque aratorum. Eius agri decumas cum emisset idem Apronius, Agyrium venit. Qui cum eo cum apparitoribus, id est cum vi ac minis, venisset, poscere pecuniam grandem coepit, ut, accepto lucro, discederet; nolle se negotii quicquam habere

---

gitur vulgo post *eiusmodi*, omittitur, quod magnopere placet, quippe magis vinctum. — *Athenio]* Additur in Nann. et Lag. 42 *rex fugitivorum*, quae scriptura librorum quantumvis laudandorum interpretationem tamen librarii nimis clare arguit.

civitates tractatae quemadmodum sunt] Vulgo *quemadm. tract. sunt*. Sed eo quo edidi verba ordine collocantur in melioribus omnibus, Lag. 29. 42 Paris. A B. Hi autem *sint* pro *sunt* exhibent minus recte, nam vis orationis non paulum imminueretur. Ceterum redii ad veterem ante Lambinum interpungendi rationem *quid publice?* Nam *publice*, si cum *civitatibus* coniungas, abundat, nec habet *privatim*, quod recte opponatur. — *Audistis permulta, iudices, testimonia]* Vulgo *permulta indicia et testimonia*, sed *et* meliores omittunt, tum omnes fere *iudicia*, Paris. A vero clare *iudices*. De *indiciis* porro nihil usquam dicitur, neque convenit civitatibus.

§. 67. *Agyrinensis est] Est* omittitur in Lag. 42, fortasse sicut in Paris. B est *Agyrinensi est*. *Siciliae civitas* mutato ordine Par. A B Lag. 29. *Summorum aratorum*, sine copula 42: quae omnia, etiamsi indicio digna sunt, tamen parum probo. — *Qui cum eo cum app.]* Videntur haec recte se habere, sed codd. tamen turbant: Lag. 42 *Qui cum appar. id est cum vi ac minis eo venisset*, Paris. A B Lag. 29 *qui cum app. eo cum vi ac minis venisset*. Hoc apparet, *cum vi ac minis* non, quemadmodum vulgo fit, *cum minis ac vi* scribendum esse.

dicebat, sed, accepta pecunia, quam primum aliam
civitatem occupare. Sunt omnes Siculi non conte-
mnendi, si per nostros magistratus liceat, sed homi-
nes et fortes satis, et plane frugi ac sobrii; et in pri-
68 mis haec civitas, de qua loquor, iudices. Itaque ho-
mini improbissimo respondent Agyrinenses, sese de-
cumas ei, quemadmodum deberent, daturos: lucrum,
cum ille praesertim magno emisset, non additaros.
28 Apronius certiorem facit istum, cuia res erat. Statim,

---

§. 67. *sed accepta pecunia* cet.] Addi voluit Lamb. in marg. repet. *velle*, in quo nemo ei obsecutus est, ne commemoravit quidem coniecturam. Nec iniuria, nam post adversativam particulam saepe fit ut negatio in affirmationem mutetur. Nescio tamen an ita Fabricianus: nam enotatur verbum e Lagomarsinianis, sed omissa libri nota: quamquam ne sic quidem mutarem. — *aliam civitatem occupare]* Ex uno Lag. 42, sed optimo profecto libro edidi pro vulg. *occurrere*. Nam hoc quomodo Latine dicatur nondum quisquam docuit, nimirum cum Accusativo tali, nam absolute nihil impedio.

sed homines et fortes satis, et plane frugi] Locus particulis nova ratione usurpatis refertus. Nam vulgo sic editur: *sed homines et satis fortes et satis plane frugi ac sobrii, et imprimis haec civitas, de quo loquor, iudices. Itaque homini imprimis improbissimo respondent* cet. In quo et illud *satis plane frugi*, et accumulatio *imprimis improbissimus* offendit. Illi videtur mederi mutata verborum structura, quae est in Lag. 29 Paris. A B, ut non *satis fortes* sed *fortes satis* scribatur, unde opinor facile intelligi, quod sequitur *et satis plane* ortum esse ex repetitione vocis paulo praegressae. Alterum *imprimis* tolli iubet Lag. 42 auctoritas. Lambinus quidem totum locum vehementius correctum sic edidit: *cum sint omnes Siculi non contemnendi, — sed et satis fortes et plane frugi ac sobrii: tum in primis haec civitas.* Alterum vero *in primis* non sustulit ille quidem in priore editione, sed in marg. repet. deleri voluit, quod indicio mihi est, vocem a Fabriciano abfuisse. Sed ne hoc quidem omittendum, quod edidit *omnes Siculi* felici coniectura ductum fecisse, quae confirmatur nunc Lag. 42. Antea enim fuit, quod et in ceteris codd., *homines Siculi*.

§. 68. *cum ille praesertim magno]* Sic verba collocat Lag. 42. Vulgo *cum ille magno praesertim*. Nam *cum praesertim* coniungendum, neque recte latius diducitur. — *cuia res erat]* Additur vulgo *quid rei esset*, quae verba Ernestio suspecta fuerunt, quoniam *certiorem facere* simpliciter in tali oratione dicitur. Non vanam fuisse ma-

tamquam coniuratio aliqua Agyrii contra rem publicam facta, aut legatus praetoris pulsatus esset, ita Agyrio magistratus et quinqueprimi accitu istius evocantur. Veniunt Syracusas: praesto est Apronius: ait, eos ipsos, qui venissent, contra edictum praetoris fecisse. Quaerebant, quid? respondebat, se ad recuperatores esse dicturum. Iste, aequissimus homo, formidinem illam suam miseris Agyrinensibus iniiciebat: recuperatores se de cohorte sua daturum minabatur. Agyrinenses, viri fortissimi, iudicium se passuros esse dicebant. Ingerebat iste Artemidorum Cornelium medicum, et Tlepolemum Cornelium pictorem, et eiusmodi recuperatores, quorum civis Romanus nemo erat, sed Graeci sacrilegi, iampridem improbi, repente Cornelii. Videbant Agyrinenses, quicquid ad eos recuperatores Apronius attulisset, illum perfacile probaturum: condemnari cum istius invidia infamiaque malebant, quam ad eius condiciones pactionesque accedere. Quaerebant, quae in verba recuperatores daret. Responde- 69

---

gni hominis suspicionem nunc probat Lag. 42, in quo non leguntur. Itaque delevi. Idem liber pro *cuia* habet *quoiam*, in quo priscam scribendi rationem agnosces. — *iudicium se]* Lag. 42 *iuditio se*.

§. 69. *Art. Cornelium medicum et Tlep. Corn. pictorem]* Olim edebatur *Artem. medicum Cornelium, pictorem Tlepolemum*, in quo nihil magnopere discedebatur a tota librorum mss. cohorte, nisi quod hi fere *Artem. medicum, Cornelium pictorem et Tlepolemum.* Nam menda in nomine *Tlepolemi* non moror. Ecce autem Lambinus pr. edit. inter medicum et pictorem medium iniicere coepit *Valerium praeconem*, nec posthac in marg. repetitae quicquam nisi verborum ordinem correxit, ut esset *Artemid. Cornelium medicum, Valerium praeconem, Tlepolemum pictorem.* Eaque Lambiniana constitutio mansit, et dicitur a Grutero e Fabriciano cod. esse. Quod falsum esse facile intelligitur, nam *Valerius praeco* adfuit iam, antequam Lamb. Fabriciani codicis variantes scripturas accepit, et nunc Lag. 42 demonstrat, ex illo codice non esse nisi verborum collocationem. Quin et Artemidorus et Tlepolemus Cornelii existimandi sunt, scilicet Romanis iam nominibus gloriantes, aut falsis, aut Verris opera cum civitate acceptis, quamquam hoc quidem negat Cicero. Nam Lag. 42 sic prorsus: *Corn. med.*

bat, *si paret, adversus edictum fecisse,* quam rem in iudicio dicturum esse dicebat. Iniquissimis verbis, improbissimis recuperatoribus, conflictari malebant, quam quicquam cum isto sua voluntate decidere. Summittebat iste Timarchidem, qui moneret eos, si saperent, ut transigerent. Pernegabant. Quid ergo? In singulos HS quinquagenis milibus damnari mavultis? Malle dicebant. Tum iste clare, omnibus audientibus, *qui damnatus erit,* inquit, *virgis ad necem caedetur.* Hic illi flentes rogare atque orare coeperunt, ut suas sibi segetes, fructusque omnes, arationesque vacuas Apronio tradere liceret, ut ipsi sine ignominia molestiaque discederent.

70 Hac lege, iudices, decumas vendidit Verres. Dicat licet Hortensius, si volet, magno Verrem vendi-
29 disse. Haec condicio fuit isto praetore aratorum, ut

---

ut Tlepodemum, Cornelium pictorem et eiusmodi. Itaque iure *Valerium praeconem* rursus amandabimus, unde exortus est, ad cap. 21: sed nec coniunctionem nec repetitum nomen Cornelium omittemus, fontem errorum. — *Respondebat, si paret]* Olim editum fuit *si pateret*, e deterrimis Lagom. 5. 27 Paris. C, post Hotomanum *si pareret*, sed *paret* Lagom. 1. 42. 29. *parret* Paris. B. Vide ad divin. 17 et supra ad c. 22. Et hoc quidem loco integra formula facile se commendat. Quod deinde scripsimus *quam rem in iudicio dicturum esse dicebat*, scil. Apronium, coniecturam secuti sumus. Nam codd. et plerique et optimi *quare*, Paris. A B *qua in re*, quod eodem ducit, nam lineola omissa quid frequentius? Editum fuit primum *quae in iudicio*, post Lambinum *quae se in iudicio*, nam Nannius se in suo libro *quare se* tradit invenisse. Sed hoc ad ipsum praetorem referretur, contra rei veritatem. Itaque malui ellipsin potius accusativi statuere. Porro ex Nann. editur a Lamb. Graevio aliis *dicturum aiebat*, quod quoniam ceterorum codicum et imprimis Lag. 42 obest auctoritas, non admisi. — *sua volunt.]* Lag. 42 *sui vol.* Post idem *ns L milibus.*

suas sibi segetes] Haec est legitima constructio verborum, a Lagom. 42 servata. Vulgo *ut sibi suas.* Extremo capite idem liber *licet dicat Hort. si volet magno Verrem decumas vendidisse.* Quod a Naugerio usque ad Stephanum et publicatas Nanniani varias scripturas editiones possedit, *si audet*, unde in textum venerit, ignoro. Codices certe nulli habent.

secum praeclare agi arbitrarentur, si vacuos agros Apronio tradere liceret. Multas enim cruces propositas effugere cupiebant. Quantum Apronius edidisset deberi, tantum ex edicto dandum erat. Etiamne si plus edidisset, quam quantum natum esset? Etiam. Quomodo? Magistratus ex istius edicto exigere debebant. At arator repetere poterat. Verum Artemidoro recuperatore. Quid, si minus arator dedisset, quam poposcisset Apronius? Iudicium in aratorem in quadruplum. Ex quo iudicum numero? Ex cohorte praetoria praeclara: hominum honestissimorum. Quid amplius? Minus te iugerum professum esse dico: recuperatores reiice, quod adversus edictum feceris. Ex quo numero? Ex eadem cohorte. Quid erit extremum? Si damnatus eris, (nam dubitatio damnationis, illis recuperatoribus, quae poterat esse?) virgis te ad necem caedi necesse erit. His legibus, his condicionibus, erit quisquam tam stultus, qui decumas venisse arbitretur? qui aratori novem partes reliquas factas esse existimet? qui non intelligat, istum sibi quaestui praedaeque habuisse bona, possessiones, fortunasque aratorum? Virgarum metu Agyrinenses, quod imperatum esset, facturos se esse dixerunt.

---

§. 70. *ex istius edicto]* Editur *ipsius* male, nam referretur ad Apronium, cuius mentio proxima. *Istius* voluit Lamb. in marg. repet. i. e. ex Fabriciano, et legitur in Lag. 42. — *At arator repetere poterat]* Emendavit Naugerius, priores enim et mss. praeter Lag. 42 nostri omnes *ab aratore petere poterat.* Post pro *quid* Lag. 42 *quod.*

Ex cohorte praetoria] Nihil interest sed exquisitior tamen haec scriptura Lag. 42 videtur, quam quod vulgo editur *cohorte praetoris.*

adversus edictum] Vulgo *adversum*, ingrata consonantia, quapropter in frequentissima confusione secuti sumus Lag. 42. — *poterat]* Ante Naugerium ex deterioribus Lag. VI Par. C *poterit.* Lag. 42 omittit *te* et *caedi necesse.* — *venisse arbitretur]* Lag. 29. 42 Paris. A B *arbitraretur*, mendose. Lag. 42 etiam *novisse.* — *fortunasque aratorum] Que* adiecimus ex fide Lagom. 42. Nam *que* extremo loco colligit.

30 Accipite nunc, quid imperarit, et dissimulate, si
71 potestis, vos intelligere, ipsum praetorem, id quod tota Sicilia perspexit, redemptorem decumarum atque adeo aratorum dominum ac regem fuisse. Imperat Agyrinensibus, ut decumas ipsi publice accipiant, Apronio lucrum dent. Si magno emerat, quoniam tu es, qui pretia diligentissime exquisisti, qui, ut ais, magno vendidisti: quare putabas emptori lucrum addi oportere? Esto: putabas. Quamobrem imperabas, ut adderent? Quid est aliud, capere conciliare pecunias, in quo te lex tenet, si hoc non est, vi atque imperio cogere invitos lucrum dare alteri, hoc est, pecuniam
72 dare? Quid tum? Apronio, deliciis praetoris, lucelli aliquid iussi sunt dare. Putatote Apronio datum, si

§. 71. *dissimulate, si potestis]* Addunt vulgo *dissimulate vos*, quod pronomen cum ad *dissimulate* pertinere non possit, neque emphasis causa repetitum videatur, iam Ernestius deleri iussit. Age iam auctores fiunt boni libri omnes, Paris. A B Lag. 29. 42.

id quod — perspexit] Vulgo *quod — perspexerit*, sed longe rectius absolute ponitur in Lagom. 42. *Id* autem, cum legatur in illo optimo, tum ne a deterrimis quidem abest, quamquam mendose est *et*.

aratorum dominum] Sic libri omnes, unus Nannii *arationum*, mendose, ut facile intelligitur, verumtamen Lambinus, Car. Stephanus, Graevius, Ernestius receperunt, tamquam exquisitius. Sed nihil inest elegantiae, nec acerbitatis quidem, quae in domino et rege *aratorum* intelligitur. — *qui pretia diligentissime exquisisti]* Vulgo *diligent. pretium:* sed ordinem verborum restituimus eum, qui est in cod. 42, pluralem numerum mss. fere omnes, itemque edd. vetustissimae.

capere conciliare] Non fuit hoc omittendum, quamquam unius codicis Lag. 42 nititur auctoritate, nam vulgo *et* adiicitur. Formularum enim hoc proprium est, similia verba sine coniunctione poni, velut hoc ipso libro c. 94 *pecunia capta conciliata* est. Quamquam ne omittere quidem eum morem oratori non licet, sicut c. 40 *pecuniae captae et conciliatae* sunt. Cf. nos in Gramm. Lat. §. 740.

§. 72. *Quid tum? Apronio — iussi sunt dare. Putatote]* Hic rursus Lag. 42 eximie virtutem probat. Nam quod diligentior fortasse aliquis coniectura assequi potuit, id manifesto exhibet. Legitur enim vulgo *Age, quid tum? Si Apronio — lucelli aliquid iussi sunt dare, putate Apronio datum* cet. in quo illud offendit, quod dicit: *si iussi sunt dare, putate*, cum dubitari nequeat quin iussi sint. Neque servatur

Apronianum lucellum ac non praetoria praeda vobis videbitur. Imperas, ut decumas accipiant: Apronio dent lucri tritici medimnum $\overline{\text{XXXIII}}$. Quid hoc est? una civitas ex uno agro plebis Romanae prope menstrua cibaria praetoris imperio donare Apronio cogitur. Tu magno decumas vendidisti, cum tantum lucri decumano sit datum? Profecto, si pretium exquisisses diligenter, tum, cum vendebas, $\overline{\text{X}}$ medimnum potius addidissent, quam HS $\overline{\text{DC}}$ postea. Magna praeda

---

vis formulae *quid tum?* quae admirationem quandam exprimit, quid velis efficere, etiamsi quid concedatur tibi. His incommodis medetur scriptura libri illius, qui primum *age* non habet, quod facile abest, quippe idem significans quod insequenti formula inest, deinde omisso *si* absolvit sententiam, quasi sic dicas: Iam etiamsi tibi ea, quae dixisti, vera esse concedamus, quid inde sequitur ad eam rem, de qua hoc loco agitur, num ipse Verres pecunias ceperit? Vos vero, ait orator, Apronio cessisse illud lucrum arbitremini, si parva illa pecunia, ac non maxima fuerit. Etiam *putatote* (quod in libro illo scribitur *putato te*) prorsus ad legem Latini sermonis, cum futuro.

lucri tritici medimnum $\overline{\textit{XXXIII}}$] *Lucri* coniecerat Hotomanus et inventum est in Lag. 42. Tum *medimnum* correximus cum Hotomano pro eo, quod in plerisque omnibus codicibus et edd. antiquis est *medimna*. Postulat enim ratio grammatica et Lag. 42 *modium* habet. XXXIII non XXXIIII, sicut in edd. vett. est, meliores omnes. Ad quem numerum audies milia, quod ipsum verbum h. l. in nullo libro msto litteris exprimitur. Sed in Paris. B lineola inducta est numero, quam significare milia veteribus notarum collectoribus credimus. Item sic fere reliquis locis optimi quique libri, eosque sequemur, ut, ubi ipsum verbum non legatur, sed audiri debeat, lineolam imponamus.

Quid hoc est] Hoc ordine verborum exhibet Lag. 42. Vulgo *quid est hoc?* nec ipsum insolitum, nam est statim cap. insequenti et antea §. 66 et IV, 64 §. 143. Sed tamen alterum frequentius.

plebis Romanae] Edebatur primum *plebi*, tum *plebis*, nunc *plebei*. Et haec quidem antiqua scilicet forma genitivi Lambino debetur, veterem codicem laudanti, sed non Fabricianum illum, ut apparet, si notam in priore et in repetita editione comparaveris. Quin optimus Lag. 42 cum *plenis* habeat, tuetur formam vulgarem eamque unice Ciceroni usurpatam. Lagom. 29 *plebi*, item Pariss. quantum ex silentio coniicio: reliqui Lagom. videntur *plebis* exhibere.

$\overline{\textit{X}}$ *medimnum*] Etiam hoc loco libri mss. *medimna*, a quorum auctoritate recedere quamquam molestum est, necessarium tamen est, et ad notarum rationem confusioni obnoxiam confugiendum. Qui se-

videtur: audite reliqua, et diligenter attendite, quo minus miremini, Siculos, re necessaria coactos, auxilium a patronis, a consulibus, ab senatu, ab legibus,
73 ab iudiciis petivisse. Ut probaret Apronius hoc triticum, quod ei dabatur, imperat Agyrinensibus Ver-
31 res, ut in medimna singula dentur Apronio HS. Quid est hoc? tanto numero frumenti, lucri nomine, imperato et expresso, nummi praeterea exiguntur, ut pro-

---

quitur numerus HS $\overline{DC}$ verus est, si antea medimna sunt 33000, non modii, efficiuntur enim modii 198000, cumque singuli modii sint ternum sestertium, summa conficitur HS 594000, quae paululum ab illa abest. Sed in Lag. 42 notatur esse *L et*, quod quid sit, parum intelligo. — *re necessaria coactos]* Loquendi genus Ciceroni non usitatum, sed Caesar sic dixit lib. I de bell. civ. c. 40 *Necessaria re coactus locum capit superiorem.* Itaque non moror cod. Lag. 42, in quo *re* non legitur. — *a consulibus, ab senatu]* Difficile negotium hoc loco de praepositionibus. Codd. omnes et edd. principes *a patronis consulibus:* unus Lag. 42, sed a sec. manu (ut videtur) *ab consulibus*, Naugerius *a consulibus.* Quae sequuntur in melioribus libris mss. omnes *ab:* in edd. *ab Sen.*, *ab legibus*, *a iudiciis*, donec Lambinus omnes fecit *a*.

§. 73. *quod ei dabatur]* Absunt haec tria verba ab edd. antiquis et codd. deterioribus, ad quos illae descriptae, sex Lagom. uno Par. C, quae causa fuit Ernestio, antiquarum editionum admiratori, cur ea non reciperet, sed a librariis male addita putaret. Verum augeri invidiam hoc additamento intelligitur, nec satis causae est cur reiicias, quod a diligenti lectore suppleri potuerint. Quantum denique a semet ipso descisceret Cicero, si Nanniani ceterorumque meliorum auctoritatem in dubium vocare sustineres? — HS] Lege *Sestertii*, i. e. singuli Sest. qua ratione simplicem pluralem talium verborum poni docuimus Gramm. Lat. §. 119 extr. Vulgo HS *III*, neque aliter codd. praeter Lag. 42, in quo quantum datum fuerit prorsus abest. Quae nobis corrigendi causa fuerit, vide paulo post.

lucri nomine] Antequam haec Nanniani libri scriptura innotuerat, edebatur *in lucri nomen*, quod est in Lagom. praeter 42 omnibus et Paris. C. Duo meliores Parisini *in lucri nomine*, unde cum praecedat littera *i* origo erroris aperta fit. Nec omittendum, *et*, quod est ante *expresso*, accessisse demum in textu repetitae Lambinianae, i. e. e Fabriciano, sed legitur tamen etiam in ceteris melioribus nostris omnibus. — *exiguntur*] Sic Lag. 42, ceteri, ut vulgo, *exigentur*, sed Praesens, cum res facta sit, etiam melius videtur. Mox idem liber et

betur frumentum? An poterat non modo Apronius, sed quivis, exercitui si metiendum esset, improbare Siculum frumentum, quod illi ex area, si vellet, admetiri licebat? Frumenti tantus numerus imperio tuo datur et cogitur. Non est satis: nummi praeterea imperantur. Dantur. Parum est. Pro decumis hordei alia pecunia cogitur: iubes HS $\overline{XXX}$ lucri dari. Ita ab una civitate, vi, minis, imperio, iniuriaque praetoris eripiuntur tritici medimnum $\overline{XXXIII}$, et praeterea HS $\overline{LX}$. At haec obscura sunt? aut, si omnes homines velint, obscura esse possunt? quae tu palam egisti, in conventu imperasti, omnibus inspectantibus coegisti; qua

---

Lamb. *metiendum*, non quod vulgo *metiundum*. Tum *illi* libri nostri omnes, etiam olim editi, ut mirer, unde in repetitam Lambinianam *isti* venerit. Sed ex ea per Gruterum latius disseminatum est. *Admetiri* sensu passivo positum exemplis non eget, vid. lex. Sed cod. Lag. 42 *meti* mendose. — *Dantur. Parum est*] Lag. 42 et *dantur* et *est* omittit. — *tritici medimnum*] Codd. praeter Lag. 27 *medimna*, Lag. 42 N̊. — *et praeterea* HS $\overline{LX}$] Numerus, si certa est librorum scriptura in fine praecedentis capitis (HS III), haud dubie corruptus. Efficiuntur enim ex tritico HS XCIX milia, quibus ubi adduntur XXX hordei, summa fit CXXIX milium, quem numerum Hotomanianam coniecturam secutus posuit Lambinus in editione. Verum molestum sane est omnem librorum fidem relinquere, praesertim cum illae notae HS III a Lag. 42 absint. Et ut dicam quod sentio, nimis grandis pecunia efficeretur. Quid si *Sestertii* tantum i. e. Sestertii singuli fuerint, scripti quidem HS, quae nota facile duplicari potuit, ut esset HS III? Tum fierent universa LXIII milia vel sexaginta, si numerum rotundum poneret. In his tenebris quicquam pro certo constituere temerarium videtur, cum et hoc accedat, quod in Nann. et Lag. 42 non LX h. l. sed L sint: sed tamen quoniam quod aperte falsum est in textu relinquere non debemus, sed emendandi initium facere, supra HS scripsi, hoc loco LX reliqui, quae scriptura ceterorum librorum omnium, et bonorum quidem, est.

At haec obscura sunt] Recentiores, Crat. Vict. Hervag. rel. *an*, quod sane non displicet, sed refragantur et editiones antiquae et codices, quibus ego utor, omnes, nisi quod ex solo Paris. A nihil a vulgata diversi notatum est. Verum silentio non omnis fides. Neque non *at* ferri potest, continuat enim orationem, minuitque excusationem, qua uti ille potuerit, quasi dicas Germ. *Aber ist dies vielleicht unbekannt?*

de re Agyrinenses magistratus et quinqueprimi, quos tu tui quaestus causa evocaras, acta et imperia tua domum ad senatum suum renuntiaverunt: quorum renuntiatio, legibus illorum, litteris publicis mandata est: quorum legati, homines nobilissimi, Romae sunt, qui
74 hoc idem pro testimonio dixerunt. Cognoscite Agyrinensium publicas litteras: deinde testimonium publicum civitatis. Recita litteras publicas, testimonium publicum. Animadvertistis in hoc testimonio, iudices, Apollodorum, cui Pyragro cognomen est, principem suae civitatis, lacrimantem testari ac dicere, nunquam post populi Romani nomen ab Siculis auditum et cognitum Agyrinenses contra quemquam infimum civem Romanum dixisse aut fecisse quippiam; qui nunc contra praetorem populi Romani magnis iniuriis et magno dolore publice testimonium dicere cogerentur. Uni mehercule huic civitati, Verres, obsistere tua defen-

---

§. 73. *quos tu tui quaestus causa evocaras*] *Tu tui* Nannianus, Paris. B et duo Lagomarsiniani, ceteri, ut olim edebatur, *tu* ignorant. Sed *evocaras* Lag. 29. 42 Paris. A B, item Lamb. in marg. repet. id est ex Fabriciano, quoniam in ipsa edit. *evocasti* Nannii fidem secutus ediderat. Fieri igitur potuit ut ipsi Nannio humani aliquid accideret. Nam etiam deteriores non *evocasti*, sed *evocas* habent.

§. 74. *Recita litteras publicas. Litterae publicae. Recita testim. publicum. Testimonium publicum*] Absunt haec omnia a Paris. A et Lag. 42, item a Paris. B et Lag. 29, sed ita ut in his vacuum spatium relictum sit. Tituli quidem, qui oratoris verbis interiiciuntur, et alterum *recita* ne in deterioribus quidem leguntur, quos Hotomani sedulitas adiecit. Itaque reduxi scripturam veterum editionum, quamquam non optima, aliqua tamen auctoritate praeditam.

Animadvertistis] Paris. A B et edd. Aldina superiores *animadvertitis*, Paris. C *animadvertis:* Lag. codicum notas parum explico.

cui Pyragro cognomen est] Verum nomen nondum videtur restitutum esse, sed quod editur est ex optimo Nanniano. Lag. 42 *Peragno*, Paris. A B Lag. 29 *Perrhagi*, Paris. C *Perragio*, reliqui fere et edd. ant. *Perragi*. Cogitabam de nomine Περῥάγης. Nannianus praeterea *nomen est*, sed meorum nullus accedit. — *tua defensio non potest*] Sic multo elegantius quam vulg. *tua defensione non potes* Lagom. 42.

sio non potest: tanta auctoritas est in eorum hominum fidelitate, tantus dolor in iniuria, tanta religio in testimonio. Verum non una te tantum, sed universae, similibus afflictae incommodis, legationibus ac testimoniis publicis persequuntur.

Etenim deinceps videamus, Herbitensis civitas, 32
honesta, et antea copiosa, quemadmodum spoliata ab 75
isto ac vexata sit. At quorum hominum? summorum aratorum, remotissimorum a foro, iudiciis, controversiis; quibus parcere et consulere, homo impurissime, et quod genus hominum studiosissime conservare debuisti. Primo anno venierunt eius agri decumae tritici modium $\overline{\mathrm{XVIII}}$. Atidius, item istius minister in decumis, cum emisset, et praefecti nomine cum venisset Herbitam cum Veneriis, locusque ei publice, quo deverteretur, datus esset: coguntur Herbitenses ei lucri dare tritici modium XXXVII milia, cum decumae

§. 74. *dolor in iniuria*] Olim editum fuit *dolor iniuriae*, nunc Nannianum sequimur, cui consentit optimus Lagomarsinianus, cum in ceteris omnibus sit *iniuriae*. Eadem fere res est in iis, quae sequuntur *non una te tantum*, nam ante Nanniani libri notitiam *tantum* non apparebat. *Persequuntur* contra fide Lag. 29 Paris. A B nititur, Lag. 42 *persequantur*, reliqui et editiones, praeter Graevianam et Ernestianam, (in quibus *persequuntur* e Franciano est,) *persequentur*.

§. 75. *ac vexata*] Abest *ac* a Lag. 42. Item ab eodem *hominum summorum*, *a* ante *foro*. Sed totum hoc *a foro* omittitur in deterioribus et edd. principibus. — *tritici modium $\overline{XVIII}$*] Olim fuit *medimna*, sicut legitur in codd. mss. praeter Lag. 42, in quo haec nota est $\overset{o}{N}$. Hotomani iussu Lambinus et insecuti editores correxerunt *medimnum*, intellectis milibus. Hoc quidem verissime, ni forte praestat notare verbum callide *med.* Sed quin *modii* sint, non medimna, ratio insequentium annorum non patitur dubitare, nam altero fuerunt modium XXV milia, tertio LIV aut XLVII, quo funditus aratores eversos esse ait. Quid igitur, si iam primo fuerint mod. CXXVIII milia? Verum ipse reliqua attende. — *Atidius item istius*] Nomen constitutum est ex Nanniano, deteriores mss. *Attidius*, sed editi olim *Accidius*, Victor. et P. Manutius de coniectura *accensus* perperam. Sed vulgo adhuc *istius item* adversus Nannianum et Lagom. 42. — *ei lucri dare*] Lagom. 42 *lucri dare ei*. — *modium XXXVII milia*] Poteris *milia* omittere, sed in-

venissent tritici modium $\overline{XVIII}$. Atque hoc tantum lucri coguntur dare publice, cum iam privatim aratores ex agris, spoliati atque exagitati decumanorum iniu-
76 riis, profugissent. Anno secundo cum emisset Apronius decumas tritici modium $\overline{XXV}$ DCC, et ipse Herbitam cum illa sua praedonum copia manuque venisset: populus publice coactus est ei conferre lucri tritici modium $\overline{XXI}$, et accessionem HS CIƆCIƆ. De accessione dubito, an Apronio ipsi data sit, merces operae pretiumque impudentiae: de tritici quidem numero

telligere tamen, unius Lag. 42 auctoritate. Sed vulgo legitur etiam *medimnum* de coniectura Hotomani. Codd. quidem ceteri omnes *modios*, Lag. 42 *N*, Nannianus *M°*, qua nota Nannius fere modios significari scribit, cum *Me* sint medimna. — *hoc tantum lucri*] Cum olim edi soleret *hoc triticum lucri*, post ex Nanniano editum est *hoc tantum triticum lucri*. Illa scriptura est codd. deteriorum, haec unius Nanniani: nam meliores e nostris Lag. 29. 42 Paris. A B *triticum* potius omittunt, et quod supra posui exhibent. Post Lag. 42 *tum cum iam*.

§. 76. *modium* $\overline{XXV}$ *DCC*] Numerum ex Lag. 42 et Paris. A constitui, cum vulgo abessent DCC. Porro *modium* hoc quidem loco mss. omnes praeter Lag. 42, in quo totum verbum omittitur. Sed en adest Hotomanus *medimna* sua inducens, sed is qua libidine corrigendi in his rebus versatus sit, patebit ex sequentibus. — *cum illa sua praedonum copia*] dedi ex Lag. 42 et Lamb. rep. marg. (i. e. Fabric.). Vulgo *sua* abest. Ceterum *praedonum* ex Nanniano, cum iam ante coniecisset Hotom. editum est, cui accedit Lag. 42. Ceteri libri Pariss. et Lagom., ut olim edebatur, *praedonis*. — *tritici mod.* $\overline{XXI}$] Vulgo nunc *medimnum*. Sed Lagom. codd. septem *modios*, Paris. A B *mod.* Nannianus, ut ipse quidem Nannius ait, *modium*, Lag. 42 *N*. Summa pecuniae satis est grandis, si modii sunt, quippe quae ternum Sestertium aestimatione tria milia imperialium aliquantum superet, sextuplo maior, si medimna essent. Numerus vulgo est XXVI, nos XXI ex Nann. et Lag. 42 posuimus. Lag. 29 et Par. B XXVII. Pro *accessionem* Nannianus habere dicitur *accessionis*, Lagom. VII et Paris. C *accessiones*, quod eodem videri potest pertinere. Neque impedio, si quis genitivum eadem ratione positum putet, uti ante *lucri*. Sed tamen cum e Paris. A B et Lag. 42 nihil a vulgata scriptura diversum enotatum sit, adhuc illam servavi.

merces operae pretiumque impudentiae] Turbant libri mss., nam deteriores et editiones veteres *merces fere pretiumque*. Lag. 29 et Paris. A B *mercis* (Paris. A *merces*) *operae pretium atque impuden-*

tanto, quis potest dubitare, quin ad istum praedonem frumentarium, sicut Agyrinense frumentum, pervenerit? Anno vero tertio in hoc agro consuetudine usus
est regia. Solere aiunt barbaros reges Persarum ac 33
Syrorum plures uxores habere, his autem uxoribus civitates attribuere, hoc modo: haec civitas mulieri redimiculum praebeat, haec in collum, haec in crines. Ita populos habent universos non solum conscios libidinis suae, verum etiam administros. Eandem istius, 77
qui se regem Siculorum esse ducebat, licentiam libidinemque fuisse cognoscite. Aeschrionis Syracusani uxor est Pipa, cuius nomen istius nequitia tota Sicilia pervulgatum est, de qua muliere versus plurimi supra tribunal et supra praetoris caput scribebantur. Hic Aeschrio, Pipae vir adumbratus, in Herbitensibus decumis novus instituitur publicanus. Herbitenses cum viderent, si ad Aeschrionem pretium recidisset, se ad arbitrium libidinosissimae mulieris spoliatum iri,

---

tiae, Lagom. 42 si recte explico *merces atque pretium impudentiae*. Vulgata scriptura Victoriana est. Item post *anno tertio vero* Pariss. omnes et VII Lagom. et edd. principes. Quae nunc obtinet verborum collocatio *anno vero tertio* a Naugerio profecta est, et confirmatur unius Lagomars. 42 sed summa auctoritate.

barbaros reges Persarum] Lag. 29 Paris. A B *reges barb. Persarum*. — *redimiculum praebeat*] Hotom. ad rationem eorum, quae sequuntur, coniecit *in redim.* et Lamb. priore receperat, altera veterem scripturam restitui malebat. — *in crines*] Lag. 42 *scrinis*. Post pro *conscios* idem *consotios*.

§. 77. *esse ducebat*] Sic Nannianus, nostri omnes *dicebat*.

Aeschrionis — Pipa] Lag. 42 *Aescrionis*. Quod idem praebuit, sed etiam reliqui meliores et Nannianus, *Pipa* recepimus, pro vulg. *Pippa*. Paris. C *Pipera*. Eadem varietas codd. etiam ad seqq. pertinet. — *pretium recidisset*] Pariss. tres, Lagom. VII veterem lectionem *redisset* tuentur, Lag. 42 *resedisset*. Quod nunc editur est e Nanniano, nec dubito quin verum sit, ita tamen ut etiam *redisset* Latine dicatur. Utrumque negavit Ernestius; et voluit *negotium* vel tale quid. Sed *pretium* est illud a redemptore promissum, quod nostri dicunt *das Gebot:* id cum exierit ab illo, *recidit* ad illum si res addicitur.

liciti sunt usque eo, quoad se efficere posse arbitrabantur. Supraiecit Aeschrio: neque enim metuebat, ne, praetore Verre, decumana mulier damno affici posset. Addicitur med. $\overline{VIII}$ C, dimidio fere pluris, quam superiore anno. Aratores funditus evertebantur: et eo magis, quod iam superioribus annis afflicti erant ac paene perditi. Intellexit iste, ita magno venisse, ut amplius ab Herbitensibus exprimi non posset: demit de capite medimna DC: iubet in tabulas
34 78 pro med. $\overline{VIII}$ C referri $\overline{VII}$ D. Hordei decumas eius-

---

§. 77. *Supraiecit]* Secutus sum unum Lag. 42, sed accipit ea scriptura novam auctoritatem a grammatico vetere, cuius verba mox laudabuntur. Vulgo *supra adiecit.* — *Addicitur med.* $\overline{VIII}$ *C]* Hoc loco et proxime sequentibus prorsus mihi recedendum fuit ab Hotomaniana computandi corrigendique ratione, quam miror ab editoribus tam facile acceptam esse. Ego secutus sum codices duos optimos, Lag. 42 et Nannianum, quibuscum consentit excerptum Arusiani Messi in Quadriga (olim Frontonis grammatici Exemplis elocutionum) ab Ursino laudatum, quod integrum e collectione Frontonianorum Maiana p. 373 ed. Rom. describam: *Dimidio pluris, i. e. duplo. Cicero in frumentaria de decumis Herbitensium per triennium, cum primo anno venditas dicat tritici modium* (Mai. *modiis*, item post) *XXXXIIII milibus, secundo tritici modium XXV milibus DCCC, anno tertio, supraiaciente Aeschrione venditas dicunt medimnum VIII milibus C, i. e.* (Maius *idem) modium XLVIII milibus DC* (Mai. *XLVII milibus dictis) dupla summa anni proximi* (M. *cum proxime): addicitur medimnum* (M. *medimnis) VIII milibus C dimidio fere pluris quam superiore anno.* Nam quod dicit Cicero *dimidio pluris*, id sic efficitur, quasi dixerit: pluris quam superiore anno, et quidem dimidio huius summae extremae octo milium et centum medimnum. Codices autem ceteri et editores ante Hotom. *medimnis* ∞ ∞ vel similes notas exhibent, quae significent duo milia, sed infra, ubi idem numerus redit, tria milia habent, veruntamen Paris. A B numerum VIII adiiciunt, indicium veri.

afflicti erant] Sic Lag. 29. 42 Paris. A B. Vulgo *exhausti.* Porro *vendidisse* unus Lag. 42, mendose, opinor, pro ceterorum librorum scriptura *venisse.* — *med. DC]* Libri et manuscripti et editi ante Hotom. hunc numerum habent, *med.* Lag. 42, *medimna* plene ceteri, quod verum est hoc loco. Item post *medimnis* quidem omnes, sed verum numerum $\overline{VII}$ D soli Nannianus et Lag. 42. Reliquorum scripturas longum est recensere; sed accedunt fere ad Paris. A B *referri D et* ∞ ∞

dem agri Docimus emerat. Hic est Docimus, ad quem iste deduxerat Tertiam, Isidori mimi filiam, vi abductam ab Rhodio tibicine. Huius Tertiae plus etiam, quam Pipae, plus quam ceterarum, ac, prope dicam, tantum apud istum in Siciliensi praetura auctoritas potuit, quantum in urbana Chelidonis. Veniunt Herbitam duo praetoris aemuli non molesti, muliercularum deterrimarum improbissimi cognitores, incipiunt postulare, poscere, minari: non poterant tamen, cum cuperent, imitari Apronium. Siculi Siculos non tam pertimescebant. Cum omni ratione illi tamen calumniarentur, promittunt Herbitenses vadimonium Syracusas. Eo posteaquam ventum est, coguntur Aeschrioni, hoc est Pipae, tantum dare, quantum erat de capite

---

DVTI vel ad Iuntinam exemplar d. cō. cō. d. et IIII, unde Naugerius fecit DMMD et IIII. Quid Hotomanus computaverit piget transcribere, quoniam omni fundamento caret.

§. 78. *ad quem iste deduxerat]* Sic omnes libri mss. nostri praeter unum Lag. 42, quod miror, quia vet. cod. in margine Lamb. repetitae, quem Fabric. omnibus indiciis cognovimus, et ipse hanc scripturam tuetur. Quod vulgo editur *qui ad istum deduxerat* a Naugerio profectum est. Sed recte Garatonius observat, quod Docimus aemulus Verris dicatur, remque cum Tertia communem habeat, videri illius maritum fuisse, nomine certe et specie. Cf. V, 12 §. 31, et 31 §. 81, quo quidem loco inter *mulieres nuptas* nominatur, ceteris nobilitate cedens.

auctoritas potuit] Vulgo *valuit:* nos secuti sumus Paris. A B et Lag. 29. 42, item Fabric. apud Lambinum. In Paris. B supra scriptum alterum illud legitur. — *muliercularum deterrimarum]* Non potui a me impetrare ut Lambinum ceterosque recentiores secutus ex uno Nanniano *teterrimarum* (s. potius *taeterr.)* scriberem: nam quamvis ille liber optimus iure habeatur ac praeterea h. l. unus Lag. 42 accedat, in duobus tamen reliquis locis omnes nostri codices et fortasse etiam Nannianus litteram *d* exhibent. Et quod plus etiam apud me valet, significatio aliena est. *Taeter* enim foeditatem quandam vel corporis vel animi exprimit, *deterrimus* tantum minime bonus est et refertur etiam ad ordinem et genus. — *imitari Apr.]* Sic Lag. 42. Vulgo *Apr. imitari*, minus significanter, nam gravissimum verbum recte in fine ponitur. Item post ex eodem *illi tamen* pro vulg. *tamen illi.*

hoc est Pipae] Vulgo *id est.* Sed *hoc* Lag. 42, *hoc est* Paris. B

demptum, tritici mod. III DC. Mulierculae publicanae noluit ex decumis nimium lucri dare, ne forte ab nocturno suo quaestu animum ad vectigalia redimenda
79 transferret. Transactum putabant Herbitenses, cum iste, *Quid de hordeo*, inquit, *et de Docimo, amiculo meo? quid cogitatis?* Atque hoc agebat in cubiculo, iudices, atque in lecto suo. Negabant illi quicquam sibi esse mandatum. *Non audio: numerate* HS *XII*. Quid facerent miseri? aut quid recusarent? praesertim cum in lecto decumanae mulieris vestigia viderent recentia, quibus illum inflammari ad perseverandum intelligebant? Ita civitas una sociorum atque amicorum, duabus deterrimis mulierculis, Verre praetore, vectigalis fuit. Atque ego nunc eum frumenti numerum et eas publice pecunias decumanis ab Herbitensibus datas esse dico: quo illi frumento et quibus pecuniis tamen ab decumanorum iniuriis cives suos non redemerunt. Perditis enim iam et direptis aratorum bonis, haec decumanis merces dabatur, ut aliquando ex eorum agris atque ex urbibus abirent.
80 Itaque cum Philinus Herbitensis, homo disertus, et

Lag. 29, ceteri fere *idem*. *Tantum dare* pro vulg. *dare tantum* meliores omnes. — *tritici mod. III DC]* Sic libri omnes, nisi quod plene exhibent *modios*, quod paene dubito an ferri debeat. Ea vero summa cum superiore sexcentorum medimnorum convenit, et satis tenuis est. Quod Hotomanus invexit *med.* CIↃCIↃCIↃDC nimium est.

§. 79. *et de Docimo]* Praepositionem repetivimus fide Lag. 42 et Fabric. apud Lambinum. Vulgo omittitur. Hunc autem *amiculum* liber optimus *avunculum* Verris facit. — *Atque hoc agebat]* Vulgo *At*, cui coniunctioni hic non est locus: *atque* habent Paris. A B Lag. 29. In 42 verba ab hoc ad alterum *atque* desunt, quod ipsum aliquid probat. Post e melioribus bis *lecto* pro *lectulo* dedimus, et *quicquam sibi*, cum vulgo legeretur *sibi quicquam*. — HS *XII]* Sic Lag. 42 et Nann. Vulgo XV. — *ab decum.]* Sic Lag. 42 et Paris. A. Vulgo *a*.

Perditis enim iam] ex Lag. 42 et Lamb. in marg. repet. (hoc est, ex Fabriciano) edidimus. Vulgo *iam* abest. Contra *enim* omittunt Lag. 29 Paris. A. Extremo capite Lag. 42 *gemitum iudices* converso quam quo vulgo ordine verborum.

prudens, et domi nobilis, de calamitate aratorum, et de fuga, et de reliquorum paucitate publice diceret: animadvertistis, iudices, gemitum populi Romani, cuius frequentia huic causae nunquam defuit. Qua de paucitate aratorum alio loco dicam.

Nunc illud, quod paene praeterii, non omnino 35
relinquendum videtur. Nam, per deos immortales! quod de capite iste dempsit, quo tandem modo vobis non modo ferendum, verum etiam audiendum videtur? Unus adhuc fuit post Romam conditam (dii immorta- 81
les faxint, ne sit alter!) cui res publica totam se traderet, temporibus et malis coacta domesticis, L. Sulla. Hic tantum potuit, ut nemo, illo invito, nec bona, nec patriam, nec vitam retinere posset: tantum animi habuit ad audaciam, ut dicere in contione non dubitaret, bona civium Romanorum cum venderet, se praedam suam vendere. Eius omnes res gestas non so-

---

§. 80. *illud, quod paene praeterii]* Deteriores codd. et edd. ant. *quod praeteriit*, sed *paene* abest etiam a Pariss. et VII omnino Lag. ut unus supersit auctor 42. Verum legitur primum in Victoriana, nam in Hervagiana cum *pene* adsit, tamen *praeteriit* relictum est.

iste] Lag. 42 et Fabric. apud Lambinum. Ceteri libri et edd. ant. *ipsi*. De coniectura Hotomani Lambinus et recentiores omnes *ipso*. Sed longe praestat auctoritatem illorum veterum librorum sequi.

vobis non modo] Tria haec verba cum absint a codicibus mss. deterioris ordinis, desiderantur etiam in edd. antiquissimis. Itaque Naugerius, ut sententiae consuleret, de coniectura dedit *quo tandem modo ferendum, verum etiam animadvertendum videtur*, atque sic reliquae editiones, donec Nanniani libri prolata scriptura vitii originem demonstravit. De nostris cum praestantissimo codice consentiunt Paris. A B et Lagom. unus 42.

§. 81. *cui resp. — se traderet]* Sic meliores. Olim ante Nanniani codicis notitiam *tradidit*. Sed superest ut elegantior verborum collocatio ex duobus Lagom. et Paris. A B restituatur *temporibus et malis coacta domesticis*, pro vulgari *tempor. coacta et malis domesticis*. — *L. Sulla]* Sic nomen scribitur in Nanniano et Paris. A, *Silla* in Lag. 29. 42 et Paris. B. — *nec vitam]* Absunt haec verba a Lag. 29 Paris. A. Deinde pro *civium* Lag. 42 *omnium*.

lum obtinemus, verum etiam propter maiorum incommodorum et calamitatum metum publica auctoritate defendimus: unum hoc aliquot senatus consultis reprehensum, decretumque est, ut, quibus ille de capite dempsisset, hi pecunias in aerarium referrent. Statuit senatus hoc, ne illi quidem esse licitum, cui concesserat omnia, a populo factarum quaesitarumque
82 rerum summas imminuere. Illum viris fortissimis iudicarunt patres conscripti remittere de summa non potuisse: te mulieri deterrimae recte remisisse sena-

§. 81. *maiorum incomm.]* Recte sic Lambinus sustulit vetus mendum *malorum*, nec desunt boni libri inter nostros auctores.

aliquot senatus consultis] Lambini haec emendatio est in marg. repetitae editionis, cum vulgo post Naugerium sic edatur: *unum hoc illius S. C.* (sive *Senatusconsulto) reprehensum*, antea (in Iuntina) pro *illius* fuerit *aliud*. Codd. mss. *aliquod* aut *aliquid*, et pro *S. C.* vel *Senatusconsulto* Lag. 29 et Paris. B *Senatus consultus*, unde vix probabilior Lambiniana emendatio poterit institui. — *in aer. referrent]* Sic vulgo. Sed Lag. 42. 14. 48 *deferrent*, quod in editione minore secuti sumus propter auctoritatem codicis illius. Nunc facti poenitet, observato verborum discrimine, quo *referimus* quod debemus, *deferimus* ultro quod non debemus, et animadversa frequenti earum syllabarum confusione, cuius insigne documentum videbis lib. IV, 19 §. 40. Neque absimile est, quod paulo post in edd. antiq. et codicibus praeter unum Lag. 42 omnibus *dimittere de summa* legitur, pro eo, quod verum est, *remittere*. Ceterum quod Hotomanus a nemine reprehensus demptionem istam factam putat in gratiam eorum, qui decumas coemerint, falsum videtur, referendamque illam ad bona proscriptorum, Sullanarum partium hominibus, qui mox *viri fortissimi* dicuntur, addicta. Illi enim, quamvis parvo emissent, tamen, si quicquam darent, aegre ferentes, dictatorem precibus videntur fatigasse, donec impetrarent ut de capite remitteret. Cf. in simili re Antonii importunitatem et Caesaris constantiam Philipp. II c. 29. — *a pop. factarum]* i. e. rerum sive vectigalium publicorum. Hotomanus *ab ipso factarum* coniecit scribendum, quasi in rep. unquam ipse imperator sine copiis populi quicquam parare vel possit vel debeat: sed magis etiam reprehendendus Lambinus, cui ne illud quidem satis esset, ni praeterea *partarum* correxisset et in textu posuisset. Nam *facere* pro *comparare* cum in aliis rebus dicitur, tum in augenda re familiari.

§. 82. *recte remisisse]* Lag. 42 *ratione*: quod cum lib. I, 5 et III, 84 probarimus, hic et III, 88 extr. veremur recipere.

tores iudicabunt? Ille, de quo legem populus Romanus iusserat, ut ipsius voluntas ei posset esse pro lege, tamen in hoc uno genere, veterum religione legum, reprehenditur: tu, qui omnibus legibus implicatus tenebare, libidinem tibi tuam pro lege esse voluisti? In illo reprehenditur, quod ex ea pecunia remiserit, quam ipse quaesierat: tibi concedetur, qui de
capite vectigalium populi Romani remisisti? Atque in 36
hoc genere audaciae multo etiam impudentius in de- 83
cumis Acestensium versatus est: quas cum addixisset eidem illi Docimo, hoc est Tertiae, tritici mod. $\overline{\text{V}}$, et

---

§. 82. *legem — ei posset esse]* Varios corruptionis gradus in his verbis observabis. Nam cum sic prorsus, uti edidimus, habeat Lag. 42 et Fabricianus, (quantum quidem coniicimus de margine Lambinianae repetitae,) primum *lege* peccatum est in aliis etiam bonis. Nam mendum hoc est, cum *legem* vel *rogationem* populus *iubere* dicatur apud Ciceronem p. Balbo 17, Sallust. in Iug. 44, *lege* non fere quod meminerim. Tum pro *ei posset esse*, quod est in melioribus omnibus, in deterioribus mendose legitur *et posse esset*, ex quo in Ascensiana, Aldina, Cratandrina, Hervag. factum est *et posset et esset*, donec Victoriana, quasi data semel corrigendi potestate, protulit hoc, quod adhuc propagatum est, *lege — iusserat, ut ipsius vol. populo Rom. esset pro lege*, non sine aliqua deterioris alicuius codicis auctoritate. Nam Francianus Graevii sic exhibet: *ut ipsius vol. populo Rom. et esse posset pro lege*, cum, quae explicationis causa adscripta essent in margine, locum inter ipsa auctoris verba cepissent. Atqui ne recte quidem *ei* refertur ad populum Rom., pertinet enim ad ipsum Sullam. Nunc autem, fonte errorum indicato, facile sese ipsa veritas tuebitur.

§. 83. *in decumis Acestensium]* Lectis quae Garatonius ad h. l. annotavit, facile *Segestensibus* hic locum esse negabis: nam alibi *Segestani* dicuntur, atque si ab Segestanis immunibus *Segestenses* discernantur, tamquam accolae urbis et vectigales, non convenit tamen eos segregari a veris Segestanis, de quibus certus locus est cap. 40. Vult igitur Garatonius *Acestenses* (Plinio III, 14 *Acestaeos)* hos esse, parvam civitatem prope Segestam, quorum iniuriae alibi non commemorantur. Eodem videntur varietates scripturae in cod. antiq. Lag. 42 pertinere, cum bis *abscestensium*, semel *Ethesensium* sit.

hoc est Tertiae] Quod sequitur verbum *tritici* in plerisque omnibus codd. hoc *Tertiae* nomen elisit: superest tamen in Fabric. apud Lamb. et Lag. 42. Eo adiecto quicquid olim coniiciebatur inutile fit. Numeri qui sequuntur sic, ut nos exhibemus in optimis libris inventi

accessionem adscripsisset HS MD, coegit Acestenses a Docimo tantundem publice accipere. Id quod ex Acestensium publico testimonio cognoscite. Recita testimonium publicum. Audistis, quanti decumas acceperit a Docimo civitas, tritici mod. V̄, et accessionem. Cognoscite nunc, quanti se vendidisse rettulerit. LEX DECUMIS VENDUNDIS C. VERRE PR. Hoc nomine videtis tritici modium CIↃCIↃCIↃ de capite esse dempta, quae cum de populi Romani victu, de vectigalium nervis, de sanguine detraxisset aerarii, Tertiae mimae condonavit. Utrum impudentius ab sociis abstulit? an turpius meretrici dedit? an improbius populo Romano ademit? an audacius tabulas publicas commutavit? Ex horum severitate te ulla vis eripiet, aut ulla largitio? Non eripiet. Sed si eripuerit; non intelligis,

---

sunt, nec opus est veterum editorum errores recoquere. Leges haud dubie *modium quinque milibus.* — *tantundem publ. accipere]* Vulgo *tantidem*, nos ex instituto nostro Lag. 42 quamquam solum, in re parum gravi, secuti sumus. Nam eodem redit, decumas tantidem accipere, et tantundem tritici decumarum nomine ipsum sese daturum spondere. — *Recita test. publicum]* Repetunt vulgo *Testimonium publicum*, quasi indicium recitatum hic esse illud testimonium. Sed hic titulus ab omnibus libris et edd. antiquis abest, adiectus a Lambino iussu Hotomani, quin etiam verba, quae ad scribam pertinent, in Lag. 29. 42 Paris. A B non leguntur. Item ab his libris quae infra adiiciuntur *Lex decumis vendundis C. Verre praetore* absunt, sed, cum in ceteris legantur, nos nimis severi esse noluimus. — *et accessionem]* Hotoman. coniecit *accessione*, recepitque Lambinus. Non improbo, nec tamen invitis libris recipio, potest enim accusativus explicari intellecto verbo *audistis.* — *videtis]* ex Nanniano libro editur, pro olim vulgato *vidistis.* Accedit nunc ad illum Lag. 42. Unus hic liber mox habet *mod.* i. e. *modium*, ceteri nostri *modios.* — *ab sociis]* non ut vulgo *a sociis*, meliores omnes. Sed quod paulo post in Lag. 42 est *commutabat*, cum perfecta praecesserint, verum haberi non potest.

Non eripiet] In vulgaribus mss. et libris olim editis sic legitur: *te ulla vis eripiet, aut ulla largitio eripiet? Sed.* P. Manutius prius verbum delevit, recte, nisi alterum potius corrigendum fuit. Verum Parisini A B *eripiet — non eripiet* habent, Lag. 42 *eripiat — non eripit.* Sed hunc librum in terminationibus verborum nonnunquam mendosum esse vidimus. Itaque non improbabilem conciliandorum libro-

haec, quae iamdudum loquor, ad aliam quaestionem atque ad peculatus iudicium pertinere? Itaque hoc 84
mihi reservabo genus totum integrum: ad illam, quam institui, causam frumenti ac decumarum revertar.

Qui cum agros maximos ac feracissimos per sesipsum, hoc est per Apronium, Verrem alterum, depopularetur: ad minores civitates habebat alios, quos, tamquam canes, immitteret, nequam homines et improbos: quibus aut frumentum aut pecuniam publice cogebat dari. A. Valentius est in Sicilia, interpres, 37
quo iste interprete non ad linguam Graecam, sed ad furta et flagitia uti solebat. Fit interpres hic, homo levis atque egens, repente decumanus: emit agri Liparensis, miseri atque ieiuni, decumas tritici medimnis DC. Liparenses vocantur: ipsi accipere decumas, et numerare Valentio coguntur lucri HS XXX milia. Per deos immortales! utrum tibi sumes ad defensionem? tantone minoris te decumas vendidisse, ut ad

---

rum rationem invenisse mihi videor hanc, ut *non eripiet* singulare membrum orationis esse statuam, quo bene sese de his iudicibus sperare confirmat. — *non intelligis]* Olim antequam Nanniani libri varietas scripturae innotuit, edebatur *non intelligit*, quod et legitur non in vulgaribus solum Lag. VI Paris. C, sed etiam in Paris. A B.

§. 84. *genus totum integrum]* Lag. 42. Vulgo *integrum totum*.
cogebat dari] Ernestius correxit *dare*, invitis codicibus nec iubente ratione grammatica.

tritici medimnis DC] Etiam h. l. molestissima notarum confusio in libris mss. est, quamquam veritas non latet. Nam vulgares *medimnos*, meliores *mod.* i. e. modium, quam summam nimis exiguam apparet esse. Post ubi iterum *medimna DC* leguntur, Lag. 42 *mod.* 29 *medemna*, Paris. A B *medimna* litteris expressis, sed manifesto tertio loco ubi med. II ratione colliguntur, XV HS in medimnum, Lag. 42 *mod.* Etiam c. 47 §. 112, ubi *medimnum* in singulari numero est, idem liber *modium* expressis litteris habet. Haec annotanda sunt, si quando tali observatione ad emendandum textum opus sit: nec tamen vereri lector debebit, ne incerta sint omnia. Ducit enim certissima ratio et ceterorum bonorum librorum auctoritas. — *te dec. vendidisse]* Codd. vulgares et edd. vett. *tibi*, quod P. Manutius explicavit *ad quaestum*

medimna DC XXX milia lucri statim sua voluntate civitas adderet, hoc est tritici medimnum II milia? an, cum magno decumas vendidisses, te expressisse ab
85 invitis Liparensibus hanc pecuniam? Sed quid ego ex te quaero, quid defensurus sis, potius, quam cognoscam ex ipsa civitate, quid gestum sit? Recita testimonium publicum Liparensium, deinde quemadmodum nummi Valentio sint dati. TESTIMONIUM PUBLICUM. QUOMODO SOLUTUM SIT, EX LITTERIS PUBLICIS. Etiamne haec tam parva civitas, tam procul a manibus tuis atque a conspectu remota, seiuncta a Sicilia, in insula inculta tenuique posita, cumulata aliis tuis maioribus iniuriis, in hoc quoque frumentario genere praedae tibi et quaestui fuit? quam tu totam insulam cuidam tuorum sodalium, sicut aliquod munusculum, condonaras: ab hac etiam haec frumentaria lucra, tamquam a mediterraneis, exigebantur? Itaque qui tot annis agellos suos ante te praetorem redimere a piratis so-

---

tuum, Hotomanus corrigendum censuit, ut aut *te* aut *venisse* scriberetur. Illud secutus est Lambinus, hoc Manutius in edit. 1559, verumtamen Lambinus h. l. non tam coniecturam Hotomani, quam meliorum codicum scripturam expressisse putandus est, cum ita sit in Lag. 29. 42 Par. A B. — Vox *milia*, quae aliis fere deest, hoc loco (ad XXX) in Par. A B et Lag. 29 legitur, in 42 omittitur bis.

§. 85. *nummi Valentio]* Hoc ordine verba collocantur in melioribus, vulgo inverso. In iisdem titulus omittitur, sed lacuna relicta in Lagg.

atque a] Non repetitur praepositio in Lag. 27. 42. Eodem modo aliquanto post *tanquam mediterraneis*, omissa praepositione, olim ante Naugerium edebatur et est in codd. nostris omnibus praeter Lag. 42.

in insula inculta] Lag. 42 et Fabric. apud Lamb. *insicula*, Nannianus *insulula*, quod a Lambino probatum recepit Graevius. Mihi, quoniam vox alibi non legitur, mendum potius videtur. Contra *in* praepositio hausta proxima syllaba abest a Lag. VI Par. C et edit. Aldina prioribus. — *redimere a piratis]* Sic Naunianus et Lag. 42, celeri ut vulgo olim *privatis*. Sed aliud indicabo paulo remotius, in Lag. 42 non *ante te praetorem* legi, sed *te praetore*, quod magnopere placeret, quippe coniunctum cum Verris infamia, si *tot annis* recte dici de tribus videretur posse.

lebant, iidem se ipsos a te pretio imposito redemerunt.
Quid vero? a Tissensibus, perparva et tenui civitate, 38
sed aratoribus laboriosissimis frugalissimisque homini- 86
bus, nonne plus lucri nomine eripitur, quam quantum
omnino frumenti exararant? ad quos tu decumanum Dio-
gnetum Venerium misisti, novum genus publicani. Cur
hoc auctore non Romae quoque servi publici ad ve-
ctigalia accedunt? Anno secundo Tissenses HS $\overline{XXI}$
lucri dare coguntur inviti: tertio anno $\overline{XII}$ mod. tritici
lucri Diogneto Venerio dare coacti sunt. Hic Dio-

---

§. 86. *Quid vero]* Sic e Nanniano Stephanus et Lambinus, cum vulgo fuisset *Quid ergo?* Hoc Gruterus, negligentia repetitorum Lambinianae deceptus, revocavit, et reliquos secum traxit. Verum transitus fit ad novum aliquid, qua in re *ergo* locum non habet. Accedit nunc Nanniano Lag. 42. — *Tissensibus]* Sic codd. fere omnes praeter nonnullos, in quibus *Tissentibus* est. Plinius *Tissinenses* appellat lib. III, 14, quod cum Lambinus priore editione monitu fortasse Hotom. scripsisset, in margine repetitae voluit *Tissienses.* Urbs est Τίσσαι, unde Graece Τισσαῖος, Latine recte *Tissensis,* sicut a Cannis Cannensis.

sed aratoribus] Item hoc e Nann. et Lag. 42. Ceteri et olim vulgati *et aratoribus.* Tum *omnino frumenti* ex Lagom. 42 est: vulgo inverso ordine. Mox *Diognotum*, postquam Hotomanus suasit, ceteri omnes scripserunt, adiecitque Gruterus auctoritatem Palat. secundi. Nostri codices (et Oxon.) sicut antea vulgabatur, *Diognetum,* unus Lag. 42 *Diognitum*, postea *Dingenito*, quod eodem pertinet. Itaque restitui *Diognetum* non minus usitatum Graecis nomen, siquidem et vates Διόγνητος est, et pugil Cretensis apud Photium in excerptis ex Ptolemaei Hephaestionis fil. historiis pag. 149 et 151 Bekk.

non Romae quoque servi publici ad vectig. accedunt] Vox *quoque* Nanniano debetur, quocum unus Lag. 42 facit. Ex eodem libro et marg. edit. repet. Lamb. (i. e. cod. Fabriciano) dedi *accedunt*, quod fortius est quam vulg. *accedant* coniunctivo. Sed quod Nannianus exhibet *servi ad publica vectigalia accedunt*, cum alius liber nullus firmet, et *publicorum servorum* mentione opus esse videatur, contra *vectigalia* nisi *publica* esse non possint, non equidem recepi, sicut Graevius fecit. — *$\overline{XII}$ mod. tritici]* Sic Lag. 42 et Nann. nisi quod in hoc nota HS praemittitur. Ceteri codd. variant: Lag. 29 et Paris. A HS XX *modium*, reliqui HS ∞ ∞ (vel co co vel M M) *modium*. Hotomanus, quoniam minor ea summa videbatur quam de qua orator quereretur, *M M M medimnum* scripsit, et editoribus facile persuasit. Mihi nihil tutius videtur quam sequi libros probatissimos.

gnetus, qui ex publicis vectigalibus tanta lucra facit,
vicarium nullum habet, nihil omnino peculii. Vos
etiamnunc dubitate, si potestis, utrum tantum nume-
rum tritici Venerius apparitor istius sibi acceperit, an
87 huic exegerit. Atque haec ex publico Tissensium te-
stimonio cognoscite. TESTIMONIUM PUBLICUM TISSENSIUM.
Obscure, iudices, praetor ipse decumanus est, cum
eius apparitores frumentum a civitatibus exigant, pe-
cunias imperent, aliquanto plus ipsi lucri auferant,
quam quantum populo Romano decumarum nomine
daturi sunt! Haec aequitas in tuo imperio fuit, haec
praetoris dignitas, ut servos Venerios Siculorum do-
minos esse velles: hic delectus, hoc discrimen, te
praetore, fuit, ut aratores in servorum numero essent,
39 servi in publicanorum. Quid? Amestratini miseri, im-
88 positis ita magnis decumis, ut ipsis reliqui nihil fieret,
nonne tamen numerare pecunias coacti sunt? Addi-
cuntur decumae M. Caesio, cum adessent legati Ame-
stratini: statim cogitur Heraclius legatus numerare
HS XXII. Quid hoc est? quae est ista praeda? quae
vis? quae direptio sociorum? Si erat Heraclio ab se-
natu mandatum, ut emeret: emisset; si non erat: qui
poterat sua sponte pecuniam numerare? Caesio re-
89 nuntiat se dedisse. Cognoscite renuntiationem ex lit-
teris publicis. LITTERAE PUBLICAE. Quo senatus con-

---

§. 87. *Testimonium publicum Tissens.]* Titulus in Lagom. duobus melioribus et Paris. A omittitur, sed cum lacuna saltem in illis.

plus ipsi lucri auferant] Genitivus *lucri* accessit ex Nanniano et inventus est in Lag. 42. Tum *daturi sint* Lag. 42, sed idem antea *imperant*. *Dilectus* et *delectus* in codd. variatur, sed *del.* cod. 42.

§. 88. *Amestratini miseri]* Abest verbum *miseri* a Lagom. 42 et Paris. A.

§. 89. *ex litt. publicis. LIT.]* Quod ego dedi ex Lagom. 42 est, tantum quod lacunam, quae in eo relinquitur, explevi titulo ex Lag. 29 et Paris. B. Vulgo haec sic leguntur, quemadmodum Lambinus constituit: *cognoscite renunt. ex litteris. Recita ex litteris publicis.*

sulto erat hoc legato permissum? nullo. Cur fecit? coactus est. Quis hoc dicit? tota civitas. Recita testimonium publicum. TESTIMONIUM PUBLICUM. Ab hac eadem civitate anno secundo simili ratione extortam esse pecuniam, et Sex. Vennonio datam, ex eodem testimonio cognovistis. At Amestratinos, homines tenues, cum eorum decumas medimnis DCCC vendidisses Banobali Venerio, (cognoscite nomina publicanorum,) cogis eos plus lucri addere, quam quanti venierant, cum magno venissent. Dant Banobali medimna DCCCL, HS MD. Profecto nunquam iste tam amens fuisset, ut ex agro populi Romani plus frumenti servo Venerio, quam populo Romano tribui pateretur, nisi omnis ea praeda, servi nomine, ad istum ipsum perveniret. Petrini, cum eorum decumae magno addictae 90
essent, tamen invitissimi P. Naevio Turpioni, homini improbissimo, qui iniuriarum, Sacerdote praetore, damnatus est, HS $\overline{LII}$ dare coacti sunt. Itane dissolute

---

LIT. PUBL. In editionibus antiquioribus et plerisque codicibus et hic et paulo post tituli non sunt: in Paris. A utroque loco nec tituli, nec verba, quibus scribam alloquitur. — *Sex. Vennonio]* Lagom. 42 *sexto Mimo*, 29 *Vennenio*. E ceteris libris nihil enotatum est; sed in marg. Lamb. eadem scriptura, quae cod. 42 est, tamquam *al.* notatur.

Banobali Venerio] Variant codd. in scriptura nominis, sed ita tamen, ut verum esse quod vulgatur appareat. Nam *Barichali* altero loco, altero *Bariobali* in cod. 42 aliisque est.

medimna DCCCL] Secutus sum codices Nannianum et Lag. 42, a quorum scriptura ne ceteri quidem abeunt, nisi quod *med. DCCC* habent, ac deinde Paris. A Lag. 29 non HS *MD* sed *XD* sicut etiam supra in Lag. 29 *X* pro *M* vel *CIↃ* fuit. Hotomanus autem quod *medimnis* plene scribi pro eo, quod erat *med.* iussit, editorum iudicia videtur corrupisse. Tu puta frumenti summam lucri nomine datam, et pecuniam accessionis loco additam.

§. 90. *homini improb.]* Sic Paris. A B et aliquot Lagomarsiniani. Vulgo *improb. homini*. — HS *$\overline{LII}$ dare]* Totius loci huius restitutio e libro Nanniano pendet, cuius fidei quia editores, quasi verecundia repente aliorum veterum librorum impediti, sese committere cunctati sunt, praeter unum Graevium et recentissimos, in tenebris errare quam cer-

decumas vendidisti, ut, cum esset medimnum HS XV, venissent autem decumae medimnum III, hoc est HS XXXXV, lucri decumano HS LII darentur? At permagno decumas eius agri vendidisti. Videlicet gloriatur,

---

tissimam lucem sequi maluerunt. Sed Nannianum Lag. 42 aequat atque adeo adiuvat. Ambo igitur h. l. LII, ceteri VII, cuius mendi origo facile patet. Tum Lag. 42. 29 Paris. A B *cum esset medimnum* HS *XV* paulo aliter atque Nannius, in ea re, ut opinor, minus diligens, se scribit in suo invenisse *cum med. esset.* In reliquis deterioribus *cum medimnum* HS *XV* sine verbo *esset.* Iam orditur maior confusio verborum. Nam Lag. 42 *venissent autem decumae* (Nann. minus accurate *dec. autem venissent) mod. III hoc est NS XXXXV ut lucri decumano NS LV darentur*, ceteri, omisso verbo *decumae* et verborum ordine turbato, *milibus venissent autem* ∞ ∞ ∞ (alii XXX) — HS ∞ ∞ ∞ *darentur*, ubi vides verum numerum LII in Lag. 42 leviter, in ceteris gravius corruptum esse. Veteres editores horum deteriorum codicum scripturam fideliter expresserunt, donec eam Naugerius et Victorius temptare coeperunt, et Hotomanus nova computatione instituta dei benignitate locum sibi restituisse visus est sic: HS *XXXVII milia et D dare — cum modium XV milibus venissent, medimnum M M M hoc est* HS *XLV lucri decumano darentur*, nimirum quod XV mil. mod. quorum singuli binis Sestertiis et dimidio aestimentur, illam summam 37500 HS efficiunt. Similem computationem nec tamen eandem instituit Lambinus, quam ne in repetitae quidem editionis margine totam relinquere sustinuit. Gruterus nihil aliud nisi Hotomani coniecturam, ne commemorata quidem vel Nanniani codicis vel edd. vett. scriptura, repraesentavit, eandem denique Ernestius insigni securitate cum Nanniana lectione confudit, et cum utramque pessumdedisset monstrum hoc protulit: HS *XXXVII mil. et D dare — cum modium esset* HS *XV (!) decumae autem medimnum III venissent, hoc est* HS *XXXXV, lucri decumano CIↃ CIↃ CIↃ* HS *darentur.* Noli mihi succensere, mi lector, quod his ineptiis te moror, postulat enim instituti operis ratio, sed crede mihi quoque bilem moveri, ubi criticos video summa imis potius miscere quam certissimum ducem, librum veterem innumeris locis comprobatum, cum ratione sequi.

At permagno — vendidisti] Alteram personam libri mss., quibus utimur, omnes, etiam olim editi usque ad P. Manutium, qui primus *vendidi* correxit, quamquam Graevius falso ait sic iam esse in Victoriana editione. In Franciano ms. fuerit, quid enim illi libro in hac re iuris esse potest? Lambiniana repetita restituit veterem lectionem, ex qua hausit Gruterus: neque debebant eam relinquere denuo Graevius et Ernestius. Nihil certe ad veritatem alterius scripturae facit quod sequitur *gloriatur.* Hoc ipsum verbum *gloriatur* mstis Nann. et Lag. 42

non Turpioni lucrum datum esse, sed Petrinis pecuniam ereptam. Quid? Halicyenses, quorum incolae de- 40
cumas dant, ipsi agros immunes habent, nonne huic 91
eidem Turpioni, cum decumae C med. venissent, HS XV mil. dare coacti sunt? Si id, quod maxime vis, posses probare, haec ad decumanos lucra venisse, nihil te attigisse: tamen hae pecuniae, per vim atque iniuriam tuam captae et conciliatae, tibi fraudi et damnationi esse deberent: cum vero hoc nemini persuadere possis, te tam amentem fuisse, ut Apronium et Turpionem, servos homines, tuo liberumque tuorum periculo divites fieri velles: dubitaturum quemquam existimas, quin illis emissariis haec tibi omnis pecunia quaesita sit? Segestam, item ad immunem civita- 92
tem, Venerius Symmachus decumanus immittitur. Is ab isto litteras affert, ut sibi contra omnia senatus consulta, contra omnia iura, contraque legem Rupiliam, extra forum vadimonium promittant aratores.

---

nititur: ceteri omnes mendose *igitur.* Porro *datum esse* meliores libri duo Lag. et Paris. A B, cum omittatur in vulgatis et Nanniano, si accurate hoc annotavit Nannius.

§. 91. HS *XV]* Sic libri mss. Sed pecuniae summa cum nimium grandis visa esset Hotomano, si cum decumis compararetur, locum depravatum censuit. Quod eius iudicium insecuti editores certatim repetiverunt, quasi non quo minor esset decumarum, eo maior posset esse lucri summa. Nemo tamen temeritate aequavit Lambinum, qui tamquam sic esse deberet, alteram auxit, *CC med.*, alteram imminuit, HS *duo milia:* scilicet HS $\overline{II}$ digna fuerunt, de quibus orator vocem mitteret! — *captae et conciliatae]* Lag. 29 *coactae et;* 42 *captae essent*, mendose uterque. Post *ac damnationi* omnes libri nostri praeter Lag. 42 et Paris. A, sed *et Turpionem* pro vulg. *ac* Lag. 42. Hoc verum puto, nec libri tantum causa, cum illud perinde sit.

liberumque tuorum] Sic Lag. 42 et Lambinus in marg. repet. hoc est codex Fabricii. Vulgaris forma *liberorumque* in hac constructione minus est frequens.

§. 92. *omnia senatus consulta, contra]* Accesserunt haec verba ex Nanniano, et sunt in nostris quattuor melioribus. Prius etiam ex deterioribus Lag. VI Paris. C *iura omnia.*

Audite litteras, quas ad Segestanos miserit. LITTERAE C. VERRIS. Hic Venerius quemadmodum aratores eluserit, ex una pactione hominis honesti gratiosique co-
93 gnoscite: in eodem enim genere sunt cetera. Diocles est Panhormitanus, Phimes cognomine, homo illustris ac nobilis. Arabat is agrum conductum in Segestano: (nam commercium in eo agro nemini est:) conductum habebat HS sex milibus: pro decuma, cum pulsatus a Venerio esset, decidit HS XVI milibus et medimnis DCLIIII. Id ex tabulis ipsius cognoscite.

---

§. 92. *Litterae C. Verris]* Titulus deest in melioribus, sed lacunam esse in Lagomarsinianis notatur. — *aratores eluserit] In arat.* Lag. 42 mendose, *luserit* Lag. 29 et Paris. A B. Post *enim* in his verbis: *in eodem enim genere* abest a Lag. 42. 48.

§. 93. *Phimes cogn.] Phinnies* Lag. 29 et Paris. A B, *Phimnes* 42.

Arabat is agrum conductum] Optio data erat, ut aut hanc Lagom. 42 scripturam exprimerem, aut Nanniani, quam Stephanus, Lambinus, Graevius secuti sunt, *Is agrum in Segestano — conductum habebat.* Ego illam praetuli, primum quod paulo latius narrandi genus non parum ad oratoris consilium facit, deinde quod aliter explicari non potest, unde in reliquos codd. mss. et editiones vulgares venerit *arator*, quod verbum vulgo priori commati adhaeret. Arare autem agrum, non conductum tantum habere necesse est eum, qui decumas debeat. Deinde pro *nemini est* legitur in Hervag. Vict. Manut. Lambiniana rep., Gruteriana *Panormitanis est* de coniectura alicuius docti hominis, quam immerito tuetur Ernestius. Nam si commercium fuit, quid quaeso causae fuit, cur homo illustris non emerit, cum illud Ulpianus doceat esse emendi vendendique invicem ius, quod, etiamsi desit locatio, tamen non impeditur. Lege Garatonii notam. Quin in hac re laborat orator, ut ostendat nullam aliam causam fuisse Diocli, cur conduceret, nisi quod emere non liceret: quamquam mihi quidem ea locatio simulata videtur fuisse propter legis impedimenta et vera possessio agri maximi. Ceterum omittere non debeo, quod Lallemandus adiicit breviter *Panorm. est. Ita codices nostri*, hominem impudenter mentitum esse: neque ulla in iis verbis varietas est, nisi quod Paris. C *nemini* sine *est* habet, deterrimi autem Lag. VI cum editionibus principibus, quae ex iisdem vel similibus libris ductae sunt, *neminem.*

decidit HS XVI mil.] Olim editi et mss. ceteri *dedit HS XVI milia:* e Nanniano est *decidit*, quod confirmatur Lag. 42. Sed hic praeterea addit *medimnis* optime, cum vulgo milibus HS adiicerentur

NOMEN DIOCLIS PANHORMITANI. Huic eidem Symmacho C. Annaeus Brocchus, senator, homo eo splendore, ea virtute, qua omnes existimatis, nummos praeter frumentum coactus est dare. Venerione servo, te praetore, talis vir, senator populi Romani, quaestui fuit? Hunc ordinem si dignitate antecellere non existi- 41
mabas, ne hoc quidem sciebas, iudicare? Antea cum 94
equester ordo iudicaret, improbi et rapaces magistratus in provinciis inserviebant publicanis: ornabant eos, qui in operis erant: quemcunque equitem Romanum in provincia viderant, beneficiis ac liberalitate prosequebantur: neque tantum illa res nocentibus proderat, quantum obfuit multis, cum aliquid contra utilitatem eius ordinis voluntatemque fecissent. Retinebatur hoc tum nescio quomodo quasi communi consilio ab illis diligenter, ut, qui unum equitem Romanum contumelia dignum putasset, ab universo ordine malo dignus iudicaretur: tu sic ordinem senatorium despexisti, sic 95
ad libidines iniuriasque tuas omnia coaequasti, sic habuisti statutum cum animo ac deliberatum, omnes, qui habitarent in Sicilia, aut qui Siciliam te praetore at-

---

DCLIV, item scilicet Sestertii, mirabili diligentia. Et nescio quomodo iam aliquid Lambino huius scripturae innotuisse necesse est, cum ediderit ipse *dedit — et medimna DCLIV.* Mox Lag. 42 *ex ipsius tabulis*, cum vulgo minus significanter *ex tab. ipsius* sit.

C. Annaeus Brocchus] Ausus sum homini praenomen addere ex Lag. 42 scriptura *Cannaeius.* Neque enim deceret Senatorem aliter appellare. Reliqui fere libri et edd. vett. ante Manutium *Anneus.* Cf. ad lib. I, 43. Sed *Brochus* simplici littera *c* omnes mss. et edd. usque ad Lamb. marg. rep. et Gruterum, nisi quod Lag. 42 *Broilius.*

§. 94. *ornabant eos qui]* Sic Nannianus: ceteri mss. et olim editi *quicunque*, quod Ernestius non bene coire censuit. Quae igitur causa fuit cur librum Nannianum non sequeretur, ex quo solo tot locis emendatio pendet? A Lag. 42 vox plane abest. Post pro *retinebatur tum* idem liber *tamen* exhibet.

§. 95. *ad libidines iniuriasque]* Sic idem Lag. 42. Vulgo *ad iniurias libidinesque.* — *qui habitarent in Sicilia]* Nannianus et Lag. 42

tigissent, iudices reiicere, ut illud non cogitares, tamen ad eiusdem ordinis homines te iudices esse venturum? in quibus, si ex ipsorum domestico incommodo nullus dolor insideret, tamen esset illa cogitatio, in alterius iniuria sese despectos, dignitatemque ordinis contemptam et abiectam. Quod mehercule, iudices, mihi non mediocriter ferendum videtur. Habet enim quendam aculeum contumelia, quem pati pudentes ac
96 viri boni difficillime possunt. Spoliasti Siculos: solent enim muti esse in iniuriis suis; vexasti negotiatores: inviti enim Romam raroque decedunt; equites Romanos ad Apronii iniurias dedisti: quid enim iam nocere

---

haberent, quod Garatonius perite defendit. Nam paucissimos Senatores Romanos ait in Sicilia *habitare* potuisse, *habuisse* agros vel praedia verisimile esse multos: nec aliquem *habere* dici pro aliquid habere, s. possidere vel divitem esse insolens esse. Quod quamquam facile concedo, tamen *habere in Sicilia* simpliciter sic dici posse nondum persuadere mihi potui, et confusionem potius illorum verborum ne alias quidem infrequentem puto fuisse. — *te iudices]* Lag. 42 *te ad iud.* Idem, pro *sese despectos*, *se desp.* Universam sententiam recte explicavit Beckius contra Ernestium, qui sibi nescio quid lacunosum intellexisse videretur. Nimirum *iudices reiicere* coniungendum est, quae verba male Ernestius commate separavit, ut non posset non *iudices* pro allocutione haberi. — *pudentes ac viri boni]* Sic primum in Nanniano, deinde in plurimis libris mss. inventum est. Olim vulg. *prudentes.* Ceterum sentis *viros bonos* sic coniungi, ut pro una voce habeantur, quasi *honesti.*

§. 96. *muti esse in ini. suis]* Edd. principes et codd. vulgares *multi esse iniur. suis graves.* Naugerius ex aliquo meliorum *in* adiecit et *multi* correxit, ut esset *in ulti iniur. s. esse graves*, quod quomodo explicarint tum homines docti non intelligo. Ferebant tamen, donec P. Manutius probabili coniectura, saltem necessaria, pro *gravibus* fecit *provinciales.* Hoc hodie quoque obtinet, quamquam Nannianus abesse a suo cod. verbum *graves* annotavit. Abest etiam a Lag. 42, sed in hoc praeterea *muti* legitur, qua scriptura recepta omnis difficultas tollitur, et errorum fons reperitur.

equites Romanos] Sic scribendum coniecerat Hotomanus pro vulg. *equitem Romanum*, et inventum est in codd. Lag. 29 et 42 Paris. A B. Quod Graevius defendit saepe apud scriptores singularem numerum collective, uti loquuntur Grammatici, pro plurali poni, id ad Ciceronem

possunt, quibus non licet iudicare? Qui, cum senatores summis iniuriis afficis, quid aliud dicis, nisi hoc, cedo mihi etiam istum senatorem? ut hoc amplissimum nomen senatorum non modo ad invidiam imperitorum, sed etiam ad contumeliam improborum natum esse videatur. Neque hoc in uno fecit Annaeo, sed 97
in omnibus senatoribus; ut ordinis nomen non tantum ad honorem, quantum ad ignominiam valeret. In C. Cassio, clarissimo et fortissimo viro, cum is eo ipso tempore, primo istius anno, consul esset, tanta improbitate usus est, ut, cum eius uxor, femina primaria, paternas arationes haberet in Leontino, frumentum omne decumanos auferre iusserit. Hunc tu in hac causa testem, Verres, habebis, quoniam, iudicem ne

minus pertinet et ab hoc loco alienum est, cum praecesserint *Siculi* et *negotiatores*. Rectius Ernestius singularem interpretatus est de uno Lollio equite Romano, eademque causa etiam abusus est ut post *Senatorem* corrigeret, quoniam unius Annaei iniurias orator tractasset. Quasi nesciret, si verum esset, unum Senatorem a Verre male habitum esse, quod non est verum, solere oratores in universam rem transferre, quod per partes verum est. — *Qui cum senatores]* Sic Lagom. 42. Vulgo *quid.* Tum omnes libri mss. *istum Senatorem*, pro quo a plerisque recentiorum ex libro Nanniano editur *istum Senatorium.* Sed hoc videtur mendose scriptum esse, neque enim Cicero *Senatorium* pro *Senatore* dixit, uti fecit Sallustius in altera epist. ad Caesarem c. 11 extr. *homines nobiles cum paucis Senatoriis.* Ne postea quidem *nomen Senatorium*, quamvis rectissime diceretur, receptumque sit ab recentioribus editoribus, auctoritate librorum mss. comprobatur, sed Hotomano relinquendum videtur. In Lag. 42 verba *ut hoc amplissimum nomen senatorum*, quippe inter repetitum *Senatorem* interiecta, mendose exciderunt. Idem *ad* ante *contum.* omittit.

§. 97. *clariss. et fortiss. viro]* Sic interpolavi scripturas codd. mss., cum vulgaretur *viro clariss. et fortiss.*, nam Lag. 42 *clarissimo viro*, nihil praeterea, ceteri boni libri *viro clarissimo et fortissimo viro.* — *paternas arationes haberet]* ex Lag. 42 dedi, vulgo *paternas hab. arationes.* Item et Lambinianus vet. cod. in marg. repet. (Fabric.) *frumentum omne decumanos auferre iusserit* melius quam vulg. *in decumas auferre*, quod debebat esse *auferri.* Ac ne illa quidem dicendi ratio *in decumas* pro *tamquam decumas* proba videtur.

98 haberes, providisti. Vos autem, iudices, putare debetis, esse quiddam nobis inter nos commune atque coniunctum. Multa sunt imposita huic ordini munera, multi labores, multa pericula, non solum legum ac iudiciorum, sed etiam rumorum ac temporum. Sic est hic ordo quasi propositus atque editus in altum, ut ab omnibus ventis invidiae circumflari posse videatur. In hac tam misera atque iniqua condicione vitae, ne hoc quidem retinebimus, iudices, ut magistratibus nostris in obtinendo iure nostro ne contemptissimi ac
42 despicatissimi esse videamur? Thermitani miserunt,
99 qui decumas emerent agri sui. Magni sua putabant interesse, publice potius quamvis magno emi, quam in aliquem istius emissarium incidere. Appositus erat Venuleius quidam, qui emeret. Is liceri non destitit: illi, quoad videbatur ferri aliquo modo posse, contenderunt: postremo liceri destiterunt: addicitur Venuleio tritici medimnum VIII milibus. Legatus Posidorus renuntiat. Cum omnibus hoc intolerandum videretur, tamen Venuleio dantur, ne accedat, tritici mod. VII et

---

§. 98. *atque iniqua]* Olim edebatur, quod et legitur in ceteris codd. *et indigna.* Nannius *iniqua* in suo esse notavit, facileque probavit: sed etiam *atque* in eo fuisse, ut Lag. 42 credibile facit, videtur annotare noluisse tamquam parum grave. Idem Lagom. extremo cap. bene *despicatissimi* pro vulg. *despectissimi.* Nam etiam alibi Cic. (p. Sext. 16) hominem *despicatissimum* dicit, *despectum* non dicit nisi cum praepositione a quo quis despiciatur, *despectissimum* nusquam.

§. 99. *addicitur Venuleio]* Lambinus et hic et supra cap. 33 *addicuntur*, scilicet decumae, de coniectura dedit. Nostrorum certe codicum consensus ei adversatur. Nec opus est plurali, cum facile sit supplere *res s. negotium.* Tum *tritici med. VIII* Lag. 42, rectissime, cum magno venisse decumae dicantur: ceteri ut vulgo *mod.*

Posidorus] edit. Iunt. et Paris. A B. Reliqui scripti et vulgo editi *Possidorus.* Ego verum nomen fuisse puto *Pasidorus*, quo pertinere videtur Lag. 42 *Phassidorus:* sed quis tandem, ut dubitare desinamus, lexicon Graecorum nominum conficiet, ad historiae fidem et grammaticam rationem necessarium?

praeterea HS $\overline{II}$. Ex quo facile apparet, quae merces
decumani, quae praetoris praeda esse videatur. Cedo
Thermitanorum mihi litteras et testimonium. TABULAE
THERMITANORUM ET TESTIMONIUM. Imacharenses iam omni 100
frumento ablato, iam omnibus iniuriis tuis exinanitos,
tributum facere miseros ac perditos coegisti, ut Apro-
nio darent HS XX milia. Recita et decretum de tri-
butis, et publicum testimonium. SENATUS CONSULTUM
DE TRIBUTO CONFERENDO. TESTIMONIUM IMACHARENSIUM.
Hennenses, cum decumae venissent agri Hennensis
med. $\overline{VIII}$ CC, Apronio coacti sunt dare tritici modium
$\overline{XVIII}$ et HS III milia. Quaeso, attendite, quantus nu-
merus frumenti cogatur ex omni agro decumano. Nam
per omnes civitates, quae decumas debent, percurrit
oratio mea: et in hoc genere nunc, iudices, versor,

---

§. 99. *tritici mod. $\overline{VII}$ et praeterea]* Sic Paris. A B et, nisi fallit me suspicio, etiam Lag. 42, e quo nihil a vulg. scriptura VI diversum enotatur. Lag. 29 IIII, dum V in II abit. *Et* certe in omnibus est melioribus, quod vulgo omittitur. Unde Ernestius sumpserit suum numerum VIII nescio, ni mendum est. Tum $\overline{II}$ Lag. 42, XX Lag. 29, reliqui fere et edd. principes *CIↃCIↃ milia*, vulgo CIↃCIↃ.

praeda esse videatur] Ab hac quasi legitima structura verborum discedit Lag. 42, in quo legitur *esse videatur praeda.*

§. 100. *tributum facere]* libri mss. quantum intelligo omnes, sed eadem constantia olim editi (Iunt. Naug.) *ferre*, donec Nannius veteris sui codicis scripturam commendavit. Et invidiosius dicere videtur *facere*, quippe quod a singulis colligeretur. Lambiniana lectio *conferre* ipsius coniecturae debetur. Mox XX sine *mil.* Lag. 42 solus.

Recita et decretum] Vulgo abest *et*, sed in libro tam certae auctoritatis, qualis est Lag. 42, non videtur sine causa additum esse. In eodem titulus, qui sequitur, non legitur, sed in ceteris bonis est. Nam Paris. B et Lag. 29 etiam *conferundo.* — *med. $\overline{VIII}$ CC]* Sic Lag. 42 et Nannianus. Vulgo CIↃ CIↃ CIↃCC (Lag. 29 *XXX CC*). Sed Nannius *medimnum* omnibus litteris scriptum significat: nobis alterum magis placet, sicut post e Nanniano scribimus *tritici mod. $\overline{XVIII}$*, cum in Lag. 42 expressis litteris legatur *modios XVIIII.* Olim i. e. ante Nannium pro his modium duodeviginti milibus accessionis loco datis edebatur, sicut est in plerisque manu scriptis, *mod. LXX co co co.*

non in quo singillatim aratores eversi bonis omnibus sint, sed quae publice decumanis lucra data sint, ut aliquando ex eorum agris atque urbibus expleti atque
43 saturati cum hoc cumulo quaestus decederent. Cala-
101 ctinis quamobrem imperasti anno tertio, ut decumas agri sui, quas Calactae dare consuerant, Amestrati M. Caesio decumano darent, quod neque ante te praetorem illi fecerant, neque tu ipse hoc ita statueras antea per biennium? Theomnastus Syracusanus in agrum Mutycensem cur abs te immissus est? qui aratores

---

§. 100. *non in quo singillatim*] Haec et quae sequuntur ex fide cod. Lag. 42 dedi, sed coniunctivos non hic solum, sed etiam ceteri meliores, et *quae* utique omnes et manu scripti et olim editi exhibent. Vulgo nunc sic editur *in quo non singulatim aratores eversi* (sic Graevius restituit, cum male Gruterus ex Lamb. repet. *eversis* propagasset) *bonis sunt, sed publice decumanis lucra data sunt.* Item post *expleti atque saturati* omnes libri veteres pro eo, quod nunc fere obtinet, vitio repet. Lambinianae *saturi.*

§. 101. *Calactinis — Calactae*] Sic primum scriptum est in edit. Gronoviana de sententia Cluverii in Sicilia antiqua p. 291. Antea et *Calatinis* et *Calactae* fuit. Nimirum duo sunt oppida, alterum in medio ferme littore Tusci maris, Καλὴ ἀκτὴ sive Καλακτὴ, cuius cives *Calactini* in nummis sunt, et leguntur item har. oratt. IV, 22 et Epist. XIII, 37, alterum multo obscurius, remotum a mari, non longe ab Apollonia Γαλάτη, hodie quoque *Galati*, cuius sunt incolae apud Plin. in catalogo *Galatani*, si vera lectio Harduini est. Codices variant: Lag. 14. 27. 48 *Calatinis* et 1. 5. 27. 29 *Calate*, Paris. C *Calatae*, Lag. 42 *Galactinis* et *Galacte:* reliqui ergo videntur scripturam nunc vulgatam firmare. Mirum vero quod Priscianus p. 593 et *Calate* et *Calacte* neutrius generis esse ponit, unde formari *Calatinum*, *Calactinum*, etiam tabula Peuting. et Antonini Itiner. in ablativo casu *Calacte.* Itaque nescio an sic scribendum.

consuerant] Sic Lag. 29 et Paris. B; Lag. 42 *consueverunt*, reliqui et vulgo *consueverant.* Cf. supra ad c. 21. Post Lag. 42 *Amastrati* et *N. Cesio.* Lag. 29 item cum edd. antiquis *Cesius.* — *Mutycensem*] Nann. et Lag. 42 *Mutiensem*, ceteri et edd. veteres *Muticensem.* Et eandem fere varietatem habebis infra cap. 51. Cum duae sint urbes in Sicilia, Μοτύη prope Lilybaeum, unde Μοτυαῖοι apud Stephanum Byzantinum, et Μοτύκα seu Mutyce apud Silium Ital. XIV, 268 inter Camarinam et Syracusas, quaeritur utrius ager hoc loco dicatur, ut aut cum Lambino *Mutyensem* scribas aut cum Graevio *Mutycensem.*

ita vexavit, ut illi in alteras decumas, id quod in aliis quoque civitatibus ostendam, triticum emere necessario propter inopiam cogerentur. Iam vero ex Hyblen- 102
sium pactionibus intelligetis, quae factae sunt cum decumano Cn. Sergio, sexiens tantum, quam quantum satum sit, ablatum esse ab aratoribus. Recita sationes ex litteris publicis. Cognoscite pactiones Menaenorum cum Venerio servo. Recita ex litteris publicis professiones sationum et pactiones Menaenorum. Patiemini, iudices, ab sociis, ab aratoribus populi Ro-

---

Et mihi quidem Motye huic loco minus apta videtur, tum quod longius a Syracusano remotum, tum quod ager publicus potius populi Romani fuerit, quippe civitatis diutissime in Carthaginiensium partibus versatae.

§. 102. *quae factae sunt*] Sic Lag. 42 rectissime, nam in vulg. *pactae sint* nec coniunctivus modus placet, nec Graeca dicendi ratio, si de Romana constet. Fuerat etiam in Fabric. vetere codice *factae*. Post *sexiens tanto* Lag. 42, unde saltem Adverbii numeralis formam veterem restituimus. — *Recita sationes*] Locus in libris et mss. et editis omissionibus et additionibus verborum corruptus. Editiones principes et codd. Lag. 1. 5. 45 *Recita sationes et pactiones ex litt. publ. Cognoscite pactiones Menenorum cum Venerio servo. recita ex litteris publ. Cognoscite etiam* (al. *item) professiones sationum et pactiones Menen. Recita ex litt. publicis. Patiemini* cet. Tum mediae aetatis et codd. Lag. 29 (in marg. suppletus) 14. 27. 48 Paris. C aliquanto plenius, quod post primum colon itidem adiiciunt *Recita ex litteris publicis.* Denique Lambinus aliis eiectis, aliis additis titulorum rationem absolvit sic: *Recita sat. et pact. ex litteris publicis. Recita. PACT. HYBLENSIUM CUM VENERIO SERVO EX LITT. PUBL.* (Hunc Venerium servum apud Hyblenses finxit, cum esset ille Sergius civis Rom.) *Cognoscite item profess. sationum et pactiones Menenorum cum Ven. servo. Recita ex litt. publ.* Et porro plenus titulus repetitur. Ex his multa fide Lagom. optimi et Paris. A B delevimus. Primum verba *et pactiones* absunt a Lag. 42, deinde ab omnibus titulus Hyblensium, qui si fuit olim, sic fuisse necesse est: *Professiones sationum et pactiones Hyblensium cum Cn. Sergio:* sed cum nihil prorsus eius extet in codd. mss. non ego tam insolens ero, ut legere te cogam, quod non fuerit scriptum. Tum reliqua, quae supra exhibui, sic sunt in Lag. 42, nisi quod in eo *Menemorum* legitur, de quo nomine vide supra ad cap. 22 pr.

ab sociis] Sic Paris. A B Lag. 29: vulgo *a sociis.* Porro Lag. 42 *ab eis.* Paris. B *ab his.*

mani, ab iis, qui vobis laborant, vobis serviunt, qui ita plebem Romanam ab sese ali volunt, ut sibi ac liberis suis tantum supersit, quo ipsi ali possint, ab his per summam iniuriam, per acerbissimas contumelias,
103 plus aliquanto ablatum esse, quam natum sit? Sentio, iudices, moderandum mihi esse iam orationi meae, fugiendamque vestram satietatem: non versabor in uno genere diutius, et ita cetera de oratione mea tollam, ut tamen in causa relinquam. Audietis Agrigentinorum, fortissimorum virorum, diligentissimorum aratorum querimonias; cognoscetis Entellinorum, hominum summi

---

§. 102. *vobis serviunt*] Blanditur quod olim Lallemandus coniecit *vobis serunt:* sed verum esse non puto. Durum verbum est, sed et praecedit *laborare*, et ipsa duritie misericordiam iudicum movere debet. Infra cap. 52 extr. gradatio fit *serere*, *impendere*, *laborare*.

ali possint] Sic libri omnes. Nam quod vulgo editur, *possunt*, nihil aliud est nisi error Gruterianorum typothetarum, propter falsam, quam homines de Gruteri diligentia susceperant, opinionem, longius propagatus. — *per acerbissimas cont.*] Ante Nannium edebatur *per summas iniurias*. Cum Nanniano faciunt ceteri meliores. Mox *sit* abest a Lag. 42, mendose, opinor.

§. 103. *ut tamen in causa relinquam*] Lag. 29 et Paris. A B *ut in causa tamen relinquam*, sed illud alterum videtur magis Latinum esse: libri mss. deteriores et editi ante Nannium *tamen* plane omittunt. — *diligentissimorum aratorum*] Vetustae editt. et codices plerique omnes sic locum exhibent: *Agrigent. fortissimorum, virorum diligentissimorum querimonias;* ex quo Hervag. Victor. fecerunt *fort. virorum diligentissimorumque.* Tum Nannius e suo vetere codice enotavit: *Agrig. fortissimorum virorum, diligentissimorumque et locupletissimorum hominum querimonias*, quam scripturam expresserunt Stephanus et Lambinus in pr. edit., in posteriore autem pro *hominum* edi voluit *aratorum.* Hanc vocem sine dubio e Fabriciano acceperat, nam legitur etiam in Lag. 42. Verum voces, quas praeterea invenerat in suo Nannius, in hoc desiderantur, breviterque locus sic exhibetur: *fortissimorum virorum, diligentissimorum aratorum.* Nec iniuria ipse Nannius animadvertit, non videri istud *locupletissimorum hominum* Ciceronis esse, qui paulo post Catinenses sic appellet. Itaque Lagomarsinianum optimum secutus sum. Quod vulgo editur *fort. virorum diligentissimorumque querimonias* e textu Lamb. repetitae secure propagatum est.

laboris summaeque industriae, dolorem et iniurias: Heracliensium, Gelensium, Soluntinorum incommoda proferentur: Catinensium, locupletissimorum hominum amicissimorumque, agros vexatos ab Apronio cognoscetis: Tyndaritanam, nobilissimam civitatem, Cephaloeditanam, Haluntinam, Apolloniensem, Enguinam, Ca-

---

§. 103. *Entellinorum, hominum summi laboris*] Vulgo additur post *cognoscetis: iudices*, quod delevimus auctoritate Lag. 42 et Fabric. apud Lamb. in marg. edit. repetitae. Neque enim illa allocutio loco medio videtur convenire. Sed quod vulgo omittitur *hominum* addidimus ex libris melioribus quattuor, Lag. 42 et 29, Par. A B item Lambinianae repet. marg. — *Heracliensium, Gelensium, Soluntinorum*] Sic edi voluit Lamb. in marg. repetitae editionis, cum in priore, quemadmodum etiam in antiquioribus (Iunt. Naug.) fuit, edidisset *Heracliensium, Iciliensium, Aetnensium, Solentinorum.* Sed de his *Iciliensibus* cum alioquin nihil constet, tum in codicibus deterioribus *Ciliciensium* vel *Conciliensium* invenitur, in melioribus quicquid hoc nominis est omittitur. Neque *Aetnenses* hic locum habent, quoniam de illis postea accuratius narraturus est, *Hennensium* vero, qui pro iis in plerisque codicibus inveniuntur, antea mentio facta est. Itaque non iniuria utrumque populum a melioribus abesse facile est intellectu, pro illis autem *Gelensium* in Lag. 42 est, id quod argumento est, e Fabriciano Lambinum recepisse. Quod *Soluntinorum* non *Solentinorum* scripsimus, auctoritate eiusdem codicis fecimus: cf. ad II, 42.

amicissimorumque] Addidit Lambinus in priore edit. *populi Rom.* sed eam coniecturam quoniam non memorat in marg. repetitae, videtur ipse damnasse. In libris certe mss. nullum eius est vestigium.

Haluntinam] Vulgo *Halentinam*, Graevius *Alentinam*. De aspiratione codices discrepant, Lag. 29 Paris. A B *Halintinam*, Lag. 42 *Aluntinam*, ceteri *Alintinam* vel *Alentinam*. Lib. IV, 23 *Haluntium* urbis nomen est in omnibus. — *Apolloniensem*] Lag. 42 et 27 *Apollanensem*. *Enguinam*] Graecum oppidi nomen cum sit Ἐγγύϊον (apud Diodorum Ἔγγυον, Silium Ital. XIV, 249 *Engyon*) appellativum Ἐγγυῖνος, facile intellectu est magnam codicum esse diversitatem in exprimendo duplici *g* et diphthongo υι. Et hoc quidem loco deteriores libri et edit. Iuntina *Eginam*, Nauger. *Eggynam*, Lag. 29 et Paris. B *Aggynam*, Lag. 42 *Eggumen*. Lib. IV, 44 §. 97 vulgo *Enguinos*, Lagom. omnes *Inguinos*, Havn. collatio *Eguinos*. V, 72 item vulgo *Enguinos*, Lag. sex *Eguinos*, 45 et Havn. *Eginos*, 29 *Egguinos*. Vides igitur codicum mss. fide praestare paene duplex *g*, verum grammaticorum doctrina *n* adulterinum praevaluit. Cf. Schneiderum de Elementis ling. Lat. p. 315 sqq. Sed *ui* tamen, non vel *y* simpliciter,

pitinam perditas esse hac iniquitate decumarum intelligetis: Inensibus, Murgentinis, Assorinis, Elorinis Ietinis nihil omnino relictum: Citarinos, Acherinos, parvarum civitatum homines, omnino abiectos esse ac perditos: omnes denique agros decumanos per triennium populo Romano ex parte decuma, C. Verri ex omni reliquo vectigales fuisse; et plerisque aratoribus nihil omnino superfuisse; si cui quid aut relictum aut remissum sit, id fuisse tantum, quantum ex eo, quo istius avaritia contenta fuit, redundarit.

---

vel *yi* scribendum esse loci e quarto quintoque libro evincunt, ad quos accedit Plinius in catal. *Enguinos* enumerans.

decumarum] Sic e Nanniano adhuc est editum pro lectione omnium librorum *decumanorum*. Nunc confirmant Lag. 42 Paris. B.

Inensibus, *Murgentinis*] Vulgo *Murgentini* incipiunt, sequuntur post Elorinos *Hennenses*. Verum Hennensium iniuriae supra expositae sunt, et hoc loco in optimo Lagom. prorsus ignorantur. Contra praeponitur *Murgentinis* vox corrupta *mensibus*. Hi sunt totidem lineolis *Inenses*, quod nomen diligentissimus Garatonius sine codicum ope latere odoratus est in *Hennensibus*. Urbs est *Ina*, vulgaribus geographis parum cognita, sed a Ptolemaeo commemorata circa promontorium Pachynum. Cf. Cluverii descript. Siciliae p. 356.

Ietinis] Codd. omnes et edd. vulgares *Letinis*. Sed nulli sunt *Letini*, itaque recte Graevius hos *Ietinos* esse, quos Plinius *Ietenses* appellat, coniecit, quemadmodum qui apud Ciceronem sunt *Gelenses*, Plinio *Gelani* sunt. Et Graece in nummis Ἰαιτῖνοι, a Diodoro Siculo Ἰετῖνοι dicuntur. — *Citarinos*] Codd. deteriores cum edd. principibus facientes *Ciratarinos*, Lag. 29 et Paris. A *gyratarinos*, Lag. 42 *ginitarinos*, Paris. A *gyratiarinos* scribunt. Ptolemaeus Κητάρια oppidum inter Bathyis fluvii ostium et Panormum habet. Itaque *Cetarinos* scribendum videtur. *Acherinos* omnes habent, praeter Lag. 42, in quo est *Gesthesinos*. Ii cum nulli sint in Sicilia, *Scherini* contra a Plinio inter mediterraneos appellentur, urbsque Σχῆρα sit Ptolemaeo, videtur h. l. sic corrigendum esse potius cum Cluverio p. 381, quam *Achetinos* cum Ernestio in Clave. Nam quo loco utitur Silii Italici XIV, 268 *pubesque liquentis Achaeti*, fluvius haud dubie intelligendus. — *vectigales*] Lag. 29. 42 Paris. B — *is*.

si cui quid aut relictum aut remissum sit] Edebatur quondam secundum Naugerium *quibus quod tum aut remissum aut relictum sit*, in vetustioribus autem proxime ad scripturam deteriorum quos dico codicum *cui quid tum* cet. Nannianus *Si cui quid aut remissum*

Duarum mihi civitatum reliquos feci agros, indi- 44
ces, fere optimos ac nobilissimos, Aetnensem et Leon- 104
tinum. Horum ego agrorum missos faciam quaestus triennii: unum annum eligam, quo facilius id, quod institui, explicare possim. Sumam annum tertium, quod et recentissimus est, et ab isto ita administratus, ut, cum se certe decessurum videret, non laboraret, si aratorem in Sicilia nullum omnino esset relicturus. Agri Aetnensis et Leontini decumas agemus. Attendite, iudices, diligenter. Agri sunt feraces: annus ter-
tius: decumanus Apronius. De Aetnensibus perpauca 105
dicam: dixerunt enim ipsi priore actione publice. Memoria tenetis, Artemidorum Aetnensem, legationis principem, publice dicere, Apronium venisse Aetnam cum

---

aut relictum sit, quod ab insequentibus editoribus receptum iam vulgo legitur. Verum ordinem verborum eum quem dedi meliores omnes obtinent, praeterea *autem* adiiciunt ante prius *aut* Lag. 29 Paris. A B, quod quamvis ad vinciendam orationem pertineat, tamen neque necessarium videtur et e proxima voce ortum.

§. 104. *Aetnensem et Leontinum]* Sic editum fuit a Car. Stephano ex msto Nanniano, eaque deinde facta est vulgata lectio. Antea fuit *Aetnensium et Leontinorum*, quod legitur in codd. meis omnibus praeter Lag. 42, hac quoque in re cum Nanniano congruentem. Exquisitius i. e. a vulgari consuetudine paulo remotius et tamen non minus recte dici *Aetnensem* quam *Aetnensium* facile patet. *Ac Leontinum* edidit Lambinus. Post *horum ego agrorum* libri, quos meliores dico, omnes mei. Vulgo *horum agrorum ego*. Item elegantius interiectis paucis versibus ex uno Lag. 42, sed unicae auctoritatis libro, scripsi *aratorem in Sicilia nullum omnino* pro vulg. *aratorem nullum in Sicilia*. — *decumas agemus]* Accusativum posuit pro praepositione *de*, cuius rei in activo modo nullum mihi exemplum suppetit, sed quoniam passive *aguntur iniuriae sociorum* lib. IV, 51 vel *aguntur vectigalia populi Rom.* pro leg. Man. c. 2 cet. recte dicuntur, potest etiam in activa forma hoc dici.

§. 105. *legationis principem]* Sic unus Lag. 42, in ceteris *eius* medium adiicitur. Tum *magistratus* ex eodem dedimus, vulgo *magistratum*. Fieri quidem potest, ut unus magistratus fuerit Aetnae, sicut Agyrii, cf. supra cap. 28 ad eumque locum Garatonii notam, sed libro optimo libenter vel soli pareo. Ex eodem post *in medio foro sibi lecti sternerentur*, pro *in foro sibi medio* edidi.

Veneriis; vocasse ad se magistratus; imperasse, ut in medio foro sibi lecti sternerentur; cotidie solitum esse non modo in publico, sed etiam de publico convivari; cum in eis conviviis symphonia caneret, maximisque poculis ministraretur, retineri solitos esse aratores, atque ab eis non modo per iniuriam, sed etiam per contumeliam, tantum exprimi frumenti, quantum Apronius
106 imperasset. Audistis haec, iudices, quae nunc ego omnia praetereo et relinquo. Nihil de luxuria Apronii loquor, nihil de insolentia, nihil de singulari nequitia ac turpitudine: tantum de quaestu ac lucro dicam unius anni et unius agri, quo facilius vos coniecturam de triennio et de tota Sicilia facere possitis. Sed mihi Aetnensium brevis est ratio. Ipsi enim venerunt, ipsi publicas litteras deportaverunt: docuerunt

§. 105. *non modo in publ.]* In Lag. 42 desideratur *modo*, mendose, censeo, propter similem notam verbi antecedentis. Cf. ad initium huius libri. Post *in eius* ambo boni Lagom. et Paris. B, qui solet Lag. 29 comitari, non infrequenti errore, si fuerit *eis*.

retineri solitos esse aratores] Quod vulgo legitur *retinere solitum esse* a Naugerio est, cum editiones vetustae et codd. deteriores habeant *retinere solitus esset* vel *sit*. Sed haec scriptura eo pertinet, quod in melioribus (Lag. 42. 29 Paris. A B dico) reperitur, quodque nos cum Lambino repet. marg. ea in re Fabricianum secuto edidimus, quamquam, ne quid sciens falsum dicam, passivum *retineri* in uno Lag. 42 est. Ex hoc quod est *solitos esse*, ad sequentia neutrum *solitum esse* intelligi et patet nec difficile est. — *ab eis]* Sic Lag. 42, ceteri cum edd. veteribus *his*, nullus, quod nunc vulgo, *iis*. Tum *ac relinquo* vulgo: meliores *et*.

§. 106. *nihil de singulari]* Ante haec verba in Lag. 29 Paris. A B et vetere codice Fulvii Ursini additur *nihil de permissa ab isto licentia*. — *unius anni et unius agri]* Permutatis sedibus vulgo *agri* praeponitur, *anni* sequitur, contra rerum ordinem in sequentibus institutum. Itaque secuti sumus Lag. optimum. — *Aetnensium brevis est ratio]* Miror neminem praeter Ernestium in vulgatis *Sed mihi Aetnensium brevis est oratio* offendisse, quae dicendi ratio vix Latina potest haberi, *Aetnensium* pro *de Aetnensibus*. Prodest vero Lag. 42, in quo rectissime legitur *ratio*, sicut infra cap. 46 init. est *Verum, uti dixi, ratio certa est Aetnensium*. — *deportaverunt*] Sic Lag. 42 et edd. Aldina antiquiores, ceteri et vulgata *deportarunt*.

vos, quid lucelli fecerit homo non malus, familiaris praetoris, Apronius. Id, quaeso, ex ipsorum testimonio cognoscite. Recita testimonium Aetnensium. Quid 45
ais? dic, dic, quaeso, clarius, ut populus Romanus de suis vectigalibus, de suis aratoribus, de suis sociis atque amicis audiat. *L med.*, HS *L*. Per deos immortales! unus ager uno anno trecenta milia modium tritici et praeterea HS L lucri dat Apronio! Tantone minoris decumae venierunt, quam fuerunt; an, cum satis magno venissent, hic tantus tamen frumenti pecuniaeque numerus ab aratoribus per vim ablatus est? Utrum enim horum dixeris, in eo culpa et crimen haerebit. Nam illud quidem non dices, quod utinam 107
dicas, ad Apronium non pervenisse tantum. Ita te non modo publicis tenebo, sed etiam privatis aratorum pactionibus ac litteris: ut intelligas, non te diligentiorem in faciundis fuisse furtis, quam me in deprehendendis. Hoc tu feres? hoc quisquam defendet?

---

§. 106. *Recita — Aetnensium*] Adiicitur nunc vulgo etiam titulus TESTIMONIUM AETN. Sed is cum in nullo libro ms. sit, originem debet Lambino. Ne scribae quidem appellatio legitur in melioribus, sed relicto tamen spatio exiguo in Paris. B Lag. 29.

dic, *dic*] Alterum *dic* abest a Paris. A. — *L med. HS L*] Olim editi et libri mss. fere omnes nihil aliud nisi *L medimna:* Hotomanus genitivo scribi *medimnum*, ut intelligerentur milia, atque addi *L HS* iussit, in quo Lambinus et reliqui ei paruerunt. Recte, ipse enim Cicero continuo docet, et codex Nannianus cum *L med.* omittat, tamen pecuniae summam habet. Sic igitur scripsi, *med.* e Lag. 42, *HS L*, non, ut vulgo, *L HS millia*, e Nanniano, sed lineolam superinduxi. Mox *et praeterea L milia lucri* libri mss.: notam *HS* addi iussit Hotomanus, non invitis libris: nam habet *n. s.* (nummum sest.) Lag. 42, sed omittit contra verbum *milia*, quod lineola inducta supplevimus.

§. 107. *in faciundis fuisse furtis*] Sic Lag. 42, vulgo *in faciendis furtis fuisse*. Mox *reprehendendis* mss. omnes et editt. vetustissimae, sed recte correxisse videtur Naugerius, quem ceteri editores tacite secuti sunt. Confusorum verborum exempla habuisti huius libri §. 4 et 51. Nam dicitur h. l. non de corrigendo, sed de inveniendo.

Hoc tu feres] *Ferre* dictum est eadem ratione, qua mox *susti-*

hoc hi, si aliter de te statuere voluerint, sustinebunt? uno adventu, ex uno agro, Q. Apronium, praeter eam, quam dixi, pecuniam numeratam CCC milia modium
108 tritici lucri nomine sustulisse? Quid? hoc Aetnenses soli dicunt? immo etiam Centuripini, qui agri Aetnensis multo maximam partem possident: quorum legatis, hominibus nobilissimis, Androni et Artemoni, senatus ea mandata dedit, quae publice ad civitatem ipsorum pertinebant, de iis iniuriis, quas cives Centuripini non in suis, sed in aliorum finibus acceperunt, senatus et populus Centuripinus legatos noluit mittere: ipsi aratores Centuripini, qui numerus est in Sicilia maximus hominum honestissimorum et locupletissimorum, tres legatos, cives suos, delegerunt, ut eorum testimonio non unius agri, sed prope totius Siciliae calamitates cognosceretis. Arant enim tota Sicilia fere Centuripini: et hoc in te graviores certioresque testes sunt, quod ceterae civitates suis solum incommodis commoventur, Centuripini, quod in omnium fere finibus possessiones habent, etiam ceterarum civitatum damna ac detrimenta senserunt.

46 Verum, uti dixi, ratio certa est Aetnensium, et
109 publicis et privatis litteris consignata: meae diligen-

---

nere, tamquam de onere quodam, i. e. *auf sich nehmen*, defendere, verum fateri.

§. 108. *Artemoni*] Lag. 42 *Arthimoni*. Vulgo *Arthemoni*, quae scribendi nominis ratio emendanda etiam contra libros mss. fuit c. 87.

acceperunt] Lag. 42 *acceperant*, quod perinde est, et post *committere*, quod si probes, debeas *legatis* corrigere. — *in omnium fere fin. poss. habent*] Sic duo meliores Lagom. et Paris. A B et *omnium* quidem pro eo, quod olim edebatur *omnibus*, post Nanniani codicis notitiam iam vulgo legitur, ordinem verborum *poss. habent* nunc primum repraesentamus.

§. 109. *uti dixi*] Quidni receperim *uti* pro vulg. *ut* ex optimis Nann. et Lag. 42. Noluit facere Ernestius, at fecit Graevius.

meae diligentiae] Nescio quid Lambinus hac correctione glorietur, quam, ni magnopere fallor, e libris mss. sumpsit, habent enim

tiae pensum magis in Leontino agro est exigendum, propter hanc causam, quod ipsi Leontini publice non sane multum me adiuverunt: neque enim eos, isto praetore, hae decumanorum iniuriae laeserunt; potius etiam, iudices, adiuverunt. Mirum fortasse hoc vobis aut incredibile videatur, in tantis aratorum incommodis Leontinos, qui principes rei frumentariae fuerint, expertes incommodorum atque iniuriarum fuisse. Hoc causae est, iudices, quod in agro Leontino praeter unam Mnasistrati familiam glebam Leontinorum possidet nemo. Itaque Mnasistrati, hominis honestissimi atque optimi viri testimonium, iudices, audistis: ceteros Leontinos, quibus non modo Apronius in agris, sed ne tempestas quidem ulla nocere potuit, expectare nolite. Etenim non modo incommodi nihil ceperunt, sed etiam in Apronianis illis rapinis in quaestu sunt

---

quattuor meliores nostri, cum in reliquis et olim editis mendose legatur *mea diligentia*. Utinam alibi in gravioribus rebus et quid fecisset, et cur, diligentius indicasset. Statim *in agro Leont.* de suo scripsit sine ulla causa. — *non sane multum me*] Sic Lag. 42. Vulgo *non sane me multum*. Praestat autem *non sane* iungi illi voci, ad quam pertinet. — *decumanorum iniur.*] Lag. 42 *decumarum iniur.*

potius etiam, iudices, adiuverunt] Sic adiecta appellatione *iudicum* Lambinus in margine repet. editionis edi voluerat, fecitque Gruterus, reprehensus eo nomine a Graevio, quod parum constaret, utrum ille ex Fabric. codice duxisset an ingenio invenisset, quod in nullis libris nec scriptis nec editis esset. Confidenter loquitur, vultque diligens videri, qui haud dubie parum curiose vetustas editiones inspexit, in quibus Aldina prioribus est omnibus, sed in finem sententiae reiectum secundum mss. deteriores. In quattuor melioribus nostris eodem loco legitur quo Lambinus voluit.

qui principes — fuerint] Coniunctivum *fuerint* admodum multi codices, interque eos, cui soli plus paene tribuo quam ceteris omnibus, Lag. 42, habent pro vulg. *fuerunt*. Pertinet enim hoc interiectum accurate ad totam ratiocinationem. — *audistis*] Sic Lag. 42 et Lambinus in marg. repetitae, et omnino sic scribendum pro vulg. *audietis*. Partim enim et de maioribus quidem fere incommodis testimonia iam dicta sunt: cap. 27 *audistis permulta testimonia civitatum et reliquarum audietis*.

110 compendioque versati. Quapropter, quoniam me Leontina civitas atque legatio propter eam, quam dixi, causam defecit, mihimet ineunda ratio et via reperiunda est, qua ad Apronii quaestum, sive adeo qua ad istius ingentem immanemque praedam possim pervenire. Agri Leontini decumae tertio anno venierunt tritici medimnum XXXVI, hoc est, tritici modium CC et XVI milibus. Magno, iudices, magno: neque enim hoc possum negare. Itaque necesse est, aut damnum, aut certe non magnum lucrum fecisse decumanos. Hoc enim solet usu venire iis, qui magno redemerunt.
111 Quid, si ostendo, in hac una emptione lucri fieri tritici modium C? quid, si CC? quid, si CCC? quid, si CCCC milia? dubitabitis etiam, cui ista tanta praeda quaesita sit? Iniquum me esse quispiam dicet, qui ex lucri magnitudine coniecturam capiam furti atque praedae. Quid, si doceo, iudices, eos, qui CCCC mod. lucri faciunt, damnum facturos fuisse, si tua iniquitas, si tui ex cohorte recuperatores non intercederent:

---

§. 110. *tertio anno venierunt*] Sic quattuor meliores. Vulgo *anno tertio*. Sed Lag. 42 *veneunt*. — *CC et XVI milibus*] Sic prorsus et expressis litteris Lag. 42, quod non dubitabo annotare, si cui ad alios locos usui possit esse. Vulgo CCXVI. — *fecisse decumanos*] Plurali numero Lag. 42, cum editi *decumanum* praeferant. Paulo post de pluribus loquitur, *eos qui CCCC mod. lucri faciunt*, et cf. ad §. 113. Videtur enim societas fuisse, cuius magister Apronius fuerit.

§. 111. *modium C*] Lag. 29. 42 *mod.* ceteri et edd. vett. *modios*. Mox verba *quid si CCC?* ex Nanniano accesserunt, ac leguntur in uno Lag. 42. — *dubitabitis etiam*] Sic mss. omnes, item editi olim libri, ut mirer qua ratione in textum Lamb. repet. venerit *dubitatis*, ni mendum est a Grutero quidem non animadversum. Sed verum restituit iam Ernestius. — *coniecturam capiam*] ex Nanniano ediderunt Steph., Lamb., Graevius, cum olim esset *faciam*. Illud unus Lag. 42 de meis. Utrumque aeque recte dicitur. — *Quid si doceo*] Ante Manutium fuit *docebo*, ut Lag. VI Paris. C. — *CCCC mod.*] Sic scribitur in Lag. 42: sed lineolam ego addidi. Vulgo *CCCC millia modium*. — *si tui ex cohorte*] optime restituit Nannius, cui nunc sponsorem, si opus sit, addo nostrum optimum. Olim ex ceteris edebatur pro *si tui* mendose *sit ut*.

numquis poterit in tanto lucro tantaque iniquitate dubitare, quin propter improbitatem tam magnos quaestus feceris, propter magnitudinem quaestus improbus esse volueris? Quomodo igitur hoc assequar, iudices, 47
ut sciam, quantum lucri factum sit? non ex Apronii 112
tabulis, quas ego cum conquirerem, non inveni: et cum in ius ipsum eduxi, expressi, ut conficere se tabulas negaret. Si mentiebatur: quamobrem removebat, si hae tabulae nihil tibi erant offuturae? si omnino nullas confecerat litteras: ne id quidem satis significat, illum non suum negotium gessisse? Ea est enim ratio decumanorum, ut sine plurimis litteris confici non possit: singula enim nomina aratorum, et cum singulis pactiones decumanorum, litteris persequi et conficere necesse est. Iugera professi sunt omnes aratores imperio atque instituto tuo: non opinor quem-

---

Lambinus priore edidit: *si, ut tua iniquitas fuit, ex tua cohorte*, sed in marg. repet. semel ipse ad Nann. (haud dubie etiam ad Fabric.) revocavit. — *improbitatem tam magnos*] Unus Nann. et iam etiam alter Lag. 42 *improbitatem* pro *iniquitatem* restituunt. Nam orationis festivitas periret, si verborum varietas intercederet. Sed Lag. praeterea *tuam* pro *tam* habet, quod ad errorem librarii refero.

§. 112. *Quomodo igitur*] Lag 42 *quando*, idem omittit allocutionem *Iudices*, tum idem unus tamen defendit vulgarem nunc verborum ordinem *quantum lucri*, qui de textu Lambinianae repet. in Gruterianam migravit, cum ceteri habeant *lucri quantum*. Postea *ut conficere se tabulas negaret* recte idem liber, vulgo *tab. se negaret*.

offuturae] Sic scribitur in duobus Lag. optimis. Vulgo nunc fere *obfuturae*. — *satis significat*] meliores omnes, et melius quam vulg. *significabat*, pertinet enim ad praesentem condicionem.

Ea est enim] Desideratur *ea* in Lag. 42 loco detrusum, opinor, ab inseq. voce. Idem confirmat post Lambini in repet. lectionem *decumanorum* pro olim vulg. *decumarum*, quam frustra tueri conatur Garatonius. Confundi ea verba vidimus supra §. 109. Sed mox, cum non appelletur quem necesse sit ea facere, *decumanum* malim scribi pro *decumanorum*. — *omnes aratores*] Sic Lag. 42. Ceteri scripti et editi *arat. omnes*. Idem *tot supplicia* exhibens cum Nanniano congruit, secundum quem iam sic vulgo editur pro eo, quod olim fuit, *iudicia*.

quam minus esse professum, quam quantum arasset, cum tot cruces, tot supplicia, tot ex cohorte recuperatores proponerentur. In iugero Leontini agri medimnum fere tritici seritur, perpetua atque aequabili satione: ager efficit cum octavo, bene ut agatur; verum, ut omnes dii adiuvent, cum decumo: quod si quando accidit, tum fit, ut tantum decumae sit, quantum severis, hoc est, ut, quot iugera sint sata, toti-
113 dem medimna decumae debeantur. Hoc cum ita esset, primum illud dico, pluribus milibus medimnum venisse decumas agri Leontini, quam quot milia iugerum sata essent in agro Leontino. Quodsi fieri non poterat, ut plus quam decem medimna ex iugero exararent, medimnum autem ex iugero decumano dari oportebat, cum ager, id quod perraro evenit, cum decumo

§. 112. *In iugero Leont. agri]* Locum laudat Priscianus ut probet *hoc iugerum* dici pag. 742, sic: *In iugerum Leontini agri medimnum fere frumenti seritur.* Quod ex hoc loco probare voluit, conficitur etiam si legas *in iugero.* Nam quod in edd. ant. est *in iugere,* poetis relinquendum (cf. ad cap. 23) et male ab Ernestio revocatum est. Nam et hoc loco et paulo post non Nannianus solus, sed meliores nostri omnes, etiam aliquot ex deterioribus *iugero* habent. Invenisse Lambinum etiam in Fabric. ex eo intelligitur, quod cum in priore edit. *iugere* scripsisset, in alterius marg. se reprehendit. Sed idem male primus vulgarem verbb. ordinem et a Prisciano confirmatum *Leontini agri* contra libros mss. nostros quidem omnes mutavit.

cum decumo] Sic Fabric. in marg. Lambinianae repet. et meliores nostri. Olim *decimo.* — *quot iugera sint sata]* Accuratius Coniunctivum poni quam Indicativum, facile intelligas. Sed illum, uti Ernestius coniecit, iubent etiam Lag. 29 et 42 Paris. A.

§. 113. *pluribus milibus medimnum]* Lag. 42 *mille mod.* Sed post *sata essent* ex eodem restituendum videbatur, pro Indicativo *sata erant.* Eum ferri quidem posse, alter similis locus, qui paulo post legetur, demonstrat, verum Coniunctivum a librario esse nemo opinabitur. — *ex iugero exararent]* Verbum compositum unus Lag. 42 tuetur, nam ne Nannianus quidem aliter ac vulg. *ararent.* Sed cum de fructibus ruris dicatur, ipse Nannius secundum auctoris consuetudinem *exarare* putavit necesse esse. — *dari oportebat]* Sic praeclare Lag. 42 pro vulg. *poterat,* quod ne sic quidem in mss. est, sed *poterit.*

extulisset: quae erat ratio decumanis, si quidem decumae, ac non bona venibant aratorum, ut pluribus aliquanto medimnis decumas emerent, quam iugera erant sata? In Leontino iugerum subscriptio ac professio non est plus XXX. Decumae XXXVI medimnum 48
venierunt. Erravit, aut potius insanivit Apronius? Immo tum insanisset, si aratoribus id, quod deberent, licitum esset, et non, quod Apronius imperasset, necesse fuisset dare. Si ostendam, minus tribus medi- 114
mnis in iugerum neminem dedisse decumae: concedes,

---

§. 113. *quae erat ratio decumanis — emerent]* Unum Lag. 42 secutus sum in revocando numero plurali, nam vulgo *decumani — emeret* editur. Cf. supra §. 110. Videtur hoc iam olim aliquis correxisse, sed genitivus minus aptus est quam dativus; *quae* t i b i *fuit ratio?*

bona venibant aratorum] Ante Lambinum secure omnes *veniebant:* ille ad regulam redegit, statimque sepulta mentio est. At molesta res est, nam et hic et infra cap. 50 pr. codices ad unum omnes *veniebant:* et idem codicum consensus Philipp. II, 36 §. 92: neque non apud Livium II, 9 plerique et optimi codices. Tamen ab Heusingeri ad loc. Phil. iudicio non discedo, corrigendos eos esse locos, cum de ipsa regula et aliis formis *veneunt*, *venibunt*, *venierant* constet et legatur etiam sine dissensu *venibant* in epist. ad Att. V, 20.

non est plus XXX] Vulgo *XXX milium*, sed ipsum verbum invitis libris mss. omnibus non addam. Lambinus edidit *plus* q u a m *XXX millium* de coniectura sua, nec necessaria. Ceterum *subscriptio professio* iuxta locata, non vincta, Lag. 42; quod fortasse referendum ad rationem formularum, de quibus diximus ad c. 30 §. 71. *Subscriptio* videtur esse decumani, quasi ratam facientis professionem.

aut potius] Vulgo *an potius*. *Aut* quamvis in uno libro Lag. 42 sit, recipiendum tamen non solum propter illius auctoritatem, sed etiam ipsius rei causa. Neque enim quaeritur *utrum* erraverit *an* insaniverit Apronius, sed simpliciter *num* erraverit seu potius insaniverit, cum errasse illum iusto lenius sit. — *id, quod deberent]* Primam voculam adieci ex Lag. 42. Item paulo post *ostendam* pro vulg. *ostendo* ex eodem dedi. Sed quod Ernestius voluit *et* in his verbis: *et non quod Apron. imperasset necesse fuisset dare*, deleri, in ea re Ciceronis loquendi usum parum videtur perspexisse, qui ubi alterum verum est, ut *potius* suppleri possit, coniunctionem non omittit. Vide quae in Gramm. L. L. §. 781 notavi, et grammaticae rationis peritissimum Matthiaeum ad Cic. pro Rosc. Am. c. 33.

§. 114. *dedisse decumae]* Non opus est, quod Lambinus coniecit,

opinor, ut cum decumo fructus arationis perceptus sit, neminem minus tribus decumis dedisse. Atque hoc in beneficii loco petitum est ab Apronio, ut in iugera singula ternis medimnis decidere liceret. Nam cum a multis quaterna, etiam quina exigerentur, multis autem non modo granum nullum, sed ne paleae quidem ex omni fructu atque ex annuo labore relinquerentur: tum aratores Centuripini, qui numerus in agro Leontino maximus est, unum in locum convenerunt: ho-

---

decumarum nomine, nam genitivus hic eadem ratione ponitur, ut totiens legimus *lucri* datam esse hanc vel illam pecuniam, et infra c. 49 *accessionis*, cap. 61 *mercedis ac praemii*, ubi eandem explicandi et interpolandi rationem, quam h. l. Lambinus, inierunt veteres librarii.

ut cum decumo] Sic Lambinus ex coniectura Hotomani priore edit., sed quod idem in nota edit. repetitae, nimirum cum ita esse in Fabriciano comperisset, scripsit, sic omnes libros veteres habere, magnificentius quam verius locutus est. Nam et editiones priores et codd. mss., quibus nos quidem utimur, omnes, etiam Parisini, quod addo propter vanitatem Lallemandi, praeter unum Lag. 42 *decumano* exhibent. Dubium tamen esse nequit, quin hoc quoque loco auctor scripserit, quod bis supra §. 112 et 113 scripsit. Ceterum *ut* explica *si fuerit ut*, ne velis cum Schützio intelligere coniunctionem, quam *quum* solent scribere. — *Atque hoc in beneficii loco]* Hotomanus ex vetere suo cod. correxit *atqui*, quae particula ipsi et Lambino, Grutero, Graevio huic loco aptior visa est, Ernestio non item: nec mihi videtur. Nam *atque* cum non simpliciter coniungat, sed cumulum rerum aut aequalium aut maiorum adiiciat, ubi nos copulam accentu intendimus, saepe fit, ut adiectis adverbiis *insuper, tamen, nihilominus* explicari possit. Sed hoc non satis est, ut *atqui* scribatur, nisi scriptor oppositionem fieri voluerit. Vide locos de Off. II, 13 §. 45 III, 12 §. 48 et collectos a Ferd. Handio in Tursellino p. 484 sq.

non modo granum nullum] Veteres editiones *non solum granum ullum* ex deterioribus libris, et ipse Lambinus edit. priore. In alterius marg. ex vetere cod. (Fabric.) *modo* et *nullum* edi voluit, utrumque rectissime, et approbarunt ceteri editores et mss. nostri quos meliores vocamus. *Ullum* tamen ex his Paris. B et Lag. 29. Sed non omittitur ante *ne — quidem* negatio quae pronomini inhaereat. Dixi ea de re in Gramm. §. 726. Cf. etiam lib. IV, 22 *non modo oppidum nullum, sed ne domus quidem ulla — reperietur.* — *ex annuo labore]* Non placet quod est in Lag. 42 *ex omni labore*, et repetitum ex proximo videtur. Nam ni variare auctor voluisset adiectivis, vix dubito quin scripturus fuerit *ex omni fructu atque labore.*

minem suae civitatis in primis honestum ac nobilem, Andronem Centuripinum, legarunt ad Apronium, eundem, quem hoc tempore ad hoc iudicium legatum et testem Centuripina civitas misit, ut is apud eum causam aratorum ageret, ab eoque peteret, ut ab aratoribus Centuripinis ne amplius in iugera singula, quam terna medimna exigeret. Hoc vix ab Apronio in summo 115
beneficio pro iis, qui etiamtum incolumes erant, impetratum est. Id cum impetrabatur, hoc videlicet impetrabatur, ut pro singulis decumis ternas decumas dare liceret. Quodsi tua res non ageretur, a te potius postularent, ne amplius, quam singulas, quam ab Apronio, ut ne plus, quam ternas decumas darent. Nunc, ut hoc tempore ea, quae regie, seu potius tyrannice statuit in aratores Apronius, praetermittam, neque eos appellem, a quibus omne frumentum eripuit, et quibus nihil non modo de fructu, sed ne de bonis quidem suis reliqui fecit: ex hisce ternis medimnis (quod beneficii gratiaeque causa concessit) quid fiat, cognoscite. Professio est agri Leontini ad iuge- 49
rum $\overline{XXX}$. Haec sunt ad tritici medimnum $\overline{XC}$, id est, 116

---

§. 114. *eundem, quem]* Sic Naugerius correxit: codd. enim omnes aut plerique omnes, nam excipiendus Par. A, *eundemque.* Sed recte puto Naugerio insecutos editores adhaesisse.

§. 115. *in summo benef.]* Abest *in* a Lag. 42. Idem et Paris. B post *his* pro *iis:* et *videlicet* scribitur *vid.* — *a quibus — eripuit]* Praepositionem omittit Lag. 29. Tu cf. ad lib. I, 10 et exemplis ibi collectis adde orat. p. Marc. 10 *arma ab aliis posita, ab aliis erepta.*

ex hisce ternis] Encliticam addidi auctoritate plurimorum et optimorum codicum.

§. 116. *ad iugerum $\overline{XXX}$]* Sic Lag. 42 et *iugerum* quidem expressis litteris, ne sic putes edi ad solam Hotomani quamquam certissimam coniecturam. Vulgo olim *iugera*, quod Graevius inepte sic defendit, ut *ad* pro *circiter* dictum contenderet. Est vero ea significatione positum, sed hoc nullam vim habet ad casum genitivum, quem e *milibus* pendere facile patet. — *ad tritici medimnum $\overline{XC}$]* *medimnas* tres Paris. et VI Lagom. et editt. Aldina vetustiores. Iidem codd.

mod. $\overline{\text{DXL}}$: deductis tritici mod. $\overline{\text{CCXVI}}$, quanti decumae venierunt, reliqua sunt tritici $\overline{\text{CCCXXIV}}$. Adde totius summae DXL milium modium tres quinquagesimas; fit tritici mod. $\overline{\text{XXXII}}$ CCCC: (ab omnibus enim ternae praeterea quinquagesimae exigebantur:) sunt haec iam ad $\overline{\text{CCCLX}}$ mod. tritici. At ego $\overline{\text{CCCC}}$ lucri facta esse dixeram: non enim duco in hac ratione eos, quibus ternis medimnis non est licitum decidere. Verum, ut hac ipsa ratione summam mei promissi compleam, ad singula medimna multi HS binos, multi HS singulos semis accessionis cogebantur dare, qui mi-

---

mox *modios*, post *modiis*, nulla ratione habita, quod milia sunt. Sed haec tamen non videntur nisi errores librariorum grammaticam rationem, omissa nota numeri millenarii, restituentium. Sed genitivum *tritici* qui vulgo modium DXL milibus praemittitur, iussu Lag. 42 omisi, nihil enim attinet repetere, cum modo praecesserit cum medimnis.

deductis tritici mod. $\overline{\textit{CCXVI}}$] Codd. aut *deducti* aut *deductus* (Lag. 42), et praeter Lag. 42 *modiis*, item omnes verba *milibus* et paulo post *milia*, quae vulgo adiiciuntur, omittunt. Tum pro *milium* VI Lag. et Paris. C *milia*.

fit tritici mod. $\overline{\textit{XXXII}}$ *CCCC*] Cratandr. editor primus fecit *id est*. Nam edd. vetustae *sic*, Nauger. *sit*. Codd. quidem deteriores *sit*, meliores *fit*, quod unice verum. Ceterum vocem *milia* omnes ignorant, neque ullus *modium* omnibus litteris repraesentat. Sed Lag. 42 bis habet *tritici* sic: *quinquagesimas tritici fit tritici*.

sunt haec iam ad $\overline{\textit{CCCLX}}$ *mod. tritici*] Nota HS numero praemittitur in codd. praeter Nannianum et Lag. 42 omnibus, deinde antiquae edd. CCCXL: Hotomanus iusto minorem numerum cum vidisset, eum, quem accurata computatione invenerat, *CCCLVI milia CCCC* restituendum censuit, obsequentibus facile Lambino ceterisque recentioribus. Equidem codicum auctoritatem sequi non dubitavi, nam $\overline{\textit{III}}$ *DC*, quantum deest, consulto praetermisisse orator videtur.

HS binos, multi HS singulos semis] Vulgo omnes *HS duo, multi HS quinque*, in quo nemo praeter Manutium iniqua gradatione a binis ad quinos Sestertios offendit. Et ille quidem hanc ob causam pro *quinque* voluit *tres* scribi, turbato imminutionis ordine. Lambinum vero unus animadvertit Garatonius in marg. repet. emendasse *binos — singulos et semiss.* i. e. *et semisses*, nec tamen sic ipse putat invitis libris corrigendum esse. Illud vero Lambinus non ingenio suo debet, sed codici Fabriciano, id quod manifesto demonstrat Lag. 42 expressis litteris sic ut edidimus repraesentans. Nam solet *semis* nu-

nimum, singulos nummos. Minimum ut sequamur, quoniam $\overline{XC}$ med. duximus, accedant eo, novo pessimoque exemplo, HS XC milia. Hic mihi etiam dicere 117
audebit, magno se decumas vendidisse, cum ex eodem agro dimidio ipse plus abstulerit, quam populo Romano miserit? $\overline{CCXVI}$ agri Leontini decumas vendidisti — si ex lege, magno; si, ut lex esset libido tua, parvo; si, ut, quae dimidiae essent, decumae vocarentur, parvo vendidisti: multo enim pluris fructus annui Siciliae venire potuerunt, si id te senatus aut populus Romanus facere voluisset. Etenim saepe decumae tanti venierunt, cum lege Hieronica venirent, quanti nunc lege Verria venierunt. Cedo mihi C. Nor-

meralibus sine coniunctione postponi, quemadmodum significavimus in Gramm. §. 87. — *Minimum ut seq.]* Vulgo *hoc minimum*, sed abest *hoc* a melioribus. Deteriores autem et edd. vetustae sic: *singulos nummos hoc exemplo ad HS XC m.*, omissis quae in medio sunt et addidit Naugerius, cui quippe aliquo meliore libro uso plurimum lucis hae orationes debent. — *quoniam $\overline{XC}$ med. duximus, accedant]* Meliorum librorum auctoritate omisimus *milia*, scripsimus etiam *med.* non integris litteris, quae debebant esse *medimnum*, ut prorsus ad vetera exemplaria nostra editio conformaretur. Extremum *milia* deest in uno Lag. 42. Post *exemplo* additur in edd. vetustis et codd. plerisque praepositio *ad* i. e. circiter, sed ea non est in Lag. 42 et Paris. B nec est necessaria. Ceterum cur Ernestius *accedant* falsum putaverit et *accedebant* correxerit neutiquam intelligo.

§. 117. *dimidio ipse plus]* Additum est *ipse* e cod. Nanniano, sed non eo loco positum, quo est in libris melioribus nostris: fuit enim adhuc *dimidio plus ipse.* — *$\overline{CCXVI}$ agri Leont. decumas]* Lambinus de coniectura Hotom. ediderat *CCXVI modium milibus*, nos quod in nullo msto invenitur rursus eiecimus, ordinemque verborum eum instituimus, qui est in Lag. optimo. — *parvo — parvo vendidisti]* Recte videtur Ernestius repetitione eiusdem vocis offensus esse: malim aut prius deleatur, aut pro altero scribatur *perparvo*, quod cum scriptum esset *pparvo*, facile elidi potuit. Verum codd. nihil mutant.

saepe decumae] Inverso ordine Lag. 29. Par. A B, et *venerunt* Lag. 29 Paris. B. Tum *Verria* meliores omnes, non *Verreo*, sicut item dies festus *Verria* scribitur constanter in lib. IV, c. 10 et 67. In *lege Verria* Graecorum dicendi rationem facile agnosces. Titulus deinde deest in melioribus iisdem, sed lacuna relicta in Legom. 29. 42 Paris. B.

bani decumas venditas. C. NORBANI DECUMAE VENDITAE AGRI LEONTINI. Atqui tum neque iudicium de modo iugerum dabatur; neque erat Artemidorus Cornelius recuperator; neque ab aratore magistratus Siculus tantum exigebat, quantum decumanus ediderat; nec beneficium petebatur ab decumano, ut in iugera singula ternis medimnis decidere liceret; nec nummorum accessionem cogebatur arator dare, nec ternas quinquagesimas frumenti addere: et tamen populo Romano magnus frumenti numerus mittebatur. Quid vero istae
118 sibi quinquagesimae, quid porro nummorum accessiones volunt? quo id iure, atque adeo quo id potius more fecisti? Nummos dabat arator: quomodo? aut unde? qui, si largissimus esse vellet, cumulatiore mensura uteretur, ut antea solebant facere in decumis, cum aequa lege et condicione venibant. Is nummum

---

§. 117. *Atqui tum] Atqui* verum est h. l. sed in deterioribus codd. et editionibus antiquis *atque* legitur. Tum vulgo *neque enim Artemidorus Corn. recuperator* legitur, minus recte, cum haec non fuerit causa, cur iudicium de modo agrorum daretur. Dele *enim* auctoritate cod. 42, planaque erunt omnia. Idem codex *ab decumano* pro vulg. *a dec.* Sed erroribus non liberum esse ostendunt *exigebant*, *cogebantur* male exarata pro singularibus. Porro *in* omittitur ante *iugera*, quod num tueri velis tecum considera.

§. 118. *atque adeo quo id potius more] More* Graevii Francianus et editiones vetustae habent: *ore* consensum librorum manu scriptorum secuti Naugerius et reliqui ediderunt. Verum recte censeo Ernestium veterum editionum scripturam restituisse; nam *ius* et *mos*, sive exempla aliorum, opponuntur etiam infra, ut quod iure verum non sit, liceat tamen nonnunquam consuetudine hominum. Ad *os* vero a *iure* nulla gradatio fit. Aliud est, in quo a iudicio Ernestii dissentire non possum, quod *potius* tollendum censet. Corrigendi enim significatio plane absolvitur coniunctis verbis *atque adeo*, nec additum usquam invenitur *potius*. Immo cum *atque adeo* idem ferme sit quod *vel potius*, non iniuria hoc alterum a grammatico explicandi causa adiectum putaris. — *condicione venibant]* Si solis codicibus fides habenda, *veniebant* scribendum est pro eo quod Lambinus primus dedit *venibant*, nam sic omnes habent, praeter duos Lag. 42 et 48, in quibus tamen levi errore *veniebat* est. Sed cf. supra ad cap. 47.

dabat. Unde? de frumento? quasi habuisset, te praetore, quod venderet. De vivo igitur aliquid erat resecandum, ut esset, unde Apronio ad illos fructus arationum hoc corollarium nummorum adderetur. Iam id porro utrum libentes, an inviti dabant? Libentes? amabant, credo, Apronium: inviti? qua re, nisi vi et malo, cogebantur? Iam iste homo amentissimus in vendundis decumis nummorum faciebat accessiones ad singulas decumas: neque multum; bina aut terna milia nummum addebat: fiunt per triennium HS D milia fortasse. Hoc neque exemplo cuiusquam, neque iure ullo fecit: neque eam pecuniam rettulit: neque hoc

---

§. 118. *aliquid erat resec.]* Hoc verba ordine posita in Lag. 42. Vulgo *erat aliquid resecandum.* Ratio loquendi librariis paulo insolentior multiplices errores peperit, dum alii *vino*, alii *uno* exhibent. Sed translatio de medicis aperta est, qui dum vulnus excidunt, vivas partes cavent ne attingant. Simillime p. Flacc. c. 37 *dat de lucro, nihil detrahit de vivo.* — *nummorum faciebat accessiones]* Car. Stephanus et Graevius ex msto Nanniano *HS* pro *nummis* ediderunt: non opinor probari posse, nam hoc loco *nummi* in universum dicuntur pro pecunia numerata. Origo erroris videtur esse in nota. Meorum certe codicum nullus, ne optimus quidem ille Lagomars., cum Nanniano facit. — *aut terna milia nummum]* Adieci *nummum* ex Lag. 42 et Fabric. (marg. repet. Lamb.) Abesse poterat, fateor, sed nihil nocet. — *HS D milia fortasse]* Sic Lag. 42, neque displicet, quoniam etiam alibi postponi numero illud adverbium video, si *circiter* significet, v. c. in Oratore c. 56 *Elegit ex multis Isocrati libris triginta fortasse versus Hieronymus.* Vulgo *fortasse D milia.* Hunc autem numerum quo pacto invenerit orator, fateor me nescire. Nam Manutiana ratio, quam Garatonius probat, aperte falsa est, quippe qua quotcunque Plinius civitates enumerat in calculum inducantur neque ratio habeatur immunium et earum, quarum agri publici populi Rom. fuerunt. Decumanas si statuas fuisse XXXIV, et singulis bina milia quingenos HS imponas, summa trium annorum fit CCLV milium. Itaque nescio an artificium quoddam accusatorium lateat in eo, quod dicit *ad singulas decumas*, quod cum primum referatur ad decumas singularum civitatum, tum potest tamen etiam ad alteras decumas ab iisdem civitatibus dandas referri, ut illa pecuniae summa duplicetur. Quamquam de alteris quidem decumis separatus ei dicendi locus est. Post *neque iure ullo* bene idem Lag. 42: sic enim adiuvatur oppositio. Tum librorum

parvum crimen quemadmodum defensurus sit, homo quisquam unquam excogitavit.

119 Quod cum ita sit, audes dicere, te magno decumas vendidisse, cum sit perspicuum, te bona fortunasque aratorum, non populi Romani, sed tui quaestus causa, vendidisse? Ut, si qui villicus ex eo fundo, qui sestertia dena meritasset, excisis arboribus ac venditis, demptis tegulis, instrumento, pecore abalienato, domino xx milia nummum pro x miserit, sibi alia praeterea centum confecerit, primo dominus, ignarus incommodi sui, gaudeat, villicoque delectetur, quod tanto plus sibi mercedis ex fundo refectum sit; deinde,

---

omnium scriptura est *excogitavit*, Ernestius, quia de futuro tempore diceretur, *excogitabit* correxit, quasi non hoc sit, „nondum quisquam excusandi Verris rationem excogitavit."

§. 119. *audes dicere te]* Lag. 29 Paris. AB *audes te dicere*, collocatione verborum admodum eleganti. — *si qui villicus — qui HS dena meritasset]* Hanc scripturam editionis Iunt. et Nauger. omisit primus Victorianus editor, deditque *cui HS dena merces esset:* eumque secuti sunt P. Manutius et Graevius. Facti rationem ignoro: nam illud in libris omnibus est, tantum quod *Sestertia* expressis litteris in uno Lag. 42 invenitur. Nec quid offensionis in eo sit intelligo: *merentur* enim vel *merent* potius et homines et res, res quidem, si loquendi usum examines, paulo rarius, sed Horatianum dictum *hic liber aera meret Sosiis* notissimum est, et Camerarius Plaut. Pseud. IV, 7, 89 laudavit: *Quid meret machaera? quid mercedis petasus hodie domino demeret?* Etiam *merces* de fructu fundi dicitur, sicut ipse hic locus ostendit, sed tum *cuius* mallem scriptum esset. Verum si utrumque recte dicatur, quis dubitabit quin auctoritas librorum longe praestet recenti libidini? Ceterum *qui* item omnes libri mss. pro quo vulgo est *quis*, Nannianus tamen *cui*, mendose, unde Stephaniana lectio ducta *cui HS dena meritasset.* *Sestertia* vero apud auctores prosae orationis rarissime leguntur, et Ciceronis quidem alium locum non novi quam Paradox. VI, 3 *Capit ille ex suis praediis sexcena sestertia* (sic enim legendum, non *sexcenta) ego centena ex meis*, reliquorum autem Taciti Ann. II, 38 et XI, 7, ubi item distributiva sunt, et Plinii hist. nat. XXXIII, 7 *Sestertia CCCC*, nisi sunt HS $\overline{\text{CCCC}}$.

XX milia nummum] Sic edidit Naugerius, id quod documento potest esse, usum esse illum libro e melioribus uno. Nam deteriores VI Lag. Paris. C uti edd. vetustae *XC.* — *tanto plus sibi]* Sic Lag. 42 Vulgo *sibi plus*, quasi sequatur *quam*. Sed quod in eodem libro est

cum audierit, eas res, quibus fundi fructus et cultura continetur, amotas et venditas, summo supplicio villicum afficiat, et secum male actum putet: item populus Romanus, cum audit, pluris decumas vendidisse C. Verrem, quam innocentissimum hominem, cui iste successit, C. Sacerdotem, putat se bonum in arationibus fructibusque suis habuisse custodem ac villicum; cum senserit, istum omne instrumentum aratorum, omnia subsidia vectigalium vendidisse, omnem spem posteritatis avaritia sua sustulisse, arationes et agros vectigales vastasse atque exinanisse, ipsum maximos quaestus praedasque fecisse: intelliget secum actum esse pessime, istum autem summo supplicio dignum
existimabit. Unde ergo hoc intelligi potest? Ex hoc 51
maxime, quod ager decumanus provinciae Siciliae pro- 120
pter istius avaritiam desertus est. Neque id solum accidit, uti minus multis iugis ararent, si qui in agris

---

receptum sit, minus probabitur, nam *recipere* hoc sensu non dicitur, *reficere* verbum proprium est, ut *conficere*. Cf. Paradox. VI c. 1. *Nunquam eris dives antequam tibi ex tuis possessionibus tantum reficiatur, ut eo tueri sex legiones et magna equitum ac peditum auxilia possis.* — *continetur]* Editiones vett. *continentur:* singularis primum apparet in textu Lambinianae repetitae, et in marg. notatur alios *continentur* legere, inter quos tamen ipse Lambinus est. Itaque fieri potuisse videtur, ut incerta auctoritas Gruterum, ut tot aliis locis, fefellerit. Sed vere tamen correctum est, nova enim lectio codicum mss. est omnium. — *item populus Romanus]* Graevius ex paucis neq bonis libris mss. (Ursiniano et Franciano) *ita* edidit, male, nam correctoris manum nimis aperte prodit. Post praenomen *C*, utriusque hominis omittitur in libro Lag. 42. — *omne instrumentum aratorum]* Non ausus sum hanc deserere scripturam, quamvis Lag. 42 *frumentum* habeat, et *instrumentum* e superioribus translatum videri possit. Sed est in hac particula mendosus liber alias optimus, utpote qui etiam *custodem* repetat post *vendidisse*, deinde *arationis et agros vectivasse* et in extremo capite *esse pactum pessime* ne grata quidem auribus verborum collocatione habeat.

§. 120. *accidit, uti minus multis]* Olim edebatur *actum est uti hi*, quod legitur in VI Lag. Paris. C Oxon. A Nanniano est quod nunc editur, itemque Lag. 42. Ceteri meliores *accidit* quidem et ipsi ha-

remanserunt, sed etiam, ut permulti locupletes homines, magni et navi aratores, agros latos ac fertiles desererent, totasque arationes derelinquerent. Id adeo sciri facillime potest ex litteris publicis civitatum, propterea quod lege Hieronica numerus aratorum quotannis apud magistratus publice subscribitur. Recita tandem, quot acceperit aratores agri Leontini Verres. LXXXIII. quot anno tertio profiteantur. XXXII. II et quinquaginta aratores ita video deiectos, ut his ne vicarii quidem successerint. Quot aratores adveniente te fuerunt agri Mutycensis? videamus ex litteris publicis. CLXXXVII. Quid? anno tertio? LXXXVI. Centum

---

bent, verum *uti hae*. Deinde *ararent* primus Lambinus edidit, sive potius edendum censuit in repetita edit. i. e. postquam Fabriciani codicis variantes accepit, antea *arent* legebatur, quod falsum esse evincunt sequentia. Sed e nostris quoque unus Lag. 42 Lambinum tuetur.

latos ac fertiles] Gulielmus emendari voluit *laetos*, quod Gruterus illi omnia tribuens, ut Lambino nihil, temere recepit. Prudenter Ernestius illud poeticae magis quam prosae orationis scriptorem certe Ciceronem decere annotavit. Nam etiam Sallust. Hist. II poetam agit ubi *frugum pabulique laetum* agrum dicit. Contra Garatonius ab ipso Cicerone cap. 36 *agros maximos ac feracissimos* coniungi dicit, et Caes. B. G. II, 4 *latissimos feracissimosque agros.* Cf. Gronov. ad Liv. XXIII, 46. Sed satis est ad istas elegantias refutandas notare destitui codicum auctoritate. — *arationes derelinquerent]* Non placet quod Lag. 42 *relinquerent* simpliciter habet, tollitur enim gradatio, quae est inter verba *deserere* et *derelinquere*. Cf. ad c. 13 extr. Item postea non placet *magistratum* pro *magistratus*, cum singularum civitatum intelligantur. Tum mirabiliter pro *aratores agri* habet *agrinomi*. — *LXXXIIII — XXXII. II et quinquag.]* In librorum varietate ego Lag. 42 secutus sum, sed, ne quid dissimulem, numerus in medio necessario repetitus in illo libro semel positus est. Sed eadem res est in aliis quoque libris, nam Lag. 29 Paris. A B *triginta tres. et quinquaginta.* Vulgo 83 — 32 — 51. — *video deiectos]* Lag. 29. 42 Paris. A B *deletos*, frequentissima confusione, velut c. 55 pr.

agri Mutycensis] Turba deteriorum *Mutinensis* (edd. vetustissimae *Mitinensis)* Lag. 42 *Mutyensis*, 29 et Paris. A B *Muticensis*, sicut edere coepit Naugerius: Lambinus *Mutyensis* maluit, quod in Gruteriana et Ernestiana remansit, quamvis altero loco c. 43 Ernestius *Motycam* urbem praetulerit. — *CLXXXVII]* Etiam hi numeri mutandi fuerunt auctoritate libri optimi, cum vulgo essent CLXXXVIII — CI —

et unum aratores unus ager istius iniuria desiderat, atque adeo res publica, quoniam illa populi Romani vectigalia sunt, hunc tot patrumfamilias numerum desiderat et reposcit. Ager Herbitensis primo anno habuit aratores CCLII, tertio CXX: hinc CXXXII patresfamilias extorres profugerunt. Agyrinensis ager, quorum hominum! quam honestorum! quam locupletium! CCL aratores habuit primo anno praeturae tuae. Quid? tertio anno? LXXX, quemadmodum legatos Agyrinenses recitare ex litteris publicis audistis. Pro dii im- 52
mortales! si ex provincia tota CLXX eiecisses, possesne, 121
severis iudicibus, salvus esse? Unus ager Agyrinensis CLXX aratoribus inanior cum sit, vos coniecturam totius provinciae nonne facietis? Atque hoc peraeque in omni agro decumano reperietis: quibus aliquid tamen reliqui fuerit ex magno patrimonio, eos in agris

---

LXXXVII. Verum ille Lag. postremos numeros invertit, quod ad confusionem aliquis referre vellet, ni *centum et unum* omnibus litteris scriptum esset. Pariss. servata numerorum collocandorum ratione, quae vulgo est, in ipsis numeris paulum dissentiunt, B CLXXXVI — LXXX *et* VII *aratores;* Paris. A CLXXXIII — LXXX *et* IIII *aratores.*

atque adeo resp.] Adiicitur vulgo *nostra*, quod delevimus auctoritate Lag. 42, quod si Romanus loquitur una tantum res publica est Romana, cf. cap. 28 init. — *CCLII]* Rursus mutari iussit idem liber. Vulgo *ducentos quinquaginta septem*, deinceps *centum triginta septem* editur: noster numerus itidem congruit, habetque auctorem Lambinum in marg. repet. — *quam locupletium]* Nanniani cod. auctoritate spreta Gruterus editionum veterum scripturam *locupletum* revocavit, at non ille solus, sed nostri meliores omnes alteram formam probant. Alioquin utramque, quales nunc textus scriptorum sunt, probam censebimus. Praeferunt quidem *ium* Ruddimannus p. 92 et Forcellinus in lex. verum *locupletum* non indicant inveniri Tuscul. V, 20 §. 58 et ad Att. IX, 7 med. Similis fere res est in ablativo *e* aut *i*. Vide ad IV, 1. — *ex litteris publicis audistis]* Verborum collocatio, quae vulgo est, *ex publicis litteris*, cum nihil opponatur, minus probabilis est quam illa, quam e Lag. 42 reduximus.

§. 121. *nonne facietis]* Vulgo *non facietis*, quae interrogandi forma in indignatione locum habet: in apodosi num habeat, ignoro et dubito. Cf. ad II 59 §. 145 et ad V, 32 §. 84. *Nonne* quattuor meliores nostri.

minore instrumento, minus multis iugis, remansisse, quod metuebant, si discessissent, ne reliquas fortunas omnes amitterent; quibus autem iste nihil reliqui, quod perderent, fecerat, eos plane non solum ex agris, verum ex civitatibus suis profugisse. Illi ipsi, qui remanserant, vix decuma pars aratorum, relicturi agros omnes erant, nisi ad eos Metellus Roma litteras misisset, se decumas lege Hieronica venditurum, et nisi ab iis hoc petivisset, ut sererent quam plurimum; quod illi semper sui causa fecerant, cum eos nemo rogaret, quamdiu intelligebant, sese sibi et populo Romano, non Verri et Apronio serere, impendere, laborare.

122 Iam vero, iudices, si Siculorum fortunas negligitis; si, quemadmodum socii populi Romani a magistratibus nostris tractentur, non laboratis: at vos communem populi Romani causam suscipite atque defendite. Eiectos aratores esse dico, agros vectigales ve-

---

§. 121. *minus multis iugis]* Sic Nannianus, Fabricianus, Lag. 42. Alii omnes cum edd. Nannio antiquioribus *locis* pro *iugis* inepte. In iisdem illis editionibus et codd. deterioribus adiicitur praeterea *minores remansisse*, quod et dudum est expulsum, et nunc meliorum librorum consensu damnabitur. — *si discessissent]* Sic Lag. 42. Reliqui *recessissent*. — *se decumas]* Abest pronomen ab edd. antiquis, et primum conspicitur in repet. Lambiniana. Etiam in libris mss. praeter Lagom. 42 et Fabricianum, opinor, desideratur. Mox *ab his hoc* Lag. 29 Paris. B. — *sui causa]* ex Nanniano et Fabriciano editur, habetque auctores etiam Lag. 42 Paris. B. Ceteri cum edd. antiquis *sua causa*, quod Ernestius revocavit. Sed ut omittam librorum optimorum consensum, non potest prorsus contemni illa structura cum genitivo pronominis personalis. Cf. Cortium ad hunc locum Cic. Epist. II, 6 extr. *unius tui studio*, pro *tuo unius studio*, quamquam scio equidem quid intersit. Sed nihil tamen impedit quod ad summas leges Latini sermonis pertineat.

§. 122. *communem populi Romani causam]* Abest *Romani* a Lag. 42, quod quominus probem, ut supra *rem publicam* pro *nostram remp.* probavi, impedit oppositio Siculorum.

xatos atque exinanitos a Verre, populatam vastatamque provinciam; haec omnia doceo litteris civitatum, ostendo testimoniis et publicis honestissimarum civitatum, et privatis primariorum virorum: quid vultis
amplius? Num expectatis, dum L. Metellus, is, qui 53
multos in istum testes imperio et potestate deterruit, idem absens de istius scelere, improbitate, audacia testimonium dicat? Non opinor. At is optime, qui successit isti, potuit cognoscere. Ita est: verum amicitia impeditur. At debet vos certiores facere, quo
pacto se habeat provincia. Debet: verumtamen non 123
cogitur. Num quis in Verrem L. Metelli testimonium requirit? Nemo. Num quis postulat? Non opinor. Quid, si testimonio L. Metelli ac litteris haec omnia vera esse doceo? quid dicetis? utrum Metellum falsum scribere? an amicum laedendi esse cupidum? an praetorem, quemadmodum provincia affecta sit, ne-

---

§. 122. *populatam vastatamque]* Vulgo *vexatamque*, ingrata eiusdem verbi repetitione. Itaque ex Lag. 42 correxi.

doceo litteris civitatum, ostendo] Locus hic olim sic edebatur: *haec omnia doceo civitatum et privatis primariorum virorum testimoniis;* ex Nanniano codice deinde adiectum est *litteris civitatum.* Sed nondum sanum esse locum codicis Fabriciani lectio, apud Lambinum ad marginem edit. repet., ostendit, quam hanc esse ille tradidit: *haec omnia docebo litteris civitatum, ostendam testimoniis et publicis honestissimarum civitatum et privatis primariorum virorum.* Cum Fabriciano congruit Lag. 42, si exceperis futurum tempus *docebo*, quod haud dubie Lambinus de coniectura posuit, cum in omnibus libris sit *doceo.* Nam fiunt etiam ceteri libri meliores Lag. 29 Paris. A B in plerisque auctores, quorum fide *ostendo* potius pro *ostendam* recepi, quam *docebo* correxi. Nec potest dubium esse unde codicis Nanniani error natus sit, cum media omnia inter vocem *civitatum* repetitam omissa sint.

testes] Lag. 42 *testis.* — *debet vos certiores facere] Vos* edit. Iuntina et codices plerique interque eos etiam Lag. optimus. Iudicum enim causa agitur, ut recte possint sententias ferre. Vulgo *nos.*

§. 123. *requirit]* Omnes codd. nostri praeter Lag. 42 *requiret.*

provincia affecta sit] Nannianus et Lag. 42 *afflicta*, quod libenter propter auctoritatem librorum receperim, sed obstat *quemadmo-*

scire? Recita litteras L. Metelli, quas ad Cn. Pompeium et M. Crassum consules, quas ad M. Mummium praetorem, quas ad quaestores urbis misit. EPISTOLA L. METELLI. *Decumas frumenti lege Hieronica vendidi.* Cum scribit, se lege Hieronica vendidisse, quid scribit? ita se vendidisse, ut omnes, praeter Verrem: cum scribit, se lege Hieronica vendidisse, quid scribit? se per istum erepta Siculis maiorum nostrorum beneficia, ius ipsorum, condicionem societatis, amicitiae, foederum reddidisse. Dicit, quanti cuiusque agri de-
124 cumas vendiderit: deinde quid scribit? *Summa vi data est a me opera, ut quam plurimo decumas venderem.* Cur igitur, Metelle, non ita magno vendidisti? quia

---

dum, quod debet esse *quam*, si cum *afflicta* coniungatur, obstat etiam mendi opportunitas: sic supra *deletos* in optt. mendose pro *deiectis*. Cf. §. 47 *Sic mihi affecta visa est.* — *quaestores urbis]* omnes nostri codices, solus Nannianus *urbanos quaestores*, ordine certe verborum a publica consuetudine alieno. — *ut omnes praeter Verrem]* Mallem et ipse repetitio haec *cum scribit se lege Hieronica vendidisse, quid scribit?* abesset, sicut Ernestius omittendam censebat: sed codices nostri, qui totiens additamenta aut veterum librariorum aut editorum condemnant, nihil magnopere iuvant; nam quod in Lagom. 42 omittuntur verba haec: *lege Hieronica vendidisse, quid scribit?* repetitum pronomen *se* in causa videtur fuisse.

Dicit, quanti] Hotomanus ex vet. cod. *dicit dein quanti* scribendum censuit, ut alterum *deinde*, quod sequitur, deleatur. Obsecutus est illi Lambinus. Sed de vet. cod. Hotomani parum constat, in nostris certe nec vola nec vestigium eius, quod se invenisse significat. Debet adeo *deinde quid scribit.* Nimirum non interest iudicum singulorum agrorum decumae quanti venierint audire, ad illa potius, quae Metellus de causis addiderit, properandum est. Sequitur vulgo hoc comma: *Recita de epistola reliqua*, quod cum non legatur in melioribus et litterae vix inceperint, delevi.

§. 124. *Summa vi data est a me opera]* Sic Fabricianus apud Lambinum, et Nannianus, hic quidem paululum in verborum ordine mutans, item Lag. 42, nisi quod is pro *summa vi* mendose habet *immani*. Ceteri libri et edd. antiquae *summa data est opera a me*, restituitque Ernestius, parum recte *summa vi operam dare* coniungi existimans. Facile concedo non esse elegans, verum oratio propria cuiusque, nec adeo insolitum *vim* ad animi propositum referri, qualem locum laudat Gruterus Terentii in Adelphis III, 4, 47.

desertas arationes, inanes agros, provinciam miseram perditamque offendisti. Quid? id ipsum, quod satum est, qua ratione quisquam, qui sereret, inventus est? Recita. Litteras ait se misisse, et confirmasse, suam se interposuisse auctoritatem: tantummodo aratoribus Metellus obsides non dedit, se non ulla in re Verri

---

§. 124. *provinciam miseram — offendisti]* Vulgo *offendi*, sed ea certissime non sunt verba Metelli, qui in sequentibus multo modestius cautiusque ea de re scribit. Itaque *offendisti*, quod orator noster illi respondeat, ex Lag. 42 recepi, cuius verborum collocatio *perditamque provinciam miseram*, ni aliud subest, parum placet. Idem *inanis* antiqua terminatione, post non *id ipsum* sed *ipsum* simpliciter, haud dubie propter similitudinem praecedentis vocabuli.

Recita. Litteras ait se misisse] Sic divisimus, quod olim coniunctim scribebatur, *Recita litteras. Ait se misisse.* Deinde titulo addito edi coeptum a Lambino: *Recita litteras.* LITTERAE. *Ait se mis.* cet. quod in nullo prorsus codice legitur. A Lag. 29 Paris. B etiam *Recita* abest, sed continuantur reliqua *Litteras ait.* Tum addidit Hotomanus *et praesentem confirmasse*, ut ipse ait, ex libro optimo et perantiquo, sed ille certe liber, quicunque est, ceterorum omnium auctoritate destituitur. Recentiores tamen omnes receperunt.

suam se interposuisse] Se adieci ex Lag. 42: quo etiam aliquantulum Metelli studium augetur. — *tantummodo aratoribus Metellus obsides non dedit]* Adhuc fere fuit *tantum quod aratoribus M. obsides non dedit.* Vulgarem significationem particularum *tantum quod* de temporis momento pro eo quod est commodum, modo, *nur eben*, de qua vide I. Fr. Gronovium ad Liv. XXXIII, 4, 6, ad hunc locum non pertinere manifestum est: neque dubitat quisquam, quin referri debeat ad usum Ciceroni quidem insolentem. sed apud Liv. et argenteae aetatis scriptores non infrequentem, quo *tantum non* sicut Graecorum μόνον οὐ ponitur pro *propemodum, non multum abest quin*, quamquam interdum interest etiam aliquid neque exiguum, vide Spalding. ad Quintil. VI, 2, 4. Atque hac ratione *tantum quod non* legitur semel apud Ciceronem, in Verr. lib. I, 45 *Componit edictum iis verbis, ut quivis intelligere possit, unius hominis causa conscriptum esse, tantum quod hominem non nominat: causam quidem totam perscribit.* Veruntamen illo loco si uti volueris ad explicandum hunc, offendet magnopere, quod haec verba *tantum quod — non dedit* nec cum praegressis nec cum sequentibus coniunguntur, id quod compositarum illarum particularum propria vi expectaveris, quoniam ea sola re differunt a simplici *tantum quod*, sicut h. l. sequi debebat: *aliis omnibus rebus confirmat, se nulla in re Verris similem fore.* Itaque iudicium Victorii sive

similem futurum. At quid est tandem, in quo se laborasse dicit? Recita. *Ut aratores, qui reliqui erant, quam plurimum sererent.* Qui *reliqui?* quid hoc est, *reliqui?* quo ex bello? qua ex vastitate? Quaenam in Sicilia tanta clades, aut quod bellum tum diuturnum, tam calamitosum, te praetore, versatum est, ut is, qui tibi successerit, reliquos aratores collegisse et re-
54 creasse videatur? Cum bellis Carthaginiensibus Sici-
125 lia vexata est, et post, nostra patrumque memoria, cum bis in ea provincia magnae fugitivorum copiae versatae sunt: tamen aratorum interitio facta nulla est.

---

qui alius Iuntinam anni 1534 curavit, admiror, quod *tantum non — dedit* correxit, in quo eum secutus est Gruterus, falso ac negligenter laudata Nanniani libri auctoritate. Iac. Gronovius in repet. Gruterianae editionis, quod rarissime fecit, hic a Grutero discessit, patris testimonio in nota ad Livii locum supra indicatum rem velut conficiens. Itaque pro confecta habita est. Iam vero Victorianae correctionis ratio, egregie confirmatur Lagom. 42, in quo optime non *tantum quod* sed *tantummodo* legitur, omnisque difficultas tollitur.

non ulla in re] Sic Nannianus liber, ceteri mss. et olim vulgo editi *in nulla re*, Lag. 42 utrumque verbum omittit, ut aliquid offensionis librario obiectum fuisse videatur. Veterem et probam dicendi rationem obscuravit Lambinus, nam cum Stephanus *non ulla* scribendum curasset, ille de suo correxit *nulla*, eaque vulgaris lectio facta est. Sed cf. ad divin. c. 18. — *se laborasse dicit]* Vulgo *dicat*, cui coniunctivo hic non est locus: neque enim *quid est quod* est pro *quae causa est cur*, sed simpliciter interrogat quid illud sit, in quo laboret. Laudandus igitur Lag. 42, qui Indicativum exhibet. Neque tamen praetermittam, in eodem esse *an tandem*, unde coniicere possis fuisse fortasse *ain tandem? Recita* abest a Lagom. 29 Paris. A B.

Quaenam] Lag. 42 *quae enim*, idem *tempore* pro *te praetore*, *ibi* pro *tibi*.

§. 125. *post, nostra patrumq. memoria]* Sic emendavit Hotomanus, quod antea fuit *nostram memoriam*, ex illo vetere libro suo, an coniectura dicam, certe facillima et auctoritate Parisini A et Lag. 42 confirmata. Est enim illud mss. librorum frequentissimum vitium, ut vicina coniungant et casus accommodent ad proxima. — *versatae sunt]* Indicativum e nostris libris meliores quattuor tuentur. Olim antequam Nannius variantes scripturas libri sui publicaverat, edebatur *sint*.

Tum, sementi prohibita, aut messe amissa, fructus annuus interibat; tamen incolumis numerus manebat dominorum atque aratorum: tum, qui M. Laevino aut P. Rupilio aut M'. Aquillio praetores in eam provinciam successerant, aratores reliquos non colligebant. Tantone plus Verres cum Apronio provinciae Siciliae calamitatis importavit, quam aut Hasdrubal cum Poenorum exercitu, aut Athenio cum fugitivorum maximis copiis, ut temporibus illis, simulatque hostis superatus esset, ager araretur omnis, neque aratori praetor per litteras supplicaret, neque eum praesens oraret, ut quam plurimum sereret; nunc autem ne post abitum quidem huius importunissimae pestis quisquam reperiretur, qui sua voluntate araret, pauci essent reliqui, qui L. Metelli auctoritate in agros atque ad suum larem familiarem redirent? His te litteris, homo 126

§. 125. *sementi prohibita]* Ablativum *sementi* unus Lag. 42 iubet, sed is liber ceteris par aestimandus est atque adeo gravior, nisi aut res ipsa aut grammatica ratio obstat. Hoc autem loco non modo non obstat, ut gaudeas eam vocis formam, quam Columella maxime probavit, etiam Tulliana auctoritate comprobari. Vide Schneideri Gramm. I p. 231.

aut M'. Aquillio praetores] Vere suspicatus est Garatonius, cum illi tres aut Consules aut Proconsules eas res gesserint, notam *Pr. Praetores* potius quam *Praetoribus*, ut vulgo fit, legendum esse. Nam in ceteris libris nota est, in uno Lag. 42 *praetores* expressis litteris legitur. Sed velim tamen consideres, anne necesse sit dempta extrema littera *m* scribere *in ea provincia.* Ceterum ut de praenomine Aquillii res confecta est (quamquam etiam h. l. in plerisque est *M*, in Paris. A B Lag. 29 adeo *P.*): ita de simplici aut duplici *l* in nomine non liquet, neque aliud invenimus, quam posse utraque ratione scribi. Codicum tamen maior auctoritas, si accurate agendum, in his certe libris pro simplici est. Nam etsi in Divin. c. 21 optimi et hoc loco saltem Lag. 42 *ll* habeant, in quinti tamen libri principio compluribus locis, qui optimi merito censentur simplicem litteram exhibent. Neque diversa res est de nomine *Popilio.* Sed tanti non est, ut a vulgari nunc scribendi ratione discedamus. Neque recoquemus veteres errores pro *Rupilio* in multis esse *Popilio*, in aliis *Rutilio.* Post *Asdrubal* Lag. 42. — *familiarem]* Abest hoc verbum a Lag. 42. Supra §. 27 *relinquent larem familiarem suum.* Prorsus perinde est, utrum

audacissime atque amentissime, iugulatum esse non sentis? non vides, cum is, qui tibi successit, aratores reliquos appellet, hoc eum diserte scribere, reliquos hos esse, non ex bello, neque ex aliqua huiusmodi calamitate, sed ex tuo scelere, importunitate, avaritia, crudelitate? Recita cetera. *Tamen pro eo, ut temporis difficultas aratorumque penuria tulit. Aratorum,* inquit, *penuria.* Si ego accusator totiens de re eadem dicerem, vererer, ne animos vestros offenderem, iudices. Clamat Metellus, *nisi litteras misissem:* non est satis: *nisi praesens confirmassem:* ne id quidem satis est: *reliquos,* inquit, *aratores.* Reliquos! prope lugubri verbo calamitatem provinciae Siciliae significat: addit,
55 *aratorum penuria.* Expectate etiam, iudices, expe-
127 ctate, si potestis, auctoritatem accusationis meae. Dico aratores istius avaritia eiectos: scribit Metellus, *reliquos* ab se esse confirmatos. Dico agros relictos, arationesque desertas esse: scribit Metellus aratorum

---

adiicias necne, singulari an plurali utare. Item mox *homo* abest ab eodem.

§. 126. *appellet]* libri mss. omnes, at editi nonnulli Victor. Lamb. *appellat* minus eleganter. Mox Lag. 42 *haec* pro *hoc*, et *eiusmodi* pro *huiusmodi.* — *ut temporis]* Ante Lambinum *ut et temporis.* Omittunt enim *et* de nostris codd. tantum Lag. 42. 45. Paris. A.

Si ego accusator cet.] Intellige sic: at nunc illi Verris laudatores et amici similia dicunt, obtundunt querelis aures vestras, quam misere provincia afflicta sit. — *addit, aratorum penuria]* Sic vulgo, sed Lag. 29. 42 et Paris. A *penuriam.* Nimirum hoc illud est vitium, de quo paulo ante dixi, proxima coniungendi. Nam ne quis ad veterum morem referat, quo soleant verba, quorum sonum ipsum commemorant, reliquae structurae accommodare, obstat h. l. repetitio. Neque accusativus *reliquos* pendet a verbo *inquit*, sed construitur ad *confirmassem.* Sed aliud est, in quo Lag. 42 libenter sequerer, si aliqua aliunde auctoritas accederet, quae verisimile faceret mendum non esse, quod *Siciliae* omittit: satis enim est *calamitatem provinciae* dicere.

§. 127. *expectate, si potestis]* Alter imperativus Nanniani codicis auctoritate accessit, nunc etiam Lag. 42. Repetitio hoc sine dubio loco aptissima habebitur.

esse *penuriam.* Hoc cum scribit, illud ostendit, deiectos fortunis omnibus, expulsos esse populi Romani socios atque amicos. Quibus si qua calamitas propter istum, salvis vectigalibus nostris, accidisset, animadvertere tamen in eum vos oportebat; praesertim cum ea lege iudicaretis, quae sociorum causa esset constituta: cum vero perditis profligatisque sociis, vectigalia populi Romani sint deminuta, res frumentaria, commeatus, copiae, salus urbis atque exercituum nostrorum in posteritatem istius avaritia interierit: saltem populi Romani commoda respicite, si sociis fidelissimis prospicere non laboratis. Atque ut intelliga- 128
tis, ab isto prae lucro praedaque praesenti nec vectigalium nec posteritatis habitam esse rationem, cognoscite, quid ad extremum scribat Metellus. *In reliquum tamen tempus vectigalibus prospcxi.* In reli-

---

§. 127. *deiectos fort. omn.]* Vulgo *deiectos, eiectos, fort. omn. expulsos. Delectos* solito errore codd. Lag. 29. 42 Paris. B, *electos* Paris. A. Ex his tamen Lag. 42 *eiectos*, quod vulgo sequitur, deleri iubet. Et recte. Nam quamvis apud Iureconsultos sit discrimen inter *deiicere* et *eiicere*, quo tamen illud in tam commota oratione spectare dicemus? Verum interpunctione mutata ablativum cum participio *deiectus* coniunxi, qua re gradatio fit quasi haec: *deiectos atque adeo expulsos.* — *animadvertere tamen]* Lag. 42 *animum advertere*, et *tamen* communiter cum 29 et Paris. A B addit. Hoc igitur recepimus.

vectigalia — deminuta] Lag. 42 et VI deteriores cum Paris. C editionesque veteres *diminuta.* Equidem in eo acquiesco, quod Oudendorpius ad Suetonii Caesarem c. 5 statuit, diversa esse verba, et *deminui* quod decrescat, sive minus fiat quam fuerit, ideo quod pars eius pereat aut adimatur, *diminui* vero, quod confringatur aut dissipetur in minutiores partes. — *saltem populi Romani commoda]* Restitui librorum nostrorum omnium veterumque edd. (Iunt. Ald. Hervag.) scripturam seu potius verborum collocationem, nam nunc vulgo iam ex Nanniano *commoda pop. Rom.* minus recte editur, cum sonus omnis sit in populo Rom. At olim Victorius, Manutius *commoda vestra* scripserunt.

§. 128. *In reliquum tamen tempus]* Praemittitur in Lag. 29 et Paris. B *De epistula Metelli*, in Paris. A *Ex epistola Metelli.* Sed *tamen* adieci meliorum omnium auctoritate, cetera, uti nunc vulgo se-

quum tempus ait se vectigalibus prospexisse. Non scriberet, se vectigalibus prospexisse, nisi hoc vellet ostendere, te vectigalia perdidisse. Quid enim erat, quod vectigalibus prospiceret Metellus in decumis et in tota re frumentaria, si iste non vectigalia populi Romani suo quaestu pervertisset? Atque ipse Metellus, qui vectigalibus prospicit, qui reliquos aratores colligit, quid assequitur, nisi hoc, ut arent, si qui possunt, quibus aratrum saltem aliquod satelles istius Apronius reliquum fecit; qui tamen in agris spe atque expectatione Metelli remanserunt? Quid ceteri Siculi? quid ille maximus numerus aratorum, qui non modo ex agris eiecti sunt, sed etiam ex civitatibus suis, ex provincia denique, bonis fortunisque omnibus ereptis, profugerunt? qua ratione ii revocabuntur? quot praetorum innocentia sapientiaque opus est, ut illa aratorum multitudo aliquando in suis agris ac se-
56 dibus collocetur? Ac, ne miremini, tantam multitudi-
129 nem profugisse, quantam ex litteris publicis aratorumque professionibus cognovistis: scitote, tantam acerbitatem istius, tantum scelus in aratores fuisse, (incredibile dictu est, iudices, sed et factum, et tota Sicilia pervagatum,) ut homines propter iniurias licentiam-

---

cundum Lambin. repet. (in qua Fabric. codicem agnosces) leguntur, ita servavi, quamquam solus Lag. 42 tuetur. Nam ceteri boni contrahunt fere sic: *In reliquum tamen tempus vectigalibus ait se* (iam rursus addunt *vectigalibus) prospexisse.* Deteriores et vetustae edd. Aldina priores non haec solum breviora faciunt, sed etiam repetita verba: *non scriberet, se vectigalibus prospexisse* omittunt. Neque tamen hoc silebo, videri in Lag. 42 scriptum esse *vectigalibus ait prospexisse,* sine pronomine, quod fortasse parum desideraretur.

in tota re] Abest *tota* a Lag. 42. Post *quaestu suo* omnes libri mss. nostri praeter illum unum optimum. *Collegit* Lag. 29 Par. A B. *Innocentia prudentiaque* Lag. 29 solus. *Sedilibus* pro *sedibus* mendose Lag. 42.

§. 129. *tota Sicilia pervagatum]* Sic unus Lag. 42, ceteri quod vulgo editur tuentur, *pervulgatum.* Verum *pervulgata* Latine non fere

que decumanorum mortem sibi ipsi consciverint. Centuripinum Dioclem, hominem locupletem, suspendisse se constat, quo die sit ei nuntiatum, Apronium decumas redemisse. Tyracinum, principem civitatis, eadem ratione mortem oppetisse, dixit apud vos homo nobilissimus, Archonidas Helorinus, cum audisset, tantum decumanum professum esse ex edicto istius sibi deberi, quantum ille bonis suis omnibus efficere non posset.

Haec tu, tametsi omnium hominum dissolutissimus crudelissimusque semper fuisti, tamen nunquam perpeterere, propterea quod ille gemitus luctusque

---

dicuntur ea, quae omnibus nota sunt, sed quae in usu sunt omnibus, vulgaria, nec *pervulgamus* notitiae causa, sed ut alii vulgo utantur. Itaque si *tota Sicilia illud pervulgatum* fuisset, putaremus per totam Siciliam passim (i. e. ubique) aratores suspendisse sese. Quod dicere vult, rem notam esse omnibus factam, illud est *res pervagata est*, ac poteram sic simpliciter explicare II, 34 §. 85 *cupiditate illa sua nota atque apud omnes pervagata*. Sed in libris mss. non raro, in editis fere semper pervulgatius hodie verbum in locum remotioris successit, cf. Goerenz. ad lib. de Fin. II, 5 §. 15 et III, 2 §. 5; item har. oratt. lib. IV, 28 pr. Supra lib. II, 42 §. 104, ubi adhuc fuit *res abs te ipso pervulgata*, ex optimo libro *promulgata* dedimus. Cf. p. Mur. 11 extr.

Dioclem] Lag. 29 Paris. A *Dioclen*. VI Lag. *Dioclenem*, utraque terminatione coniuncta, item sic editiones vetustae (nam *Diodenem* in Iunt. mendum est) usque ad Naugerium. — *Tyracinum]* Vulgo *Dyrrhachinum*, quod vix poterit haberi nomen proprium. Lambinus e Fabriciano in repetita edi voluit *Tiracinum:* etiam Lag. 42 *Tiraccinum*. Inde ego feci *Tyracinum*, nomen ductum a palude Syracusana, quam Vibius Sequester *Tyraca* appellat. Urbs quoque est in Sicilia, Τυρακῖναι Stephano, oppidani Plinio *Tiracienses*, sive alio quo simili nomine: vide Wesseling. ad Diodor. Siculum XII, 29. Sed nomine gentili non opus est, cum fuisse illum Helorinum appareat. Deinde eum *principem civitatis* ex Lag. 42 fecimus: vulgo *primus civitatis* dicitur, insolita appellatione, quamquam *primus* et *vir* et *homo* frequens est. Mox *Archonidas Helorinus* item est IV, 26. Sed urbis nomen omnibus quibus legitur locis corrumpi solet, dum primae litterae aut *Flor.* aut *Pelor.* sunt. Cf. ad IV, 26 et lege notas interpretum ad Livium XXIV, 35 pr. Itaque de aspiratione statues, uti volueris.

propterea quod ille] Ex libro Nanniano *propterea quod* a plerisque editum est pro simplici *quod*, verum cum Gruterus omisisset,

provinciae ad tui capitis periculum pertinebat: non, inquam, perpeterere, ut homines iniuriae tuae remedium morte ac suspendio quaererent, nisi ea res ad
130 quaestum et ad praedam tuam pertineret. Quid? illud paterere? Attendite, iudices; omnibus enim mihi nervis connitendum est, atque in hoc laborandum, ut omnes intelligant, quam improbam, quam manifestam, quam confessam rem pecunia redimere conetur. Grave crimen est hoc, et vehemens, et post hominum memoriam iudiciaque de pecuniis repetundis constituta gravissimum, praetorem socios habuisse decumanos.
57 Non hoc nunc primum audit privatus de inimico, reus ab accusatore: iam antea in sella sedens praetor, cum provinciam Siciliam obtineret, cum ab omnibus non so-

---

ne Ernestius quidem recipere voluit, contentionis quodam studio motus, quod Graevius illud necessarium dixisset. Et necessarium quidem non potest haberi, verum Ciceronianae consuetudinis proprium; nunc vero cum quattuor meliores itidem auctores fiant, iam non potest in controversiam vocari, utrum recipiendum sit. Praeterea nos *ille gemitus luctusque — pertinebat* ex Lag. 42 et Lamb. marg. scripsimus, cum vulgo *illi — pertinebant* edatur.

§. 130. *illud paterere]* ex eodem libro pro *perpeterere*, quod nimis propinquum est, edidimus. Deinde *omnibus mihi nervis connitendum est* e Nanniano et Lag. optimo scripsimus, tantum quod in ordine verborum *mihi nervis*, non *nervis mihi* huius certiorem auctoritatem secuti sumus. Vulgo *contendendum est*, sed alterum longe exquisitius. Mox *conetur* Lambinus repet. edit. maluit, quam quod vulgatam secutus priore dederat *conentur*. Nec id fecisse sine libris, testantur quattuor meliores nostri. Pertinet ad cap. 19 extr.

praetorem socios habuisse] P. R. i. e. populum Romanum, donec Naugerius explicavit *praetorem*. Primus Iuntinus editor a. 1534 utrumque coniunxit, neque reliqui attenderunt. Sed unum tantum in libris mss. est, alterum in deterioribus, alterum in melioribus.

privatus de inimico, reus ab accusatore] Quidnam igitur discriminis inter praepositiones illas interesse dicamus? Hoc ipso Cicerone auctore puto, quod *de* magis ad privatorum hominum fortuitos congressus sermonesque, *ab* ad certum audiendi consilium pertinet. Certe *de aliquo audimus* fere inter alia neque hoc agentes.

cum ab omnibus] Sic Victor. primum, cum antea praepositio non legeretur, et nititur de nostris solius Lagom. 42 fide et auctoritate.

lum (id quod commune est) propter imperium, sed etiam (id quod istius praecipuum est) propter crudelitatem metueretur, milliens audivit, cum eius animum ad persequendum non negligentia tardaret, sed conscientia sceleris avaritiaeque suae refrenaret. Loquebantur enim decumani palam, et praeter ceteros is, qui apud istum plurimum poterat, maximosque agros populabatur, Apronius, perparvum ex illis magnis lucris
ad se pervenire; praetorem esse socium. Hoc cum 131
palam decumani tota provincia loquerentur, tuumque nomen in re tam turpi nefariaque interponerent: nihilne tibi venit in mentem existimationi tuae consulere? nihil denique capiti ac fortunis tuis providere? cum tui nominis terror in auribus animisque aratorum versaretur; cum decumani aratoribus ad pactiones faciendas, non suam vim, sed tuum scelus ac nomen opponerent. Ecquod iudicium Romae tam dissolutum, tam perditum, tam nummarium fore putasti, quo ex iudicio te ulla Salus servare posset, cum planum fieret, decumis contra instituta, leges, consuetudinemque omnium venditis, in aratorum bonis fortunisque diripiendis decumanos dictitasse tuas esse partes, tuam rem, tuam praedam, idque te tacuisse, et, cum dissimulare non posses, potuisse tamen perpeti et perferre, quod magnitudo lucri obscuraret periculi magnitudinem, plusque aliquanto apud te pecuniae cupi-
ditas, quam iudicii metus posset? Esto, cetera negare 132

---

§. 130. *milliens audivit]* Sic Paris. B: vulgo *millies.* — *refrenaret]* quod e Nanniano nunc editur, cum olim a reliquis fuisset *frenarat*, nos quoque propter consensum Lag. 42 probavimus. Poteris etiam antea *retardaret* ex Lag. 29 scribere. Sed *tardare* apud Ciceronem frequens est, *frenare* ποιητικώτερον nec nisi p. Mil. c. 28 §. 77 invenitur. — *ad se pervenire]* Vulgo *sese*, sed illud in quattuor melioribus nostris, aliis quoque deterioribus.

§. 131. *instituta, leges]* Emendavit Hotomanus, quod mendose vulgabatur *legis*. Quamvis necessariae rei unus tamen auctor fit Lag. 42.

non potes: ne illud quidem tibi reliquum fecisti, ut hoc posses dicere, nihil te eorum audisse, nihil ad tuas aures de infamia tua pervenisse. Querebantur cum luctu et gemitu aratores: tu id nesciebas? Fremebat tota provincia: nemo id tibi renuntiabat? Romae querimoniae de tuis iniuriis conventusque habebantur: ignorabas haec? ignorabas haec omnia? Quid? cum palam Syracusis, te audiente, maximo conventu L. Rubrius Q. Apronium sponsione lacessivit, ni Apronius dictitaret, te sibi in decumis esse socium: haec te vox non perculit? non perturbavit? non, ut capiti et fortunis tuis prospiceres, excitavit? Tacuisti: sedasti etiam lites illorum, et sponsio illa ne fieret labo-
58 rasti. Pro dii immortales! hoc aut innocens homo perpeti potuisset? aut quamvis nocens, qui modo iudicia Romae fore putaret, non aliqua simulatione existima-

---

§. 132. *nihil te eorum]* Sic Lag. 42 et Lamb. repet. Vulgo *eorum te*. Post *L. Rubrius* idem liber mstus, vulgo *P.* Infra c. 80 est *Q. Rubrius* vir fortissimus, Verris dissimillimus, lib. I, 25 *Rubrius* homo factus ad Verris libidines: neque tamen ea res impedit quo minus hi duo unus sint. At hic *L.* sive *P.* alius videtur esse.

ni Apronius dictitaret] Nondum credo hoc sensu Ciceronis esse, quod et h. l. et supra Lag. 42 suadet, verbum *dictandi*. Error librarii facilior est quam ut auctoritas codicis allegetur. Inseq. capite item pro eodem verbo Lag. 29 *dictare*, Lag. 42 *distinctare*.

vox non perculit] Mirum, Ernestium correxisse *percussit*. Nam, ut omittam refragari libros, iusto minus est h. l. *percutere*, cum commoveri et perturbari tali crimine praetor debuerit. — *lites illorum]* Priscianus p. 777 Putsch. *litis* certissime legit, traditur etiam in marg. Lamb. inventum esse in vetere codice. Nostri tacent, sed etiamsi et ipsi illam terminationem haberent, eam tamen vix auderemus restituere, inconstantiam fugientes, cum constantes nulla ratione esse possemus.

hoc aut] Ernestius *aut* sustulit, quo dicit effici, ut pronomen, quod ad unum tantum membrum pertinet, ad utrumque videatur pertinere. Vere hoc quidem, sed quis ignorat praemitti aliis quoque coniunctionibus non raro pronomina, quamvis non ad totam sententiam pertineant, ut *hoc si*, *ille cum*, qua de re cf. ad V, 15. Neque facile quisquam disiunctivam particulam sibi eripi patiatur, cui alius locus non est, si absit interrogandi peculiaris vox.

tioni se hominum venditasset? Quid est hoc? Spon- 133
sio fit de capite ac fortunis tuis: tu sedes et quiescis? non persequeris? non perseveras? non perquiris, cui dixerit Apronius? quis audierit? unde hoc natum, quemadmodum prolatum sit? Si tibi aliquis ad aurem accessisset, et dixisset, Apronium dictitare, te sibi esse socium; commoveri te oportuit, evocare Apronium, nec illum ante tibi satisfacere, quam tu omnium existimationi satisfecisses: cum vero in foro celeberrimo, tanta frequentia, hoc, verbo ac simulatione Apronio, re vera, tibi obiectum esset; tu unquam tantam plagam tacitus accipere potuisses, nisi hoc ita statuisses, in re manifesta quicquid dixisses, te deterius esse facturum? Quaestores, legatos, praefectos, 134
tribunos suos multi missos fecerunt, et de provincia

---

§. 132. *simul. exist. se hom. venditasset]* Codd. *non aliqua re simul. populi Rom. existimationi se hominum*, item sic editiones veteres, et praeterea *vendicasset* s. *vindicasset*. Victor. Manutius eiectis verbis *pop. Rom.*, quae haud dubie olim explicandi causa qui *homines* dicerentur, adscripta sunt, *non aliqua se simul. existim. hominum*, sed ineptum verbum *vindicasset* servarunt, quod ne Lambinus quidem Nanniani codicis testimonio prodidit. Gruterus tandem sic edidit, ut supra legis, in hoc et a Victor. et a Nanniano codice discedens, quod *se* veteri loco retinuit: neque hoc male, soni causa, et adiuvante Lag. 42. Nam quod Lallemand. de consensu codd. Parisin. dicit, non error sed iam mendacium appellari meretur.

§. 133. *sedes et quiescis]* Abest *et* a Lag. 42. Sed idem verba *non perseq. non perseveras* omittit. — *si tibi aliquis]* Vulgo *si quis tibi*, sed *quis* omnes mss. ignorant, *aliquis* eo quo nos posuimus ordine quattuor meliores habent. — *evocare Apron.]* Verbum magistratibus proprium, et frequens in his orationibus, velut I, 10 §. 27, III, 28 §. 68, cf. p. Deiot. 5 pr. quod auctoritate Lag. 42 et Lamb. repet. posuimus pro vulg. *vocare*. Post *ac simul.* meliores. Vulgo *et*.

in re manifesta] Deleri iubet, quod vulgo additur, *tam* Lag. 42, nec desiderabimus praesertim cum mox recurrat. Sed quod idem paulo post *dixisset* habet pro *dixisses*, nec placet, quia sequitur *te*, et ex hoc ipso videtur ortum esse.

§. 134. *praefectos, tribunos suos]* Minus recte vulgo *suos* post *praefectos* ponitur; sed corrigunt errorem meliores libri.

decedere iusserunt, quod illorum culpa se minus commode audire arbitrarentur, aut quod peccare ipsos aliqua in re iudicarent: tu Apronium, hominem vix liberum, contaminatum, perditum, flagitiosum, qui non modo animum integrum, sed ne animam quidem puram conservare potuisset, eum in tanto tuo dedecore profecto ne verbo quidem graviore appellasses, neque apud te tam sancta religio societatis fuisset, ut tui capitis periculum negligeres, nisi rem tam notam esse
135 omnibus et tam manifestam videres. Cum eodem

---

§. 134. *quod illorum culpa]* Iidem libri h. l. *illorum* pro vulg. *eorum* praebent, et paulo post *ipsos* pro *illos*, rectissime, ut statim iudicabit qui paululum ad eorum pronominum vim animadverterit.

profecto ne verbo quidem graviore appellasses] Locus difficilis, cuius explicandi rationes ab Hotomano et Manutio initas, quia sunt cum verborum mutationibus coniunctae, hominum doctorum assensum non tulerunt. Nam Hotomanus totam periodum cum ironia pronuntiandam censuit, quasi dicas: *und du solltest den Apronius nicht einmahl mit einem härteren Worte angelassen haben, und* cet. Nam tum necesse est corrigere *atque* pro *neque*, quod Lambinus causae suae vel cum mendacii suspicione serviens in mss. nonnullis inventum esse tradit. Sed huic sententiae obest etiam confirmativa vox *profecto*, quam et ipsam tollere iure videbitur violentius. Altera Manutii ratio est, ut *non* addatur, quam secutus Ernestius sic edere non dubitavit: *tu Apronium — non profecto ne verbo quidem graviore appellasses*, ut duplex negatio sese tolleret, quem sensum longe melius Manutius sic expressit: futurum non fuisset, ut Apronius a te ne verbo quidem graviore appellaretur, nisi notam esse rem omnibus et manifestam videres. Sed ut omittam vim fieri libris mstis, non potest sic duplex negatio Latine adhiberi, nisi altera singulari cuidam voci insit, qualis non est *ne — quidem*. Hae negationes dilabuntur, nec potest hoc quod est: *non ne verbo quidem graviore te appello* aliter intelligi, quam si dissolvas *non appello te ac ne verbo quidem graviore te appello*. Neque subaudiri potest negatio, quae Garatonii est opinio, nam talis subauditio, ut contrarius sensus existat, omnem videtur sermonis rationem illudere. Sed quid est cur nemo simpliciter velit intelligere: tu Apronium posthac non allocutus esses ne verbo quidem graviore, (i. e. quod non posset esse nisi gravius,) nullum prorsus cum eo verbum fecisses, omnem cum eo consuetudinem sustulisses. Sic omnia satis perspicua erunt.

Apronio postea P. Scandilius, eques Romanus, quem vos omnes nostis, eandem sponsionem de societate fecit, quam Rubrius facere voluerat. Institit, oppressit, non remisit: facta est sponsio HS V̄: coepit Scandilius recuperatores aut iudicem postulare. Satisne 59
vobis praetori improbo circumdati cancelli videntur in sua provincia, immo vero in sella ac tribunali: ut aut de suo capite iudicium fieri patiatur praesens ac sedens, aut confiteatur, se omnibus iudiciis convinci necesse esse? Sponsio est, *ni te Apronius socium in decumis esse dicat:* provincia tua est: ades: abs te iudicium postulatur. Quid facis? quid decernis? Recuperatores dicis te daturum. Bene agis: tametsi qui tantis erunt cervicibus recuperatores, qui audeant in provincia, cum praetor adsit, non solum contra voluntatem eius, sed etiam contra fortunas iudicare? Ve- 136
rum esto: manifesta res est: nemo est, quin audisse se liquido diceret: locupletissimus quisque ac certis-

---

§. 135. *postea P. Scand.]* Deest *postea* in Lag. 29 Paris. A B.
HS V̄] Codd. plerique *HS V*, Paris. A B *HS quinque:* adde lineolam, et lege *Sestertium quinque milium*, sicut olim iussit Hotomanus, non *milibus*, qua de re cf. ad V, 54. Scribere quidem expressis litteris, quemadmodum vulgo fit, noluimus.
socium in decumis] Hoc ordine verba collocantur in quattuor melioribus nostris. Vulgo *in decumis socium.* Sed quod Lambinus adiecit *sibi socium*, fecit de suo. — *Bene agis]* Graevius e Franciano, quocum e Lagom. tres deteriores faciunt, *bene ais* recepit. Potest probari, sed comica vi h. l. non opus est. Post *qui tantis erunt cervicibus* meliores libri, deteriores vulgatae lectionis ordinem *erunt tantis* tuentur.

§. 136. *nemo est quin aud. se liquido]* Vulgo editur *cum nemo esset quin hoc se audisse liq. diceret*, sed sic neque editiones principes neque libri mss., in quibus omnibus *cum* omittitur. *Hoc* in uno Lag. 42 omittitur, sed facile hoc dabitur praestantissimi libri auctoritati, ut vocem a librariis additam putemus. *Est* dubium videri possit, cum et error facilis sit et sequatur *diceret:* verumtamen patet sic esse intelligendum: nemo in Sicilia est, quin, si interrogatus esset, hoc se audisse diceret: ex his posset locupletissimus quisque eligi ad dicendum testimonium. Itaque etiam hac ex re illius libri fides confirmatur.

simus testis esset: nemo erat Sicilia tota, quin sciret decumas esse praetoris; nemo, quin audisset id Apronium dictitasse: praeterea conventus honestus Syracusis, multi equites Romani, viri primarii, ex qua copia recuperatores reiici oporteret, qui aliter iudicare nullo modo possent. Instat Scandilius poscere recuperatores. Tum iste homo innocens, qui illam suspicionem levare atque ab se removere cuperet, recupe-
60 ratores dicit se de cohorte sua daturum. Pro deum
137 hominumque fidem! quem ego accuso? in quo meam industriam ac diligentiam spectari volo? quid est, quod ego dicendo aut cogitando efficere aut assequi debeam? Teneo, teneo inquam, in mediis vectigalibus populi Romani, in ipsis fructibus provinciae Siciliae, furem manifesto avertentem rem frumentariam omnem, pecuniam maximam: teneo, inquam, ita, ut negare non

---

Tum ex eodem *ac certissimus* dedimus, cum copula vulgo omittatur. Lambini in priore editione corrigendi libidinem taedet commemorare, nec libris mss. in hac operis parte et raro consilio adiutam.

quin sciret] Sic Lag. 42 et Lambinus in margine. Vulgo *qui nesciret.* Porro *quin audisset* iidem. Vulgo *qui non.* Tum ex eodem *id Apr.* pro *ita Apr. dictitasse* dedimus. — *reiici]* Editiones vett. Aldinam antecedentes et codd. Lag. VI deteriores Paris. C Oxon. *recipi*, cuius correctionis origo patet. Cf. ad c. 11 §. 28. — *levare atque ab se]* Pro his verbis Lag. 42 *canere ab esse*, mendose, ut apparet.

§. 137. *avertentem rem frumentariam]* Non possum non Nannii iudicium probare non placere sibi, quod in vetere libro suo legatur *averrentem* pro vulg. *avertentem:* esse enim atrociorem orationem, quam quae tales delicias admittat. Sed non persuasit Car. Stephano nec Graevio. Similis res et hui. orat. c. 78 §. 181 et 96 §. 224; quibus locis Nannianus quidem liquido *averrere* exhibere traditur, sed Lagom. 42 altero contrariam, altero ancipitem scripturam repraesentat. Totum utique verbum a Ciceronis consuetudine alienum est, qui si uti voluisset eo, alios locos haud dubie aptiores, ubi poneret, haberet. Nec Priscianus p. 900 Licinii Macri auctoritate usus esset, si Ciceroniana adfuisset. Praeterea vox *omnem* in Lag. 42 desideratur.

teneo, inquam] Haec figura Nanniano codici et Lag. 42 debetur, antea *teneo in mediis vectigalibus* edebatur, ut in ceteris libris mss. extat.

possit. Nam quid hic dicet? Sponsio facta est cum cognitore tuo Apronio de fortunis tuis omnibus, ni socium te sibi in decumis esse dictitaret. Expectant omnes, quantae tibi ea res curae sit, quemadmodum hominum existimationi te atque innocentiam tuam probari velis. Hic tu medicum et haruspicem et praeconem tuum recuperatores dabis, aut etiam illum ipsum, quem tu in cohorte tua Cassianum iudicem habebas, si qua res maior esset, Papirium Potamonem, hominem severum, ex vetere illa equestri disciplina? Scandilius postulare de conventu recuperatores. Tum iste negat se de existimatione sua cuiquam, nisi suis, commissurum. Negotiatores sibi putant esse turpe, id forum sibi iniquum eiurare, ubi negotientur. Praetor provinciam suam sibi totam iniquam eiurat. O impu- 138
dentiam singularem! Hic postulat se Romae absolvi, qui in sua provincia iudicarit, se absolvi nullo modo posse? qui plus existimet apud lectissimos senatores pecuniam, quam apud tres negotiatores metum valere? Scandilius vero negat sese apud Artemidorum recuperatorem verbum esse facturum: et tamen auget atque onerat te bonis condicionibus, si tu uti velis: si ex

---

§. 137. *ni socium te sibi]* Sic Lag. 42 et vet. cod. in marg. Lambini, Paris. B C, alii, item edd. veteres. Ex Nanniano propagatum est *se tibi.* — *quantae tibi — curae]* Codd. omnes *quanti tibi*, Lag. 42 *quantae — rure.* Correxit Naugerius. Tum Lag. 42 *elegantiam* pro *innocentiam.* — *aut etiam illum]* Lagom. 42 *aut illum etiam.*

Negotiatores sibi putant] Addidi *sibi* e Lag. 42, quae vox ne hoc quidem loco videtur abesse posse. Idem tamen liber mendose *iniquo iueme iurare ubi negotiarentur.* Edd. principes *evitare.*

provinciam suam sibi totam] Elegantiore hac verborum collocatione Paris. A B Lag. 42 alii. Vulgo *totam sibi.* Edd. vetustae pro *eiurat* item *evitat.* Tum in Lag. 42 *O* deest.

§. 138. *qui in sua prov. iudicarit]* Sic equidem corrigendum putavi pro vulg. *iudicavit*, cum in Lag. 42 esset *iudicaret.* Coniunctivum requirit quod sequitur *existimet.* — *auget atque onerat]* Hotom. *ornat*, Lamb. *urget* correxerunt, utrumque parum probabiliter, quam-

provincia Sicilia tota statuas alium idoneum iudicem aut recuperatorem nullum posse reperiri, postulat abs
139 te, ut Romam rem reiicias. Hic enimvero tu exclamas, hominem improbum, qui postulet, ibi de tua existimatione iudicium fieri, ubi te invidiosum esse intelligat: negas te Romam reiecturum; negas de conventu recuperatores daturum: cohortem tuam proponis. Scandilius rem se totam relicturum dicit, et suo tempore esse rediturum. Quid tu ibi tum? quid facis? Scandilium cogis — quid? sponsionem acceptam facere? Impudenter tollis expectatum existimationis
140 tuae iudicium: non facis. Quid ergo? Apronio permittis, ut, quos velit, de cohorte sumat recuperatores? Indignum, uni potius ex iniquis sumendi, quam utrisque ex aequis reiiciendi fieri potestatem. Neu-

---

quam *urget* iam legitur in textu Ascensianae et Cratandrinae. Nam Scandilium *urgere* praetorem condicionibus voluisse a re alienum est, denudaret enim nimis aperte hominis consilium, quod dissimulare melius erat se intelligere: *ornare* autem condicionibus vix potest intelligi. Sed *augere* est superiorem facere, plus tribuere quam alteri, quam sibi. Mox *te* abest a Paris. A B Lag. 29, hic etiam *tu* omittit.

alium idoneum iudicem] Addidi *alium* ex Lag. 42, cum non sit contra rem, *alium* enim intellige „praeter eos qui ex ipsius cohorte essent." Deinde idem *abs te*, sicut his orationibus semper solet orator, (cf. ad c. 83 pr. II, 62. V, 59) pro vulg. *a te*, et *rem reiicias*, quod vulgo abest, sed etiam a Lamb. in vet. cod. (Fabric.) inventum est. Sed statim idem liber *Et enimvero tu clamas*, quamquam *clamare* quidem non spreverim.

§. 139. *intelligat]* Sic Ernestius suo ingenio usus correxerat pro vulg. *intelligebat*, sed tuetur emendationem Lag. 42 et Lamb. in marg. repet. nam in priore *intelligebat* ipse quoque edidit, quod argumento est postea Fabriciano eum usum esse. — *sponsionem acceptam facere]* i. e. profiteri se pecuniam, de qua sponsio fuerit, accepisse, itaque omittere quidem causam, vicisse tamen. Qua re hominum expectationem de rebus in iudicio audiendis elusisset.

§. 140. *de cohorte]* Lag. 42 adiicit *sua*. Fuisse videtur *tua*. Post idem *eiciundi* pro *reiiciendi*. — *quam utrisque]* Nescio an corrigi debeat *utrique*, sicut cap. 65 ad finem, ubi recte legitur *utrique rei*, Lag. 42 item habet mendose *utrisque:* nam unus est hic apud Cicero-

trum facis eorum. Quid ergo? estne aliquid, quod improbius fieri possit? Est. Cogit enim Scandilium quinque illa milia nummum dare atque annumerare Apronio.

Quid potuit elegantius facere praetor cupidus existimationis bonae, qui ab se omnem suspicionem propulsare, qui se eripere ex infamia cuperet? Adductus 61
erat in sermonem, invidiam, vituperationem: dictitarat homo improbus atque impurus, Apronius, socium esse praetorem: venerat res in iudicium atque discrimen: potestas erat isti, homini integro atque innocenti, data, ut, in Apronium cum animadvertisset, sese gravissima levaret infamia. Quid excogitat poenae? quid animadversionis in Apronium? Cogit Scandilium Apronio ob singularem improbitatem atque audaciam praedicationemque nefariae societatis HS V mercedis
ac praemii dare. Quid interfuit, homo audacissime, 141

---

nem locus, quo duo dicantur *utrique* numero plurali, quemadmodum apud Nepotem in Timol. c. 2 *opes utrorumque Dionysiorum* sunt. Etiam Livius habet *utraque cornua* lib. XXX, 8, et *utraque oppida* XLII, 54, item Sallustius Cat. 5 *quae utraque*, et 30 *hi utrique* de duobus, Curtius *utraeque acies*, lib. VII, 19. De Caesare cf. Oudendorpium ad bell. Gall. I, 53 sed diversa miscentem, de Quintiliano Spalding. ad Instit. V, 10, 43. In Cicerone tam singulare est, ut nondum adducar ut verum putem. Nam pro Ligar. 12, §. 36 tres dici videntur, quorum duo in una parte.

estne aliquid, quod — possit? Est] Sic in marg. repetitae Lambinus edi voluit manifesto Fabric. codicem secutus. Nam eadem scriptura Lag. 42 est, nisi quod *posset* mendose exaratum est. Quin elegantia orationis eximie augeatur, nemo potest dubitare.

qui ab se — propulsare, qui] Vulgo nunc *sese — propulsaret*, nos *se* ex Lag. 42 recepimus, et Infinitivum, qui in editt. vett. et codicibus mss. omnibus est, restituimus. Irrepserat *propulsaret* in Manutianam operarum vitio, et incuria editorum usque ad Ernestium, qui fraudem animadvertit, propagatum est.

HS V mercedis ac praemii dare] Vulgo *V millia*, sed *millia* in quattuor melioribus non est, proque eo in Paris. A lineola inducta numero. Tum codd. deteriores et edd. vett. usque ad Nannium *mercedis nomine*, sed Nanniano accedunt iidem illi meliores nostri cum Fabriciano apud Lambinum. Cf. supra ad c. 48 §. 114.

utrum hoc decerneres, an, quod Apronius dictitabat, tute de te profiterere ac dictitares? quem hominem, si qui pudor in te, atque adeo si qui metus fuisset, sine supplicio dimittere non debuisti, hunc abs te sine praemio discedere noluisti. Omnia simul intelligere potestis, iudices, uno crimine Scandiliano: primum, hoc non esse Romae natum de societate decumarum, non ab accusatore fictum, non (ut solemus interdum in defensionibus dicere) crimen domesticum ac vernaculum, non ex tempore periculi tui constitutum; sed vetus, agitatum iam, et te praetore iactatum, et non ab inimicis Romae compositum, sed Romam de pro-
142 vincia apportatum. Simul illud intelligi potest istius

§. 141. *an quod Apr. dict. tute de te profiterere]* Codd. deteriores et edd. vett. *an id quod — tu de te proferres.* Nannius e suo cod. protulit *profiterere*, in repet. Lamb. in textu legitur *tute de te proferres*, cum annotatione in marg. *L. profiterere*, quod Gruterus utpote Nanniani codicis auctoritate firmatum recepit, sed etiam *tute* e textu repetitae tamquam antiquitus traditum bona fide accepit, sequente Ernestio, non Graevio. Quod alias male factum fuisset, hic bene cecidit, nam *tute* liquido habet Lag. 42, nec verisimile est in textum repetitionis Lamb. sine codice Fabriciano venisse. Praeterea *id* aberat a Lag. 42 et delevi libenter. — *si qui pudor — si qui metus]* Sic edendum fuit auctoritate quattuor meorum meliorum pro vulg. *si quis.* — *potestis — uno crimine]* Olim vulgo *potuistis ex hoc uno*, repetita Lambin. et sqq. *potuistis ex uno:* nunc *potestis* dedimus ex Lag. 42 et codice in marg. Lambini, eaque quae sequuntur bis Praesentia videntur postulare. Tum *hoc* sine dubio Fabric. codicis auctoritate abiectum est, sed etiam *ex* damnat Lag. 42.

agitatum iam, et te praetore iactatum] Olim legebatur ex fide codicum *cogitatum*, postea de coniectura Victorii *excogitatum*, utrumque a sententia loci alienum. Itaque Lambinus primum coniecit *exagitatum*, deinde mutata sententia *agitatum:* tacuit tamen inventum esse in Fabriciano. Nam est etiam in nostris melioribus. Et sic verum videtur, nec satis causae est, cur Ernestius tamquam spurium eiiciendum censuerit. Unum malim, ut verba sic collocentur: *agitatum iam te praetore et iactatum.* — *Romam de provincia apportatum]* Vulgo omnes *exportatum*, Lamb. codex in marg. repet. *deportatum*, quod Ernestius, sive cognita ea lectione sive non cognita, unice verum censens in textum recepit. Itidem Garatonius Lambinianam illam lectionem longe vulgatae praefert, quoniam et *deportare* et *decedere* de

in Apronium studium, Apronii de isto non modo confessio, verum etiam commemoratio. Eodem accedit, quod hoc quoque intelligere potestis, istum statuisse, in provincia existimationis suae iudicium extra cohortem suam committendum fuisse nemini.

Ecquis est iudex, cui non ab initio decumani cri- 62
minis persuasum sit, istum in aratorum bona fortunasque impetum fecisse? Quis hoc non ex eo statim iudicavit, quod ostendi, istum decumas nova lege, atque adeo nulla lege, contra omnium consuetudinem at-
que instituta vendidisse? Verum, ut istos ego iudices 143
tam severos, tam diligentes, tam religiosos non habeam: ecquis est, ex iniuriarum magnitudine, improbitate decretorum, iudiciorum iniquitate, qui hoc non

---

omni ex provinciis Romam itinere proprium sit. Nam quod Ernestius addit etiam eam ob causam *deportatum* praestare, quod alterum non dicatur loco, quo quid exportetur, addito, non esse verum invenitur, collato loco orat. p. Flacco 28 *cum aurum ex omnibus provinciis Hierosolyma exportari soleret.* Neque dubito tamen, quin etiam illi, si extare in optimo codice Lag. 42 cognossent, *apportatum* potius probaturi fuissent. Nam *deportatum* crimen esset, quod ipse praetor secum Romam extulisset e provincia, id quod ad rem non pertinet, *apportatum* vero quod et Siculi et Romani homines e provincia Romam profecti divulgarunt.

§. 142. *illud intelligi potest]* Sic quattuor meliores. Vulgo alio verborum ordine *intelligi potest illud.* — *quod hoc quoque]* Sic recte se habet et miramur Lambinum de coniectura *quod ex hoc quoque intelligere potestis* edidisse, quod ne intelligi quidem potest, nisi *quoque* pro *item* vel *etiam* positum fuerit, quod a Latinitate abhorret. Sed sic solet Lambinus, ubi non adiuvatur libris manu scriptis.

in provincia] Delevi *sua*, quod vulgo adiicitur, neque enim habet cod. Lag. 42, et nimis crebro recurreret in his paucis verbis.

iudicavit] Edd. Aldina priores et codd. nostri fere omnes (sed excepto Lag. 42) *iudicabit*, tamen mendose.

§. 143. *ut istos ego iud. — non habeam]* Vulgo *haberem*, sed exquisita videtur scriptura codicis Lag. 42, quam praetuli, *ut ego non habeam*, quod saepe dicit, se etiamsi suspicaces non sint iudices, tamen illis persuasurum Verrem fraudasse, quodque nunc ipsum repetit: *etiam sane sit aliquis dissolutior.*

iamdudum statuerit ac iudicarit? Etiam sane sit aliquis dissolutior in iudicando, legum, officii, rei publicae, sociorum atque amicorum negligentior: quid? is possitne de istius improbitate dubitare, cum tanta lucra facta, tam iniquas pactiones vi et metu expressas cognoverit? cum tanta praemia civitates vi et imperio, virgarum ac mortis metu, non modo Apronio atque eius similibus, verum etiam Veneriis servis dare coactas.
144 Quodsi quis sociorum incommodis minus commovetur, si quem aratorum fugae, calamitates, exilia, suspendia denique non permovent: non possum dubitare, quin is tamen, cum vastatam Siciliam, relictos agros, ex civitatum litteris et epistola L. Metelli cognoverit, statuat, fieri non posse, ut de isto non severissime iudicetur. Erit aliquis etiam, qui haec omnia dissimulare ac negligere possit. Attuli sponsiones ipso praesente factas de decumarum societate, ab ipso prohibitas iudicari: quid est, quod possit quisquam manifestius hoc desiderare? Non dubito, quin vobis satisfecerim, iudices: verumtamen progrediar longius: non mehercule quo vobis magis hoc persuadeatur, quam

---

§. 143. *ac iudicarit]* Vulgo *et*, Lag. 42 *ac*, quod imprimis frequens est ante i consonam. Sed aliquanto post omnes meliores *et imperio*, ubi vulgo *atque*. *Cum tanta* bis Naugerius dedit, codd. nostri praeter unum Lag. 42 priore loco *dum*, altero *tum*.

§. 144. *minus commovetur]* Sic quattuor meliores et Lambinus in marg. repetitae. Vulgo *movetur*, et nihil interest, utrum malis, quoniam *commovere* non de ira tantum, sed etiam de misericordia dicitur, neque differre ea verba alia re videntur nisi quod *commoveri* gravius est. — *aliquis etiam]* Sic Lag. 42. Vulgo *erit etiam aliquis*, sed *etiam* cum sit pro *nihilominus*, *tamen*, ad unum aliquod verbum non pertinet, itaque elegantius postponitur. — *quod possit quisquam manifestius]* Iunt. *possetis manifestius* sine pronomine *quisquam*, codd. deteriores *posset si quis manif.* Naugerius vulgarem lectionem constituit *posset quisquam man.* Sed quod Ernestius coniectura assecutus est, *possit quisquam* quattuor meliores nostri.

quo vobis magis hoc persuad.] Alio verborum ordine vulgo *quo magis hoc vobis pers.* Nos secuti sumus Lag. 42 et rationem verbo-

iam persuasum esse confido, sed ut ille aliquando impudentiae suae finem faciat, aliquando desinat, ea se putare posse emere, quae ipse semper habuit venalia, fidem, iusiurandum, veritatem, officium, religionem; desinant amici eius ea dictitare, quae detrimento, maculae, invidiae, infamiae nobis omnibus esse possint. At qui amici? O miserum atque invidiosum offensum- 145
que paucorum culpa atque indignitate ordinem senatorium! Albam Aemilium sedentem in faucibus macelli loqui palam, vicisse Verrem, emptos habere iudices, alium HS cccc milibus, alium HS D, quem minimo, ccc. Atque ei cum responsum esset, fieri non posse; multos testes esse dicturos, me praeterea causae non defuturum: *Licet hercle,* inquit, *omnes omnia dicant in illum: nisi ita res manifesta erit allata, ut responderi nihil possit, vicimus.* Bene agis, Alba: ad tuam 146

---

rum collocandorum. Ceterum idem liber *mehercle*, ut infra pro *Hercules* habet *hercle*, et omittit *iam* paulo post. — *putare posse emere*] Undecim codices, quorum excerptis utor, et veteres editiones in eo consentiunt, quod eiiciunt *posse*, quod in Victoriana primum additur, et necessarium videtur. Sed ob illum consensum vide an *putare se emere* explices *putare* sive sperare *se empturum*.

§. 145. *O miserum atque invidiosum*] Omnes codd. nostri praeter Lag. 42 repetita interiectione *o invidiosum:* sed ne ille quidem *atque*, sed, si recte explico, t i. e. *vel.* — *HS CCCC milibus*] Omittitur *milibus* in Lag. 42. Paris. A B *milia.* Tum ille *quem ad minimo.*

Licet hercle] Sic Lag. 42. Vulgo *hercules.* Difficile est de his formis dicere in tanta varietate codd. mss. Sed tamen *hercules* longe rarissimum, ut in Bruto 16 §. 62: *hercule* et *mehercule* imprimis frequens Ciceroni: cf. ad lib. IV, 14 pr. Verum in brevibus responsis et ridicule dictis etiam contractae formae suus videtur locus esse. Cf. Goerenzium ad hos locos de Legg. III, 1 *Bene hercle faciunt*, et II, 4 *sane quidem hercle.* — *in illum*] Correxerat sic Hotomanus, ut ait, e libro vetere: nostri omnes et olim editi *in illo*, praeter Lag. 42, qui *in* omittit, sed tamen et ipse *illo* habet. Idem post *nisi res manif. erit ita allata.* Nec tamen a vulgata discesserim.

§. 146. *Bene agis*] Libri olim editi ante Aldinum *ais*, quod Graevius ex Franciano et Ernestius ob veterum editionum reverentiam restituerunt. Codices contra statuunt, nam ex undecim, quibus utor, duo

veniam condicionem. Nihil putas valere in iudiciis coniecturam, nihil suspicionem, nihil actae vitae existimationem, nihil bonorum virorum testimonia, nihil civitatum auctoritates ac litteras: res manifestas quaeris. Non quaero iudices Cassianos; veterem iudiciorum severitatem non requiro; vestram in hac re fidem, dignitatem, religionem in iudicando non imploro: Albam habebo iudicem, eum hominem, qui se ipse scurram improbissimum existimari vult, qui a scurris sem-

---

tantum e deterioribus *ais* exhibent. Nec verum est, quod Ernestius addit, quoniam non sermo sit de facto, sed de eo, quod ille dixerit, *agis* non videri convenire. Nam *bene agere* ad condicionem ab Alba quasi propositam pertinet, ut Cicero rem manifestam afferret, quae defendi non posset: *du verführst gut.* — *actae vitae existimationem*] cum fuerit *anteactae*, dedimus ex uno Lag. 42. Nam quamvis frequens sit *anteacta* vita in accusando et defendendo, vid. de Invent. II c. 11 bis, ob hoc ipsum, quod scholae verbum est, videtur orator *actam vitam* dixisse librariique mutasse.

bonorum virorum testimonia] Olim in hoc loco et corruptio et confusio videtur fuisse. Nam codd. deteriores et olim editi interpretandi causa adiiciunt *de te testimonia*, quod dudum sustulit Naugerius. Tum Lag. 29 Paris. A B *virorum bonorum*, sicut est c. 41 §. 95. Iidem Parisini *civitatium.* Verum magis offendit vulgata omnium mss. lectio. *nihil civitatum auctoritates ac testimonia; litteras manifestas quaeris.* Nam Alba *res manifestas* postulaverat, litterae quidem *manifestae* nullae sunt; neque placet in re diversa repetitio verbi *testimonia.* Itaque cum aliis Lambini probo emendandi rationem in marg. repetitae editionis propositam, quam supra expressi. In editione priore Hotomani sui coniecturam secutus scripserat: *nihil civ. auctoritates, testimonia, litteras: res manifestas quaeris;* longeque etiam deterius Ernestius *auctoritates ac testimonia*, servato eo verbo quod libentissime abiicias, et abiecto eo, ex cuius ultima syllaba origo depravationis deducitur. — *in hac re fidem*] Vulgo *in hoc*, sed *in hac re* Lag. 42 et Lambinus in marg. repet., nec Paris. A B scriptura *in hac* alio videtur pertinere. Ceterum *religionem in iudicando* tamquam unum paene verbum dixit. — *habebo iudicem*] Lag. 42 et Iunt. *habeo*, mendose opinor, quamquam si quis Praesenti usum esse oratorem pro Futuro dixerit, non valde repugnabo. Sed post *semper potius* inverso ordine scribendum fuit, quod nunc Lag. 42 auctoritate adiuti fecimus. Nam *potius* suo nomini aut praeponitur aut subiicitur, interiectam vocem non fert.

per potius gladiator, quam scurra appellatus sit: afferam rem eiusmodi in decumis, ut Alba fateatur, istum in re frumentaria et in bonis aratorum aperte palamque esse praedatum.

Decumas agri Leontini magno dicis te vendidisse. 63
Ostendi iam illud initio, non existimandum magno vendidisse eum, qui verbo decumas vendiderit, re et condicione et lege et edicto et licentia decumanorum decumas aratoribus nullas reliquas fecerit. Etiam illud ostendi, vendidisse alios magno decumas agri Leontini ceterorumque agrorum, et lege Hieronica vendidisse, et pluris etiam quam te vendidisse; nec aratorem quemquam esse questum. Nec enim fuit quod quisquam queri posset, cum lege aequissime scripta venirent; neque illud unquam aratoris interfuit, quanti decumae venirent. Non enim ita est, ut, si magno venierint, plus arator debeat; si parvo, minus: ut frumenta nata sunt, ita decumae veneunt: aratoris autem interest, ita se frumenta habere, ut decumae quam plurimo venire possint: dum arator ne plus decumam det, expedit ei decumam esse quam maximam. Ve- 148

§. 147. *dicis te vendidisse*] Vulgo *dicit se*, quod melius fortasse videbitur, quoniam in proxime antecedentibus Albam allocutus sit orator, non Verrem. Verum sequentia docent, nostram lectionem e Lag. 42 ductam veram et eam esse, quae a reliqua libri praestantia non degeneret. Cf. etiam mutatae personae exemplum cap. 60 init. *nam quid hic dicet? Sponsio facta est cum cognitore tuo* cet.

vendid. alios magno] Abest *magno* a Lag. 42, cumque post pro *et lege* in eo legatur *ex lege*, fortasse olim unus sensus fuit, qui nunc sunt duo, si alterum insuper *vendidisse* sustuleris. — *ne plus decumam*] Exquisitam hanc lectionem acceptam ferimus Lag. 42, nam vulgo *decuma*. Mox olim edebatur *esse quam maximam*. Hotom. in msto cod. *maximi* invenit, eamque meliorem esse scripturam Lambino persuasit. Verumtamen in repet. edit. ipse Lambinus *maximam* restitui voluit, sine dubio quod Fabricianum sic habere invenerat. Quod cum Gruterus non animadvertisset, paucorum et deteriorum librorum scriptura usque ad hanc aetatem propagata est. Nam ex undecim nostris duo tantum Paris. C et Lag. 5 *maximi* habent.

rum, ut opinor, hoc esse vis caput defensionis tuae, magno te decumas vendidisse, atque aliorum quidem agrorum pro portione magno decumas vendidisse, agri vero Leontini, qui plurimum efficit, tritici modium

§. 148. *Verum, ut opinor, hoc]* Sic Lag. 29. Aures interroga et significantius iudicabis esse quam quo vulgo ordine verba collocantur, *verum hoc, ut opinor, esse vis.*

atque aliorum quidem agrorum] Critica huius loci tractatio difficilis est. Nam cum antea ederetur *Verum hoc, ut opinor, esse vis caput defensionis tuae, magno te decumas vendidisse, agri vero Leontini, qui plurimum efficit, tritici mod. CCXII (deinde CCXVI) millibus*: Lambinus in priore editione, praefatus locum misere lacerum et mutilum nunc secundum auctoritatem veteris codicis in integrum a se restitutum, sic scripsit: *age vero agri Leontini, qui plurimum efficit, decumas vendidisti tritici* cet. In repetita vero editione, eadem praefatione usus, sic excudi voluit, uti nunc fecimus. Vides hominis inconstantiam, qui nomine veteris codicis abusus prorsus diversas lectiones eadem auctoritate commendaverit, ut nescias utra in illo libro fuerit atque adeo de omni fide illius dubites. Verum est tamen quod laudemus, illum unum animadvertisse, subesse aliquid corruptelae. Nam in vulgata scriptura et sententiae et verborum hiatum esse nemo semel admonitus negabit: nec prodest si cum Lag. 42 *vero* omittamus. Debebat certe *et agri quidem Leontini.* Quod Lambinus priore edit. dederat, ipse posthac damnasse videtur, nec iniuria, cum neque in codice msto, quantum quidem nos scimus, extet, neque istud *age vero* conveniat. Alterum autem ex perpetua Lamb. consuetudine videtur significari inventum esse in cod. Fabriciano. At Lag. 42 non habet, contra eadem omnia in cod. 45 leguntur, libro, quod ad cetera attinet, e numero deteriorum non eximendo. Nec tamen non potui hic minorem auctoritatem sequi, quoniam ratio quaedam ostenditur, qua fieri potuerit, ut illa verba exciderint, et ipsa sententia recte constituitur. Et solent sic cum alii, tum Cicero *pro portione* dicere, velut IV, 21 et V, 21 *nunquam in Sicilia frumentum est emptum, quin Mamertinis pro portione imperaretur:* unde factum, ut novum verbum *proportio* fingeretur, quod ei quod est Graece ἀναλογία, responderet, nimirum in usum philosophorum et grammaticorum, quoniam reliqui quidem ἄτεχνοι tum quoque malebant simpliciter *portionem (Eintheilung)* dicere. Sicut Curtius VII, 41 *Praemium erit ei, qui primus occupaverit verticem, talenta X: uno minus accipiet, qui proximus ei venerit, eademque ad decem homines servabitur portio.* Ceterum Lambinianam lectionem posteriorem (nam de priore nemo quaesivit) cum Gruterus recepisset inter uncos, Graevius et Ernestius rursus extruserunt.

ccxvi milibus. Si doceo, pluris aliquanto potuisse vendere, neque his voluisse te addicere, qui contra Apronium licerentur, et Apronio multo minoris, quam aliis potueris vendere, tradidisse: si hoc doceo, poteritne te ipse Alba, tuus antiquissimus non solum amicus, verum etiam amator, absolvere? Dico, equitem Roma- 64
num, hominem in primis honestum, Q. Minucium, cum sui similibus ad decumas agri Leontini tritici mod. non mille, non duo, non tria milia, sed ad unas unius agri decumas tritici modium triginta voluisse addere; ei potestatem emendi non esse factam, ne res abiret ab Apronio. Negare hoc, nisi forte negare omnia con- 149
stituisti, nullo modo potes: palam res gesta est, maximo conventu, Syracusis: testis est tota provincia, propterea quod undique ad emendas decumas solent eo convenire. Quod sive fateris, sive convinceris, quot

---

§. 148. *CCXVI mil.]* Sic edd. principes et codd. plerique. Naugerius coepit *CCVI*, quod Hotomanus et Nannius correxerunt: Lag. 29 *CCXII*, Paris. A B *CCXV*: *milibus* abest ab Lag. 42, sed solo.

potuisse vendere] Delevimus hic pronomen *te* et post *voluisse* adiecimus auctoritate Lag. 42, nec enim interest, quo loco ponatur. Ex eodem, sed etiam Lambini marg. post *potueris* posuimus *vendere*, quod abesse quidem poterat, sed et additum nihil nocet. Extr. cap. *ipse Alba* dedimus ex Lag. 29 et Par. A B, quod haud dubie praestat ei, quod pro perpetua eorum verborum confusione in Lag. 42 et Lamb. marg. legitur *iste Alba*. Vulgo quodcunque est pronominis omittitur.

non mille, non duo cet.] Sic expressis litteris non numerorum notis etiam postea Lag. 42, quod cum raro fiat, eo magis servandum censuimus: itemque quod *mod.* scripsimus non *modium*, et *milia* (post XXX) omisimus, certo consilio et secundum fidem codicum facta esse puta. Sed quod in eodem illo libro legitur *nec duo*, *nec tria*, nondum constituo, num Latine recte dicatur. Cf. ad V, 42 pr.

ei potestatem] Delevi in principio *et*, quia abest a Lag. 42, nec bene coit *et ei potestatem non esse factam*. Copula cum absit, habet fere eandem vim quam *vero*, *tamen*.

§. 149. *palam res gesta est]* Alio ordine verborum Lag. 29 Paris. A B *res palam gesta est*.

et quam manifestis in rebus teneare, non vides? Pri-
mum tuam rem illam et praedam fuisse: nam, ni ita
esset, cur tu Apronium malebas, quem omnes tuum
procuratorem in decumis, tuum negotium agere loque-
bantur, quam Minucium, decumas agri Leontini su-
mere? Deinde immensum atque infinitum lucrum esse
factum: nam si $\overline{\text{XXX}}$ tu commotus non esses, certe hoc
idem lucri Minucius Apronio libenter dedisset, si ille
150 accipere voluisset. Quantam igitur illi spem praedae

---

§. 149. *manifestis in rebus teneare]* Olim edebatur *maximis in rebus*, donec Nannius sui codicis scripturam *manifestis* protulit. Verum Fabricianus codex in margine Lambini et Lag. 42 *manifestis rebus* sine praepositione habent, quod, nescio an fallar, sed mihi tamen non probatur. Nam illae res non sunt, *quibus* culpa Verris demonstretur, sed *in quibus* ipsa sit. Et *teneri*, cum significat *convictum esse*, peccatum addita praepositione *in* secum habet. Sic est I, 1 *in rebus turpissimis cum manifesto teneatur;* III, 76 *in rebus cum maximis tum manifestis tenetur*, II extr. *in manifesto peccatu tenebatur*, quamquam eo quidem loco Lag. 29, sed negligentiae suspectus, omittit praepositionem, et II, 59 *cum in manifestissimo furto teneare* servandum putavimus. Item p. Caec. 2 *facile honestissimis testibus in re perspicua tenerentur.* Verum III, 89 facere non potuimus, quin ex optimis ederemus *cum manifestis flagitiis tenebitur*, quia putamus explicari posse „cum ita tenebitur, ut flagitia eius manifesta sint." — *ni ita esset]* Vulgo *nisi;* nos sequimur Lag. 42 hanc quoque ob causam, quod Cicero etiam extra sponsionem, ubi *ni* propriam sedem habet, breviorem illam formam ponere solet, ubi succedit *ita*. Tusc. V, 11 Wolf. *ni ita esset;* V, 39 extr. *ni ita se res haberet.* — Post vulgo *tuum procurare in decumis negotium loquebantur.* Nostrum ex Lag. 42 dedimus, quocum consentit Lamb. codex, quem secutus edi voluit *tuum procuratorem esse in decumis, tuum negotium agere loquebantur.* Sed *esse* supplendum potius videtur. — *nam si $\overline{\text{XXX}}$ tu* cet.] Vulgo plenius *XXX millibus modium tritici*, nos et Lag. 42 et Lamb. cod. ad marg. (Fabricianum) secuti libenter *modios tritici*, totiens facta mentione, omisimus. *Milia* lineola significantur non in illis solum libris, sed etiam in Pariss. tribus et Huydecop. et omnibus. Ceterum sententiam contra Ferratii dubitationes sic explica: Si te tanta accessio non movisset, ut Minucio addiceres decumas, certe Apronius libenter accepisset et negotium illi tradidisset, nisi multo maiorem praedam sibi sperasset. Sed pro *esses* Lag. 42 *es* habet.

propositam arbitramur fuisse, qui tantum praesens lucrum, nulla opera insumpta, contempserit atque despexerit? deinde ipse Minucius nunquam tanti habere voluisset, si decumas tu lege Hieronica venderes: sed quia tuis novis edictis et iniquissimis institutis plus aliquanto se, quam decumas, ablaturum videbat, idcirco longius progressus est. At Apronio semper plus etiam multo abs te permissum est, quam quod edixeras. Quantum igitur quaestum putamus factum esse per eum, cui quidvis licitum sit, cum tantum lucri voluerit addere is, cui, si decumas emisset, idem non liceret? Postremo illa quidem certe tibi praecisa est 151
defensio, in qua tu semper omnia tua furta atque flagitia latere posse arbitratus es, magno te decumas vendidisse, plebi Romanae consuluisse, annonae prospexisse. Non potest hoc dicere is, qui negare non potest, se unius agri decumas xxx milibus mod. minoris, quam potuerit, vendidisse; ut etiam, si tibi hoc concedam, Minucio te ideo non tradidisse, quod iam addixisses Apronio: aiunt enim te ita dictitare, quod ego expecto, cupioque te ita illud defendere: verum ut ita sit, tamen non potes hoc, quasi praeclarum aliquid,

---

§. 150. *nunquam tanti habere]* Media vox omittitur in duobus melioribus Lagomars. itemque duobus ex deterioribus. E Parisinis nihil enotatum est. — *sed quia]* Sic Lag. 42 Paris. A B, pro vulg. *sed quod.* Si animadvertere volueris, veteres potissimum *idcirco — quia* et *non idcirco — quod* invenies dixisse, quorum alterum ad rem factam, alterum ad cogitatam pertinet.

§. 151. *praecisa est defensio]* Sic Lag. 42. Vulgo *def. est.*
XXX milibus mod.] Hoc loco Nann. et Lag. optimus *milia* mendose, itaque correximus potius quam ceterorum librorum auctoritate delevimus. Post e Lag. 42 *te ideo:* vulgo *ideo te.* — *te ita illud def.]* Olim, antequam Nanniani codicis scripturae innotuerant, secundum reliquos in ea re concordantes edebatur *te illud*, sine *ita.* Ne Lagom. quidem 42 *ita illud* coniunctim, sed *ita* solum.

praedicare, magno te decumas vendidisse, cum fuisse fateare, qui multo pluris voluerit emere.

65 Tenetur igitur iam, iudices, et manifesto tenetur
152 avaritia, cupiditas hominis, scelus, improbitas, audacia. Quid, si haec, quae dico, ipsius amici defensoresque iudicarunt? quid vultis amplius? Adventu L. Metelli praetoris, cum omnes eius comites iste sibi suo illo panchresto medicamento amicos reddidisset, aditum est ad Metellum: eductus est Apronius: eduxit vir primarius C. Gallus, senator: postulavit a L. Metello, ut ex edicto suo iudicium daret in Apronium, *quod per vim aut metum abstulisset,* quam formulam Octavianam et Romae Metellus habuerat, et habebat in provincia: non impetrat; cum hoc diceret Metellus, praeiudicium a se de capite C. Verris per hoc iudicium nolle fieri. Tota

---

§. 151. *praedicare]* Primum editi et mss. plerique omnes *praedicere,* nisi quod Lag. 27 *dicere.* Naugerius ex coniectura dedit *praedicare,* quod huc usque mansit. Sed fortasse aliquis ex Lag. 42 tamquam exquisitius volet *praestare* i. e. probare. Mihi vero quod additur *tamquam praeclarum aliquid,* favere illi potius coniecturae videtur. — *voluerit emere]* e Lag. 42 dedimus pro vulg. *voluerint.* Nam de uno Minucio plerumque sermo est, quamvis is sui similes aliquos socios habuisse initio huius capitis dicatur.

§. 152. *Tenetur igitur iam*] Ceteri, etiam Lag. 42, *igitur,* unus Nannianus *ergo,* quod Car. Stephanus et Lambinus receperunt. Nulla in libris mss. frequentior confusio notarum, cf. Drakenb. ad Liv. XXI, 40 §. 6 — *quid vultis*] Lag. 27. 29 Paris. B *voltis.*

amicos reddidisset] Sic ex uno msto Nanniano adhuc ediderunt Car. Stephanus, Lambinus (tacentibus repetitoribus), Gruterus, reliqui, pro olim vulg. *amicos redemisset.* Accedit ad Nannianum nunc Lag. 42. Originem alterius lectionis facile est intelligere, nam quod αἰνιγματικῶς dictum esset, olim aliquis declaravit verbo *redemisset,* sed ex vetere exemplari male adhaesit vox *amicos.* — *C. Gallus*] Vulgo *Gallius,* sed meliores omnes in eo nomine, quod descripsimus, consentiunt. Post verbum *postulavit* primum unius Nanniani auctoritate propagatum est, nunc quattuor e nostris habebit auctores. Lag. 42 etiam *ab L. Metello.* — *praeiudicium a se*] Abest praepositio a mss. praeter Nannianum et Lag. 42 omnibus, eamque esse necessariam, quod ait

Metelli cohors, hominum non ingratorum, aderat Apronio: C. Gallus, homo nostri ordinis, a suo familiarissimo L. Metello iudicium ex edicto non potest impetrare. Non reprehendo Metellum: pepercit homini 153
amico, et quemadmodum ipsum dicere audivi, necessario: non reprehendo, inquam, Metellum, sed hoc miror, quomodo, de quo homine praeiudicium noluerit fieri per recuperatores, de hoc ipse non modo praeiudicarit, verum gravissime ac vehementissime iudicarit. Primum enim, si Apronium absolutum iri putaret, nihil erat quod ullum praeiudicium vereretur: deinde, si, condemnato Apronio, coniunctam cum eo Verris causam omnes erant existimaturi, Metellus quidem certe iam hoc iudicabat, eorum rem causamque esse coniunctam, qui statueret, Apronio condemnato, de isto praeiudicium futurum. Et simul una res utrique rei est argumento, et aratores vi et metu coactos Apronio multo plus, quam debuerint, dedisse, et Apronium istius rem suo nomine egisse, cum L. Metellus statuerit, non posse Apronium condemnari, quin simul de istius scelere atque improbitate iudicaretur.

Venio nunc ad epistolam Timarchidi, liberti istius 66
et accensi, de qua cum dixero, totum hoc crimen de- 154

Nannius, nequaquam credo. Immo *se nolle fieri praeiudicium* rectius etiam dicetur quam *nolle fieri praei. a se*, accusativo subiecti omisso, qui tamen omitti potest. — *homo nostri ordinis*] primus edidit Naugerius, secuti sunt ceteri, et firmat Lag. 42. Ceteri tamen *vestri.*

§. 153. *de hoc ipse*] Opponuntur recuperatores et ipse Metellus, itaque iure opinor ex Lag. 42 et marg. Lamb. repet. receptum esse a me *ipse* pro vulg. *ipso.* — *qui statueret*] recte Lag. 42, et miror Ernestium in eiusmodi rebus acutissimum vulg. *statuerit* tulisse, cum praecesserit *iudicabat*, non *iudicavit.*

§. 154. *epistol. Timarchidi*] Codd. hoc quidem loco omnes *Timarchidis*, sed brevi post et §. 163 Lag 42 manifesto *Timarchidi*, et aliquam etiam auctoritatem addit margo Lambinianae repetitae. Diximus ad II, 44 §. 108, 54 §. 136.

cumanum peroraro. Haec epistola est, iudices, quam nos Syracusis in aedibus Apronii, cum litteras conquireremus, invenimus. Missa est, ut ipsa significat, ex itinere, cum Verres iam de provincia decessisset, Timarchidi manu scripta. Recita epistolam. *Timarchides Verris accensus Apronio salutem dicit.* Iam hoc quidem non reprehendo, quod adscribit *accensus:* cur enim sibi hoc scribae soli assumant? *L. Papirius scriba!* volo ego hoc esse commune accensorum, lictorum, viatorum. *Fac diligentiam adhibeas, quod ad praetoris existimationem attinet.* Commendat Apronio Verrem, et hortatur, ut inimicis eius resistat. Bono praesidio munitur existimatio tua, si quidem in Apro-

---

§. 154. *peroraro*] Exquisitam hanc Nanniani libri scripturam, a Car. Stephano et Graevio receptam, et ipse recenti Lag. 42 auctoritate confirmatam restitui. Lambinus veterem *perorabo* retinuerat, quod miror, nam Ernestium quidem Gruterianam suam defendere minus admirabile videtur. Interest etiam ad sententiam aliquid, nam qui *perorabo* probat, is singularem quandam perorationem expectat, quam is, qui *peroraro* dicit, praecidit. Est enim quasi dicat „simul etiam totam hanc orationis partem de frumento decumano peregero." Talis autem peroratio non fit, sed exposita re de ista epistola cap. 70 statim ad alterum crimen transitur. — *epistolam. Timarchides*] Vulgo *Recita epistolam Timarchidis. Timarchides* cet. Sed ea verba a melioribus libris omnia absunt, in deterioribus repetitum certe nomen *Timarchides* desideratur, ut fuisse videatur *Recita epistolam. Timarchides* cet. Atque sic edidimus, quandoquidem omittere omnem scribae allocutionem propter vacuum spatium in nonnullis meliorum relictum minus plerisque probabile videretur. Notandum etiam, *Apronio* a plerisque omnibus libris mss. et bonis quidem, et edd. principibus abesse. Adiecit Naugerius, a cuius iudicio non dissentio.

quod adscribit] Vulgo *adscripsit*, sed Praesenti utitur etiam in iis, quae sequuntur, et extat in Lag. 42 et marg. Lamb. repetitae. Sed restituendum quoque ex eodem illo libro *assumant* pro vulg. *sumant*. Tum in Lag. 42 *hoc* deest, et Lag. 29 Paris. A B *esse hoc;* sed sive probas *hoc*, sive abiicis, pertinet ad ridiculum morem adscribendi muneris, quasi praeclari alicuius, non ad nomen *accensi*, quae Hotomani fuit falsa opinio. Itaque nulla fuit causa, cur Ernestius voluerit *accensorum* delere. — *ad praetoris exist.*] Sic quattuor meliores, ceteri et vulgo *ad existimationem praetoris.*

nii constituitur diligentia atque auctoritate. *Habes virtutem atque eloquentiam.* Quam copiose laudatur Apro- 155
nius a Timarchide! quam magnifice! Cui ego illum non putem placere oportere, qui tantopere Timarchidi probatus sit? *habes, sumptum unde facias.* Necesse est, quod redundarit de vestro frumentario quaestu, ad illum potissimum, per quem agebatis, defluxisse. *Scribas, apparitores recentes arripe: cum L. Volteio, qui plurimum potest, caede, concide.* Videte, quam valde malitiae suae confidat Timarchides, qui etiam Apronio improbitatis praecepta det. Iam hoc *caede, concide;* nonne vobis verba domo patroni depromere videtur ad omne genus nequitiae accommodata? *Volo, mi frater, fraterculo tuo credas* — consorti quidem in lucris atque furtis, gemino et simillimo nequitia, improbitate, audacia. *In cohorte carus habebere.* Quid est hoc 67

---

§. 154. *atque eloq.*] Desideratur *atque* in Lag. 42. Deinde idem *cur ego illum non putem*, et eundem ordinem verborum etiam ceteri meliores, cum vulgo *non putem illum* legatur. *Tanto opere* divisis verbis Lag. 29 Paris. A B.

§. 155. *redundarit*] Lambinus correxit, Gruterus et Graevius probarunt. Codd. *redundaret.* — *recentes arripe*] Lag. 42 et vet. codex in marg. Lamb. *recentis.* Deinde *Volteio* edidi, quod ex ipsis veterum librorum aberrationibus liquido olim apparet fuisse: atque eiusmodi reliquiae veteris scribendi rationis et diutius et certius in hominum nominibus propriis servantur. — *nonne vobis domo*] Olim fuit *non verba domo:* ex Nanniano correctum est *nonne*, quod etiam in Lag. 42 quamquam mendose legitur *(neic).* Sed praeterea reliqui boni *vobis* addunt, (Lag. 42 *nobis* mendose), quod item Lamb. voluit in marg. repetitae, nisi quod *haec* pro *hoc* habet, quo non opus est. De obsceno sensu, qui inest in verbis *caedere*, *concidere* cf. quae laudat Gruterus et Forcellinus in lexico: sed hoc tamen loco gladiatorium potius est. — *mi frater fraterculo*] Sic Nannianus et Lag. 42 et vet. cod. in marg. Lamb. (Fabr.). Ceteri ut olim edebatur *Volo mihi fraterculo tuo credas.*

carus habebere] Usque ad Nannium edebatur *habeare*, qui ex suo codice *habebere* ut ederetur suasit. Sic etiam Lagomars. 42. Sed causam, quam ille addit, non probo. Dicit enim non optare Timarchidem gratiam Apronio apud cohortem, sed eius gratiae illi spem et fiduciam facere, quo audacius contendat. Nam docent ea, quae sequuntur,

in cohorte? quo pertinet? Apronium doces? quid? in vestram cohortem te monitore, an sua sponte pervenerat? *Quod cuique opus est, oppone.* Qua impudentia putatis in dominatione fuisse, qui in fuga tam improbus sit? ait, omnia pecunia effici posse; dare, profundere oportere, si velis vincere. Non hoc mihi tam molestum est Apronio suadere Timarchidem, quam quod hoc idem patrono suo praecipit. *Te postulante*
156 *omnes vincere solent.* Verre quidem praetore, non Sacerdote, non Peducaeo, non hoc ipso Metello. *Scis Metellum sapientem esse.* Hoc vero ferri iam non potest, irrideri viri optimi, L. Metelli, ingenium, et contemni ac despici a fugitivo Timarchide. *Si Volteium*

---

praecipientis illa verba esse, velut fac ut carus habeare. Itaque non valde miror etiam Lambinum olim vulgatam *habeare* retinuisse, quae Imperativi sensum clarius exprimit. Verumtamen Futurum illud ipsum significat, et facilius corrumpi potuit, siquidem Paris. A B *habere* exhibent. — *Quod cuique opus est, oppone*] Sic recte Lag. 42, quod vel sine libris restituendum videretur, pro vulgato *opus sit*. *Quodcunque* unus Lag. 29 liber correctionum plenissimus. *Opponere* autem h. l. est obtendere, ante oculos ponere (vorhalten), ut aliquid consequare, non ut impedias. Sic supra c. 57 *decumani aratoribus Verris scelus ac nomen opponunt ad pactiones faciendas.* Vetustissimae edd. ante Aldinam *appone*, quod Hotomano valde placuit, mihi non ferendum videtur, nec ceteris editoribus probatum est.

putatis in domin.] Adiicitur vulgo *cum in domin. fuisse*, nos auctoritate Lag. 42 omisimus, quandoquidem recte omitti potest.

dare, profundere oportere] supple *te* in sententia communi. Pergit explicare epistolam Timarchidis et improba illius praecepta. Edebatur autem primum ex vulgaribus codd. *dare profundere apponere*, donec Naugerius correxit *opponere:* post autem de coniectura Hotomani et nunc vulgo *da, profunde, oppone.* Nec reprehendam Hotomanum, si semel sibi persuaserit loqui Timarchidem. Sed Lambinus, qui priore editione *da, profunde, si velis vincere* omisso verbo ancipiti dederat, in marg. repetitae edi voluit, quod nos ex quattuor nostris melioribus protulimus, id quod argumento esse poterit et Nannium nonnihil omisisse, et Lambinum in plerisque alterius editionis correctionibus codicem veterem secutum esse. — *hoc idem*] Lag. 42 *id*, 29 et Paris. A B *quidem*, in Paris. C *hoc* omittitur.

§. 156. *et contemni]* Desunt haec duo verba in Lag. 42 et abesse

habebis, omnia ludibundus conficies. Hic vehementer errat Timarchides, qui aut Volteium corrumpi pecunia putet posse, aut Metellum unius arbitratu gerere praeturam: sed errat domestica coniectura: quia multos et per se et per alios multa ludibundos [libidinose] apud Verrem effecisse vidit, ad omnes eosdem patere aditus arbitratur. Facilius vos efficiebatis ludibundi, quae volebatis a Verre, quod multa eius ludorum genera noratis. *Inculcatum est Metello et Volteio, te aratores evertisse.* Quis istuc Apronio attribuebat, cum aratorem aliquem everterat? aut Timarchidi, cum ob iudicandum, aut decernendum, aut imperandum aliquid, aut remittendum, pecuniam acceperat? aut Sex-

---

possunt, sed tamen facile nisi quid aliunde momenti accedat, locum tuebuntur. Quid autem inest in illis verbis, quod contemni Metellum a Timarchide significet? Puto doctrinae cuiusdam e Graecis fontibus petitae studia ab illis furibus leniter irrideri, quibus novus praetor impli catus minorum negotiorum curam amico permiserit. — *conficies]* Nannianus et Lag. 42; *perficies* cetera turba habet: neque iniuria recentiores illud statim receperunt, quippe reliqui sermonis improbitati convenientius. Post *corrumpi pecunia* inverso ordine quam vulgo idem Lag. 42. — *sed errat domest. coni.]* Primus Lambinus in repet. edi voluit *errat*, cum fuisset *erravit*, paruitque Gruterus. Nimirum ille ex msto. Nam sic Lag. 29 et ambo Parisini meliores, nec differt Lag. 42, in quo mendose legitur *erat*, nec deteriores quidem VI Lagom., qui *errant* exhibent. Verum ordinem verborum ex uno 42 constituimus, ceteri *coni. domestica.* — *et per se et]* Prius *et* accessit ex eodem libro, sed idem male omittit *multa*, et *videt* habet. Post *arbitratur* omnes fere codices, certe meliores omnes. Vulgo praeterquam in edit. Graeviana *arbitrabatur.* Ceterum Ernestius scire quidem se ait *libidinose* dici etiam quasi *pro libidine*, ut IV, 39 pr. (Germ. *willkührlich),* sed se tamen semper in eo verbo haesisse. Quod addit a Naugerio demum adiectum, magnopere fallitur. Est enim in libris et manu scriptis et impressis omnibus: nec tamen nego importunum videri, et fortasse explicationis causa, quod genus ludorum significetur, adiectum. Itaque facere non potui, quin uncis coercendum putarem.

Sextio lictori] Lag. 42 *lictori* omittit, quod nescio an probabile videatur, cum facile ipse ex sequentibus cogitatione addas. Lambinus in repet. praenomen *L.* addi volebat, cuius ego neque hic neque in libro V, ubi saepius appellatur, vestigium in codd. ullum vidi.

tio lictori, cum aliquem innocentem securi percusserat? Nemo: omnes ei tunc attribuebant, quem nunc
157 condemnari volunt. *Obtuderunt eius aures, te socium praetoris fuisse.* Videsne, hoc quam clarum sit et fuerit, cum etiam Timarchides hoc metuat? concedisne, non hoc crimen nos in te confingere, sed iam pridem ad crimen aliquam defensionem libertum quaerere? Libertus et accensus tuus, et tibi ac liberis tuis omnibus in rebus coniunctus ac proximus, ad Apronium scribit, vulgo esse ab omnibus ita demonstratum Metello, tibi Apronium in decumis socium fuisse. *Fac sciat improbitatem aratorum: ipsi sudabunt, si dii volent.* Quod istuc, per deos immortales! aut qua de causa excitatum esse dicamus in aratores tam infestum odium atque tantum? quantam iniuriam fecerunt Verri aratores, ut eos etiam libertus et accensus eius tam irato animo ac litteris insequatur?

---

§. 156. *omnes ei tunc attr.]* Additur vulgo ad pronomen *Verri*, quod cum facile semetipsum prodat, et consensu meliorum nostrorum damnetur, miror quo pacto tam diu se tueri potuerit.

§. 157. *et fuerit]* Ex repetitionibus Lambinianis *ac* propagatum est ad Gruterianam, Graevianam, Ernestianam. Antiquiores et codd. mss. omnes *et*. — *concedisne]* Olim fuit *concedes*, tum Nannius protulit e suo *concedesne*, quod statim ab omnibus praeter Lambinum, qui ex coniectura *concedes non nunc hoc* edidit, receptum est. Idem, quod in Nanniano dicitur fuisse, legitur etiam in Lag. 29 Paris. A B, sed Lag. 42 *concedisne* habet, idque, cum praecesserit *videsne*, melius videtur. Post Lag. 42 *conficere* pro *confingere*, mendose, ni fallor.

si dii volent] Sic olim vulgo edebatur, sed *volunt* alios habere in margine Lambiniano notatur, quam significationem eo pertinere puto, quod illud inventum est in Fabric. nec probatum. Est enim etiam in uno Lag. 42, sed mihi quidem mendum potius videtur, cum grammatica ratio et usus dicendi Futurum requirat. Veruntamen Gruterus, quae eius adversandi Lambino consuetudo est, in textum recepit, iamque vulgo sine offensione legitur. — *tam irato animo ac litteris]* Sic Lag. 42 et Lambini vet. cod. in margine repetitae. Ceteri libri manu scripti *aut*, editiones principes *ut*. Primus Naugerius *his litteris* dedit, eaque coniectura editiones occupavit.

Neque ego huius fugitivi vobis, iudices, episto- 68
lam recitassem, nisi ex ea totius familiae praecepta et instituta et disciplinam cognosceretis. Videtis, ut moneat Apronium, quibus rebus ac muneribus se insinuet in familiaritatem Metelli, Volteium corrumpat, scribas accensumque pretio deleniat: ea praecipit, quae vidit; ea monet alienum hominem, quae domi didicit ipse: verum in hoc errat uno, quod existimat easdem vias ad omnium familiaritates esse munitas. Quamquam me- 158
rito sum iratus Metello, tamen haec, quae vera sunt, dicam. Apronius ipsum Metellum non pretio, ut Ver-

---

§. 157. *vobis, iudices, epist.]* Hoc verba ordine collocata leguntur in Lag. 42. Sed mox vulgo *nisi ut ex ea,* (Lag. 42 *nisi uti ex ea,)* quod miror adhuc toleratum esse. Neque enim constat vel sententia vel constructio verborum, nisi aut *recitavi* corrigas, aut *ut* tollas.

se insinuet] Pronomen ex Nanniano et Lag. 42 accessit, quod plerique omnes ante nos editores spreverant, propterea quod inveniuntur apud Ciceronem loci, in quibus *insinuare* intransitive dicitur. Hoc primus docuerat P. Manutius ad IV Epist. 13 ad fin. *nam et complectar eius familiarissimos, qui me admodum diligunt, multumque mecum sunt: et in ipsius consuetudinem, quam adhuc meus pudor mihi clausit, insinuabo;* post eum Graevius ad hunc locum, et Garatonius ad Philipp. V, 3: *eccui potestas in forum insinuandi fuit.* Laudat Graevius de orat. I, 20 *quod ita nati essemus, ut et blandiri et suppliciter insinuare iis, a quibus esset petendum, possemus.* Poterat etiam II, 35 *ut peritus insinuet in causam,* quia *se* a plerisque codd. abest. Sed hoc tamen non eo pertinet, ut pronomen negare quisquam debeat etiam frequentius addi. Cf. p. Caec. 5 *ac se in eius familiaritatem insinuasset;* de leg. agr. II, 5 *cum familiariter me in eorum sermonem insinuarem;* de amic. 26 *callidus ille et occultus ne se insinuet cavendum est.* Tusc. V, 11 *insinuasse se in antiquam philosophiam videtur.* Idem de Livio acuratissimus Drakenborch. ad lib. IX, 2 §. 8 contra Gronovium pronomen addubitantem iudicat. — *deleniant]* Sic per secundum vocalem codd. omnes, nisi quod Lag. 29 *declinat*, at p. Mil. c. 35 optimus Erfurtensis *delinirent.* Utramque formam probam existimo cum Conr. Schneidero Elem. L. L. p. 14. — *quod exist. easdem]* Hoc ordine quattuor meliores. vulgo *easdem existimat.* Lag. 29 antiquitatem simulat dum scribitur *existumat*, ut et *proxumus, epistula, volgo,* talia: modo aliis in rebus fidem servaret.

rem, non convivio, non muliere, non sermone impuro atque improbo posset corrumpere; quibus rebus non sensim atque moderate ad istius amicitiam adrepserat, sed brevi tempore totum hominem totamque eius praeturam possederat. Cohortem autem Metelli, quam vocat, quid erat quod corrumperet, ex qua recuperato-
159 res in aratorem nulli dabantur? Nam quod scribit, *Metelli filium puerum esse*, vehementer errat: non enim ad omnes praetorum filios iidem aditus sunt. O Timarchide, Metelli est filius in provincia non puer, sed adolescens bonus ac pudens, dignus illo loco ac nomine. Vester iste puer praetextatus in provincia

---

§. 158. *sermone impuro]* Sic Nannianus et Lag. 42, haud dubie etiam Fabricianus, nam Lambinus in nota repetitae (quod animadvertendum) editionis nonnullos libros mss. appellat. Vulgo *incauto*, quod quamvis nemo recte defendere possit, Ernestius tamen eo pertinere putat, ut tertium aliquid *incesto* corrigatur. Nos, opinor, cum similia multa viderimus, codd. mss. dissensus non impediet, quin unice veram illorum optimorum scripturam putemus.

recuperatores in aratorem nulli] Verba *in aratorem* ex Nanniano adhuc solo addita legebantur, nunc cognitorem etiam Lag. 42 accipiunt, quamquam in illo ante *recuperatores* posita dicuntur, si in ea re confidendum Nannii diligentiae. Quam igitur praestantes putabimus Lallemandi codices fuisse, quorum *duos* dicit ea verba, quae vulgo omittantur, servare? Verum ego hominem impudenter se iactasse opinor, et quos nunquam inspexerit mstos pro optimis et rarissimis laudasse: nam qui factum dicamus, ut nunquam quicquam sua sponte protulerit a Nannio praetermissum? cuius generis quam multa sint, iam neminem fugere potest.

§. 159. *bonus ac pudens]* An placet *prudens*, quod est in editionibus vetustis ac plerisque codd. deterioribus, et, quod miror, etiam in Lag. 42, (qui postea quoque cum Nann. *prudentior* habet,) cum reliqui et nostri quidem Pariss. tres cum Lag. 29 Naugerianam lectionem *pudens* tueantur. Mihi vero non placet, qui *pudorem* huc imprimis pertinere censeam. Verum annotandum tamen, in illis quattuor nostris alio ordine verba sic collocari, *pudens ac bonus*, quemadmodum postea *pudentior aut melior* est. Sequitur *vester iste puer*, qui vulgo *ille* dicitur, sed non videbatur hic Lag. 42 negligendus. Contra post, ubi nulla contemptus ratio, *fuisse in eo* dedimus ex eodem libro et Nanniano pro vulg. *isto*.

quemadmodum fuisset, non dicerem, si pueri esse illam culpam ac non patris existimarem. Tune, cum te ac tuam vitam nosses, in Siciliam tecum grandem praetextatum filium ducebas? ut, etiamsi natura puerum a paternis vitiis atque a generis similitudine abduceret, consuetudo tamen eum et disciplina degenerare non si-
neret? Fac enim fuisse in eo C. Laelii aut M. Cato- 160
nis materiem atque indolem: quid ex eo boni sperari atque effici potest, qui in patris luxurie sic vixerit, ut nullum unquam pudicum neque sobrium convivium viderit? qui in epulis cotidianis, adulta aetate, per triennium inter impudicas mulieres et intemperantes viros versatus sit? nihil unquam audierit a patre, quo pudentior aut melior esset? nihil unquam patrem facere viderit, quod cum imitatus esset, non, id quod
turpissimum est, patris similis putaretur? Quibus in 69
rebus non solum filio, Verres, sed etiam rei publicae 161

---

§. 160. *C. Laelii aut M. Catonis]* In Nanniano dicitur esse *aut C. Laelii aut*, cum vulgo neutro loco coniunctio esset, in Lag. 42 altero tantum. Et hoc maxime nobis visum est probabile, cum causa sit nulla, cur hoc loco illorum virorum ingenia tam diversa fuisse significentur, ut, si unum elegeris, excludas alterum. Ceterum locum hunc I. M. Gesnerus adhibuit commode, ut apud Quint. II, 8, 12 *materiam* defenderet, pro quo alii maluerant *naturam*. — *audierit a patre]* Verborum ordo institutus est secundum quattuor nostros meliores, cum vulgo fuerit *a patre aud.* Sed omnes tamen libri mss., quantum cognovimus, mendose *audivit*, item *vidit*. Sed hoc scribendi compendiis tribuendum. — *facere viderit]* Est a Lag. 42 et Fabric. (ut opinor, nam unde Lamb. accepisset?) Vulgo *agere*. Sed ad grammaticam rationem paulo gravius est, quod *patris similis* in Lag. 42 et 29 Paris. A B extat, rectissime: nam quod vulgo est *patri similis* (ex Nanniano, cum antea *similis patri* ex deterioribus editum fuerit,) ea similitudo ad formam pertineret, non ad naturam moresque, de quibus hoc loco dicitur. Genitivum item lib. V, 12 §. 30 ex libris mss. et omnibus quidem restituimus, ubi vulgo editi *patri similem* exhibent. Cf. etiam paulo post *Verris similis*.

§. 161. *Verres, sed etiam]* Allocutio rei accessit ex Lagom. 42. Vulgo deest, sed vestigium superest, dum pro *sed* legitur *verum*. Ne

fecisti iniuriam. Susceperas enim liberos non solum tibi, sed etiam patriae: qui non modo tibi voluptati, sed etiam qui aliquando usui rei publicae possent esse. Eos instituere atque erudire ad maiorum instituta atque civitatis disciplinam, non ad tua flagitia neque ad tuas turpitudines debuisti. Esset ex inerti et improbo et impuro parente navus et pudens et probus filius: haberet aliquid res publica abs te muneris. Nunc pro te Verrem substituisti alterum civitati: nisi forte hoc deteriorem, si fieri potest, quod tu eiusmodi evasisti, non in hominis luxuriosi, sed tantum in furis atque
162 divisoris disciplina educatus. Quid isto fore festivius

Lambinum quidem aliter, atque me in Lag. 42, invenisse in Fabriciano, argumento est quod in marg. repet. *Verres verum* scribi voluit.

patriae: qui] Proxima verba usque ad repetitum *qui* omissa sunt in Lag. 42, item propter mendi similitudinem in nonnullis editionibus vetustis. Sed *possent esse* ex Lag. 42 nos scripsimus pro vulg. *esse possent.* Idem mox *ad* pro *atque civitatis.* — *ad tua flagitia neque ad]* Quod modo de cod. Lag. 42 annotavimus, propter repetitionem eorundem verborum, quae in medio sita sunt omissa esse, h. l. contra in omnibus praeter illum librum et Lambinianos accidit. Gruterus ea uncis inclusit, Ernestius sustulit, sed satis ipsa sese commendant. Et statim ex uno Nanniano praepositionem *ex*, quae a ceteris libris praeter eundem illum Lagomarsinianum abest, omnes receperant. Nannius quidem cum notasset in suo libro vet. *ex* addi, in reliquis nihil mutavit: noster autem ille Nanniani geminus etiam hoc singulare habet: *et improbo et impuro* pro vulg. *atque impuro et improbo*, quod cum nihil deterius sit, constantiae causa recipiendum putavimus. Ordinem tamen verborum eundem habet Paris. A. — *resp. abs te]* Hoc positu verborum Lag. 42. Vulgo *abs te resp.*

Nunc pro te Verr.] Sic cetera turba mss. Sed Lag. 42 elegantius aliquid recondit: *non prope Verrem sed substituis alterum*, quod puto corrigendum esse *substituisses*, ut cum antecedentibus coniungatur: sed quia sine ancipiti correctione non procedit, adhuc quidem vulgatam toleravimus. Sed mox quattuor meliores nostri *nisi forte hoc deteriorem*, longe melius quam vulgo mendo vulgari, ut omissa lineola ultimum *e* intelligeretur *est*, *nisi hoc forte deterior est:* in ordine autem verborum ut *nisi forte* coniungatur, omnes omnino consentiunt mss. — *atque divisoris]* Vulgo *ac*, deinde *festivius fore*, et *qui* pro *si*. Nos in his omnibus Lag. optimum, sed in ordine ver-

arbitramur, si est tuus natura filius, consuetudine discipulus, voluntate similis? Quem ego, iudices, quamvis bonum fortemque facile paterer evadere: non enim me inimicitiae commovent, si quae mihi cum isto futurae sunt: nam si in omnibus rebus innocens fuero meique similis, quid mihi istius inimicitiae nocebunt? sin aliqua in re Verris similis fuero, non magis mihi deerit inimicus, quam Verri defuit. Etenim, iudices, eiusmodi res publica debet esse, et erit, veritate iudiciorum constituta, ut inimicus neque deesse nocenti

---

borum simul ceteros meliores secuti sumus. Etiam *si* mitius putamus quam *qui;* cum aliquem etiam dubitandi locum relinquat.

§. 162. *quamvis bonum]* Duo Basileenses Cratandrina 1528 et Hervag. 1534 *quantumvis* de coniectura exhibent. Quid igitur reliquerant c. 58 pr. *quamvis nocens?* Sed vide ad c. 16 §. 41. Post vulgo *si — futurae sint:* nos *sunt* ex quattuor melioribus et nonnullis etiam deterioribus dedimus, quod videtur magis sibi fidentis esse, et a metu longius remoti. — *Verris similis]* Vulgo *Verri*, quod displicet etiam propter id quod praecedit *mei similis.* De codicibus nihil opus est dici, res enim nimis anceps est, verumtamen auctores habeo Lag. 29 Paris. A B. Sed vitii genus admonet, ut Taciti locum Annal. I, 32 emendare conemur. Ibi milites seditiosi traduntur centuriones *prostratos verberibus mulcasse*, *sexageni singulos*, *ut numerum centurionum* (in legione) *adaequarent.* Mirum, militum turbam ita discretam fuisse, ut sexageni non amplius singulos centuriones circumdarent: an singulas plagas a singulis militibus inflictas vis, ut omnes communione sceleris tenerentur? At ille numerus legionem non explet. Quid multa? Medendi ratio in promptu est. Scribe *sexagenis singulos:* scilicet ut plagarum numero centuriones honoris sui admonerentur. — *veritate iud. const.]* Vulgo nunc *severitate* editur, sed de coniectura olim Ascensiani editoris, repetita deinde a Iuntino 1534, et ab eo inde tempore, ut fieri solet, pro vulgata scriptura habita. Neque ego nego de *severitate* iudiciorum imprimis frequenter agi, eamque in his orationibus paene solam expeti, quippe in quibus agatur de persequendis improbis: eamque ob causam ipse Act. I c. 1 correctionem P. Manutii omnium codicum scripturae praeferendam existimavi, corrigendum etiam puto, quod in orat. p. Rosc. Amerc. 30 §. 54 legitur *L. Cassius vetus ille verissimus et sapientissimus iudex*, ut fiat *severissimus:* sed tamen h. l. non solum de severitate in persequendis improbis dicitur, sed etiam de aequitate in tuendis innocentibus, ut prorsus verbum requiratur utrisque commune, quod *veritatem* esse puto. Sic

possit, neque obesse innocenti. Quapropter nulla res est, quamobrem ego istum nolim ex paternis probris ac vitiis emergere: id quod tametsi isti difficile est, tamen haud scio an fieri possit: praesertim si (ut nunc fit) custodes amicorum eum sectabuntur, quoniam pa-
163 ter tam negligens ac dissolutus est. Verum huc longius, quam voluntas fuit, ab epistola Timarchidi digressa est oratio mea: qua recitata, conclusurum me esse crimen decumanum dixeram: ex quo intellexistis, innumerabilem frumenti numerum per triennium aversum a re publica esse ereptumque aratoribus.

70 Sequitur, ut de frumento empto vos, iudices, doceam, maximo atque impudentissimo furto: de quo dum certa, et pauca, et magna dicam breviter, attendite. Frumentum in Sicilia emere debuit Verres ex senatusconsulto et ex lege Terentia et Cassia frumentaria. Emendi duo genera fuerunt, unum decumarum, alte-

---

etiam pro Quintio c. 2 extr. *tot tantisque difficultatibus afflictus in tuam, C. Aquilli, fidem, veritatem, misericordiam P. Quintius confugit.*

§. 163. *digressa est]* Lambinus, Gruterus, Ernestius *degressa est*, invitis libris mss., quantum scio, omnibus. Sed Lambinus sic ubique et consulto, cf. ad IV, 16, V, 23: ceteri imprudenter.

crimen decumanum] Recipiendam putavimus Lambini coniecturam ex edit. priore pro codicum scriptura *decumarum.* Nam cap. 66 pr. item 77 pr. *crimen decumanum* sine ulla varietate librorum est, nec videtur omnino aliter posse dici. Mox verba *per triennium* absunt a Lag. 42, idem pro *a rep.* habet *id rei publicae.* Sed *ereptum* editum est secundum Nannianum, cui nunc accedit Lagomarsinianus, olim ex reliquis codd. edebatur *abreptum.*

empto vos, iud., doceam] Mendose Lag. 42 *nos videamus*, puto enim vocem *iudices* omissam esse, quae fere in codd. *iud.* solet notari. Notabile etiam, titulum olim marginalem DE FRUMENTO EMPTO in plerisque codicibus in ipsum textum post *attendite* migrasse; quod item fideliter repetiverunt principes editores ante Naugerium. Nostrorum codd. abest a duobus tantum Lag. 42 et Paris A. — *in Sicilia emere]* Collocavimus verba secundum illum Lag. 42: vulgo *emere in Sicilia.* Post idem non *emundi*, ut vulgo, sed *emendi.* — *unum decumarum]* Codices plerique omnes *unum ceterorum decumarum*, pauci *certa-*

rum, quod praeterea civitatibus aequaliter esset distributum: illius decumani tantum, quantum ex primis decumis fuisset; huius imperati tritici modium DCCC milia: pretium autem constitutum decumano in modios singulos HS III, imperato HS IIIS. Ita in frumentum

---

rum, itaque editiones veteres inter eas lectiones haesitant, sed quas ego tamen consului una Iuntina *ceterarum*, Ascensiana, illa antiquior, tum posteriores, Naugeriana, Cratandrina, Hervagiana, Victoriana, *certarum*. Atque sic fuit, donec Nannius a suo codice abesse illud sive *ceterarum* sive *certarum* tradidit; neque tamen invenit nisi unum Car. Stephanum, qui illi codici pareret, ceteris editoribus Hotomanus persuasit, legendum esse *alterarum decumarum*. Sic sententiae bene consulitur, nam paulo post eae decumae vocantur *alterae;* etiam facilis mutatio est, sed miror tamen Hotomanum scribere eam lectionem ex vetere codice manuscripto perantiquo desumptam esse, et Lambinum quoque duos libros manu scriptos iactare, Lallemandum denique itidem duos e suis solito ἐπιφωνήματι laudare. Sic recentioribus editoribus facile ignoscemus, quod nubem pro Iunone amplexi Hotomani commentum hucusque propagarunt. Mihi quidem nec ille nec sectatores illius de veterum librorum auctoritate persuaserunt, eoque libentius Garatonium laudo, quod, cum nullis codicibus uteretur, Nannianam tamen lectionem, quae etiam Lag. 42 est, veriorem iudicavit. Hoc unum mihi dubium manet, anne pro *decumarum* levissima mutatione melius legatur *decumanum*, ut intelligatur *frumentum*.

civitatibus aequaliter esset distributum] Negat Ernestius hunc usum verbi *distribuere*, in quo insit imperandi significatio, sicut in verbo *describere*, Ciceronis esse, necdum ego similem locum inveni. Quamquam hoc non impedire videtur, quominus veram esse codicum scripturam putemus, quandoquidem proximae sunt illae notiones.

huius imperati trit.] In codicibus deterioribus desiderantur haec verba *huius imperati*, itaque sine illis olim editum fuit *illius decumani tantum, quantum ex primis decumis fuisset, tritici modium DCCC millia.* Primus deesse aliquid intellexit Hotomanus, voluitque *huius* post *fuisset* addi. Nannius praeterea *imperati* e suo libro protulit. Nos in Lag. 29 Paris. A B porro invenimus *in annos singulos*, quae verba quamquam non nocent, tamen cum paulo post repetantur, h. l. videntur explicandi causa adscripta esse. In numero *octingentorum milium* paulum variatur, nam Lag. 42 *CCC* sine *D*, Paris. A B Lag. 29 *DXXX*, sed apparet tamen corruptionis origo.

HS III] legendum esse *terni* docet grammatica ratio, sed *ternos* omnes codices praeter Lag. 42, qui numeri notam non litteras ponit.

imperato HS IIIS — HS duodetriciens] Fortiter textum aggressus sum, nec tamen audacius quam Hotomani rationem secuti ce-

imperatum HS duodetriciens in annos singulos Verri decernebatur, quod aratoribus solveret, in alteras decumas fere ad nonagiens. Sic per triennium ad hanc frumenti emptionem Siciliensem prope centiens et vi-

---

teri editores, et puto me fecisse rectius probaturum omnibus. Olim enim vulgo edebatur, quod in libris mss. omnibus est *HS IIII — duodetricies.* Nam *triciens*, quod ego scripsi et post *nonagiens* ex Lagom. 42, ad formam verbi pertinet, de qua inter homines doctos nulla iam potest esse controversia. Sed apparet rationem non constare, et unum de tribus numeris esse falsum, aut *mod. DCCC*, aut *HS quaternos* aut summam *HS duodetriciens.* Et Hotom. quidem hunc extremum aggressus scribendum esse *bis et tricies* primum Lambino deinde reliquis tam facile persuasit, ut res iam videatur pro confecta haberi. At numerum illum litteris in codd. scriptum mutari difficillimum omnium. Quidni praestiterit Nannii ratio pro DCCC scribi DCC iubentis, quod quidem longe lenius videtur remedium esse. Verumtamen ne eam quidem probo, cum infra c. 77 idem numerus octingentorum milium redeat, scribaturque adeo litteris expressis in Lag. 42. Quid igitur? Mihi persuasum est vitium inesse in HS *quaternis*. Pretium nimis cito crescit a ternis ad quaternos sestertios, cum frumentum in Sicilia binum vel binum semis, vel summum ternum fuerit: cur igitur statim quaternos, quamvis per illos annos annona vilissima fuisse dicatur? Si scriptum fuerit, ut fere solet scribi, (vides in nota Sestertiorum) IIIS et corrumpendi ratio explicatur et summae constant, fiunt enim 2,800000 nummi, i. e. duodetricies HS. Nunc etiam aequitatem Senatus Rom. agnosces, qui pro frumento imperato ternos semis, pro frumento in cellam quaternos solvi voluerit, infra cap. 85. Et singularem confirmationem nostra ratio accipit a scriptura optimorum codicum §. 174, secundum quam medimnum fuisse traditur HS XXI.

fere ad nonagiens] Sic omnibus litteris Lag. 42. Vulgo *ferme* et *nonagies — prope centiens et viciens]* Necessario emendandum fuit, sicut Lambinus fecerat. Nam cum vulgo ederetur *centies et tricies* (debebat secundum Nannianum *centiens et triciens)* nec ab ea scriptura codices mss. abirent, nisi quod ex Lag. 42 *tricenties*, nescio num pro *centies* solum an pro tota summa, enotatum repperissem, cumque sive bis et triciens sive duodetriciens ad nonagiens adderes, non efficerentur nisi fere CXX, non videbatur orator dicere posse, eam summam *prope* ad CXXX fuisse. Si *duodetriciens* verum est, efficiuntur ipsa CXVIII, quae sunt *prope* CXX i. e. ut perparvum absit ab illa summa. Ceterum *per triennium*, ut facile apparet, ad singulos illius triennii annos pertinet, nam si ea summa de toto triennio intelligenda esset, ne *tracenties* quidem (Lag. 42) satis esset, cum ascenderet ad ipsa CCCLIIII.

ciens erogatum est. Hanc pecuniam tantam, datam 164
tibi ex aerario inopi atque exhausto, datam ad frumentum, hoc est ad necessitatem salutis ac vitae, datam, ut Siculis, ut aratoribus, quibus tanta onera res publica imponeret, solveretur, abs te sic laceratam esse dico, ut possim illud probare, si velim, omnem te hanc pecuniam domum tuam avertisse. Etenim sic hanc rem totam administrasti, ut hoc, quod dico, probari aequissimo iudici possit. Sed ego habebo rationem auctoritatis meae; meminero, quo animo et quo consilio ad causam publicam accesserim. Non agam tecum accusatorie; nihil fingam; nihil cuiquam probari volo, me dicente, quod non ante mihimetipsi probatum sit. In 165
hac pecunia publica, iudices, haec insunt tria genera furtorum: primum cum posita esset pecunia apud eas societates, unde erat attributa, binis centesimis feneratus est: deinde permultis civitatibus pro frumento nihil solvit omnino: postremo, si cui civitati solvit, tantum detraxit, quantum commodum fuit, nulli quod debitum est reddidit.

---

§. 164. *ac vitae]* e Lag. 42 est. Vulgo *et vitae.* Post *ut aratoribus* idem, quod minime contemnendum, vulgo *Siculis aratoribus.* Tum idem *vellem*, quod si placuerit, corrigendum tamen *possem.*

et quo cons.] Vulgo coniunctio omittitur, quae, cum animi nulla sit commotio, neque rhetorica figura, iussu Lag. 42 adieci.

cuiquam probari volo] Cuiquam hucusque ex uno Nanniano accessit, nunc auctores fiunt quattuor nostri. Sed et *volo* recepi ex Lagom. 42 et de margine Lambinianae repetitae. Vulgo *velim*, cuius Coniunctivi aegre rationem intelligas.

§. 165. *primum cum posita esset pecunia]* Omnes edd. veteres *primum eam cum pos. ess. apud eos soc.* omissa voce *pecunia.* A Lambino in margine repet. *pecunia* additum est, sed *eam* non delevit, ut fides codicum, certe unius Lag. 42, qui etiam hac in parte cum Fabric. videtur consentire, postulat, sed alio loco, ante *feneratus est,* intulit. Gruterus igitur veritati inscius consuluit, quod pronomen prorsus sustulit.

71 Ac primum hoc ex te quaero, tu, cui publicani ex Carpinatii litteris gratias egerunt, pecunia publica ex aerario erogata, ex vectigalibus populi Romani ad emendum frumentum attributa, fueritne tibi quaestui? pensitaritne tibi binas centesimas? Credo te negaturum: turpis enim est et periculosa confessio. Mihi
166 autem hoc perarduum est demonstrare. Quibus enim testibus? Publicanis? tractati honorifice sunt: tacebunt. Litteris eorum? decreto decumanorum remotae sunt. Quo me igitur vertam? Rem tam improbam, crimen tantae audaciae tantaeque impudentiae, propter

---

§. 165. *Ac primum]* Olim edebatur *at*, quod Naugerius correxit consensu codicum meliorum, Lag. 42 tamen *hanc*. *Primum* quod orator dicit, pertinet ad finem cap. 72, ubi est: *Et quoniam de illa feneratione satis dictum est, nunc de hac tota pecunia aversa, quaeso, cognoscite. — tu, cui publicani — egerunt]* Oratio ἀνακόλουθος est, quae sic fere continuari debebat: *adhibuerisne pecuniam publicam ad quaestum?* Sed quamvis pendeat *tu*, nolim tamen voculam, sicut fecit Ernestius, tollere, propterea quod ne reliqua quidem apte coitura essent: *ex te quaero, cui publicani gratias egerunt.* Laudat Graevius insignem Livii locum lib. II, 12 *cum C. Mucius adolescens, cui indignum videbatur* cet. *itaque eam indignitatem vindicandam ratus — constituit*, et conferri iubet quae ad eum locum interpretes attulerunt. Et nos ad lib. II, 73 exempla quaedam collegimus pendentium in principio periodi verborum. Ex alio quidem genere, nominativi a reliqua oratione dissentientis, est Act. I, 18 init. *ut Siculi — eos tum lictores consulum vocent*, cuius generis similia collegit Bremius ad lib. II de Fin. c. 33.

§. 166. *publicanis? — litteris eorum?]* Olim edebatur, itemque Lambinus priore edit. propagarat *publicani — litterae*, ita ut haec verba cum sequentibus coniungerentur. In repet. editione Lamb. in marg. *publicanis — litteris* rel. et haec eius nota post librum legitur: „Quanto haec scriptura sit lectione vulgata concinnior, quis non videt? et tamen ne quis existimet ex ingenio meo aut cuiusquam, qui vivat, esse natam, assevero eam esse in duobus codicibus antiquis, quibus usus sum, et in illo Fabriciano comparere plane expressam." Insecuti editores cum *publicanis* recepissent, reliquerant tamen *litterae*, ratione non addita, neque enim ulla fuit, sed incuria; donec Ernestius tamquam ex coniectura etiam *litteris* restituit. In nostris codicibus vulgata olim scriptura comparet, nisi quod unus, Lag. 42 Fabriciano adstipulatur. Eorum mihi librorum auctoritas satis est idonea.

inopiam testium ac litterarum praetermittam? Non faciam, iudices: utar teste — quo? P. Vettio Chilone, homine equestris ordinis honestissimo atque ornatissimo: qui isti ita et amicus et necessarius est, ut, etiamsi vir bonus non esset, tamen, quod contra istum diceret, grave videretur; ita vir bonus est, ut, etiamsi inimicissimus isti esset, tamen eius testimonio credi oporteret. Admiratur et expectat, quidnam Vettius 167
dicturus sit. Nihil dicet ex tempore, nihil ex sua voluntate, nihil, cum utrumvis licuisse videatur. Misit litteras in Siciliam ad Carpinatium, cum esset magister scripturae et sex publicorum, quas ego Syracusis apud

---

§. 166. *P. Vettio Chilone]* Edd. usque ad Lambinum *Vectio* et sic codd. plerique omnes. Est enim hoc discrimen non modo in hoc nomine, sed etiam in similibus *Attio*, *Pectio*, codicum mss. et lapidum nummorumque, quod in his fere *Vettius* est, dum scripti libri ita titubant, ut tamen plurimi *ct* exhibeant. Vid. Drakenb. ad Liv. IV, 28, 3; Malaspinam ad Cic. epist. Attic. IV, 5; Ryckium ad Taciti Ann. XV, 3; Benedict. ad Cic. epist. fam. VII, 14 alios. Sed ex quo tempore in his rebus lapidum auctoritas imprimis Manutii, Sigonii, Ursini exemplis maior haberi coepit, etiam in editis libris illa scriptura invaluit. Quamquam Garatonius quidem ad orat. p. Flacco c. 34 in hoc ipso nomine *Vettio*, quamvis *Vettii* longe frequentissimi sint, si de singulis agatur, caute pronuntiandum existimat. Ceterum Manutius contra libros homini praenomen reddidit L., cum fuisset *P.*, propterea quod infra in titulo vocaretur Lucius, frater autem eius Quaestor Verris lib. V, 44 Publius: eumque multi secuti sunt, nec immerito. Sed lectio librorum V, 44 plus quam incerta est, nec tituli huius magna auctoritas, ut praestare videatur rem invertere et ex hoc potius loco in titulo *P.* corrigere.

ita et amicus] Codices et edd. principes *qui isti et amicus: ita* quod necessarium videbatur, Naugerius emendavit, sed veram Ciceronis manum Lambinus repet. edit. restituit, cum utramque particulam coniunxit. Auctor fit codex Lag. 42.

§. 167. *nihil, cum utrumvis]* Vulgo nunc *nihil ut ei utrumvis*, sed Victorius sic edidit primus, quantum ego cognovi, neque librorum opinor auctoritate usus, nisi forte Paris. A, ex quo nihil a vulgari scriptura dissentiens notatur. Ceteri omnes, quod nos dedimus, exhibent, a quo cur recedamus nulla prorsus causa idonea apparet.

litteras in Siciliam] hoc ordine Lag. 42. Vulgo *in Sic. litteras.*

scripturae et sex publicorum] Editi libri usque ad Lambinianum *et*

Carpinatium in litterarum allatarum libris, Romae in litterarum missarum apud magistrum L. Tullium, familiarem tuum, inveni: quibus ex litteris inpudentiam feneratoris, quaeso, cognoscite. LITTERAE MISSAE P. VETTII, P. SERVILII, C. ANTISTII, MAGISTRORUM. Praesto ait se tibi futurum Vettius, et observaturum, quemadmo-

---

sex publicanorum: Lambinus edidit *et societatis publicanorum*, Fulv. Ursinus in suo manuscripto *eius societ. publicanorum* esse dixit, Gruterus denique tamquam e libro Hotomani *et eius soc. publicanorum* usque ad hanc aetatem propagavit. Verum et ego et Gruterus in manuscriptis libris nihil aliud invenimus, quam quod supra posui, neque ullam fidem istis incertis laudationibus habeo. Fieri potest ut vere emendaverit, quisquis primum *societatis* emendavit, sed vereor tamen, ne ea re antiquitatis aliquod vestigium deleverit. *Publica* dicuntur vectigalia publica, v. c. *publica redimere*, *conducere*, *publicum agere*, *agitare*, *habere*, quorum cum varia genera fuerint, etiam *sex publica* quasi coniuncta poterant esse a societate illa conducta: certe *eandem societatem portum et scripturam habuisse* cognovimus lib. II, 70.

allatarum libris, Romae in litterarum] Desunt haec verba in codice Nanniano, (item in Lag. 42 et 45,) itaque sic ediderunt Car. Stephanus et Lambinus. Male, nam Syracusis magister, sive potius pro magistro, fuit Carpinatius; Romae magister eius anni, secundi aut tertii, Tullius. Quae causa erroris fuerit cum facile intelligatur, impune librorum alias laudatissimorum auctoritatem deseremus. Magistrum ipsum cognomine *L.* auximus eiusdem Nanniani auctoritate, verumtamen Lag. 42 *L. Pulum* habet, et Lambinus altera edi voluit *L. Pulium*, quod certe debebat esse *Pullius*, nomen haud infrequens, teste indice Gruteriano Inscriptt. — *impudentiam feneratoris]* Vulgo *fenerationis*, sed illud aeque bene, si non melius, Nannianus et omnes (VIII) Lagom. et Oxon. Huydec. Paris. B. Ex A et C nihil enotatum est, sed ne in illis quidem aliud legi puto propter tantum ceterorum librorum consensum. Ceterum non dico nunc de diphthongo, de qua silent excerpta Lagomarsiniana: Par. B simplicem vocalem *e* habet.

Litterae missae cet.] Titulus deest in duobus optimis Lagom. et tribus Pariss., sed relicto vacuo spatio in Lag. 29 Paris. B. In eo quod *Antistii* nomen legitur, ex emendatione Fulv. Ursini est, nam codd. *Antistitis* habent. Sed paulo post duo meliores Lag. *Antisti*, ceteri *Antistiti*. Servilius autem vulgo praenomen habet *L.*, nos ex sequentibus, ubi omnes codd. consentiunt, *P.* facere, quam ex hoc titulo alterum corrigere maluimus: similis fere ratio est in *P. Vettio*, quod paulo ante attigi. — *ait se tibi futurum]* Hoc ordine verba collocantur in Lag. 42. Vulgo *se tibi ait.* Eiusdem libri auctoritate post usi sumus, quod fuit *populo pecuniam.*

dum rationes ad aerarium referas: ut, si hanc ex fenore pecuniam populo non rettuleris, reddas societati. Possumus hoc teste, possumus P. Servilii et C. An- 168
tistii magistrorum litteris, primorum hominum atque honestissimorum, possumus auctoritate societatis, cuius litteris utimur, quod dicimus obtinere? an aliqua firmiora aut graviora quaerenda sunt? Vettius, tuus 72
familiarissimus, Vettius, tuus affinis, cuius sororem habes in matrimonio, tuae uxoris frater, Vettius, frater tui quaestoris, testatur litteris tuum impudentissimum furtum certissimumque peculatum: (nam quo alio nomine pecuniae publicae feneratio est appellanda?) Scribam tuum dicit, Verres, huius perscriptorem fenerationis fuisse: ei quoque magistri minantur in litteris: et casu scribae tum duo magistri fuerunt cum Vettio.

---

§. 168. *magistrorum litteris]* Altera vox accessit ex Nanniano (et Lag. 42), quam cum unus Ernestius denuo possessione eiecisset, concinnitati orationis nocuit. — *aut graviora]* Graevius e codice Franciano, nullius auctoritatis libro, *an graviora quaerenda sunt, cum Vettius* cet. quae uti digna sunt verbo praetermittantur.

tuae uxoris frater, Vettius] Ordinem verborum paulum immutavi ex Lag. 42, cum esset vulgo *tuae frater uxoris*, et interpunctionem posui post vocem *frater*, propterea quod in hac figura repetitionis ab eodem verbo membra orationis incipiant oportet; si modo repetitio est, nam duo verba *Vettius frater* absunt a Lag. 42, sed mendum puto. In sequentibus olim verbum *testatur* desiderabatur, quapropter in fine periodi stellulae ponebantur, excidisse aliquid significaturae. Nannius primus e codice suo *testatur tuum impud. furtum* protulit, quod cum Lambinus recepisset, tamen, quoniam sibi nescio quid de lacuna persuasisset, in fine haec verba adiecit: *indicaturum se ac patefacturum minatur.* Sed his nos nihil utimur. Verum in Lag. 42 non *testatur* solum, sed praeterea etiam *litteris* legitur, idemque a Lambino in Fabriciano inventum esse verisimile fit ex marg. editionis repetitae. Itaque nos adiecimus. — *Scribam tuum dicit*] Praemittitur vulgo *Recita reliqua*, sed absunt haec verba a Lag. 29. 42 et 27 item Paris. A B, ideoque delevimus. Tum *dicit*, nimirum Vettius, de quo ab initio dicebatur. Ernestius *dicunt* correxit, sed non sufficit causa.

et casu scribae] Hotomanus in codice ipsius fortasse manu conscripto se dicit *etenim* invenisse ac probasse. Idem sensisse Lambinum non est mirum, sed ceteros miror tam cupide incertae auctoritati

Binas centesimas ab sese ablatas ferendum non putant: et recte non putant. Quis enim hoc fecit unquam? quis denique conatus est facere, aut posse fieri cogitavit, ut, cum senatus usura publicanos saepe iuvisset, magistratus a publicanis pecuniam pro usura auderet auferre? Certe huic homini spes nulla salutis esset, si publicani, hoc est, si equites Romani iudi-
169 carent. Minor esse nunc, iudices, vobis disceptantibus debet: et tanto minor, quanto est honestius alienis iniuriis quam re sua commoveri. Quid ad haec

---

obsecutos esse. Quid enim? Haeccine causa fuit, cur minarentur isti perscriptori, quod scribae inter ipsos magistros fuerunt? Non certe, sed significatur magistros facultatem habuisse iniuriae vindicandae propterea quod eiusdem ordinis fuerunt. Porro Ernestius *scribae* ad uncos damnavit, quod ille casus fuisset, ut tres magistri essent, cum alias non esset nisi unus, non ut scribae iidem magistri essent. Temere factum, nisi hoc potuit ostendere, scribas non fuisse publicanos et publicanorum magistros. Sed cum multi scribae equites Rom. fuerint, quidni etiam publicani? Quod Hotomanus ex suo msto laudat recepitque pro more suo Lambinus, *affuerunt* pro *fuerunt*, in nullo reliquorum repertum est. — *ab sese*] Vulgo *se*, illud Lag. 42. Tum *ferundum* plurimi codd. Lagom. nec tamen ille optimus. Verba *et recte non putant* propter eiusdem verbi terminationem mendose absunt a Lag. 42 et Paris. A B. — *usura publicanos*] Sic Lag. 42, vulgo inverso ordine. Nec attinet aut *usuram* accipere pecuniam accommodatam, aut, quia hoc insolitum est, cum Gronovio de pec. vet. IV, 3 *versuram* scribere. Qui aliquem *usura iuvat*, aut ante diem constitutam pecuniam solvit, aut, quod fere senatus facere solebat, pecuniam debitam ultra diem praestitutam patitur retinere, nec tamen usuram eius temporis exigit. Quin etiam mox pro eo quod vulgo est *pecuniam pro usuris*, ex Lag. 42 *pro usura* recipiendum fuit (nisi quod ille *quod us.* mendose) nam *usurae* quidem semper sunt pecunia, *usura* etiam facultas utendi

§. 169. *Minor esse nunc*] Mirum, quid sit, quod codd. omnes et edd. vett. obsedit *minor esse cura nunc.* Delevit vocem importunam primus Manutius in Veneta a. 1569, post item Lambinus in margine repet. eiici voluit; id quod documento esse potest abfuisse a Fabriciano, uti abest a Lag. 42. Nec recentiorum quisquam dubitavit.

re sua] Intellige detrimento rei familiaris, pecuniae suae: nec aut Lag. 42 sequor, qui omittit *sua*, aut Ernestio pareo, qui *re* deleri iubet, scilicet ut subaudiatur *iniuria.*

respondere cogitas? Utrum factum negabis? an tibi hoc licitum esse defendes? Negare qui potes? an ut tanta auctoritate litterarum, tot testibus publicanis convincare? Licuisse vero qui? Si mehercule te pecuniam tuam praetorem in provincia feneratum docerem, tamen effugere non posses: sed publicam, sed ob frumentum decretam, sed a publicanis fenore accepto, hoc licuisse cuiquam probabis? quo non modo ceteri, sed tu ipse nihil audacius improbiusque fecisti. Non mehercule hoc, quod omnibus singulare videtur, de quo mihi deinceps dicendum est, possum, iudices, dicere audacius esse aut impudentius, quod permultis civitatibus pro frumento nihil solvit omnino: maior haec praeda fortasse est: sed illa impudentia certe non minor. Et, quoniam de illa feneratione satis dictum 170
est, nunc de hac tota pecunia aversa, quaeso, cognoscite.

---

§. 169. *an ut]* Lambinus, etiam in margine repet. edit., *cum* legit, temere et contra codices mss. Est *an* hoc facies eam ob causam, *ut* prolatis litteris convincare? — *pecuniam tuam praetorem]* Hanc scripturam, quam e vet. cod. (Fabric.) Lambinus in margine repet. edit. protulit, cum vulgo esset *tuam pecuniam, non populi Romani*, eandem ego a Lagomarsinio ex cod. 42 enotatam repperi, et unice veram esse Garatonius probavit. Nam res in eo posita est, quod magistratus pecuniam feneratus est, quod ne posthac quidem licuisse docet Hotomanus, laudato e codicis Iustin. lib. III, tit. 2 rescripto 3 (Imperatoris Gordiani): *Eos qui officia administrant, neque per se neque per suppositas personas tempore officii sui in provincia fenus agitare posse, saepe rescriptum est:* neque, dum de pecunia quaeritur, ipsius an aliena fuerit, id quod deinceps gravius tractatur. Quicquid vero in seqq. Lambinus et Ernestius de lacuna ante verba *sed publicam* suspicati sunt, et re ipsa refutatur, et codd. nostrorum fide redarguitur. Oppositionem facile ipse exequere *quamquam ego non tuam illam fuisse pecuniam contendo*, expressa verba si addideris, concinnitatem structurae perturbabis. — *sed tu ipse]* Media vocula accessit in Lambiniana repet. cum hac nota in marg. *libri vulg. sed ipse.* Apparet Lambinum sic e Fabriciano scribi voluisse, et repetitori persuasisse, nam habet etiam Lag. 42. Post idem liber *mehercules* et *in omnibus*, tum omittit *est* post *fortasse*, et *pecunia*.

73 Siciliae civitates multae sunt, iudices, ornatae atque honestae, ex quibus in primis numeranda est civitas Halesina: nullam enim reperietis aut officiis fideliorem, aut copiis locupletiorem, aut auctoritate graviorem. Huic iste in annos singulos cum sexagena tritici milia modium imperavisset, pro tritico nummos abstulit, quanti erat in Sicilia triticum; quos de publico nummos acceperat, retinuit omnes. Obstupui, iudices, cum hoc mihi primum Halesae demonstravit in senatu Halesinorum homo summo ingenio, summa prudentia, summa auctoritate praeditus, Halesinus Aeneas, cui senatus dederat publice causam, ut mihi fratrique meo gratias ageret, et simul qui nos ea, quae
171 ad iudicium pertinerent, doceret. Demonstrat, hanc istius consuetudinem ac rationem fuisse: quod omnis

---

§. 170. *in annos singulos]* In libris olim editis, antequam Nannius sui codicis notitiam dedit, praepositio omittebatur, mss. tamen omnes habent. Post *sexagena* pro vulg. *sexaginta* scripsi, quia sic liquido testatur Nannius in suo libro se invenisse: sed post §. 171 *sexagena* litteris expressis; item Lag. 42. Hoc autem loco nihil e nostris codd. diversum a Grut. scriptura *(sexaginta)* enotatum est: neque dubito quin etiam illa ferri possit. Altero singulorum annorum ratio distributivum numerum postulat, cum sint etiam tres homines, quibus pecunia soluta est. Verborum collocatione h. l. paulum offendor, et *tritici* aut antecedere aut subsequi maluerim. — *Obstupui]* retinui, etsi Nannianus et (Fabr.) cod. in margine Lamb. repet. et Lag. 29 feruntur habere *obstipui*, sicut nunc apud Terentium editur et apud Virgilium (cf. ad Aen. I, 513) tuto edi potest. Apud Ciceronem alibi talem varietatem codicum non memini me invenisse. Sed *Halesae*, quod restituendum pro eo quod vulgo propagatum est *Halesiae*, censuit Garatonius, et olim Victorius edidit et exhibent duo meliores Lagomarsiniani, nec potest aliter esse: reliqui Lagg. *Helesae*. — *dederat publice causam]* i. e. negotium dederat. Recte Hotomanus notandam esse insolentiam locutionis dixit, nam Ernestium quod vocem *causam* delevit non laudo, cum ne *dederat* quidem absolute dictum illud, quod hoc loco necesse est, significet. Sed Lag. 42 *publicam*, mendose, opinor, qui postea quoque *docet* pro *doceret*, sicut deteriores omnes *pertinent* pro *pertinerent*.

§. 171. *quod omnis]* Sic unus Lag. 42, ceteri libri mss. *quod cum omnis:* editi inde a Naugerio, deleto *quod*, alteram solam particulam servant.

frumenti copia decumarum nomine penes istum esset redacta, solitum esse istum pecuniam cogere a civitatibus, frumentum improbare, quantum frumenti esset Romam mittendum, tantum de suo quaestu ac de sua copia frumenti mittere. Posco rationes: inspicio litteras: video frumenti granum Halesinos, quibus sexagena milia modium imperata erant, nullum dedisse; pecuniam Volcatio, Timarchidi, scribae dedisse: reperio genus huiusmodi, iudices, praedae, ut praetor, qui frumentum emere debeat, non emat, sed vendat; pecunias, quas civitatibus distribuere debeat, eas omnes avertat atque auferat. Non mihi iam furtum, sed monstrum ac prodigium videbatur, civitatum frumentum improbare, suum probare; cum suum probasset, pretium ei frumento constituere; quod constituisset, id a civitatibus auferre; quod a populo Romano accepisset, tenere.

Quot vultis esse in uno furto peccatorum gradus? 74
172

---

§. 171. *esset Romam]* Sic Lag. meliores, Paris. A B, cum vulgo inverso ordine legantur. Post *huiuscemodi* omnes nostri, praeter Lag. 42.

emere debeat] Utroque loco sic corrigendum fuit, quod vulgo edebatur *debebat*, et nunc iussu Lag. optimi correctum est: postulat enim ratio grammatica. — *suum probare; cum suum probasset]* Haec verba ab edd. vett. et codd. plerisque absunt, cuius rei causa eo manifestior est, quod iidem libri pro *improbare* habent *improbasse*. Accesserunt e codice Nanniano primum in Car. Stephani editione, extant etiam in cod. Lag. 42 et Paris. B (ut videtur). Sed in Nanniano legitur *quod cum constituisset*, quarum vocularum altera certe debet abesse, et abest *cum* a Lag. 42. Praeterea hic liber et Lag. 29 Paris. A B *a civitatibus auferre*, item Lambinus priore editione, cum vulgo *civitatibus* sit. Et construitur quidem verbum *auferre* cum dativo, sicut lib. I, 7 extr. nec impedit quicquam, sed tamen longe frequentius cum praepositione, sicut mox §. 179. 224. et locis ad lib. I, 10 pr. laudatis.

§. 172. *Quot vultis]* Nannianus *voltis*, item Lag. 42 sed a manu sec. Nam alibi fere vulgarem formam servari vidimus, vide ad c. 65 init. Ceterum locum satis apertum, ut nobis quidem videtur, mirabilibus coniecturis vexarunt nonnulli editores. Siquidem Ernestius interrogationem sine responso non ferens, corrigendum censuit, *tot videtis esse in uno*

ut, si singulis insistere velim, progredi iste non possit. Improbas frumentum Siculorum. Quid? ipse quod mittis? peculiarem habes aliquam Siciliam, quae tibi ex alio genere frumentum suppeditare possit? Cum senatus decernit, ut ematur in Sicilia frumentum, aut cum populus iubet, hoc, ut opinor, intelligit, ex Sicilia Siculum frumentum apportari oportere. Tu, cum civitatum Siciliae vulgo omne frumentum improbas, num ex Aegypto aut Syria frumentum Romam missurus es? Improbas Halesinum, Thermitanum, Cephaloeditanum, Amestratinum, Tyndaritanum, Herbitense, multarum praeterea civitatum. Quid accidit tandem, ut horum

---

furto — ut. Quasi tam difficile sit audire *tot sunt.* Porro orator dicit, si omnia persequi velit, Verrem non habiturum, quo *progrediatur*, i. e. quo sese vertat, cum singulis in rebus teneatur. Quod cum facile sit intellectu, Lambinus temere, sed Hotomano praeeunte, grassatur in repet. editionis margine locum sic exhibens: *gradus? Tot sunt, ut in singulis insistere si velim, progredi ipse non possim.* Sed hoc tamen boni est in ipso textu repetitae Lambinianae, quod primum ibi legitur *possit*, cum antea fuerit *posset*. Ex Fabriciano esse, fidem facit Lag. 42: ceteri enim omnes istud *posset* retinent. — *frumentum Siculorum]* Correxerat Naugerius *Siculum* invitis codd. omnibus, sed eum secuti erant reliqui omnes. Lag. 42 *Improba.*

aut cum populus] Coniunctio *cum* accessit in repet. Lamb. sed in textu, cum ex instituto repetitoris in margine collocari deberet. Repperat Lambinus in Fabriciano, ut fit verisimile ex eo quod unus Lag. 42 habet, ceteri ignorant. Sed locum, sicut pleraque quae textum repetitae Lambinianae occuparunt, feliciter servavit, et quidni servet? Contrarium eiusdem libri auctoritate fieri debet in iis, quae sequuntur *ex Aegypto aut Syria*, pro quo vulgo *aut ex Syria.* Cf. ad Divin. c. 13.

missurus es] Sic Lambinus in marg. repet. (ex Fabr.) et Lag. 42. Vulgo *mittis.* — *Therm. Cephal.]* Hoc ordine civitates collocantur in mss. omnibus, inverso in editis. — *Quid accidit tandem, ut] Tandem* primus dedit Hervagius a. 1534, priores *tamen*, uti codd. plerique, ita tamen, ut aliquot interque eos Lag. 42 *tandem* exhibeant. Sed quaestionem movet Lambinus, qui et hic et paulo post correxerit *cur* pro *ut:* posse enim dici *accidit ut* et *qui accidit ut*, non posse *aliquid* (puto verum Lambinum voluisse *quid:* nam haec notae pars ex repetita editione est, alioquin sub *aliquid* etiam caderet *id, hoc*, quod aperte falsum esset, v. c. §. 120) aut *nihil accidit ut*, sed pro eo oportere *cur* sive *quare*, *quamobrem.* Quod si vulgari fere usu compro-

populorum agri frumentum eiusmodi, te praetore, ferrent, ut neque tibi, neque populo Romano posset probari, praesertim cum ex iisdem agris eiusdem anni frumentum ex decumis Romam mancipes advexissent? quid acciderat, ut ex eodem horreo decumanum probaretur, emptum improbaretur? Dubiumne est, quin ista omnis improbatio cogendae pecuniae causa nata sit? Esto, im- 173
probes Halesinum: habes ab alio populo, quod probes: eme illud, quod placet, missos fac eos, quorum frumentum improbasti. Sed ab his, quos repudias, exigis tantum pecuniae, quantum ad eum numerum frumenti

batur, non potest tamen eo valere, ut legitima structura verbi *accidit* damnetur, cum significationis nulla diversitas sit: nam potest haud dubie h. l. pro *quid accidit* poni *qui accidit*, sicut hercle paulo post Paris. B et Lag. 29 *qui acciderat* exhibent. Idem Lambinus *efferrent* pro *ferrent* edidit, quod suam sibi notionem quandam eorum verborum informaverat. — *ut neque tibi, neque pop.]* Locus hic bis interpolatus est, et olim, cum vulgaris recensio librorum mss. orta est, et multis saeculis post, cum vulgata quae dicitur lectio ab importunis correctionibus parum severe defensa est. Nam cum vulgo (a Gruter. Ernest.) nunc sic edatur: *ferrent, quod nunquam antea, ut neque mihi, neque tibi, neque populo Rom. posset probari*, nemo ante Garatonium animadvertit, verba *neque mihi* ab omni sententia aliena, sine auctore in textum Lambinianae repet. irrepsisse, et negligentia Gruteri porro esse propagata. Sed alteram interpolationem nunc demum Lag. 42 ostendit, a quo si didiceris verba *quod nunquam antea* abesse, illico manum explicatoris agnosces, neque rursus ea tibi obtrudi patiere. Ceterum Naugerius primus *ut* adiecit, quod in libris mss. nostris quidem omnibus praeter unum Lag. 42, in quo tamen mendose est *aut*, desideratur. — *eiusdem anni frum.]* Male vulgo *eiusdemque:* nos *que* delevimus auctoritate codicum Lagom. duorum meliorum et Paris. A B, sed iidem fere libri mox *adduxissent*, quod ad frequens mendi genus referendum. — *emptum improbaretur]* Sic iidem quattuor libri et Fabric. apud Lambinum, sicut paulo ante §. 171, et mox §. 173, 175, vulg. *non probaretur*. *Emptitium* Lag. 5. 27, vocabulum non Ciceronianum.

§. 173. *Esto, improbes]* Sic Lag. 42, nec deterius puto vulg. *improbas*. Nam quod sequitur *habes* est pro *habes enim*. Quodsi praeteritum esset, Indicativus praestare videretur: *esto, improbabas: at habebas*.

satis sit, quem ei civitati imperas, emendum. Dubium est, quid egeris. In medimna singula video ex litteris publicis tibi Halesinos HS quinos denos dedisse. Ostendam ex tabulis locupletissimorum aratorum, eodem tempore neminem in Sicilia pluris frumentum ven-
75 didisse. Quae est ergo ista ratio, aut quae potius ista amentia, frumentum improbare id, quod ex eo loco sit, ex quo senatus et populus Romanus emi voluerit, et ex eo acervo, ex quo partem tu idem, decumarum nomine, probaris; deinde a civitatibus pecuniam ad emendum frumentum cogere, cum ex aerario acceperis? Utrum enim lex Terentia Siculorum pecunia frumen-

---

§. 173. *quem ei civ. imperas emendum]* Accesserunt iam e Fabriciano et Lag. 42 verba haec duo, *ei* et *emendum*, quae in ceteris codd. et edd. antiquis desunt. In iisdem non legitur hoc colon, *dubium est quid egeris:* quod quamvis minus necessarium sit, non tamen omnino quod eiiciatur videtur dignum esse. Dictum puta cum irrisione *Est vero dubium.*

Quae est ergo] Verbum *est* accessit in Lamb. repet. cum in marg. poni deberet. Invenerat haud dubie Lambinus in Fabric. sicut ego in duobus Lag. et Paris. A B. Olim desiderabatur. — *quae potius ista am.]* Cum *quae* repetatur, non sine causa videtur etiam *ista* repeti, quod ex Lag. 42 adieci. Tum idem liber *quod eo loco sit*, sed placet *ex*, quoniam de origine, non de loco ubi coacervetur dici debet: sed quod sequitur *et ex eo acervo* adiecta coniunctione edidimus ex eodem illo libro. Etiam Lambinum in Fabr. repperisse fit verisimile, quod in repetita edi voluit *et eo loco — et ex eo acervo.*

pecuniam — cogere] Sic Lag. 42 et alii pauci. Vulgo *pecunias.*

Utrum enim lex Ter.] Cum hoc vulgo sic legeretur: *Utrum te lex Ter. Siculorum pecunia frumentum emere a Siculis, an populi Rom. pecunia frumentum ab Siculis emere iussit?* Lambinus ingrata verbositate offensus media ista delevit, eamque rationem et Garatonius probavit et Schützius imitatus est. Sed vide quantum praestet in ea re veteres mss. sequi. Nam si modo auctoritate Lag. 42 priora ista *a Siculis* eieceris, cetera accuratissime concordabunt. Verres enim legem frumentariam ita invertisse dicitur, ut pecuniam sumeret a Siculis, frumentum unde placeret emeret. Et quoniam optimum librum etiam in ceteris quae defendi possint sequi convenit, recepimus *enim* pro *te*, non coniunximus utramque vocem, id quod Lambinus repet. fieri voluit. Non *te* ait, sed quem opus fuit magistratum. Denique *a Siculis*, non *ob*, idem ille liber et alii nonnulli.

tum emere, an populi Romani pecunia frumentum a Siculis emere iussit? Iam vero ab isto omnem illam ex 174 aerario pecuniam, quam his oportuit civitatibus pro frumento dari, lucrifactam videtis. Accipis enim HS xv pro medimno: tanti enim est illo tempore medimnum: retines HS xxi: tanti enim est frumentum Siciliense ex lege aestimatum. Quid interest, utrum hoc feceris, an frumentum non improbaris, sed frumento probato et accepto, pecuniam publicam tenueris omnem, neque quicquam ulli dissolveris civitati, cum aestimatio legis eiusmodi sit, ut ceteris temporibus tolerabilis Siculis, te praetore etiam grata esse debuerit? Est enim modius lege HS iiis aestimatus: fuit autem, te praetore, ut tu in multis epistolis ad amicos tuos gloriaris, HS ii. Sed fuerit HS iis, quoniam tantum a ci-

§. 174. *Accipis enim]* Lag. 42 *accepisse*, quod esse debuit fortasse *accepisti*, deinde *tanti etiam illo*. — *retines HS XXI]* In numero maxime variant libri. Olim editi et scripti plerique XII, Par. A XXV, B et Lag. 29 XXII, C XVII. Nannianus et Lag. 42 XXI. Et quod nunc fere editur XVIII, ex Hotomani coniectura est, necessaria illa quidem, si infra recte legitur *est enim modius lege HS III aestimatus*. Sed eo loco Paris. A B IIII, et si supra cap. 70 numerum octingentorum milium modium verum esse volumus, imperato fuisse pretium ternos nummos cum semisse intelligimus. Ita constituitur pretium medimni XXI, et idem numerus infra §. 179 in omnibus libris est. Fuisse autem frumentum, de quo nunc dicitur, imperatum, non alterum decumanum, etiam ex eo liquet, quod supra cap. 73. Verrem *imperasse* Halesinis immunibus LX tritici milia modium dicit.

frum. non improbaris] Vet. cod. in margine repetitae Lambinianae (Fabricianus) et Lag. 42 repetunt *frum. Siciliense*, e proximo, ut videtur, male huc retractum. — *Sed fuerit HS IIS]* i. e. Sestertiis binis semis. Sic scribi necesse est, si numero quinum denum Sestertium pro medimno usus est, quod nemo dubitat. Neque vero non codicum ipsorum vestigia huc ducunt. In Nanniano enim et Lag. 42 *IIIS* una lineola plus. Proxime ante *HS II* vere scribitur, sed Fabric. apud Lambinum in repet. edit. et Lag. 42 etiam illic *IIS* exhibent, mendose quidem nec probandum Lambino, sed significant tamen quo mox utare. Ceterum *tu* in his verbis *quoniam tu tantum* abest a Lag. 42, et rectius aberit, quam alterum *tu*, quod paulo ante cum vi legitur, sed a Lambino sublatum est. Item mox vulgatum *quantum te*

vitatibus in modios singulos exegisti. Cum, si solve-
res Siculis tantum, quantum populus Romanus iusse-
rat, aratoribus fieri gratissimum posset: tu non modo
eos accipere, quod oportebat, noluisti, sed etiam dare,
175 quod non debebant, coegisti. Atque haec ita gesta esse,
iudices, cognoscite et ex litteris publicis civitatum, et
ex testimoniis publicis: in quibus nihil fictum, nihil ad
tempus accommodatum intelligetis. Omnia, quae di-
cimus, rationibus populorum non interpositis, neque
perturbatis, neque repentinis, sed certis, institutis, or-
dine relata atque confecta sunt. Recita rationes Ha-
lesinorum. Cui pecuniam datam dicit? Dic, dic etiam
76 clarius: *Volcatio*, *Timarchidi*, *Maevio*. Quid est,

---

populus Rom. iusserat ferri quidem potest, sed tamen cum in pronomine nulla vis insit, siquidem ea res ad omnes praetores pertinebat, sitque alioquin solito frequentius, non iniuria omissum in Lag. 42 et aliis nonnullis minoris auctoritatis libris videbitur.

§. 175. *et ex litteris]* Adiectum est *et* auctoritate Nanniani, adstipulante e nostris uno Lag. 42. Tum *intelligetis* item ex Nanniano scriptum est, cum in edd. antiquis et codicibus deterioribus sit *intelligatis*, in aliis editionibus et mss. melioribus *intelligitis* aut *intellegitis*. Sed futurum tempus recte videtur a Stephano et Lambino restitutum, sed quod idem Lambinus *accommodatum esse* scripsit, et libris mss. adversatur, nec alioquin utile est. — *non interpositis]* Lambinus magna asseveratione correxit *non interpolatis*, puto quod ei Hotomani explicatio displicebat, interpositas rationes esse, in quibus nomina quaedam immixta atque interiecta essent. Etiam Ernestius et Garatonius esse pro *interpolatis* putant. Non credo sic dici posse *interposita*, quibus quid interpositum sit. Quidni ipsas rationes volunt esse non suo tempore factas, sed postea cum iudicium appropinquaret cum simulatione praeteriti temporis confectas? Quae autem in ipsa re gerenda rite conscribuntur et paulatim crescunt, eae sunt *institutae*, ut non necesse sit cum Ernestio corrigere *certo institutis ordine*.

Recita rat. Hales.] Absunt haec verba a melioribus nostris quattuor, sed cum spatio relicto unius versus in Lag. 29 Paris. B.

Maevio] Hic ille *scriba* est, quem dixit §. 171. Sed nomen est *Mevio* in Lag. 1. 5. 27, *uicino* in Lag. 42. Ceterum formam dativi *Timarchidi* primus Lambinus habet, antea enim, ut in codd. deterioribus, *Timarchide*, quod existimabant haud dubie *Timarchidae*.

Verres? ne illam quidem tibi defensionem reliquam fecisti, mancipes in istis rebus esse versatos? mancipes frumentum improbasse? mancipes pretio cum civitatibus decidisse, et eosdem abs te illarum civitatum nomine pecunias abstulisse, deinde ipsos sibi frumentum coemisse; nihil haec ad te pertinere? Mala mehercule ac misera defensio, praetorem hoc dicere, Ego frumentum neque attigi, neque inspexi; mancipibus potestatem probandi improbandique permisi; mancipes a civitatibus pecunias extorserunt; ego autem, quam pecuniam populis dare debui, mancipibus dedi. Mala est 176
haec quidem, ut dixi, defensio, ac potius perdita maximorum peccatorum, huius autem et iniquitatis et inertiae confessio, non defensio criminis: sed tamen hac ipsa tibi si uti cupias, non licet: vetat te Volcatius, tuae tuorumque deliciae, mentionem mancipis facere.

---

§. 175. *quidem tibi]* Lag. 42 *tibi quidem.* — *neque inspexi]* Nescio cur praeter Car. Stephanum et Lambinum nemo Nannio paruerit, *inspexi* in vetere suo codice esse pro vulg. *adspexi* tradenti, et hoc insuper docenti, attentioris curae verbum esse, huic loco prorsus aptum; nisi hoc fuit quod *inspicere* pertinere ad interiores partes explorandas putabant. Sed hoc falsum esse facile alii loci docent. Itaque Nannianum illud, cum mendi suspicionem consensus Lag. 42 removeat, libenter recepi.

§. 176. *haec quidem, ut dixi* cet.] Edd. principes et codd. deteriores nihil aliud nisi *Mala est haec, ut dixi, defensio criminis.* Naugerius adiecit *quidem*, atque haec sic quieverunt, cum ne Nannius quidem de suo vet. cod. quicquam referret, donec Lambinus in nota repetitae editionis ex Fabriciano locum magnopere et auxit et correxit. Cui nemo praeter Graevium paruit, sed ne hic quidem ex Lambiniana accessione praeter pauca verba *ac potius perdita defensio* recepit. Nunc non opus est multis verbis persequi, et quid Lambinus tradiderit in Fabric. esse et quid ipse correxerit, quoniam aut ille liber vetus in paucis verbis mendosus est, aut parum accurate descriptus: sufficit notare, ea verba quae supra expressa vides, sic prorsus in quattuor melioribus nostris Lag. 29. 42 Paris. A B legi, ut nulla opus sit correctione. Quin etiam Naugerius sic invenisse videtur in eo, unde *quidem* desumpsit, nam iidem libri nostri et illud verbum et reliqua habent, sed deterritus esse mutationis gravitate.

Timarchides autem, columen familiae vestrae, premit fauces defensionis tuae; cui simul et Volcatio pecunia a civitate numerata est. Iam vero scriba tuus anulo aureo suo, quem ex his rebus invenit, ista te ratione uti non sinet. Quid igitur est reliquum, nisi uti fateare, te Romam frumentum emptum Siculorum pecunia misisse, publicam domum tuam convertisse? O consuetudo peccandi, quantam habes iucunditatem improbis et audacibus, cum poena abfuit et licentia conse-
177 cuta est! Iste in hoc genere peculatus non nunc primum invenitur, sed nunc demum tenetur. Vidimus huic ab aerario pecuniam numerari quaestori ad sumptum exercitus consularis: vidimus paucis post mensibus et exercitum et consulem spoliatum. Illa omnis pecunia latuit in illa caligine ac tenebris, quae totam rem publicam tum occuparant. Iterum gessit hereditariam quaesturam cum Dolabella: magnam pecuniam avertit; sed eius rationem cum damnatione Dolabellae permiscuit. Commissa est pecunia tanta praetori: non reperietis hominem timide nec leviter haec improbissima lucra ligurrientem; devorare omnem pecuniam pu-

§. 176. *non sinet]* Mallm *sinit*, sed codices non mutant.

publicam domum] Audies *pecuniam*, quod adiicitur vulgo fide codicum deteriorum, sed abest a Lag. 42. Mox Lambinus scripsit *avertisse*, ex coniectura, nec necessaria, cum adsit *domum tuam*.

iucund. improbis] Delevi praepositionem *in*, quae vulgo additur, fide meliorum librorum, quaeritur enim, *cui* habeat non *in quo* iucunditatem.

§. 177. *paucis post mens.]* Lag. 42 *mens. post paucis*.

occuparant] Edd. vett. et codd. deteriores *occupaverat*, Lambinus de coniectura Hotom. *occupaverant*, sed in margine repet. voluit *occuparant* non ex sua opinione, sed fide Fabric. ut persuadet Lag. 42.

cum Dolabella] Quod Nannius in suo vet. libro esse tradidit *cum A. Dolabella*, receperunt Steph. et Lambinus, quamvis ille *Cn.* appelletur in libro I. Sed fuisse puto in Nanniano, quod in Lag. 42 *cum a dolabella*, in quo conatum librarii emendandi agnosces.

ligurrientem] Nihil e codd. nostris neque e Lagom. diversum a Graeviana scriptura cum simplici *r*, neque e Pariss. a Gruteriana cum

blicam non dubitavit. Ita serpit illud insitum natura
malum consuetudine peccandi libera, finem audaciae ut
statuere ipse non possit. Tenetur igitur aliquando, et 178
in rebus cum maximis, tum manifestis tenetur. At-
que in eam fraudem videtur mihi divinitus incidisse,
non solum ut eas poenas quas proxime meruisset sol-
veret, sed ut illa etiam scelera eius in Carbonem et
in Dolabellam vindicarentur. Etenim nova quoque alia 77
res, iudices, extitit in hoc crimine, quae tollat omnem

---

duplici diversum enotatum est. Conr. Schneider. in Element. L. L. p. 429 illam scribendi rationem tuetur: sed qui codices mss. inspexerunt, eos ad unum omnes video duplicatam litteram postulare, vide Faernum et Bentleium ad Terent. Eunuch. V, 4, 14 et editores Horatii ad Serm. I, 3, 81. — *insitum natura]* Difficile est statuere de praepos. *in* aut addenda aut abiicienda, cum praecesserit littera *m*, sed placet tamen Lag. 42 scriptura *insitum natura.* Nimirum illud malum insitum est in animo Verris, non in natura aut rerum aut hominum, et insitum est natura (cf. p. Sulla c. 30 §. 83), auctum consuetudine. At potest tamen fortasse etiam natura Verris, i. e. eius ingenium, intelligi, eaque ratione *in* defendi. Quod quo considero magis, displicet, *naturam* eam dici absolute. Itaque teneo, praegressa littera *m* natam videri praepositionem, sicut factum item videtur pro Mil. c. 30 §. 81, ubi adhuc legitur *cum praesertim in ea confessione, si grati esse velletis, honores assequeretur amplissimos.*

fin. audaciae ut] liberiore verborum collocatione dedi ex Lag. 42, cum fuisset antea *finem ut audaciae:* nam coniunctiones cum saepissime uni verbo postponantur, (quam rationem vix est quod poeticam dicant editores, Heusingerus et alii ad lib. II de Off. 25 *valere ut malis quam dives esse:* cf. ad nostrum lib. V, 15), tum illud etiam adiuncta secum trahit haud raro, sicut hoc libro c. 92 extr. *idem istuc si*, IV, 22 pr. *ille, civis Romanus quod erat;* epist. V, 16 *tuenda tibi ut sit gravitas.* Frequens hoc est apud Sallustium, v. c. bell. Iug. c. 102 *ingenium aut aversum uti flecterent, aut cupidum pacis vehementius accenderent,* cap. 113 *in colloquium uti de pace veniretur.* Cf. Gerlachii Comment. pag. 37. Etiam Livius lib. XXII, 29 extr. habet *ad praetorium eius signa cum tulerimus.* Tum vulgo *ipse sibi non possit*, sed *sibi* cum optimi codicis fide damnetur, tum abesse patitur ratio, quoniam ad finem audaciae facile audis *suae.*

§. 178. *cum max.]* Sic omnes quattuor meliores, vulgo *tum.*
videtur mihi] legitimo positu Lag. 42. Vulgo *mihi videtur.*
iudices, extitit] Sic verba collocata sunt in quattuor optimis nostris, vulgo *ext. iud.*

dubitationem superioris illius decumani criminis. Nam, ut illud missum faciam, permultos aratores in alteras decumas et in haec octingenta milia modium, quod emptum populo Romano darent, non habuisse, et a tuo procuratore, hoc est ab Apronio, emisse: ex quo intelligi potest, nihil te aratoribus reliqui fecisse: ut hoc praeteream, quod multorum est testimoniis expositum: potest illo quicquam esse certius, in tua potestate atque in tuis horreis omne frumentum Siciliae, per triennium, atque omnes fructus agri decumani fu-
179 isse? Cum enim a civitatibus pro frumento pecuniam exigebas, unde erat frumentum, quod Romam mitteres, si tu id non omne clausum et compressum possidebas? Ita in eo frumento primus tibi ille quaestus erat ipsum frumentum, quod erat ereptum ab aratoribus: alter, quod id frumentum improbissime per

§. 178. *et a tuo]* Vulgo *sed*, sed *et* eam significationem post negationem habere constat, itaque melioribus libris parendum fuit.

multorum est test. expos.] Libri vulgares et edd. vetustae *in multis ex testim. est positum*, meliores nostri IV *in multorum est test. positum*, sed a Lag 42 abest *in*. A Naugerio est, quod vulgo nunc editur *in multis est test. expositum*, sed optimum videtur esse quod iam olim Fulvius Ursinus ex nescio quo vetere libro commendavit, et Lambinus in marg. repetitae probavit, nosque supra expressimus. Aliquid enim certo corrigendum est, et *multis test. expositum*, quod Lambinus in priore editione dedit, minus placet, cum et alibi non multa, sed multorum hominum testimonia referantur.

§. 179. *pecuniam exigebas]* Lag. 42 *pecunias*, quod non placet, et supra c. 75 init. rectius nos *pecuniam* dedisse putamus. Neque post probo eiusdem libri collocationem verborum, *si tu id omne non clausum*, praestat enim, opinor, *non* propius admovere ad coniunctionem. — *Ita in eo frum.]* iussu quattuor meliorum nostrorum scripsimus, cum vulgo sit *itaque:* ex iisdem *erat* pro vulg. *fuit* dedimus. Mox solus Lag. 42 sed cum Fabriciano in marg. Lamb. *ipsum frumentum.* Non reprehendo, quod in ceteris est *ipsius frumenti*, verumtamen cum dubitari nequeat, quin, ut quaestus fieri possit in aliqua re, sic etiam ipsa res lucrum vel praeda vel quaestus fiat, consensui illorum librorum, qui non facile ad mendi rationem revocabitur, refragari non potui. — *id frumentum]* Abest *id* a Nanniano et Lag. 42, sed

triennium partum non semel, sed bis, neque uno, sed duobus pretiis, unum et idem frumentum, vendidisti: semel civitatibus, HS xv in medimnum; iterum populo Romano, a quo HS xxi in medimna pro eodem illo frumento abstulisti.

At enim frumentum Centuripinorum et Agrigen- 180
tinorum et nonnullorum fortasse praeterea probasti, et his populis pecuniam dissolvisti. Sint sane aliquae civitates in eo numero, quarum frumentum improbare nolueris. Quid tandem? his civitatibus omnisne pecunia, quae pro frumento debita est, dissoluta est? Unum mihi reperi, non populum, sed aratorem: vide, quaere, circumspice, si quis forte est ex ea provincia, in qua tu triennium praefuisti, qui te nolit perisse: unum, inquam, da mihi ex illis aratoribus, qui tibi ad statuas pecuniam contulerunt, qui sibi dicat omne esse

---

mendum videtur ob proximum *quod*, nam idem esse frumentum, quia in ea re omnis argumentatio consistit, etiam verbulo debet significari. Quae sequuntur verba *per triennium* addita sunt ex Nanniano et locum suum tuentur, sed scias velim abesse ab omnibus mss. praeter unum Lag. 42. — *HS XXI in medimna]* Hunc numerum omnes libri mss. habent. Nam quod nunc vulgo legitur *HS XVIII*, Hotomani computatione natum est. Ceterum quoniam Ernestius miratur, semel esse *in medimnum*, mox *in medimna*, possis eam rem callide componere, si scribas *med.* ut fere fieri vidimus in optimis. Sed h. l. in nostris excerptis nihil eiusmodi apparet. Itaque *medimna* pro singulis med. accipies, quoniam sic quoque pretium rei constitutum iudicari solet.

§. 180. *Sint sane]* Addidi *sane*, vocem opportunissimam et in eiusmodi concessionibus legitimam, ex Lag. 42; sed habet etiam Lambinus in marg. edit. repetitae, ex Fabriciano, noli dubitare.

forte est] Lag. 42 *si quis est forte*. — *qui tibi ad statuas]* Olim *qui vel ad statuam*, postea *tibi* accessit e codice Nanniano statimque receptum est: sed omisit Nannius, *vel* ab eodem libro abesse, quod nemini dubium esse potest, quoniam in illis quattuor melioribus nostris, in quibus *tibi* inventum sit, in iisdem *vel* non legatur. Neque desiderabitur. Porro autem *ad statuas* plurali numero ex Lag. 42 quamvis uno recipiendum est: sic enim semper Cicero, ubi de pecunia statuarum nomine coacta in libro secundo loquitur. *Pecunias* eiusdem libri non probo, et mendum puto ob proximum verbum.

pro frumento, quod oportuerit, solutum. Confirmo,
78 iudices, neminem esse dicturum. Ex omni pecunia,
181 quam aratoribus solvere debuisti, certis nominibus deductiones fieri solebant: primum pro spectatione et collybo: deinde pro nescio quo cerario. Haec omnia, iudices, non rerum certarum, sed furtorum improbissimorum sunt vocabula. Nam collybus esse qui potest, cum utuntur omnes uno genere nummorum? cerarium vero quid vocas? quomodo hoc nomen ad rationes magistratus, quomodo ad pecuniam publicam allatum est? Nam illud genus tertium deductionis erat eiusmodi, quasi non modo liceret, sed etiam oporteret, nec solum oporteret, sed plane necesse esset. Scribae nomine de tota pecunia binae quinquagesimae detrahebantur. Quis hoc tibi concessit? quae lex? quae senatus auctoritas? quae porro aequitas, ut tantam pecuniam scriba tuus auferret, sive de aratorum bonis,

---

§. 180. *omne esse pro frumento]* Hoc ordine verbb. Lag. 29. 42 Paris. A B: vulgo *pro frum. omne esse.*

§. 181. *aratoribus]* Lag. 42 *aratorem.* Idem *ac* pro *haec.*

esse qui] Sic omnes nostri, etiam Lag. 42. Nannianus *quinam esse*, quod praeter Stephanum et Lambinum recepit Graevius.

cum utuntur] Vulgo nunc *utantur*, sed illud libri mss. nostri praeter Paris. A C, de quibus siletur, item edd. vetustae usque ad Naugerium, qui correxit primus. — *quid vocas]* Abiicitur vulgo *vocas* fide codicis Nanniani, et abest item a Lag. 42, in ceteris legitur omnibus. Mihi *cerarium vero quid?* valde abrupte dictum videtur, nec idoneam explicationem habere. Post *rationem* Lag. 42 mendosa terminatione.

sed plane necesse esset] Lag. 42 *sed quasi nec. esset plane.*

Quis hoc tibi] Sic Lag. 42. Vulgo *tibi hoc.* — *auferret]* Haec est antiqua lectio, fuitque vulgaris, donec Nannius e suo codice attulit *averreret* commendavitque tanquam elegantem allusionem ad nomen praetoris. At haec res ad ipsum Verrem non pertinet, neque irridendi opportunitas est. Atque ego in Nanniano fuisse puto, quod in Lag. 42 legitur, *averret*, mendose, quod aeque facile fiat *auferret* atque *averreret.* Lambinus dedit *averteret*, sed cum omne latendi consilium absit, neque quicquam clam aut furtim factum sit, nihil planius quam *auferret*, quod et alibi cum praepositione *de* construitur, et hoc loco rectissime, cum partem de summa esse detractam significetur.

sive de populi Romani vectigalibus? Nam si potest ista 182
pecunia sine aratorum iniuria detrahi, populus Romanus habeat, tantis praesertim aerarii angustiis: sin autem et populus Romanus voluit, et aequum est, ita solvi aratoribus; tuus apparitor, parva mercede populi conductus, de aratorum bonis praedabitur? Et in hac causa scribarum ordinem in me concitabit Hortensius, et eorum commoda a me labefactari, atque oppugnari iura dicet? Quasi vero hoc scribis ullo exemplo aut ullo iure sit concessum. Quid ego vetera repetam? aut quid eorum scribarum mentionem faciam, quos constat sanctissimos homines atque innocentissimos fuisse? non me fugit, iudices, vetera exempla pro fictis fabulis iam audiri atque haberi. In his temporibus versabor miseris ac perditis. Nuper, Hortensi, quaestor fuisti. Quid tui scribae fecerint, tu potes dicere: ego de meis hoc dico, cum in eadem ista Sicilia pro frumento civitatibus pecuniam solverem, et mecum duos frugalissimos homines scribas haberem, L. Mamilium et L. Sergium, non modo istas duas quinquagesimas, sed omnino nummum nullum cuiquam esse deductum. Dicerem, hoc mihi totum esse attribuendum, iudices,

---

§. 182. *habeat, tantis praesertim]* Lagom. 29 Paris. A B *habet*, Lag. 42 *habebat*. Sed hi omnes invertunt, cum vulgo sit *praesertim in tantis*, Lag. 42 etiam abiicit *in*, quod maxime probabile. Cf. supra ad §. 177. — *pop. Rom. voluit et aequum est ita]* Sic Lag. 42, cum vulgo sit *populus id voluit et aequum ita est.* Mox *iura* e cod. Nanniano correctum est, sed suffragantibus quattuor nostris melioribus, cum olim vulgo ex deterioribus scriberetur *iniuria*.

aut ullo iure sit] ex Lag. 42 est, vulgo *sit* primum obtinet locum. — *Quid ego]* Mendum typographorum videtur esse, quod Gruterus edidit *quid ergo*, cito animadversum a Iac. Gronovio, sed servatum tamen a Graevio, Ernestio, aliis. Id sustuli, quamquam idem est in Lagom. 48 et ipso 42. Verum nunc ipsum orator de exemplis dicturus est. — *fecerint]* Lagom. VI et ipse 42 *fecerunt*, sed Parisini silentur, ut oporteat existimari esse in iis *fecerint*. — *et mecum duos]* Lag. 29 Paris. B *cum duo* sine *et:* inde Victor. Manut. Steph. Lamb. *et* omiserunt, cetera ut vulgo. — *Mamilium]* Lag. 42 *Manlium*.

si illi unquam hoc a me postulassent, si omnino un-
483 quam cogitassent. Quamobrem enim scriba deducat, et non potius mulio, qui advexit? tabellarius, cuius adventu certiores facti petiverunt? praeco, qui adire iussit? viator aut Venerius, qui fiscum sustulit? Quae pars operae aut opportunitatis in scriba est, cur ei non modo merces tanta detur, sed cur cum eo tantae pecuniae partitio fiat? Ordo est honestus. Quis negat? aut quid ea res ad hanc rem pertinet? Est vero honestus, quod eorum hominum fidei tabulae publicae periculaque magistratuum committuntur. Itaque ex his scribis, qui digni sunt illo ordine, patribus familiis, vi-

---

§. 182. *hoc a me]* Ordo verborum est ex Lag. 42, item post, cum vulgo sit *a me hoc* et *unquam omnino*. Idem *et non potius* pro vulg. *ac non potius*. Sunt hae sane minutiae, nec moror in his aut ratiunculas expono, quamquam sunt. Mox *advexit* verum esse proxima docent, sed animadvertas tamen velim, a Lambino esse factum et ab uno Lag. 42 comprobatum, cum in ceteris mss. et edd. vetustis sit *advexerit*, in mediae autem aetatis editionibus a Naugerio usque ad Stephanum *adduxerit*. *Mulio*, pro corrupta scriptura librorum et manu scriptorum et olim typis descriptorum *multo*, primum comparet in Manutiana 1540. *Tabularius* Lag. 29 Paris. B.

§. 183. *petiverunt]* Graev. et Ernest. delere volebant: mirum. Debet certe verbum esse, ut addendum necessario sit *sunt*. Sed *petere* quidni explicant „in viam sese dederunt, ut praestituto die pecuniam acciperent." Nam mox praeco nominibus citatis iubet accedere ad mensam. *Adire*, ait. Sed olim ex deterioribus codd. fuit *abire*, quod cum ineptum iure videretur, Hervagius correxit *adesse*, a quo P. Manutius accepit. Sed κριτικώτερος Hotomanus *adire* coniecit, moxque Nanniano codice comprobatum est. Addo nunc, si opus sit, suffragia Lag. 29. 42 Paris. A B. Sed nemo dum animadvertit *aut Venerius* esse debere, non *ac V.* ut nunc vulgo, neque *et Ven.* ut in editionibus ante Naug. legitur.

cur ei non modo] Sic e Nanniano (nunc etiam e Lag. 42) editur, cum olim e ceteris fuerit *cui rei*. Porro v. c. in margine Lambinianae repet. *cur merces ei non tanta detur*, sed non dubito quin esse debeat secundum Lag. 42 *cur ei merces non tanta*. Vides abesse *modo*, et eleganter aberit, modo ordo verborum mutetur: *non merces tanta*, quod coniecisse ipsum Lambinum Garatonius in nota tradit, sed ego non invenio. — *patribus familiis]* Sic Priscianus p. 679 Putsch. quo loco, postquam docuit de antiqua terminatione genitivi primae decl.

ris bonis atque honestis, percontamini, quid sibi istae quinquagesimae velint. Iam omnes intelligetis, rem novam totam atque indignam videri. Ad eos me scri- 184
bas revoca, si placet: noli hos colligere, qui nummulis corrogatis de nepotum donis ac de scenicorum corollariis, cum decuriam emerunt, ex primo ordine explosorum in secundum ordinem civitatis se venisse dicunt. Eos scribas tecum disceptatores huius criminis habebo, qui istos scribas esse moleste ferunt. Tametsi, cum in eo ordine videamus esse multos non idoneos, qui ordo industriae propositus est et dignitati:

---

in —*as* et exemplum laudavit ex quarto Verrinarum (sed ubi?) *liberos*, *matresfamilias*, *bona fortunasque omnes*, addit dici tamen et *patrem familiae*, et *patres familiae*, et *familiarum*, et *familiis*, atque probandae rei causa hunc ipsum locum exscribit. Res est singularis, et sine exemplo, neque necesse esset ut grammatico pareremus, nisi Lambinus in nota repet. editionis testaretur, idem illud legi in antiquissimo codice (Fabricianum dicere debet, si constat sibi). Accedit de nostris Lag. 29, scriptus ille quidem ab antiquario, sed tamen ex integro fonte ductus. Itaque aliquando pro vulg. *familias* in textum recipiendum putavi. — *rem novam totam]* Sic quattuor meliores nostri, deteriores *novam rem actam*, sed *actam* iam correxit Naugerius.

§. 184. *de nepotum donis]* Sic legitur primum in Victoriana, quam dicimus (a. 1534 Venet.), ex coniectura nescio an Naugerii, sed coniectura sine dubio. Vetustiores libri scripti editique omnes *bonis*, nam de Iannoctiano, in quo Garatonius liquido *donis* inveniri ait, dubia res est, an sit emendatio hominis eruditi. Sed refragari non potui, quominus et ipse in textum reciperem: nam *de bonis* ad divenditionem bonorum pertineret, in qua scenicorum partes nullae sunt. De *corollariis* vide Suetonium in Aug. 45 et interpretes, sed *scaenicorum* per diphthongum scribi in v. c. id est in Fabric. notat Lambinus, eaque sane consuetudo ratione potentior certe argenteae aetatis fuit. Vide Norisium in orthogr. Pisan. p. 279. et Faernum ad Hecyrae Terentianae prolog. alterum vs. 8. — *primo ordine explosorum]* Non liquet mihi, utrum ridicule dictum sit, an ad honestiorem paulo artificum scenicorum classem, Atellanarum actores dico, pertineat. Nam cum omnes histriones infames fuerint, praeter illos (cf. ad Divin. §. 48), non verisimile est, alios scriptum emere et equites Romanos fieri potuisse.

multos non] Lag. 42 *non multos idoneus*, male (cf. supra §. 183), nam sic de ordine senatorio loqui non decet.

mirabimur, turpes aliquos ibi esse, quo cuivis licet pre-
80 tio pervenire? Tu ex pecunia publica HS terdeciens scribam tuum permissu tuo cum abstulisse fateare, reliquam tibi ullam defensionem putas esse? hoc ferre quemquam posse? hoc quemquam denique nunc tuorum advocatorum animo aequo audire arbitrare, qua in civitate C. Catoni, consulari homini, clarissimo viro, HS IIII milibus lis aestimata sit, in eadem civitate ap-

---

§. 184. *aliquos ibi]* *Aliquot* scribere coepit Naugerius, restitui *aliquos* iussit Nannius. *Ibi* lectio est Lambini in marg. repet. a Grutero propagata, nam antea fuit *in eo*, quod etiam Nanniani testimonio firmant, quamquam solet Nannius cum unum et alterum verbum e suo libro corrigendum censeat, alia tamen praeterea intacta relinquere, ut h. l. factum. Nam *ibi* est in Lag. 42. Reliqui meliores *in eo*, deteriores *in eos*.

HS terdeciens] Sic codex Nannii, Lag. 42 Paris. A *terdecies* minus hoc loco iustam scribendi rationem servantes. Ceteri libri h. l. *tredecies*, paulo post omnes (etiam edit. vetustae ante Aldinam) *terdecies*. Verum Hotomanus persuasit editoribus *tredecies* necessario esse dicendum, quippe *terdecies* esse tricies. Vellem probasset quemquam sic dixisse, nam locus Martialis I, 12, 2 *bis decies* nihil probat, cum constet esse ut *undecies*, sic *duodecies*. Nos cum optimis libris mss. Priscianum sequimur pag. 1355 Putsch. et conferri iubemus Gronovium de pec. vet. 2, 3 pag. 67. *Quattuordecies* expectabimus apud Plin. hist. nat. III, 13 num firmum sit. Ipsum autem *HS terdeciens* non accurate efficitur ex summa pecuniae, quam supra cap. 70 triennio ad emptionem frumenti erogatam tradidit: ea cum sit HS trecenties quinquagies quater, binae quinquagesimae sive quintavicesima certa computatione est HS quaterdecies XVI mil. Verum in illa summa pro alteris decumis quotannis *ferme* ad nonagies expensum dicebatur, neque enim ea pecunia certa erat, sed secundum copiam nati frumenti differebat. Itaque hac excusatione utimur, quod Lambiniana correctione, alioquin apta ad rem conficiendam, *HS quattuordecies* non utimur.

ullam defens.] Abest *ullam* a Lag. 42. Antea *permisso* Paris. A.

cons. hom. clar. viro] Vulgo epitheta convertuntur, *clar. viro, cons. hom.* Nos secuti sumus quattuor meliorum codicum auctoritatem. — *HS IIII milibus]* Numerum magnopere vides imminutum, nam vulgo est *XVIII.* Sed is prodiit ex coniectura Iuntini editoris a. 1534, antea fuit VIII, ut est in libris mss. plerisque omnibus, nisi quod Lag. 29 VIIII, sed Nannianus GII∞∞∞ in quo rectissime Nannius GII ordine inverso pro IIS positum putat. Accedit Lag. 42 notis paulum immutatis GNαcαα, sed iisdem. Vides igitur iam tria milia

paritori tuo esse concessum, ut HS uno nomine terdeciens auferret?

Hinc ille est anulus aureus, quo tu istum in con- 185
tione donasti: quae tua donatio singulari impudentia nova Siculis omnibus, mihi vero etiam incredibilis videbatur. Saepe enim nostri imperatores, superatis hostibus, optime re publica gesta, scribas suos anulis aureis in contione donarunt: tu vero quibus rebus gestis, quo hoste superato, contionem donandi causa advocare ausus es? Neque enim solum scribam tuum anulo, sed etiam virum fortissimum ac tui dissimillimum, Q. Rubrium, excellentem virtute, auctoritate, copiis, corona et phaleris et torque donasti, M. Cossutium, sanctissimum virum atque honestissimum, M. Castritium, summo splendore, ingenio, gratia praeditum. Quid 186

---

comparere, sed IIII dedi secundum Velleium II, 8 (confer ad nostrum libr. IV, 10) et quo propius venirem ceterorum codicum scripturae. Nam I abire in V non raro vidimus. Neque tamen silebo, infra c. 87 ubi VIII milia certissima sunt, easdem notas, quae h. l. sunt, in Nann. et Lag. 42 comparere. — *uno nomine]* non est in Nanniano, itaque omisit Lambinus: sed inventum videtur esse in Lag. 42.

§. 185. *singulari imp. nova]* Vulgo *sing. imp. praedita, nova*, sed istam vocem cum orationis contextus non desideret, tum librorum meliorum varietates spuriam esse et ab explicatore adiectam arguunt. Nam a Lag. 42 abest, in Paris. A est *donata*, in Paris. B item *donata* a pr. manu, *praedita* a correctrice. Non *donatio* ipsa per se nova Siculis videbatur, sed qua fiebat impudentia. Quod sequitur *etiam* adhuc quidem nullam auctoritatem habet, sed e textu repetitae Lambinianae negligentia Gruteri propagatum videri debet. Neque ego Gruterum absolvo, sed illi repetitores contra consilium suum, quod saepe illis accidit, a Lambino acceperunt, hic e Fabriciano, quod verisimile fit consensu quattuor meliorum nostrorum. — *excellentem]* ex Nanniano est, et firmatur Lag. 42. Reliqui et olim vulgo *excellenti*. *Q. Rubrum* appellant Lag. 29 Par. A B mendose. Sed num hunc illum esse dicimus ex libro I veterem familiarem et asseclam Verris?

Castritium] Lag. 29 *Crastitium*, 42 *Crassitium*, quod et ipsum nomen in inscriptionibus legitur, et apud Cic. Phil. XIII, 2. Sed alterum illud frequentius. Eum *gratia* praeditum dicit, bene et verbo ad rem apto. Sed sic demum ex Nanniano edi coeptum, nunc quat-

haec sibi horum trium civium Romanorum dona voluerunt? Siculos praeterea potentissimos nobilissimosque donasti; qui non, quemadmodum sperasti, tardiores fuerunt, sed ornatiores tuo iudicio ad testimonia dicenda venerunt. Quibus ex hostium spoliis? de qua victoria? qua ex praeda ac manubiis haec abs te donatio constituta est? an quod, te praetore, paucorum adventu myoparonum classis pulcherrima, Siciliae praesidium propugnaculumque provinciae, piratarum manibus incensa est? an quod ager Syracusanus praedonum incendiis, te praetore, vastatus est? an quod forum Syracusanum nauarchorum sanguine redundavit? an quod in portu Syracusano piraticus myoparo navigavit? Nihil possum reperire, quamobrem te in istam amentiam incidisse arbitrer: nisi forte id egisti, ut hominibus ne oblivisci quidem rerum tuarum male gesta-
187 rum liceret. Anulo est aureo scriba donatus, et ad eam donationem contio est advocata. Quod erat os tuum, cum videbas eos homines, quorum ex bonis istum anulum aureum donabas, qui ipsi anulos aureos posuerant, liberisque suis detraxerant, ut esset, unde scriba

---

tuor meliores nostri confirmant. Reliqui *gloria*, supra hominis condicionem.

§. 186. *trium]* Lag. 42 *ternum*, mendose, opinor: ut mox pro *qui non* habet *quoniam*. Sed idem cum aliis et Lambino *dicenda* pro vulg. *dicunda*. — *de qua vict.]* Lambinus priore *e qua* temere et veritati nocens. — *ac manubiis]* Sic Lag. 42. Vulgo *aut*, quo Ernestius iure offensus est. Debebat enim, ni fallor, *quibus ex manubiis*, si diversa significarentur. — *te praetore]* Paris. A B *te populum R.* Sed mox omnes meliores vulgarem ordinem verborum *propugn. praesidium* invertunt.

§. 187. *videbas eos homines]* Quod in aliis et vulgo interiicitur *in contione*, quoniam parum confert ad rem, delevimus iussu Lag. 42. Ex eodem dedimus active, quod vulgo est *iste anulus aureus donabatur*, restituimus autem ex omnibus *liberisque suis*, quod pronomen immerito sublatum est in repetitione Lambiniana, et fortasse non excidit nisi negligentia typothetarum, a Grutero non animadversa.

tuus hoc tuum munus ac beneficium tueretur? quae porro tua praefatio donationis fuit? Illa scilicet vetus atque imperatoria, *quandoque tu quid in proelio, in bello, in re militari* — cuius ne mentio quidem, te praetore, ulla facta est: an illa, *quandoque tu nulla unquam mihi in cupiditate ac turpitudine defuisti, omnibusque in iisdem flagitiis mecum et in legatione, et in praetura, et hic in Sicilia versatus es: ob eas res, quoniam te re locupletavi, hoc anulo aureo dono.* Vera haec fuisset oratio. Neque enim iste anulus aureus abs te datus istum virum fortem, sed hominem locupletem esse declarat. Ita eundem anulum ab alio datum, testem virtutis duceremus: abs te donatum, comitem pecuniae iudicamus.

Dictum, iudices, est de decumano frumento: di- 81
ctum de empto: extremum et reliquum est, de aesti- 188

§. 187. *tua praef.]* Verres praefabatur, itaque rectius *tua praef.* Lag. 42 quam vulgo *praef. tuae.* — *quandoque tu]* Haec scriptura quattuor meliorum nostrorum et hoc loco et paulo post eximie adiuvatur Gronoviana lectione apud Livium IX, 10 item in antiqua formula *quandoque hice homines iniussu populi Rom. Quiritium — spoponderunt*, ubi non est pro *quandocunque*, ut existimavit Gronovius, sed pro simplici *quando*. Reliqui libri h. l. *quando*, proximo *quandoquidem*, Lambinus autem priore edit. utroque *quandoquidem*. Sed hoc loco porro vulgo *quando tu quidem*, (quod sustulit Lambinus) cum accentu singulari, nam sufficit *tu:* Lag. 42 autem *quandoque tu quid*, subintellige „bene fortiterque fecisti," et *quid* ait pro eo, quod quaeque res est, sicut etiam *proelium*, *bellum*, *rem militarem* coniungit, quorum unum in veritate est. Itaque hoc verum puto. Mox Lag. 42 pro vulg. *facta est* habet *facta sis*, fort. *sit*, nec tamen placet. — *et in praet.]* Excidit *in* in Lambiniana repet. nam libri mss. omnes praeter unum Lag. 27 nullius pretii habent, nec potest abesse. Tamen propagatus error est per Gruterianam et Ernestianam.

ob eas res] Lag. 42. Ceteri *ob hasce res.* Idem addit *re* post *te*, quod quamvis in dubium vocari possit, sapit tamen optimam Latinitatem, ut *rem augere*, *rem habere*, neque non ipsum verbum locupletandi libenter ablativum adsumit. — *Neque enim]* Sic Lag. 29. 42 Paris. A B. Vulgo *non enim.*

§. 188. *extr. et rel.]* Lag. 42 omittit *et*. Paris. A et B a pr. m. *relictum.*

mato, quod cum magnitudine pecuniae, tum iniuriae genere quemvis debet commovere: tum vero eo magis, quod ad hoc crimen non ingeniosa aliqua defensio, sed improbissima confessio comparatur. Nam cum ex S. C. et ex legibus frumentum in cellam ei sumere liceret: idque frumentum senatus ita aestimasset, quaternis HS tritici modium, binis hordei: iste, numero ad summam tritici adiecto, tritici modios singulos cum aratoribus ternis denariis aestimavit. Non est in hoc crimen, Hortensi, ne forte ad hoc meditere, multos viros bonos et fortes et innocentes cum aratoribus et cum civitatibus frumentum, in cellam quod sumi oporteret, aestimasse, et pecuniam pro frumento abstulisse. Scio, quid soleat fieri: scio, quid liceat. Nihil, quod ante fuerit in consuetudine bonorum, nunc in istius
189 facto reprehenditur. Hoc reprehendo, quod, cum in Sicilia HS binis tritici modius esset, ut istius epistola ad te missa declarat, summum HS ternis, id quod et

---

§. 188. *cum — tum — tum vero]* Sic editur ex Nanniano, nunc etiam ex reliquis melioribus. Deteriores libri *tum — tum — te vero*, Lag. 29 et Paris. B *tu vero*, Lag. 42 *tamen vero*. *Et vero* correxerat Manutius in edit. 1559, et ex ea venit in repet. Lambinianam.

ex S. C.] correxerat Hervagianus editor et propagavit P. Manutius. Antea ex codd. deterioribus *ex Sicilia* fuit. — *fr. in cellam ei]* Sic libri mss. omnes, primum editi *ei* omiserant, Naugerius et reliqui addiderunt non suo loco, *frument. ei in cellam.* — *hordei: iste]* Lag. 29. 42 *ordei*, cf. Schneideri Elem. L. L. p. 186: 42 etiam *iste* omittit. — *ternis den.]* Sic Lag. 42. Vulgo *denariis ternis.*

multos viros] Vulgo interiicitur *saepe*, quasi ne satis quidem sit multos fecisse, quod ipsum tamen mox minuit. Abiecimus fide Lag. 42.

et fortes] Mirum, meliores quattuor omittere *et.* — *in cellam quod]* Coniunximus haec, mutata interpunctione, nam *sumi* per se nihil est. De postposito pronomine relativo vid. ad cap. 95. — *quod ante fuerit]* Sic fere optimi Lag. 42 Paris. B, alii. Vulgo *antea fuerat.*

§. 189. *HS binis]* Vulgo *HS II* editur, sed litteris scribitur in Lag. 42. Idem mox optime *testim. omnium*, non *omnibus*, ut vulgo. Poterant enim eam rem testari Siculi omnes, non testabantur omnia testimonia. Vide supra ad §. 178.

testimoniis omnium et tabulis aratorum planum factum
antea est: tum iste pro tritici modiis singulis denarios
ternos ab aratoribus exegit. Hoc crimen est; ut in- 82
telligas, non ex aestimatione, neque ex ternis denariis
pendere crimen, sed ex coniunctione annonae atque
aestimationis. Etenim haec aestimatio nata est initio,
iudices, non ex praetorum aut consulum, sed ex ara-
torum et civitatum commodo. Nemo enim fuit initio
tam impudens, qui, cum frumentum deberetur, pecu-
niam posceret. Certe hoc ab aratore primum est pro-
fectum, aut ab ea civitate, cui imperabatur: cum aut
frumentum vendidisset, aut servare vellet, aut in eum

---

§. 189. *den. ternos]* Hoc loco in ipsis *denariis* oppositio inest, Itaque haec verborum collocatio ex Lag. 42 vulgari *ternos ab arat. denarios* multum praestat.

ex coniunctione] Dicit, non quod aestimarit simpliciter, et pecuniam pro frumento acceperit, Verrem reprehendi, sed quod, quo vilior annona fuerit, eo maius pretium statuerit frumento. Nam hoc quidem iam usu receptum videtur fuisse, ut pecuniam a populo assignatam praetor retineret. Crimen igitur nascitur ex coniunctione duplicis pretii, publici, i. e. annonae, et privati, quod praetor statuit, i. e. eius aestimationis: coniunctione efficitur *ratio*, quam inter se habent annona et aestimatio, eaque ratio in hac re verae prorsus contraria est. *(Umgekehrtes Verhältniſs* mathematici nostrates dicunt.) Hoc cum videatur satis perspicuum esse, in Victoriana editione nescio hercle an typographorum errore, extitit nova lectio *ex coauctione*, eaque per Manutianas, Steph. Lamb. usque ad Gruterum et porro pervasit, adeoque secura possessione utitur, ut novum verbum iam etiam lexica obsederit. Explicavit unus Hotomanus, annonam esse praetoris *annuum frumentum*, eiusque et numerum et aestimationem auxisse Verrem. At annona nullius hominis privata est, sed copia nati frumenti (infra §. 195 *quanti esset annona)*, unde publicum pretium statuitur: neque omnino h. l. amplius orator de numero frumenti imperati dicit. Quid plura? Tota illa *coauctio* vanum commentum est, neque codices mutant, nisi quod perpetua eorum verborum confusione Lag. 42 *coniectio* habet.

initio, iudices] quattuor meliores. Vulgo *iud. initio.* Ex iisdem est *et civitatum* pro vulg. *atque.* — *Certe]* Lag. 42 *ratione* ex confusione notarum. — *cui imperabatur]* Audis *frumentum*, quod legitur in mss. praeter Lag. 42 et 45. Omissum est primum in textu Lamb. repet. et feliciter latuit Gruterum. Eadem res est quod nunc scribitur *huiusmodi*, olim *huiuscemodi.*

locum, quo imperabatur, portare nollet, petivit in beneficii loco et gratiae, ut sibi pro frumento quanti frumentum esset dare liceret. Ex huiusmodi principio, atque ex liberalitate et accommodatione magistratuum,
190 consuetudo aestimationis introducta est. Secuti sunt avariores magistratus, qui tamen in avaritia sua non solum viam quaestus invenerunt, verum etiam exitum ac rationem defensionis. Instituerunt semper in ultima ac difficillima ad portandum loca frumentum imperare, ut vecturae difficultate ad quam vellent aestimationem pervenirent. In hoc genere facilior est existimatio, quam reprehensio, ideo quod eum, qui hoc facit, avarum possumus existimare, crimen in eo constituere non tam facile possumus; quod videtur concedendum magistratibus nostris esse, ut iis, quo loco velint, frumentum accipere liceat. Itaque hoc est, quod multi fortasse fecerunt, et ita multi, ut ii, quos innocentis-

---

§. 189. *atque ex liber.]* Ms. Francii apud Graevium omittit *atque*, liber deterrimus. Tamen tuentur singulari consensu Ernestius et Garatonius. Nimirum offenderat eos repetitum *atque accommodatione*, pro quo nos fide meliorum dedimus *et accom.*

§. 190. *in ultima* cet.] Sic Lambinus voluit in margine edit. repetitae, ex Fabriciano, ut consensus omnium meliorum docet. Vulgo *ad ult. ac* (edd. princ. *et) difficillima loca ad portandum frumentum* confuso verborum ordine et ob eam causam inutilibus correctionibus exposito. Imperare frumentum *in locum*, quidni Latinum sit, sicut post *metiri Catinam? — in eo constit.]* Paris. A B Lag. 29 *in eum.*

et ita multi] i. e. et ita quidem, ut *ita* sit minuentis, quod satis me explicasse puto Gramm. Lat. §. 281. Qua re fit ut *et* positum videatur pro *sed*, quod Manutius corrigi voluit. De *et — quidem* cum obiectione sermonem continuantis vide Goerenz. ad lib. III de Legg. c. 10 pag. 247, et ad I de Fin. 10 §. 35. Sequitur *quos innocentissimos meminimus aut audivimus*, in quo facile est ad suspicandum concursum similium syllabarum *aut aud.* turbas dedisse. Nam Lag. 29 et Paris. B *aut audimus*, Lag. 42 *aut vidimus*. Et Lambinus in nota *vidimus* tradit legi in duobus libris vett. et eo quem saepe et imprimis laudare soleat, Fabriciano: ab iisdem etiam abesse verbum *innocentissimos*. Hoc quidem illi de tribus suis sic ponenti non credo, nam est in meis omnibus, nec verisimile fit tale mendum ad tres per-

simos meminimus aut audivimus, non fecerint. Quaero 83
nunc abs te, Hortensi, cum utris tandem istius factum 191
collaturus es? cum iis, credo, qui benignitate adducti per beneficium et gratiam civitatibus concesserunt, ut nummos pro frumento darent. Ita credo petisse ab isto aratores, ut cum HS ternis tritici modium vendere non possent, pro singulis modiis denarios ternos dare liceret. An, quoniam hoc non audes dicere, illuc confugies, vecturae difficultate adductos denarios ternos dare maluisse? Cuius vecturae? quo ex loco in quem locum ne portarent? Philomelione Ephesum? Video, quid inter annonam interesse soleat: video quot die-

---

tinere, ut non ad plures etiam. Sed ne *vidimus* quidem probo, tolleretur enim omnis oppositio, quae est inter *meminisse*, quem ipse olim cognoveris ac videris, et *audire* de superiorum memoria.

§. 191. *abs te]* Sic Lag. 42. Vulgo *a te.* Cf. supra ad cap. 60.

cum utris tandem] Quid, si ex Paris. A B Lag. 29 scripseris *cum utrisne tandem?* Neque enim haec varietas videtur librario deberi. *Num* et *an* et *utrum* saepe apud Ciceronem illa interrogandi particula augentur, *utrum* quidem ceteris etiam frequentius, ut aut *utrumne* coniungatur, aut *ne* ad insequens aliquod verbum adhaerescat: vide Davisium ad lib. II de nat. deor. c. 34. Nec impedire quicquam videtur, quominus etiam *uter* et aliae formae pronominis, quod adhuc poetarum proprium videbatur. Cf. interpretes ad Horat. serm. II, 2, 107.

petisse] correxi, quamquam in deterioribus tantum Lagom. VI notatur esse: verum Paris. A B *dedisse.* Vulgo *petiisse.*

denarios ternos] Olim *ternos* tantum, et libri mss. omnes. Adiecit ex coniectura Naugerius, sed locum mutat, qui unus habet Lag. 42 *den. III.* Sic et paulo post. Cf. §. 189. — *quoniam hoc non audes]* Sic ab initio edebatur, donec Nannius in suo vet. libro esse notavit *an quoniam hoc cum*, et recepit Stephanus propagavitque Gruterus in vitiis solis diligens. Διττογραφίαν esse testatur Lagomarsinianus, qui exhibet *antequam cum hoc.* Nam *quam*, *quoniam*, *cum* confunduntur et iuxta ponuntur ut optio fiat. — *Philomelione]* Lagom. duo 29 et 42 Paris. A B *Philomeleone*, male, nam est Φιλομήλιον Straboni et Stephano. Vulgares fere *Philomelone* cum variis mendis. Gentile cum sit Graece Φιλομηλεύς, Latine (sicut Apamensis, Ἀπαμεύς, ab Apamia) erit *Philomelensis*, quod veteres et codices et edd. habent, primus Lambinus turpiter correxit *Philomeliensibus.* Tertium *video* abest a Lag. 42 non male, opinor, est enim conclusio.

rum via sit: video Philomelensibus expedire, quanti Ephesi sit frumentum, tantum dare potius in Phrygia, quam Ephesum portare, aut ad emendum frumentum
192 Ephesum pecuniam et legatos mittere. In Sicilia vero quid eiusmodi est? Henna mediterranea est maxime. Coge, ut ad aquam tibi, id quod summi iuris est, frumentum Hennenses metiantur, vel Phintiam, vel Halesam, vel Catinam, loca inter se maxime diversa: eodem die, quo iusseris, deportabunt. Tametsi ne vectura quidem opus est. Nam totus quaestus hic, iudices, aestimationis ex annonae natus est varietate. Hoc enim magistratus in provincia assequi potest, ut ibi accipiat, ubi est carissimum. Ideo valet ista ratio aestimationis in Asia: valet in Hispania: valet in his provinciis, in quibus unum pretium frumento esse non solet. In Sicilia vero quid cuiusquam intererat, quo loco daret? neque enim portandum erat: et, quo quisque vehere iussus esset, ibi tantidem frumentum eme-
193 ret, quanti domi vendidisset. Quamobrem si vis, Hortensi, docere, aliquid ab isto simile in aestimatione, atque a ceteris, esse factum: doceas oportebit, aliquo

---

§. 192. *eiusmodi est]* Vulgo nunc omittitur *est*, ex coniectura Naugerii, qui cum in Iunt. invenisset male interpunctum *quid eiusmodi, est aethna med. est, maxime* facile strinxisse videtur calamum, quamvis contra scriptoris usum. Cf. c. 78 init. Codd. quidem habent omnes, sed Lag. 42 *sit*, mendose. — *Coge]* Lag. 42 *cogis*. Urbium nomina, quae sequuntur cum multis mendis scribi, nemo non expectabit, sed tamen nihil inest, quod ullam dubitationem veritatis moveat. *Phintia* est in Lag. 42 *Pintia*, in Paris. A *phiuphia*.

opus est] Lag. 29 Paris. A B *est opus*.

§. 193. *si vis Hort. docere]* Sic voluerat Lamb. in margine repetitae edit. e Fabric. nam idem Lag. 42. Sed nemo ei obtemperavit, quamvis laboraret locus inutili pronominis repetitione: *si quid, Hort., docere vis, aliquid*. In ipsa edit. Lambinus sustulerat *aliquid* ex coniectura. Post *in* ante *aestim.* ex eodem illo margine a Grutero receptum est, recte et secundum fidem meliorum omnium. Sed *oportebit* pro vulg. *oportet* non receptum est, quamvis et ipsum Lag. 42 suffragio et aliorum aberrationibus firmetur.

in loco Siciliae, praetore Verre, ternis denariis tritici modium fuisse. Vide, quam tibi defensionem patefe- 84 cerim, quam iniquam in socios, quam remotam ab utilitate rei publicae, quam seiunctam a voluntate ac sententia legis. Tu, cum tibi ego frumentum in meis agris, atque in mea civitate, denique in iis locis, in quibus versaris, rem geris, provinciam administras, paratus sim dare: angulum mihi aliquem eligas provinciae reconditum ac derelictum? iubeas ibi me metiri, quo portare non expediat? ubi emere non possim? Im- 194 probum facinus, iudices, non ferendum, nemini lege concessum, sed fortasse adhuc in nullo etiam vindicatum. Tamen ego hoc, quod ferri nego posse, Verri concedo, iudices, et largior. Si ullo in loco eius provinciae frumentum tanti fuit, quanti iste aestimavit, hoc crimen in istum reum valere oportere non arbitror. Verum enimvero cum esset HS binis aut etiam ternis quibusvis in locis provinciae, duodenos sestertios exegisti. Si mihi tecum neque de annona, neque de aestimatione tua potest esse controversia, quid sedes? quid expectas? quid defendis? Utrum tibi pecuniae

---

§. 193. *ac sententia]* meliores nostri. Vulgo *atque*. — *denique in iis locis]* Additur vulgo *cum* post *denique*, quod omittit Lag. 42, et recte omittit, natum ex *que*. Tum vulgo *in quibus es*, *versaris*, quorum verborum discrimen, si quis explicarit, Lag. 42 ego fidem deseram, qui *es* proscribit. Quidni gradatio tribus colis absolvatur?

non possim] ex coniectura scripsit Lambinus et denuo Ernestius, cum eadem esset causa coniunctivi, propter quam modo *expediat* posuit. Recte, nec contradici potest, quamquam codd. quidem omnes *possum* tenent.

§. 194. *Verri concedo*, *iudices]* Placet incisio allocutionis post aliquem sensum, quae fit hac verborum collocatione Lag. 42, cum vulgo sit *Verri*, *iudices*, *concedo*. — *esset HS binis]* Interiicit Lambinus verbum *modius*, coniectura motus minime necessaria, nam sic statim §. 196 *quanti frumentum sit considera. Video esse binis HS.* Tum *etiam* abest a Lag. 5. 29 Paris. A B. — *quid defendis]* Vulgo *defendes*, etiam post paulo, sed dum *sedet*, iam tuetur suam causam. Non

coactae, conciliatae videntur adversus leges, adversus rem publicam, cum maxima sociorum iniuria: an vero id ratione, ordine, e re publica, sine cuiusquam iniu-
195 ria factum esse defendis? Cum tibi senatus ex aerario pecuniam prompsisset, et singulos tibi denarios adnumerasset, quos tu pro singulis modiis aratoribus solveres: quid facere debuisti? Si, quod L. Piso ille Frugi, qui legem de pecuniis repetundis primus tulit; cum emisses, quanti esset, quod superaret pecuniae rettulisses: si, ut ambitiosi homines aut benigni, cum pluris senatus aestimasset, quam quanti esset annona, ex senatus aestimatione, non ex annonae ratione, solvisses: sin, ut plerique faciunt, in quo erat aliqui quaestus, sed is honestus atque concessus, frumentum, quoniam vilius erat, ne emisses: sumpsisses id nummorum,

---

est, quid dicturus es? sed: cur non abis et deseris rem? Utroque loco praesens ceteris verbis aptum Lag. 42. — *pec. coactae conciliatae*] Vulgo *pec. conciliatae* tantum sunt, et possunt esse ut aliis locis v. c. II, 57. Sed nemo Fabric. (marg. Lamb. repet.) et Lag. 42 illud alterum de suo addidisse putabit, praesertim cum alibi in his orationibus ex formula legis plenius *captae conciliatae* dicantur. In ipsa lege haud dubie etiam plura, ne qui locus improbitati relinqueretur: lex Servilia apud Klenzium c. 5 *ablatum captum coactum conciliatum aversumve*, p. 71 *captum coactum ablatum aversum conciliatumve:* nam quid attinet eodem semper ordine, simodo nihil omittitur?

adversus leges] Bis *adversum* Naugerius primus, contra libros mss. praeter Par. A fortasse, nam de eo siletur. — *ratione*, *ordine*] Solus Lag. 42 *ratione*, vulgo *recte*. Sed cum illa verba confundi soleant, tum hoc loco substantivum maxime convenire putavimus. Cf. ad libr. I, 5.

§. 195. *prompsisset*] Correxit Naugerius cum Paris. A B Lag. 29, antea enim *promisisset*, etiam *po. Ro. misisset*. — *in quo erat aliqui*] Ex uno Lag. 42 sustuli *etiam* e vulg. scriptura *in quo etiam erat aliquis quaestus*. Quo enim pertinere dices? priores enim rationes ab omni quaestu, qui semper aliquam maculam habet, alienae sunt. Sed *aliqui* omnes boni, et vides antiquam rationem vincere.

vilius erat] Lag. 29 *esset*, universe. At dicit Cicero de re peculiari et condicione Verris. Alioquin ille liber ubi solus it, merito suspectus est.

quod tibi senatus cellae nomine concesserat. Hoc vero 85
quid est? quam habet rationem, non quaero aequita-
tis, sed ipsius improbitatis atque impudentiae? Neque
enim est fere quicquam, quod homines palam facere
audeant in magistratu, quamvis improbe, quin eius fa-
cti, si non bonam, at aliquam rationem afferre soleant.
Hoc quid est? Venit praetor: frumentum, inquit, me 196
abs te emere oportet. Optime. Modium denario. Be-
nigne ac liberaliter: nam ego ternis HS non possum
vendere. Mihi frumentum non opus est: nummos volo.
Nam sperabam, inquit arator, me ad denarios perven-
turum: sed, si ita necesse est, quanti frumentum sit,
considera. Video esse binis HS. Quid ergo a me tibi
nummorum dari potest, cum senatus tibi quaternos HS
dederit? Quid poscat, attendite; et vos quaeso, iudi-

---

§. 195. *quamvis improbe*] Sentisne hoc multo rectius esse, ut pertineat ad *facere*, quam quod vulgo *improbi?* At illud unus Lag. 42.

§. 196. *ternis HS*] Sic Nannii cod. et Lag. 42, ut supra §. 191 et recte. Vulgo *tribus*. Pro HS nota in Lag. 42 est a pr. manu *decumis*, correctum *denariis*. Mirum ni in *decumis* insit *semis*. — *frumentum non opus est*] Vulgo *frumento*, nec quicquam impedit: sed ego Lag. 42 cum Lambiniano margine (i. e. Fabric.) constantiae causa sequi malui.

Nam sperabam] Praecepit ingenium Naugerii, quod a Nanniano, vel Fabriciano, vel nostro Lag. 42 expectandum erat. Ceteri enim codd. omnes *non* exhibent. Sed ille rectissime. Ellipticum usum coniunctionis Graece reddiderim ἀλλὰ γάρ, Germ. *ja-doch*, Latine possis *atqui* substituere. Significat homo se assentiri, et intelligere quid rei sit, sed sibi tamen non placere. Sic lib. II, 29 extr. *Nam hercule me quoque Petillius rogavit*, ἀλλὰ γάρ καὶ ἐμέ. de orat. I, 22 §. 101 *de his rebus — quibus sciam poteroque. Nam, quod tu non poteris aut nescies, quis nostrum tam impudens est, qui se scire aut posse postulet?* Sed tamen quoniam Naugerius ex coniectura sic scripsit, non negligendum est, quod in codd. legitur iis, quorum fides etiam hoc loco comprobatur, *sperabam*, pro eo quod vulgo mansit *speraveram*. Nam etiam in Fabriciano sic inventum esse, coniicio ex Lambiniana lectione in marg. repetitae. Sperabam, ait, dum tu te tam benignum mihi ostendebas. — *si ita necesse*] In vulgaribus codd. et libris primum editis deficit *si*, in Lag. 42 non legitur *necesse*. Et quidni *si ita est* pro si res ita sese habet, ut nummos velis, dictum probes?

Quid poscat, attendite] Codd. et edd. vett. *possit*. Victorius

197 ces, simul aequitatem praetoris attendite. Quaternos HS, quos mihi senatus decrevit, et ex aerario dedit, ego habebo, et in cistam transferam de fisco. Quid postea? quid? Pro singulis modiis, quos tibi impero, tu mihi octonos HS dato. Qua ratione? Quid quaeris rationem? non tantam rationem res habet, quantam utilitatem atque praedam. Dic, dic, inquit ille, planius. Senatus te voluit mihi nummos, me tibi frumentum dare: tu eos nummos, quos mihi senatus dare voluit, ipse habes; a me, cui singulos dari denarios oportuit, binos aufers? et huic praedae ac direptioni cellae

---

dedit *poscit*, quod et est in Lag. 42. *Poscat* correxit Lambinus et vulgo receptum est. Porro vulgo mirabili interpunctione *et vos, quaeso, simul, iudices, aeq.* Nos cum ea verborum ordine, qui est in Lag. 42, etiam continuitatem sermoni dedimus.

§. 197. *Quaternos HS]* Lag. VI Paris. C *nummos* pro *HS* habent: ideoque editiones vetustae usque ad Nannium. — *de fisco*] Sic quattuor boni et Lambinus in marg. repet. i. e. Fabricianus. Vulgo *ex fisco*. — *Quid postea?]* Lag. 42 *quid praetera*, quod non multum abest, quin alteri praeferam. Nam *quid postea* fere admirantis est, quid illud ad rem pertineat. V. c. p. Rosc. Amer. 33 *dices, Quid postea, si Romae assiduus fui? Quid praeterea?* interrogat, num quid aliud etiam accedat, quasi non iam satis sit una iniuria, quod aratores pecunia, quam sperare poterant, fraudavit, nisi etiam ipsorum aliquam rapiat. Verumtamen etiam *quid postea* simpliciter quaerere potest, quid posthac factum sit. — *Dic, dic*] Sic Nannianus et Lagom. 42. Ceteri semel tantum *dic*. — *nummos, me tibi fr. dare*] Edd. principes ex mss. plerisque *Senatus te voluit mihi nummos metiri frum. dare*, quam corruptam scripturam cum satis esset sic emendare, quemadmodum Lag. 42 et Paris. A ostendunt, ut ex *metiri* fieret *me tibi*, in Hervag. et Victoriana eiusdem anni non hoc solum factum est, sed praeterea commutatis locis *nummos dare, frum. metiri* scriptum. Atque haec adhuc lectio recepta fuit. — *dare voluit*] Putaverat Hotomanus rectius scribi *dari*, et receperunt in textum P. Manutius 1559, Gruterus, Ernestius, quasi non fortius sit, ipsum senatum dici ipsis aratoribus dare voluisse. Sed mox *habes* pro *habebis* scribendum fuit, ni cum Lambino in marg. rep. mallent *auferes — impones*. Nunc illud en affertur ex Lag. 42. Ex eodem *dari denarios* inverso ordine verborum, cum vulgo esset *den. dari*, dedimus, sed quod in Paris. A B Lag. 29 adiicitur *a te*, interpretis additamentum putamus.

nomen imponis? Haec deerat iniuria et haec calamitas 198
aratoribus, te praetore, qua reliquis fortunis omnibus
everterentur. Nam quid esse reliqui poterat ei, qui
per hanc iniuriam non modo fructum omnem amitte-
ret, sed etiam instrumentum vendere cogeretur? Quo-
nam se verteret: ex quo fructu nummos, quos tibi da-
ret, inveniret? Decumarum nomine tantum erat abla-
tum, quantum voluntas tulerat Apronii: pro alteris de-
cumis emptoque frumento aut nihil datum, aut tantum
datum, quantum reliqui scriba fecerat, aut ultro etiam
(id quod didicistis) ablatum. Cogantur etiam nummi 86
ab aratore? quomodo? quo iure? quo exemplo? Nam,
cum fructus diripiebantur aratorum, atque omni lace-
rabantur iniuria: videbatur id perdere arator, quod ara-
tro ipse quaesisset, in quo elaborasset, quod agri se-
getesque extulissent. Quibus iniuriis gravissimis ta- 199
men illud erat miserum solatium, quod id perdere vi-
debatur, quod, alio praetore, eodem ex agro reparare

---

§. 198. *Haec deerat iniuria*] Vulgare vitium Nanniani codicis *hoc — iniuriae*, cum sequatur verbum a littera *e* incipiens, non debebat, ipso Nannio monente, quemquam movere. At receperunt tamen Steph. et Lambinus in textum. — *fructum omnem amitteret*] Vulgo *frumentum omne amittere*, sed *fructum omnem* (den ganzen Ertrag) Paris. A B Lag. 42 Lamb. in marg. repet., *amitteret* autem, quod item Lag. 42 habet, etiam ex coniectura restituendum fuit. Nam *cogi amittere aliquid* nihil est, certe Ciceronis dicendi rationi parum convenit. Sed laudandus etiam Lag. 42 quod mox, ubi vulgo *omne instrum.* legitur, *omne* non habet. Nam ex proximo hic irrepsisse videtur nocetque elegantiae. — *Quonam se verteret*] In vulgata lectione *Quo enim se verteret, non habebat. Ex quo fructu nummos — inveniret?* sentis hiare nec congruere orationem, ut sane malis interiecta particula, qualis est *aut*, duas sententias coniungere. Sed Lag. 42 *non habebat* tollit, et interrogationem directam facit: quo remedio omnia consanescunt. — *aut tantum datum*] Haec verba absunt a Paris. A, *datum* solum a Lag. 42. Posse hoc abesse quis neget? sed tamen non inutile erit. Item quod est in Lag. 42 *scribae (scribe) fecerant* non ineptum est, quippe haud dubie plures. Sed tamen supra de uno tantum dicebatur.

posset. Nummos vero ut det arator, quos non exarat, quos non aratro ac manu quaerit, boves et aratrum ipsum, atque omnia instrumenta vendat, necesse est. Non enim debetis hoc cogitare: habet idem in nummis, habet in urbanis praediis. Nam cum aratori aliquid imponitur, non hominis, si quae sunt praeterea facultates, sed arationis ipsius vis ac ratio consideranda est, quid ea sustinere, quid pati, quid efficere possit ac debeat. Quamquam illi quoque sunt homines ab isto omni ratione exinaniti ac perditi: tamen hoc vobis est statuendum, quid aratorem ipsum arationis nomine muneris in rem publicam fungi ac susti-

---

§. 199. *ut det arator*] Est haec emendatio Ernestii et olim fortasse Lambini, in cuius tamen editione vitiose *et* pro *det* positum est. Vulgo *daret*, quod non congruit cum reliquis praesentibus. Mox Nannii codex et Lag. 42 *quos non exarat*, *quos non aratro ac manu quaerit*, quorum prius in vulgaribus libris deest. Neque enim illud est, quod Ernest. putavit, et olim Steph. videtur putasse, ut in Nanniano desit alterum, sed cum utrumque coniungatur, dubitat Nannius an posterius glossema sit. Mihi non videtur hoc illorum librorum esse ingenium, ut interpretationibus textum augeant, neque ipsa locutio *aratro ac manu quaerere* enarratorem sapit. Itaque utrumque exhibui.

atque omnia instr.] Vulgo *et omne instrumentum*. Sed *atque* boni omnes, *omnia instr.* solus Lag. 42, sed ne hoc quidem sine causa, nam *omnia* valent *cetera omnia*, cum iam duo sint nominata, quae *omni instrumento* comprehenduntur. — *habet in urb.*] Repetitur vulgo *habet idem*, quod non est opus, et, si recte quaeris, nocet oppositioni. Omisi fide Lag. 42 et Fabriciani, nisi forte hoc coniectura assecutum esse volumus Lambinum in margine repet. editionis.

aliquid impon.] Sic Lag. 42 et Lamb. in margine. Vulgo *onus aliquod*. Explicandi conatum facile agnosces. — *non hominis*] Turba codicum mss. *homines*, quod et editiones vetustas obtinet. Iure correxit Naugerius *omnes*, sed iustius Iuntinus editor 1534 *hominis*, quod deinde per Manutianam, Stephan. Lamb. propagatum est, donec textus repetitae Lambinianae vetus illud *omnes* reposuit. Atque haec vulgata mansit usque ad recentissimam aetatem. Nunc autem genitivus *hominis*, si opus sit, neque enim *omnes*, sed reliquae facultates opponuntur *arationi*, liquido comprobatur Lag. 42. — *illi quoque*] Lagom. 42 *illi homines quoque sunt*. — *in remp.*] Primum Lambin. repet. *in re publica:* in marg. *al.* (sed ipse Lamb.) *in remp.* Retinuit illud Gru-

nere velitis. Imponitis decumas: patiuntur; alteras: temporibus vestris serviendum putant; dent emptum praeterea: dabunt, si voletis. Haec quam sint gravia, 200
et quid, his rebus detractis, possit ad dominos puri ac reliqui pervenire, credo vos ex vestris rebus rusticis coniectura assequi posse. Addite nunc eodem istius edicta, instituta, iniurias: addite Apronii Veneriorumque servorum in agro decumano regna ac rapinas. Quamquam haec omitto: de cella loquor. Placetne vobis, in cellam magistratibus vestris frumentum Siculos gratis dare? Quid hoc indignius? quid iniquius? Atqui hoc scitote aratoribus, Verre praetore, optandum ac petendum fuisse. Sositheus est Entellinus, 87
homo cum primis prudens et domi nobilis: cuius verba audietis, qui ad hoc iudicium legatus publice cum Artemone et Menisco, primariis viris, missus est. Is cum in senatu Entellino multa mecum de istius iniuriis age-

---

terus, nec animadvertit Ernestius. Sed *rem publ.* etiam mss. plerique omnes et Lag. 42. Hic mox *decimas*.

§. 200. *haec omitto]* Lag. 42 *hoc*. Idem mox omittit encliticam *ne*. Lag. 29 pro ea *nunc*. — *vestris]* Sic Nann. et Lag. 42. Vulgo *nostris*. — *Atqui]* dedit Victorius primus, secutique eum sunt reliqui. Neque reprehendo, quamquam in Lagom. omnibus et Paris. B est *atque*, nec fortasse aliter in Paris. A C, qui silentur. — *Verre praetore]* Sic Lag. 42 et Lamb. in marg. Vulgo *hoc praetore*, cuius vereor ne alterum interpretamentum putent. Sed indignitas augetur appellato homine.

Sositheus] meliores nostri omnes, et Lambinus in margine. Vulgo *Sositenus*. *Entellinus* item meliores mss. et Aldina primum, antea *Entellenus* ex deterioribus. — *cum primis prudens]* Olim edebatur *cum primis civitatis pr.* quasi ad prudentiam civitatis esset discrimen. Deleri verbum iussit Lambinus in nota Fabriciani codicis auctoritatem afferens, quocirca neque h. l. neque post, ubi *aequitatem condicionis* pro vulg. *aequitatis condicionem* restituendum censuit, Gruterus ei adversari ausus est. Atque dudum meliorem textum haberemus, si parem diligentiam in reliquis mutationibus Lambinus adhibere voluisset. Nunc nobis nihil plerumque superest, nisi ut molestissime aliena vestigia legamus. Sicut hoc ipso loco *audietis* margo Lamb. et Lag. 42 pro vulg. *audistis*. Vide supra c. 43 §. 103.

ret, hoc dixit: si hoc de cella atque hac aestimatione concederetur, velle Siculos senatui polliceri frumentum in cellam gratis, ne posthac tantas pecunias magistra-
201 tibus nostris decerneremus. Perspicere vos certe scio, Siculis quanto opere hoc expediat, non ad aequitatem condicionis, sed ad minima malorum eligenda. Nam, qui mille mod. Verri suae partis in cellam gratis dedisset, duo milia nummum, aut summum tria dedisset: idem nunc pro eodem numero frumenti HS VIII milia dare coactus est. Hoc arator assequi per triennium, certe fructu suo, non potuit: vendiderit instrumentum necesse est. Quodsi hoc munus et hoc vectigal arator tolerare, hoc est, Sicilia ferre ac pati potest: populo Romano ferat potius, quam nostris magistratibus. Magna enim pecunia, magnum praeclarumque vectigal,

---

§. 200. *ne posthac]* Sic Victor. primum, antea ex deterioribus libris *ut post haec: ne* IV meliores, *posthac* unus Lag. 42.

§. 201. *certe scio]* Sic Lag. 42. Vulgo *certo*. Cf. ad lib. I, 1. Mox *quanto opere* disiunctum Paris. A B Lag. 29. *quanto* nihil praeterea Lag. 42. Cf. II, 40 §. 98. — *mille mod.]* Doleo h. l. neque ex Lagom. quicquam a Graeviana scriptura *mod.* neque ex Parisinis a Gruteriana *modium* diversum notari. Itaque et ipse Graevianam rationem sequor. Post Lag. 42 *nummorum* et *eo* (quod et Lamb. in marg.) pro *eodem*. Numero VIII milium non potest esse quicquam certius, tamen *tria* notae Nann. et Lag. 42 produnt sic 9II∞∞∞, sive ꟉꟉꟉ. Cf. ad c. 80 pr. — *certe]* omnes codd. nostri. Libri editi, antequam Lambinus de Fabric. docuit, *certo*. — *instrumentum]* Lag. 42 *instrumenta*.

et hoc vect.] Hoc accessit in repet. Lamb. et est in Lag. 42. Sed mox *arator* ex solo Lag. 42 receptum. Vulgo *aratio*.

populo Rom.] Codex Fabric. in marg. Lamb. rep. et Lag. 42 *pr.* sed, quod maius est, postea *nostri magistratus*. Vides quid efficiatur nota male intellecta. Nam verum illud esse non credo, ut *ferat* mutata significatione pro *accipiat*, *habeat* intelligatur.

Magna enim] Vulgo *est*, sed *enim* Lag. 42. Et placet, sicut quod mox in vulg. *si modo id* omittit pronomen. Porro idem *possumus* pro vulgato *possitis*, quod non acciperem, si vulgarem interpungendi rationem probarem. Nunc enim *nihil detraho* ad praegressa refertur, quasi sit *nihil vobis detraho*. Sed ut dativus subintelligatur, vix postulandum videtur. Tu coniunge potius *nihil detraho magistratibus*.

si modo salva provincia, si sine iniuria sociorum percipere possumus. Nihil detraho magistratibus: tantundem detur in cellam, quantum semper datum est: quod praeterea Verres imperat, id, si facere non possunt, recusent; si possunt, populi Romani potius hoc sit vectigal, quam praeda praetoris. Deinde cur in uno ge- 202
nere solo frumenti ista aestimatio constituatur? Si est aequa et ferenda: debet populo Romano Sicilia decumas: det pro singulis modiis tritici ternos x: sibi habeat frumentum. Data tibi pecunia est, Verres, una, qua frumentum tibi emeres in cellam, altera, qua frumentum emeres a civitatibus, quod Romam mitteres: tibi datam pecuniam domi retines, et praeterea pecuniam permagnam tuo nomine aufers. Fac idem in eo frumento, quod ad populum Romanum pertinet; exige eadem aestimatione pecuniam a civitatibus, et refer, quam accepisti: iam refertius erit aerarium populi Romani, quam unquam fuit. At enim istam rem in pu- 203
blico frumento Sicilia non ferret: hanc rem in meo frumento tulit. Proinde quasi aut aequior sit ista aestimatio in tuo, quam in populi Romani commodo: aut

§. 202. *constituatur]* Delector coniunctivo, quem praebuit Lag. 42. Pergit enim suadere Cicero, quid fieri debeat, demonstraturus, quam absurda illa sit aestimatio. Vulgo *constituitur.* — *debet]* Hoc verbum unius Fabriciani adhuc nitebatur auctoritate, cui merito Gruterus paruit. Nunc accedit Lag. 42. Sed iidem tamen libri etiam *modiis tritici*, hoc ordine, quod Nannius neglexit, cum in suo libro commemoraret esse *ternos X* non *denarios.* De hac nota silent hoc quidem loco excerpta nostra, sed eadem redit c. 92, et pertinet ad fidem antiquae scripturae. — *iam ref. erit]* Sic fortius quam vulg. *tum* exhibent Lagom. 42 Paris. A. In marg. Lamb. aliorum ea scriptura dicitur.

§. 203. *istam rem]* „Quam tu dicis, deinde *hanc rem*, quam ego feci." Sic recte Garatonius. Codex vet. in margine Lambinianae et Lag. 42 *quam* addunt post *istam rem.* Vellem tueri, sed pronominum mutatio impedit, qua non eandem rem utroque colo dici patet.

populi Romani] Non decerno an praestet scriptura Lag. 42 *in publico commodo.* Eadem enim res est.

ea res, quam ego dico, et ea, quam tu fecisti, inter se genere iniuriae, non magnitudine pecuniae differat. Verum istam ipsam cellam ferre nullo modo possunt: ut omnia remittantur, ut omnibus iniuriis et calamitatibus, quas te praetore tulerunt, in posterum liberentur; istam se cellam atque istam aestimationem negant se ullo modo
88 ferre posse. Multa Sophocles Agrigentinus apud Cn.
204 Pompeium consulem nuper, homo disertissimus et omni doctrina et virtute ornatissimus, pro tota Sicilia de aratorum miseriis graviter et copiose dixisse ac deplorasse dicitur: ex quibus hoc iis, qui aderant, (nam magno conventu acta res est,) indignissimum videbatur, qua in re senatus optime ac benignissime cum aratoribus egisset, large liberaliterque aestimasset, in ea re praedari praetorem, bonis everti aratores; et id non modo fieri, sed ita fieri, quasi liceat concessumque sit.

205 Quid ad haec Hortensius? Falsum esse crimen? Hoc nunquam dicet. Non magnam hac ratione pecuniam captam? Ne id quidem dicet. Non iniuriam factam Siculis atque aratoribus? Qui poterit dicere? Quid igitur dicet? Fecisse alios. Quid est hoc? Utrum crimini defensio, an comitatus exilio quaeritur? Tu in hac re publica, atque in hac hominum libidine, et (ut adhuc habuit se status iudiciorum) etiam licentia, non ex

---

§. 203. *negant se]* Accusativum adiecit Lambinus iam priore, ut videri possit coniectura ductus fecisse. At habet Lag. 42, neque rursus exturbare, quod fecit Ernestius, opus est.

§. 204. *Sophocles]* Lag. 42 *Sotiis Agrigentinis.* Fortasse voluit *Sosis.* — *et copiose]* Sic IV nostri duces melioris familiae, et, si hoc aliquid esse vis, etiam edd. vetustae ante Aldinam. Haec quidem coepit *ac.* Mox *his* pro *iis* Lag. 42.

§. 205. *id quidem dicet]* Vulgo nunc quidem *dicit*, sed videtur esse mendum Gruterianae. Priores enim omnes et codd. mss. praeter Lag. 42, in quo mendose *dicat*, exhibent Futurum. — *crimini defensio]* Olim *criminis*, quod est in Lag. 5. 27. Aldinam lectionem tuentur ceteri praeter Lag. 42, in quo *his crimen.*

iure, non ex aequitate, non ex lege, non ex eo, quod oportuerit, non ex eo, quod licuerit, sed ex eo, quod aliquis fecerit, id, quod reprehenditur, recte factum esse defendes? Fecerunt alii quidem alia quam multa: 206
cur in hoc uno crimine isto genere defensionis uteris? Sunt quaedam omnino in te singularia, quae in nullum hominem alium dici neque convenire possint; quaedam tibi cum multis communia. Ergo, ut omittam tuos peculatus, ut ob ius dicendum pecunias acceptas, ut eiusmodi cetera, quae forsitan alii quoque etiam fecerint: illud, in quo te gravissime accusavi, quod ob iudicandam rem pecuniam accepisses, eadem ista ratione defendes, fecisse alios? Ut ego assentiar orationi, defensionem ta-

§. 205. *non ex eo quod oport.]* Haec verba accesserunt ex Nanniano, et leguntur in Lag. 42, in ceteris desunt. Contra Lag. 42 omittit antea *non ex iure, non ex aeq., non ex lege. — aliquis fecerit]* Lag. 29. 42 Paris. A B *aliqui.* Num igitur *fecerint* scribendum? Cf. ad IV, 65 §. 146.

§. 206. *alii quidem alia]* Codicum maxima pars et edd. vetustae *aliqui alia.* Sed nunc vulgo legitur, quod Nannius se in suo vetere libro invenisse tradidit, *alii alia.* Breve hoc quidem, nec reprehendas, sed tamen scriptura Lag. 42 cum ipsa per se commendabilis est, tum explicat veterem, *alii quidem. Quam multa* auget, pro quamvis multa, nec tamen alibi apud Ciceronem legitur, (nam lib. IV in Verr. 25 *aliquammulti* verum est,) sed apud alios: cf. Bünemann. ad Lactantium I, 5, 28; Spalding. ad Quintil. X, 7. 7. — *hom. alium]* Hoc ordine verborum quattuor nostri meliores. Vulgo *in nullum alium hominem.*

ius dicendum] Sic omnes Lagg. quamquam Pariss. silentur. Vulgo *dicundum. — quoque etiam fecerint]* Edd. vetustae *quoque fecerunt.* Naugerius et *etiam* ex aliquo meliorum dedit, et *fecerint* restituit, quod in libris mss. praeter Lag. 29 Paris. B omnibus est. Quid veteres librarios offenderit, vides. At tu cf. de orat. I, 35 extr. *nunc vero mea quoque etiam causa rogo,* ad eumque locum notam Mülleri; de invent. II, 16 *et hoc quoque admisisse.* In universum vide Ruddimanni Instit. T. II p. 371 ed. Stallb. et de *itaque ergo* Gronov. ad Liv. III, 31. — *Ut ego assent.]* Lag. 42 *Et ego.* Mox *relinquatur* corrigendum censuit Hotomanus et recepit Graevius, quod in ms. Francii, vilissimo libro, invenisset, et utrumque imitatus est Ernestius, gavisus, credo, quod et illi aliquando coniunctivos expetere coepissent. Nam dubitans tamen addit, „etsi hic non tanta tam evidens necessitas

men non probabo. Potius enim, te damnato, ceteris angustior locus improbitatis defendendae relinquetur, quam, te absoluto, alii, quod audacissime fecerunt, re-
89 cte fecisse existimentur. Lugent omnes provinciae:
207 queruntur omnes liberi populi: regna denique omnia de nostris cupiditatibus et iniuriis expostulant: locus intra oceanum iam nullus est, neque tam longinquus, neque tam reconditus, quo non per haec tempora nostrorum hominum libido iniquitasque pervaserit. Sustinere iam populus Romanus omnium nationum — non vim, non arma, non bellum, sed luctus, lacrimas, querimonias non potest. In eiusmodi re ac moribus, si is, qui erit adductus in iudicium, cum manifestis flagitiis tenebitur, alios eadem fecisse dicet: illi exempla non deerunt; rei publicae salus deerit, si improborum
208 exemplis improbi iudicio ac periculo liberabuntur. Placent vobis hominum mores? placet ita geri magistratus, ut geruntur? placet socios sic tractari, quod restat, ut per haec tempora tractatos videtis? cur haec a me opera consumitur? quid sedetis? cur non in media ora-

---

est, ut in pluribus aliis, quae nos etiam sine libris correximus." Non hercule est, neque Ernestius sua sponte sic unquam correxisset. Pendet enim coniunctivus *existimentur* a comparativo et sensu incertae rei, atque futurum adeo non nocet, ut eadem res sit si dicas *prius non abibo quam exeas*. — *recte fecisse]* Lag. 42 *ratione*, sed Adverbium videtur item Adverbium in oppositione postulare.

§. 207. *regna denique omnia]* Interponitur vulgo *iam*, quod ferrem nisi mox repeteretur. Nunc sequi praestat Lag. 42 tollentem.

luctus, lacrimas] Respondent nomina verbis praegressis, et ea convenientia augetur plurali numero *luctus*, quem restituimus ex Lag. 42, et patitur grammatica ratio. Nam sic mox *audacias*, et cf. ad II, 14 §. 35. Vulgo *luctum*. — *manif. flag.]* Vulgo *manif. in flagitiis*, sed praepositio tollenda nobis fuit auctoritate v. c. in marg. Lambini (i. e. Fabriciani) et Lag. 42, ad quos accedit liber quem Gulielmus videtur consuluisse, siquidem apud Gruterum in nota censuit abiiciendam praepositionem, quemque Metellanum putamus fuisse. Cf. ad cap. 64 §. 149. Hoc loco etiam ne nimium saepe idem verbum repetatur prodest.

tione mea consurgitis atque disceditis? Vultis autem istorum audacias atque libidines aliqua ex parte resecare? desinite dubitare, utrum sit utilius, propter multos improbos uni parcere, an unius improbi supplicio multorum improbitatem coercere.

Tametsi quae ista sunt exempla multorum? Nam 209
cum in tanta causa, cum in crimine maximo dici a de-
fensore coeptum est, factitatum esse aliquid: expectant
ii, qui audiunt, exempla ex vetere memoria et monu-
mentis ac litteris, plena dignitatis, plena antiquitatis.
Haec enim plurimum solent et auctoritatis habere ad 90
probandum, et iucunditatis ad audiendum. Africanos mihi et Catones et Laelios commemorabis? et eos idem fecisse dices? Quamvis res mihi non placeat, tamen contra hominum auctoritatem pugnare non potero. An, cum eos non poteris, proferes hos recentes, Q.

---

§. 208. *atque libidines]* Vulgo *ac libidines:* nos ex Lag. 42 *atque* magnificentius ad aures implendas. Nam miror, Ferd. Handio, viro diligentissimo, *atque* ante consonas positum raritatis causa notabile visum esse in Tursellino p. 458: est vero frequens, ubi surgit oratio et admirationem excitat, neque spernere debes hanc observatiunculam, quod in epilogo harum orationum quinquies sic ponitur, cum in reliquo libro quinto sexies.

§. 209. *in tanta causa]* Sic Lag. 42. Vulgo *causa tanta.* Mox *ex mon.* Lag. 29 Paris. A. Omittit sive *ex* sive *et* Lag. 42.

Haec enim] Enim, quod primum accessit e Nanniano, etiam in reliquis melioribus legitur, Lag. 29. 42 Paris. A B, nisi quod Paris. A notabili ad alia vitio *hoc est.* Cf. ad c. 87. — *idem fecisse]* Sic Lagom. 42. Vulgo converso ordine verborum. — *mihi non plac.]* Comparet *placeat* primum in repet. Lamb. et ex ea in Gruterianam irrepsit. Est in quattuor melioribus. — *non poteris, proferes]* Plurimi mss. et olim editi *cum eos non poteris proferre: hos recentes.* Nannius e suo libro protulit *proferre, proferes*, et accedere *proferes* simpliciter i. e. servato verbo *proferre* etiam Hotomanus in duobus libris vett. tradidit, quos quidem dicat nescio. Sic igitur cum Stephano et Lambino Graevius et alii. Sed verius tamen margo Lambinianus et Gruterus *non poteris: proferes*, in quo Fabricianum codicem (Metell.) concordantem cum Lag. 42 agnosco. Nam Nannius in eiusmodi rebus interdum negligentior est, ut nova scriptura codicis laudata obliviscatur

Catulum patrem, C. Marium, Q. Scaevolam, M. Scaurum, Q. Metellum? qui omnes provincias habuerunt, et frumentum cellae nomine imperaverunt. Magna est hominum auctoritas, et tanta, ut etiam delicti suspicio-
210 nem tegere possit. Non habes, ne ex his quidem hominibus, qui nuper fuerunt, ullum auctorem istius aestimationis. Quo me igitur, aut ad quae exempla revocas? Ab illis hominibus, qui tum versati sunt in re publica, cum et optimi mores erant, et hominum existimatio gravis habebatur, [et iudicia severa fiebant,] ad hanc hominum libidinem ac licentiam me abducis? et in quos aliquid exempli populus Romanus statui putat oportere, ab iis tu defensionis exempla quaeris? Non fugio ne hos quidem mores, dummodo ex his ea, quae probat populus Romanus exempla, non ea, quae condemnat, sequamur. Non circumspiciam, non quaeram foris: habeo iudices tecum principes civitatis, P.

---

quid praeterea in vetere mutetur. Talis autem ellipsis Infinitivi frequentior est, quam ut comprobari exemplis opus sit. Vide Perizon. ad Sanct. Minerv. IV, 12, 3. — *Q. Scaevolam, M. Scaurum, Q. Metellum]* Cum duo sint Q. Scaevolae, plures Q. Metelli, incertum relinquitur, qui ex illis h. l. dicantur. Mihi quidem Q. Mucius Pontifex videtur esse, de cuius innocentia in administranda provincia vide ad Divin. c. 17 §. 57; Metellus autem Numidicus, Cos. a. 109 a. Chr. Certe non est idem, qui §. 211 avus P. Servilii (ex filia) appellatur, quem ex orat. pro domo c. 47 constat fuisse Macedonicum, his fere aequalibus aliquanto maiorem.

§. 210. *ad quae exempla]* Lag. 42 interponit *ad quae me exempla.* — *et iudic. sev. fiebant*] Hoc colon cancellis notavi, quippe suspectae fidei. Abest a Paris. A B, et in Lag. 29 *severe*, in 42 *fuerunt*, quo suspicio augetur, ut in margine adscriptum videatur. Mox *lib. ac licent.* boni omnes, vulgo *lic. et libidinem.* Sed *adducis* Lag. 29 et 42, *ab istis* pro *ab iis tu* Lag. 42 mendose. — *habeo iud. tecum*] Olim edebatur secundum deteriores *habeas iud. tecum.* Primus Naugerius praemisit *cum*, et sustulit *tecum*, quamvis omnes libri servent. Atque sic postea vulgo editum est. Quod in quattuor melioribus meis est *habes* pro *habeas*, sic ferri nequit, nam *secum habere* aliquis non dicitur nisi domesticos vel familiares. Corrigendum est sicut Lambinus

Servilium et Q. Catulum: qui tanta auctoritate sunt, tantis rebus gestis, ut in illo antiquissimorum clarissimorumque hominum, de quibus antea dixi, numero reponantur. Exempla quaerimus, et ea non antiqua. Modo uterque horum exercitum habuit. Quaere, Hor- 211
tensi, quoniam te recentia exempla delectant, quid fecerint. Itane vero? Q. Catulus frumento est usus, pecuniam non coegit. P. Servilius quinquennium exercitui cum praeesset, et ista ratione innumerabilem pecuniam facere cum posset, non statuit sibi quicquam licere, quod non patrem suum, non avum Q. Metellum, clarissimum hominem, facere vidisset. C. Verres reperietur, qui, quicquid expediat, id licere dicat? quod

---

in marg. repet. voluit et exhibet unus Lag. 48 *habeo*, revocandum autem *tecum*. Nam *habere iudicem* legitimum est, qui de aliqua re nostra iudicet, pertinetque aeque ad accusatorem atque ad reum. Illorum autem iudicum suorum personis perquam saepe utitur Cicero, Servilii imprimis lib. I, 21; Catuli IV, 31; mox C. Marcelli IV, 42. Hoc autem loco *et* ante Catuli nomen adiecimus ex quattuor bonis nostris. Vulgo abest. — *antiquiss. clar.que*] Sic Lamb. in marg. (Fabric.) et Lag. 42. Vulgo *antiquorum et clarissimorum*, quod magnam habet offensionem propter diversitatem graduum. Eam enim concinnitatem diligentissime observat Cicero, et quis non elegantiae studiosus? In his orationibus ex libris integrioribus emendavimus, quod vulgo legitur IV, 17 *promptissimi hominis et experientis*, et V, 67 *in morte misera atque indignissima*. Item in orat. p. Sulla c. 32 ex Erfurtensi, in illa particula eximii pretii, scribendum *fortuna miserrima ac luctuosissima* (pro *misera*) et ex eodem p. Mil. 27 *ab equite Rom. splendido et forti* pro *splendidissimo*.

§. 211. *quinquennium exercitui*] Numerat a consulatu a. 79 a. Chr. usque ad a. 75, quo triumphavit de Isauris. Alioquin Orosius V, 23 triennio rem gestam tradit. Olympum cepit (cf. I, 21), Phaselidem evertit (cf. IV, 10), Corycum diruit, primus Romanorum per Taurum montem duxit exercitum et Isauros bello fractos in dicionem redegit, unde meritum Isaurici nomen assumpsit. — *facere cum posset*] Repetivi coniunctionem fide v. c. in marg. Lamb. et Lag. 42. Neque inutiliter repetitur, cum significatione varietur. — *clar. hom.*] Vulgo totum hoc epitheton abest, dignissimum viro triumphali et censorio, neque quisquam ei, qui Lag. 42 exaravit, imputabit: voluit etiam addi Lamb. in marg. repetitae, e Fabric. haud dubie. — *quicquid exped.*] Sic fortius

nemo nisi improbus fecerit, id aliorum exemplo se fe-
91 cisse defendat? At in Sicilia factitatum est. Quae est ista condicio Siciliae? cur, quae optimo iure, propter vetustatem, fidelitatem propinquitatemque esse debet,
212 huic praecipua lex iniuriae definitur? Sed in ista ipsa Sicilia non quaeram exemplum foris: hoc ipso ex consilio utar exemplis. C. Marcelle, te appello. Siciliae provinciae, cum esses pro consule, praefuisti: num quae in tuo imperio pecuniae cellae nomine coactae sunt? Neque ego hoc in tua laude pono: alia sunt tua facta atque consilia, summa laude digna, quibus illam tu provinciam afflictam et perditam erexisti atque recreasti; nam hoc de cella ne Lepidus quidem fecerat, cui tu successisti. Quae sunt tibi igitur exempla in Sicilia cellae, si hoc crimen non modo Marcelli facto, sed
213 ne Lepidi quidem potes defendere? An me ad M. Antonii aestimationem frumenti exactionemque pecuniae revocaturus es? Ita, inquit, ad M. Antonium: hoc enim

---

et ad rem aptius Lag. 42. Vulgo *quod*. Sed mox idem ille *ad aliorum exempla fecisse*. Quin possit defendi utraque varietas nemo dubitabit, quamquam *exemplo* potius alicuius facere solet Cicero dicere, quam *ad exemplum*, sed potest tamen etiam mendi suspicio esse.

propinquitatemque] Vulgo *que* abest, quod addidimus ex Lag. 42.

§. 212. *consilio]* Lag. 29 Paris. A B *concilio*, male: iudices enim et deliberant et sententias ferunt. Tum C. Marcellus Siciliae praefuisse dicitur *pro consule*, quod pertinet ad maiorem vim, si ille voluisset uti, inferendae iniuriae: fuerat enim re vera praetor tantum, sed in illis turbis post Sullae mortem et metum recrudescentis belli civilis (a. 78 a. Chr.) proconsularem ei potestatem a senatu datam verisimile fit. Verum Lagom. 27. 42 tamen *proconsul*. Idem 42 pro *summa* habet *suprema*, item male. — *ne Lepidus quidem]* Sic adhuc de Hotomani coniectura edebatur, codd. enim omnes *ante Lepidus quidem fecerat*. Nunc confirmat Lag. 42. De Lepido vexatore Siciliae cf. lib. II, 3 §. 8 et nostram annotationem. — *in Sicilia cellae]* Lag. 42 *Siciliae*, nihil aliud: et habet sane genitivus *cellae*, in quo merito offendas. Sed in illo libro omittitur item *si*.

§. 213. *ad M. Antonium]* Optime sic Lagom. 42 pro vulg. *Antonii*, solent enim veteres scriptores, ubi non repetunt verbum praegressum, pro genitivo ponere eum casum, quo ponendum fuit verbum

mihi significasse et annuisse visus est. Ex omnibus igitur populi Romani praetoribus, consulibus, imperatoribus, M. Antonium delegisti, et eius unum improbissimum factum, quod imitarere! Et hic utrum mihi difficile est dicere, an his existimare, ita se in isto infinito imperio M. Antonium gessisse, ut multo isti perniciosius sit dicere, se in re improbissima voluisse imitari Antonium, quam si posset defendere, nihil in vita se M. Antonii simile fecisse. Homines in iudiciis ad crimen defendendum, non, quid fecerit quispiam, proferre solent, sed quid probarit. Antonium, cum multa contra sociorum salutem, multa contra utilitatem pro-

---

omissum. De M. Antonio, Triumviri patre, homine *perdundae pecuniae genito*, ut ait Sallustius in fragm. libri III Hist., et eius *infinito imperio* cf. lib. II, 3 cum Asconio et Ferratio. Cum praetor in urbe fuisset anno 75 ante Christum, 679 urbis conditae, curator orae maritimae cum eadem, qua postea Cn. Pompeius, potestate factus, in Sicilia fuit anno 74 (praetore C. Sacerdote) item anno 73 si non ipse, certe praefectus eius, cf. Divin. c. 17, quo anno iam Verres Siciliae praeerat. Mox male re gesta in bello adversus Cretenses morbo obiit.

praetoribus, consulibus] Sic olim edebatur, donec ex Nanniano coeptum est *proconsulibus*. Ernestius veterem lectionem restituit, censuit item Garatonius laudatis lib. I, 25 extr. et praecipue III, 82, quo loco de *praetorum aut consulum* postulatis, quae ad rem frumentariam pertinent, dicitur. Lag. 42 *Ex omnibus igitur populi Rom. proconsulibus*, ut intelligas notam praecedentem *pr.* aliquid turbarum excitasse. Sed placet quod encliticam *ne*, quae vulgo adhaeret verbo *omnibus*, tollit. Neque enim interrogatio potius est, quam conclusio. Mox Lag. 42 *imitere. — in isto*] Sic omnes mss. et olim editi usque ad Victorianam, in qua primum temere *illo* editum est.

imitari Ant.] et reliqua ex fide optimorum librorum et imprimis Lag. 42 scripsi. Vulgo autem *Ant. imitari quam si defendere possit*. Olim autem ex deterioribus *se def. possit*, sine sensu; quod cum Nannius corrigeret, simul negligenter verborum ordinem invertit. Sensus autem hic est: tam male sese gessit Antonius, ut Verri non noceret, si nulla in re sese Antonii similem fuisse probare posset: cum nunc illius ipsius libidinosissimi hominis improbissimum factum se imitatum esse fateatur. — *sed quid probarit*] Sic de coniectura Hotomani Lambinus, Gruterus, ceteri. Codd. omnes *probarint*. Neque ego eorum patrocinium suscipiam in tam manifesta continuatione structurae.

contra sociorum] Lag. 42 *sociorum contra salutem*, quod hyper-

vinciarum et faceret et cogitaret, in mediis iniuriis eius et cupiditatibus mors oppressit. Tu mihi, quasi omnia eius facta atque consilia senatus, populus, iudices comprobarint, ita M. Antonii exemplo istius audaciam de-
92 fendis. At idem fecit Sacerdos. Hominem innocen-
214 tem et summa prudentia praeditum nominas: sed tum idem fecisse erit existimandus, si eodem consilio fecerit. Nam genus aestimationis ipsum a me nunquam est reprehensum: sed eius aequitas aratorum commodo et voluntate perpenditur. Non potest reprehendi ulla aestimatio, quae aratori non modo incommoda non est, sed etiam grata est. Sacerdos, ut in provinciam venit, frumentum in cellam imperavit. Cum esset ante novum tritici modius x. v, petiverunt ab eo civitates, ut aestimaret. Remissior aliquanto eius fuit aestimatio, quam annona: nam aestimavit x. III. Vides, ean-

---

bati genus insolens videtur, sed c. 95 *cum summa sociorum iniuria.* Mox *utilitatem* cum Nanniano Lag. 42. Ceteri et edd. vett. *voluntatem.* Sed ut h. l. Lag. 42 verum, sic inseq. cap. in eodem verbo peccat, bis *utilitatem* pro *vilitate* exhibens. Tum *iniuriis eius* Lag. 42. Vulgo *eius iniuriis.* — *senatus, populus, iudices]* Codd. et edd. vetustae *S. P.que R. iudices*, quod recentiores editores partim sic retinuerunt, partim Naugerium secuti genitivum *populique Rom.* fecerunt. Utraque ratio ferri nequit, nam *iudices populi Rom.* nunquam leguntur, nec cum appellentur tria, medio adiungere copulam pro Ciceroniano habendum. Ernestius *iudices* spurium existimavit et uncis a reliquo contextu exclusit: sed pluralem neglexit, quem non fert illa compositio. Quanto praestat fidem Lag. 42 sequi et delere notas *Q. R.* ut tres potestates in rep. *ἀσυνδέτως* nominentur? Ex eodem libro ordinem verborum restitui *omnia eius*, cum vulgo sit *eius omnia.*

§. 214. *ulla aestim.]* i. e. ne maxima quidem. *Illa* nonnullae editiones mediae aetatis et Lambinus, qui etiam sic esse in v. c. notavit in marg. repet. sed hoc mendum esse existimandum est.

x. v] Vulgo *denariis quinque.* Codd. fere *SS XV* aut *HS XV*, unus Lag. 42 *XV* tantum, recte, nam *X* nota denarii est. Etiam postea pro *denariis III* libri mss. aut XIII aut omisso X tantum III, quocirca nos denarios nota potius indicavimus, quam litteris. — *quam annona]* Nannianus (et Lag. 42) *annonae*, quod et receptum est a Grutero, homine perversi iudicii, quamvis ipse Nannius recte monuisset, ipsam annonam

dem aestimationem propter temporis dissimilitudinem in illo laudis causam habere, in te criminis; in illo beneficii, in te iniuriae. Eodem tempore praetor Anto- 215
nius x. III aestimavit, post messem, summa in vilitate, cum aratores frumentum dare gratis mallent. Et aiebat, se tantidem aestimasse, quanti Sacerdotem; neque mentiebatur: sed eadem aestimatione alter sublevarat aratores, alter everterat. Quodnisi omnis frumenti ratio ex temporibus esset et annona, non ex numero neque ex summa consideranda: nunquam tam grati hi sesquimodii, Q. Hortensi, fuissent, quos tu cum ad mensurae tam exiguam rationem populo Romano in capita descripsisses, gratissimum omnibus fecisti. Caritas enim annonae faciebat, ut istuc, quod re parvum videbatur, tempore magnum videretur. Idem istuc si in vilitate populo Romano largiri voluisses, derisum tuum beneficium esset atque contemptum. Noli igitur 93
dicere, istum idem fecisse, quod Sacerdotem, quoniam 216
non eodem tempore neque simili fecit annona: dicito potius, quoniam habes auctorem idoneum, quod Antonius uno adventu et vix menstruis cibariis fecerit, id

---

aestimationem quandam esse, ut ea denuo aestimari non posset. Gruteri tamen auctoritas imposuit Graevio et Ernestio.

§. 215. *praetor Ant.]* Addimus potestatis nomen postulantibus nostris IV melioribus. Posse abesse fateor, nam fuit et ipse propraetor anno 74 a. Chr. sed addidisse librarium quis crediderit?

X. III] Sic Lag. 42. Vulgo *denariis III.* Idem cum Lamb. in marg. repet. *mallent* pro vulg. *malebant:* tum *eadem aestimatione:* vulgo interponitur *ista.* — *grati hi sesquimodii]* Sic meliores libri. Edd. princ. *semimodii* ex coniectura. Nam etiam deteriores mss. *sequimodii.*

§. 216. *non eodem]* Sic Lambinus edidit pro scriptura vetere *non eo*, fortasse ex coniectura, renovata ab Ernestio, sed necessaria illa quidem, et nunc etiam comprobata per Lagom. 42. Neglexerat Nannius, quamvis haud dubie idem invenisset in libro suo, in quo *annona* legi doceret, sicut coniecerat Hotomanus (et habet item Lag. 42) pro ceterorum librorum omnium aperto mendo *anno.*

istum per triennium fecisse; et istius innocentiam M. Antonii facto atque auctoritate defendito. Nam de Sex. quidem Peducaeo, fortissimo atque innocentissimo viro, quid dicetis? de quo quis unquam arator questus est? aut quis non ad hoc tempus innocentissimam omnium diligentissimamque praeturam illius hominis existimat? Biennium provinciam obtinuit, cum alter annus in vilitate, alter in summa caritate fuerit: num aut in vilitate nummum arator quisquam dedit, aut in caritate de aestimatione frumenti questus est? At uberiora cibaria facta sunt caritate. Credo: neque id est novum
217 neque reprehendendum. Modo C. Sentium vidimus, hominem vetere illa ac singulari innocentia praeditum, propter caritatem frumenti, quae fuerat in Macedonia, permagnam ex cibariis pecuniam deportare. Quamobrem non ego invideo commodis tuis, si quae ad te lege venerunt: iniuriam queror, improbitatem coarguo, avaritiam in crimen et in iudicium voco.

Quodsi suspiciones iniicere velitis, ad plures homines, ad plures provincias crimen hoc pertinere: non

---

§. 216. *dicetis]* Sic e Nanniano Gruterus et consentiunt nostri IV. Ceteri *dicitis*, etiam Stephanus et hunc secutus Lambinus.

existimat] Sic IV nostri boni. Vulgo ex deterioribus *existimavit*, quasi nunc non amplius. — *Biennium]* Sic unus antehac Nannianus, nunc etiam Lag. 42. Ceteri *biennio* minus ex usu Ciceronis, quam posteriorum scriptorum. Vide Gramm. nostram §. 396.

§. 217. *deportare]* Mediae aetatis editores aliquot, Victor. P. Manutius et qui hunc sequuntur, *reportare* de suo dederunt. Cf. ad c. 61. Verum restitutum est denuo auctoritate Nanniani libri.

commodis tuis] libri mss. omnes. Edd. *tuis commodis*. Mox *si qua* vulgo: *si quae* unus Lag. 42, sed prorsus ex usu Ciceronis et vel eam ob causam commendandum, ne ambigua fiat oratio.

coarguo] Sic Nannianus, Lambini v. c. in marg. repetitae, Lag. 42, editurque vulgo post Gruterum. Ceteri libri *arguo*.

velitis] Vulgo *voletis*, sed illud elegantius Lag. 42. Hic et bis *pluris* habet, et asyndeton sublata coniunctione facit, quoniam vulgo est *et ad plures provincias*.

ego istam defensionem vestram pertimescam, sed me
omnium provinciarum defensorem esse profitebor. Ete-
nim hoc dico, et magna voce dico: ubicunque hoc fa-
ctum est, improbe factum est; quicunque hoc fecit,
supplicio dignus est. Nam, per deos immortales! vi- 94
dete, iudices, et prospicite animis, quid futurum sit. 218
Multi magnas pecunias ab invitis civitatibus atque ab
invitis aratoribus ista ratione, cellae nomine, coegerunt:
(omnino ego neminem video praeter istum, sed do
hoc vobis et concedo, esse multos:) in hoc homine
rem adductam in iudicium videtis. Quid facere pote-
stis? Utrum, cum iudices sitis de pecunia capta, con-
ciliata, tantam pecuniam captam negligere; an, cum
lex sociorum causa rogata sit, sociorum querimonias
non audire? Verum hoc quoque vobis remitto: negli- 219
gite praeterita, si vultis, sed ne reliquas spes turbe-
tis atque omnes provincias evertatis; id providete, ne
avaritiae, quae antehac occultis itineribus atque angu-
stis uti solebat, auctoritate vestra viam patefaciatis il-
lustrem atque latam. Nam si hoc probatis, et si li-
cere pecunias isto nomine capi iudicatis, certe hoc,
quod adhuc nemo nisi improbissimus fecit, posthac
nemo nisi stultissimus non faciet. Improbi sunt, qui
pecunias contra leges cogunt, stulti, qui, quod licere
iudicatum est, praetermittunt. Deinde, iudices, videte, 220
quam infinitam sitis hominibus licentiam pecuniarum
eripiendarum daturi. Si ternos denarios qui coegit,

---

§. 219. *et si licere]* Omisi fide IV meliorum quod adiicitur *hoc*, nam quod praecedit *hoc*, id ipsum est ut liceat pecunias capi.

§. 220. *daturi. Si ternos den.]* Lag. 42 *quam infinitam istis hominibus — daturi sitis . . . . XII qui*, nec muto, sed videtur *X. III* voluisse. *Quinos* accessit ex Nanniano, nunc etiam ex Lag. 42. Item ex Nanniano adhuc solo editur *ferendus* pro olim vulgato *deferendus*, quod est in deterioribus codd. aut alterum *referendus*. Nunc simplex confirmatur IV nostris, quamquam Lag. 42 *ferundus*. Tum *et* ante *in quo* abest a Lag. 29 Paris. A B.

erit absolutus: quaternos, quinos, denos denique aut vicenos coget alius. Quae erit reprehensio? in quo primum iniuriae gradu resistere incipiet severitas iudicis? quotus erit iste denarius, qui non sit ferendus, et in quo primum aestimationis iniquitas atque improbitas reprehendatur? Non enim a vobis summa, sed genus aestimationis erit comprobatum: neque hoc potestis iudicare, ternis denariis aestimare licere, denis non licere. Ubi enim semel ab annonae ratione et ab aratorum voluntate res ad praetoris libidinem translata est; non est iam in lege neque in officio, sed in voluntate hominum atque avaritia positus modus aesti-
95 mandi. Quapropter si vos semel in iudicando finem aequitatis et legis transieritis, scitote, vos nullum ceteris in aestimando finem improbitatis et avaritiae re-
221 liquisse. Videte igitur, quam multa simul a vobis postulentur. Absolvite eum, qui se fateatur maximas pe-

---

§. 220. *erit comprob.]* Sic editur e Nanniano, accedentibus nunc bonis nostris quattuor. In reliquis *est.* — *ternis denar.]* Lag. 42 *tuis* mendose; *trinis* non video in codd. Mox *denis non licere* Nannianum, Fabricianum, Lag. 42 solos habet auctores, sed idoneos.

in lege neque in officio] Editi omnes *atque in officio*, quod nescio an contra integritatem Latini sermonis esse dicam. Nam cum negatio praecedat, et dirimantur repetita praepositione *lex* et *officium*, videtur debere esse *in lege aut in officio* sive *non — in lege neque in officio*, sicut supra cap. 92 extr. est *Quodnisi omnis frumenti ratio ex temporibus esset et annona, non ex numero neque ex summa consideranda;* IV, 55 §. 123 *qui non Honori neque Virtuti, sed Veneri et Cupidini vota deberet.* Quid vero, quod *atque* in nullo msto legitur, nisi forte in Paris. A, qui siletur? in omnibus *neque* est, in uno Lag. 42 mendose *que.* — *atque avaritia]* Sic cum Nanniano IV nostri illi meliores, ceteri cum olim editis *audacia.* Extr. cap. videtur fuisse *aestimandi modus* ex mendosa scriptura Lag. 42 *extimari istum.* In hoc enim libro summa fides interdum ridicula imbecillitate coniuncta est, praesertim sub finem orationis, sicut h. l. pro *aratorum* habet *instrumentorum*, pro *iam tam*, pro *positus potius*, qualia in Appendicem fere removere soleo.

improbitatis] Plerique codd. interque eos Lag. 29 Paris. B *improbitati.* Genitivum tuetur Lagom. 42.

cunias cum summa sociorum iniuria cepisse. Non est satis. Sunt alii quoque complures, idem qui fecerint. Absolvite etiam illos, si qui sunt, ut uno iudicio quam plurimos improbos liberetis. Ne id quidem satis est. Facite, ut ceteris posthac idem liceat. Licebit. At hoc parum est. Permittite, ut liceat, quanti quisque velit, tanti aestimet. Aestimabit. Videtis iam profecto, iudices, hac aestimatione a vobis comprobata, neque modum posthac avaritiae cuiusquam, neque poenam improbitatis futuram. Quas ob res, quid agis, 222
Hortensi? Consul es designatus: provinciam sortitus es: de aestimatione frumenti cum dices, sic te audiemus, quasi id, quod ab isto recte factum esse defendis, te facturum profiteare, et quasi, quod isti licitum esse dicis, vehementer cupias tibi licere. Atqui, si id

---

§. 221. *Non est satis] Est* adiecit primus Lambinus ex aliquo meliorum, aut ex coniectura, IV certe nostris comprobata.

complures] Gruterus e textu repet. Lamb. recepit *plures*, neglexitque Ernestius. Sed mss. omnes aut *compl.* aut *quamplures* habent. Tum *idem qui* eleganter Lag. 42 pro vulg. *qui idem*, qualia nonnunquam correctores corrumpere soliti sunt: velut IV, 4 §. 8 restituimus *omnia qui signa — coemeret.* Cf. paulo ante §. 220 *ternos denarios qui coegit.* IV, 9 extr. *praeda quos augeant.* 24 *illa, ex patellis et turibulis quae evellerat.* 56 pr. *haec qui non viderint.*

improbos] Sic editur ex Nanniano, nunc etiam Lagom. 42. Libri *impios.* — *At hoc*] Fulvius Ursinus ex vet. libro *adhuc* profert, quod cum probasset Gruterus, recepit Graevius, confirmavitque Lallemandus unius Regii codicis suffragio. Verum dicit, nam Paris. B *ad hőc.* Etiam Lag. 42 accedere videtur, in quo esse notatur *at huc.* Sed haec nondum me permovent ut probem. — *aestimet. Aestimabit*] Abest *aestimet* ab omnibus mss. certe nostris, et primum comparet in Cratandrina. Lag. 42 alia omnia habet: *tanti agere permissum est. stultissimus quisque pro ac nummo ext et extimant*, et e correctione *extimavit*, ex qua scriptura nondum extudi quod placeat.

§. 222. *de aest. frum. cum*] Sic boni omnes, non ut vulgo perturbato verborum ordine *de aest. cum dices frumenti.*

defendis — dicis] Sic edd. vetustae ante Aldinam et Lagom. 42, sed *defendis* etiam ceteri mss. omnes, Naugerius correxit *defendes — dices.* Si nondum constaret quid defensurus esset, coniunctivus potius

licebit, nihil est, quod putetis quemquam posthac commissurum, ut de pecuniis repetundis condemnari possit. Quantam enim quisque concupierit pecuniam, tantam licebit per cellae nomen aestimationis magnitudine consequatur.

96 At enim est quiddam, quod, etiamsi palam in de-
223 fendendo non dicit Hortensius, tamen ita dicit, ut vos id suspicari et cogitare possitis, pertinere hoc ad commodum senatorium; pertinere ad utilitatem eorum, qui iudicent, qui in provinciis cum potestate aut cum legatione se futuros aliquando arbitrentur. Praeclaros vero existimas iudices nos habere, quos alienis peccatis concessuros putes, quo facilius ipsis peccare liceat! Ergo id volumus populum Romanum, id provincias, id socios nationesque exteras existimare, si senatores iudicent, hoc certe unum genus infinitae pecuniae per summam iniuriam cogendae nullo modo posse reprehendi? Quod si ita est, quid possumus contra illum praetorem dicere, qui cotidie templum tenet, qui rem

---

esse deberet: at Cicero non dubitat quin Hortensius aliorum exemplis Verrem et nunc excuset, et in iudicio excusaturus sit. Mox pro *vehementer* in v. c. (Fabric.) Lambinus tradit lectum esse *inmane*, et quod in Lagom. 42 est *tu mane* eodem potest revocari. Tuetur Garatonius, sed poetarum et posteriorum scriptorum usu, de quo cf. Gramm. nostram §. 266, neque *insane*, quod item ille proponit, Ciceronianum est. Dixi iam supra, optimos codd. sub finem huius orationis frequentioribus mendis quam alibi oppletos esse.

§. 223. *aut cum legatione*] Lagom. 42 *atque legatione*.

Praeclaros vero] Coniecerat primum sic legendum esse pro olim vulg. *viros* Lambinus sine codice, postea in nota repet. editionis etiam veteres codices laudat, uno Fabriciano scilicet ad pluralem numerum abusus. Nam ne nostrorum quidem alius praeter Lag. 42. Sed usus sermonis in respondendo postulat. Reliqua Lag. 42 mendosissime *praeclarius vero existimatis id nos hab. quos mali eius pecuniis*. Itaque utrum *ipsos*, quod vulgo editur, an *ipsis*, quod malebat Ernestius, legendum sit, ex hoc non constitues. At simul tres alii boni Lag. 29 Paris. A B *ipsis* exhibent. Ceterum cf. ad V, 18 §. 45.

illum praetorem] L. Aurelium Cottam, quem nomine quidem ora-

publicam sistere negat posse, nisi ad equestrem ordinem iudicia referantur? Quodsi ille hoc unum agitare 224
coeperit, esse aliquod genus cogendae pecuniae, senatorum commune, et iam prope concessum ordini, quo genere ab sociis maxima pecunia per summam iniuriam auferatur; neque id ullo modo senatoriis iudiciis reprehendi posse; idque, dum equester ordo iudicaret, nunquam esse commissum: quis obsistet? quis erit tam cupidus vestrum, tam fautor ordinis, qui de transferendis iudiciis possit recusare? Atque utinam posset 97
aliqua ratione hoc crimen, quamvis falsa, modo humana atque usitata, defendere: minore periculo vestro,

---

tor in his orationibus nusquam appellat, sed significat saepissime, velut Act. I, 1. lib. V, 69. Etenim huius anni (70 a. Chr.) exitu legem Aureliam de communicandis iudiciis senatui et equitibus Rom. et tribunis aerariis pertulit. — *remp. sistere]* Ex Nanniano libro Stephanus edidit *subsistere*, recepitque ex repet. Lambiniana Gruterus. Habet etiam Lagom. 42, sed sic: *subsistere posse non negat*, unde mendositatem agnoscas: sed non erat quod Ernestius quasi laetaretur, ergo ne Nannianum quidem librum ἀναμάρτητον esse. Nescio num quis putaverit, et falsum esset: sed tanta vitia non extant nisi in his extremis paginis. Constat *sistere* verum esse ex iis, quae I. Fr. Gronovius ad Liv. IV, 12 docte disputat, quamquam alii quidem scriptores et imprimis frequenter Livius *sisti non potest* impersonaliter ponunt: est enim *sistere* interdum id quod consistere, unde cadit Ernestii suspicio, etiam *rem publicam* tollendum videri. Mox vulgo *ni*, pro quo nos ex Lag. 42 *nisi* dedimus, pleniorem formam in oratione pleniore. Cf. ad cap. 64.

§. 224. *cog. pec.]* Lag. 42 *cogendi pecunias*. — *auferatur]* Recte restituisse videtur Ernestius hanc omnium librorum scripturam, pro quo Stephanus, Gruterus, Graevius ex Nanniano ediderant *averratur*: Lag. 42 *avertantur*, quod favet coniecturae Lambini *avertatur*. Dixi supra ad c. 78, h. l. etiam minus fido libris alioquin optimis.

neque id ullo modo] Sic Lag. 42 et v. c. in marg. Lamb., ceteri mss. et olim editi *neque illud modo*. P. Manutius *ullo modo* correxit, sed convenit nunc ex illis libris, qui illam coniecturam confirmant, etiam recipere *id*. Ac solent pronomina in huiuscemodi continuatione fere diligenter exprimi, forensi quodam stilo. — *quis obsistet]* Sic Nannianus et IV nostri meliores. Ceteri *obstet*. Sed *cupidus vestrum* pro olim vulg. *vestri* praeter Nannianum non est nisi in uno Lag. 42. Cf. Gramm. nostram §. 431.

minore periculo provinciarum omnium iudicaretis. Negaret hac aestimatione se usum: vos id homini credidisse, non factum comprobasse videremini. Nullo modo negare potest: urgetur a tota Sicilia: nemo est ex tanto numero aratorum, a quo pecunia cellae no-
225 mine non sit exacta. Vellem etiam hoc posset dicere, nihil ad se istam rationem pertinere; per quaestores rem frumentariam esse administratam. Ne id quidem ei licet dicere, propterea quod ipsius litterae recitantur, ad civitates de ternis denariis missae. Quae est igitur defensio? Feci, quod arguis: coegi pecunias maximas cellae nomine: sed hoc mihi licuit; vobis, si prospicitis, licebit. Periculosum provinciis, genus iniuriae confirmari iudicio; perniciosum nostro ordini, populum Romanum existimare, non posse eos homines, qui ipsi legibus teneantur, leges in iudicando religiose defendere. Atque isto praetore, iudices, non solum aestimandi frumenti modus non fuit, sed ne imperandi quidem. Neque enim id, quod debebatur, sed

---

§. 224. *Negaret hac aest.]* Vulgo *neg. hic aest.* Sed aestimatio non reprehenditur, arguitur eius acerbitas. Itaque recipiendum sine dubio ex Lag. 42 Paris. A B *hac*, quo eodem pertinet Lag. 29 *ac*. Lambinus, cum antea edidisset *Vellem negare posset aestim. se usum*, ne acceptis quidem Fabriciani codicis excerptis a coniecturis inutilibus abstinuit, cum scribi vellet *Si negaret hac aest.* cet. Nam quid attinet eam coniunctionem exprimere, cum facile audiatur? cf. ad V, 65 extr. Mox *homini credidisse* hoc ordine ex Lagom. 42 corrupta scriptura *hominibus credidisse*, cum qua etiam Lamb. v. c. consentit, recepi. — *urgetur a tota Sicil.]* Praepositio primum comparet in edit. P. Manutii, sed est in IV nostris melioribus, quod notandum Garatonii causa, qui denuo tolli voluit.

§. 225. *coegi pec.]* Lag. 42. *cepi.* — *eos homines, qui* cet.] i. e. Senatores, nam lege repetundarum non tenebantur nisi magistratus, quorum nomina vide initio legis Serviliae. Cf. etiam p. Rabirio Post. c. 5 extr. sqq. ubi hoc ipsum docet, equites Rom. illa esse liberos solutosque. — *modus non fuit]* Lag. 1 et 42 *non* omittunt, male, cum verbum commune in priore membro sit, vide Gramm. nostr. §. 726. Idem Lag. 42 cum Lambini v. c. in marg. *debetur* pro *debebatur*, quod Lambinus recipiendum putavit.

quantum commodum fuit, imperavit. Summam faciam vobis ex litteris publicis ac testimoniis civitatum frumenti in cellam imperati: reperietis quinquiens tanto, iudices, amplius istum, quam quantum in cellam ei sumere licitum sit, civitatibus imperasse. Quid ad hanc impudentiam addi potest, si et aestimavit tanti, ut homines ferre non possent, et tanto plus, quam erat ei concessum legibus, imperavit?

Quapropter, cognita tota re frumentaria, iudices, 226
iam facillime perspicere potestis, amissam esse populo Romano Siciliam, fructuosissimam atque opportunissimam provinciam, nisi eam vos istius damnatione recuperatis. Quid est enim Sicilia, si ei agri cultionem sustuleris, et si aratorum numerum ac nomen extinxeris? Quid autem potest esse in calamitate residui, quod non ad miseros aratores, isto praetore, per summam iniuriam ignominiamque pervenerit? quibus, cum decumas dare deberent, vix ipsis decumae relictae sunt; cum pecunia deberetur, soluta non est; cum optima aestimatione senatus frumentum eos in cellam dare voluisset, etiam instrumenta agrorum vendere coacti sunt.
Dixi iam antea, iudices, ut has omnes iniurias tollatis, 98
227

§. 225. *ex litt. pub. ac]* Hoc vere Lag. 42 et prorsus ex more et ratione. Vulgo *ex publicis litt. et test.* Sed *ac* etiam reliqui boni.

in cellam ei] Sic Lag. 29 Paris. A B alio verborum ordine, quam quo vulgo *ei in cellam.* In Lag. 42 deest *ei*, et pro eo post *sumere* legitur *et* mendose.

§. 226. *persp. potestis]* Lag. 42 *poteritis*, quod tamen cum *iam* non recte videtur concordare. Mox idem *recipiatis* pro *recuperatis.*

si ei agri cult.] Lag. 42 *si agricultorem:* neque dativum magnopere desidero, immo malo abesse. Cf. ad IV, 12 extr. — *Quid autem potest]* Continuatur argumentatio, et procedit, ut facile intelligas huic scripturae Lag. 29 Paris. A B cedere debere vulgatam *quid enim.* Confundi earum particularum notas vides saepissime, cf. Append. §. 227. Quod sequitur *residui* potest sane defendi, sed habet tamen offensionis aliquid propter insolentiam. Lag. 42 *reliqui.* — *vix ipsis]* Coniunge *quibus ipsis*, et facile senties, quam hoc praestet coniecturae Lambini *ipsae.*

agitur hoc iudicio, nisi ut antiquissimi socii fidelissimique, Siculi, coloni populi Romani atque aratores, vestra severitate et diligentia, me duce atque auctore, in agros atque in sedes suas revertantur.

---

non possent, vulgo quidem audire, sed id non est cognoscere. Praeterea earum formarum confusio frequentissima est. Idem visum est Orellio in var. lect. emendandum esse.

in sedes suas] Vulgo nunc *aedes*. Mirum quamdiu tam apertum vitium viros doctos fefellerit. Id e textu repet. Lambinianae cum Gruterus hausisset, ad hanc aetatem usque religiosa quaedam reverentia textus vulgati defendit. Si semel indicaveris, supervacuum paene est addere, mss. omnes exhibere *sedes*.

M. TULLII CICERONIS

VERRINARUM


LIBRI SEPTEM.

AD FIDEM CODICUM MANU SCRIPTORUM

RECENSUIT ET EXPLICAVIT

CAR. TIMOTH. ZUMPTIUS.

VOL. II.


BRITISH MUSEUM

ACTIONIS SECUNDAE
SIVE
ACCUSATIONIS IN C. VERREM
LIBER QUARTUS.

[DE SIGNIS.]

ARGUMENTUM EDITORIS.

Continet liber quartus furta et maleficia C. Verris in auferendis signis, tabulis pictis, ceterisque ornamentis tota Sicilia commissa. Quae persequens orator hoc ordine utitur, ut primum privatorum hominum, deinde oppidorum et fanorum expoliationes et direptiones ostendat.

Incipit propter furti magnitudinem ab Heio Mamertino (cap. 2—8), qui cum idem princeps legationis esset a Mamertinis laudandi Verris causa Romam missae, utitur ea opportunitate, ut omnem illius laudationis auctoritatem infringat (cap. 9—11). Cumulat deinde aliorum privatorum hominum expoliationes, a quibus diversissimas res aut opere aut pretio insignes ablatas docet (cap. 12—24, §. 53), et insanam cupiditatem Verris in comparanda pretiosa supellectile demonstrat (cap. 24—26). Sequitur nefarium facinus, spoliatio Antiochi regis Syriae, per Siciliam forte iter facientis (cap. 27—32).

Transgressus ab ea re ad direptiones oppidorum et fanorum ostendit, quae Verres a Segestanis abstulerit (cap. 33—38), quae a Tyndaritanis (cap. 39—42), quae ab Agrigentinis (cap. 43), Assorinis (cap. 44, §. 96), Enguinis (cap. 44, §. 97. 98), quomodo apud Catinenses sacrarium Cereris violarit (cap. 45), apud Melitenses fanum Iunonis spoliarit (cap. 46. 47), ab Hennensibus simulacra Cereris et Victoriae abstulerit (cap. 48—51), imprimisque in direptione maximae et pulcherrimae urbis Syracusarum commoratur (cap. 52—58).

Demonstrat denique, quam et omnes Graeci eiusmodi direptiones oppidorum aegre ferant (cap. 59. 60), et quanto Syracusani odio, cum primum licuerit, contra Verrem exarserint (cap. 61—fin.).

1 Venio nunc ad istius, quemadmodum ipse appel-
1 lat, studium; ut amici eius, morbum et insaniam; ut Siculi, latrocinium. Ego, quo nomine appellem, nescio: rem vobis proponam: vos eam suo, non nominis pondere penditote. Genus ipsum prius cognoscite, iudices; deinde fortasse non magnopere quaeretis, quo id nomine appellandum putetis. Nego in Sicilia tota, tam locupleti, tam vetere provincia, tot oppidis, tot familiis tam copiosis, ullum argenteum vas, ullum Corinthium aut Deliacum fuisse, ullam gemmam aut margaritam, quicquam ex auro aut ebore factum, signum ullum aeneum, marmoreum, eburneum, nego ullam pi-

---

§. 1. *morbum et insaniam]* Ipse Cicero leniens in Cn. Dolabella dixerat I, 36 *morbum et cupiditatem*, sed aptissime *insaniam*, quam ita gignit cupiditas, ut ira furorem. *Studium* definitur lib. I de Inv. 25 esse animi assiduam et vehementem ad aliquam rem applicatam magna cum voluntate occupationem, quae ubi pertinet ad res parum graves aut frivolas, respondet nostro *Liebhaberei*. — *suo, non nominis pondere] Non* primus Lambinus e mss. omnibus, ut ait, id est suis, adiecit, cum antea idem faciendum censuisset Turnebus in Adversar. lib. XXV, 5, receptumque est a Grutero et reliquis. Et simul in hoc statim loco canonem quendam virtutis singulorum librorum habebis. Nam cum absit illud verbum a Palatinis, Gruteriano, Oxoniensi, Huydecoperano, Lagomarsinianis omnibus, illi, in quibus legitur, Cuiacianus Gulielmi apud Gruterum, et Regius Parisinus apud Graevium (cum eiusdem libri vetere collatione Havniensi, quam edidit Io. Nic. Madvigius in epistola critica ad Io. Casp. Orellium, Havniae 1828) porro Leidensis, fragmenta codicis Erfurtensis, (qui liber Hittorpii appellatur apud Gulielmum et Gruterum,) Guelferbytani ambo optimi habendi sunt. Sed Erfurt. tamen in principio *quemadmodum id ipse appellat*, verbum addens inutile, natum e proximo.

quo id nomine] Id item adiecerat Lamb., sed nemo animadvertit. Idem est in Havn. collatione, Lag. 29, et inveni ego in Erfurtensi, Guelf. utroque. — *tam locupleti]* Hac ablativi forma primus Lambinus edidit secundum vet. cod. (in margine repetitae) secutique sunt reliqui, qui infra c. 21 *locuplete* servarunt. At utroque loco *i* cum Lambino Guelferbytani ambo et Havn. collatio, hoc etiam Erfurt. et Lag. 29. Et tamen infra c. 12 § 29 *locuplete* omnes, itemque lib. I de divin. 19 §. 37.

cturam neque in tabula, neque in textili, quin conquisierit, inspexerit, quod placitum sit abstulerit. Ma- 2
gnum videor dicere: attendite etiam, quemadmodum dicam. Non enim verbi neque criminis augendi causa complector omnia: cum dico, nihil istum eiusmodi rerum in tota provincia reliquisse, Latine me scitote, non accusatorie loqui. Etiam planius: nihil in aedibus cuiusquam, ne in oppidis quidem: nihil in locis communibus, ne in fanis quidem: nihil apud Siculum, nihil apud civem Romanum, denique nihil istum, quod ad oculos animumque acciderit, neque privati, neque

---

§. 1. *neque in tabula neque in textili]* Multae hoc loco codicum et edd. varietates sunt. Libri mss. deteriores (Lag. omnes praeter 29) et primum editi *neque ullam picturam neque in tabulis neque textilem fuisse.* Naugerius *nego* dedit, Lambinus *tabula*, Gruterus *neque textili. Tabula* quidem et *textili* in melioribus omnibus sunt, sed in praepositione variatur. Lambini v. c. in margine repet. edit. *neque textili*, quem cum esse Cuiacianum putabamus, mirabamur sane quod in Gruteriana annotatione significari videtur esse praepositionem in Cuiac. et Hittorpiano. De Hittorp. falsum esse ipsi testes sumus, quandoquidem is est Erfurtensis, nec dubitamus de Cuiaciano, quod abest praepositio ab Havniensi collatione et Guelf. sec. Restat unus Guelf. antiquior, in quo re vera est, et quin debeat esse vix dubium videtur ob repetitam particulam disiunctivam. *Textile* autem substantive etiam alibi ὕφασμα est, *textilis pictura* et concinnitatem tollit et poeticum est. Verum *fuisse* etiam delere debuimus exemplo Car. Stephani, quia abest ab utroque Guelf. et Erfurt. et coll. Havn. videturque facile posse cogitari.

§. 2. *Latine — loqui]* i. e. simpliciter, non figurate, cum inter figuras etiam hyperbole sit, Phil. 7, 6 *quem gladiatorem non ita appellavi, ut interdum etiam M. Antonius gladiator appellari solet, sed ut appellant ii, qui plane et Latine loquuntur*, siquidem unaquaeque fere gens suum sermonem verum, alienigenarum fictum putat, sed addit tamen significationem eius virtutis, qua maxime gaudet, velut qui Teutonice locuturos se dicunt, imbecillae lenitudinis speciem a se removent. — *quod ad oculos animumque acciderit]* Lambinus (iam priore edit.) sic ad hunc locum: „Sic habent quattuor libri mss., quos secutus sum; nam vulgati habent *quod oculos animumque accenderit*, quam lectionem reieci, ut suppositam ab eo, qui veram et Cicerone dignam non intelligeret. Ita enim saepe loquitur, *accidit ad au-*

publici, neque profani, neque sacri, tota in Sicilia reliquisse.

3 Unde igitur potius incipiam, quam ab ea civitate, quae tibi una in amore atque in deliciis fuit? aut ex quo potius numero, quam ex ipsis laudatoribus tuis? Facilius enim perspicietur, qualis apud eos fueris, qui te oderunt, qui accusant, qui persequuntur, cum apud tuos Mamertinos inveniare improbissima ratione esse
2 praedatus. C. Heius est Mamertinus (omnes hoc mihi, qui Messanam accesserunt, facile concedunt) omnibus rebus illa in civitate ornatissimus. Huius domus est vel optima Messanae, notissima quidem certe et nostris hominibus apertissima maximeque hospitalis. Ea domus ante istius adventum ornata sic fuit, ut urbi quoque esset ornamento. Nam ipsa Messana, quae situ, moenibus, portuque ornata sit, ab his rebus, qui-
4 bus iste delectatur, sane vacua atque nuda est. Erat apud Heium sacrarium magna cum dignitate in aedibus, a maioribus traditum, perantiquum; in quo signa pulcherrima quattuor, summo artificio, summa nobili-

---

res, ad oculos, ad animum." Eandem scripturam Gruterus notat inveniri in Hittorpiano (Erf.) et Cuiaciano, Graevius in Regio, eademque est in Guelf. ambobus. Sed dudum eam ante Lambinum exhibuerant Hervagius et Car. Stephanus.

§. 3. *omnes hoc mihi, qui Messanam — concedunt]* Hoc verba ordine collocata sunt in editione Lambiniana et codd. Guelf. 2 Havn. coll. rotundiore quam vulgo est *omnes hoc mihi facile concedent, qui Messanam accesserunt.* Sed etiam Praesens pro Futuro recepi e Regio et vet. cod. in margine Lamb. repet. et utroque Guelferbytano: item *illa in civitate* pro vulg. *in illa civitate* ex editione Lambini et Guelferbytanis. Mox vulgo *ante adventum istius sic ornata fuit*, sed *istius adventum*, inverso ordine, libri mss. omnes (tantum quod Guelf. 1 *huius* habet) et *ornata sic fuit* ambo Guelf. Leid. coll. Havniensis.

quae situ — ornata sit] i. e. licet ornata sit, sive quamvis ornata sit, quam vim inesse in pronomine relativo quomodo Ernestius, alioquin diligentissimus coniunctivi observator, oblivisci potuerit, ut etiam de corrigendo cogitaret, est sane quod admiremur. Cf. pro Rosc. Amer. 8 §. 23 et ad eum locum Matthiaeum.

tate, quae non modo istum hominem ingeniosum et intelligentem, verum etiam quemvis nostrum, quos iste idiotas appellat, delectare possent: unum Cupidinis marmoreum Praxiteli — Nimirum didici etiam, dum in istum inquiro, artificum nomina. Idem, opinor, artifex eiusdemmodi Cupidinem fecit illum, qui est Thespiis, propter quem Thespiae visuntur: nam alia visendi causa nulla est. Atque ille L. Mummius, cum Thespiadas,

---

§. 4. *et intelligentem]* Sic libri mss. nostri et, quos novimus, omnes: editi *atque intelligentem*. — *Praxiteli]* Sic scribendum iudicavit Lambinus, in editione quidem vulgatam secutus *Praxitelis*, sed in margine repetitae annotans „vet. cod. *Praxitele*, (ut etiam Cuiacianus apud Gruterum et Regius Graevii et uterque Guelf.) fortasse *Praxiteli*." Mirum, etiam infra §. 12 bis in Guelf. antiquiore esse *Praxitele*, ubi alter et Havn. *Praxiteli*. Nota hodie res est de genitivis nominum propriorum Graecorum a veteribus Romanis per *i* factis pro terminatione *is*. Hoc imprimis frequens esse animadvertimus in nominibus, quae terminantur syllaba *cles*, uti est *Agathocli* scribendum huius libri c. 55 init. et *Diocli* est in omnibus lib. V c. 7; item *Procli* de Div. II, 43; *Pericli* de Orat. II, 22 extr. *Themistocli* epist. V, 12 et a Goerenzio editum de Fin. II, 35 init. *Neocli* apud Nepotem in vita Themist. princ. *Procli* apud eundem in Ages. 1. Aliarum terminationum minus usu quasi recepti sunt genitivi in *i* exeuntes, sed inveniuntur tamen hi quoque, ut h. l. *Praxiteli*, sic *Herculi* ab ipso Ernestio probatur Acad. II, 34, quamquam *Aristoteli* negat apud Ciceronem esse Goerenz. ad lib. V de Fin. c. 5. *Timarchidi* certum est lib. II in Verr. 44. 54 et ex optimis libris dedimus item II, 44. III, 66.

Atque ille L. Mummius] Vulgo *itaque*, sed *atque* traditur in margine repet. Lambin. esse in vet. cod. et est in Guelff. Leid. coll. Havn., nec utrum praestet difficile est iudicare. Nam consecutio nulla est: continuatur potius sententia cum admiratione quadam, cur Mummius signum tam praeclarum non abstulerit. — *Thespiadas]* Codd. deteriores *Thespiade*, quod etiam edebatur olim, usque dum in Hervag. *Thespiadas*, in Victor. *Thespiis ea* extitit. Victoriana coniectura praelata est etiam a Lambino et Grutero. Sed dudum in marg. Lamb. repet. notatum erat vet. cod. habere *Thespiadas*, atque Graevius cum idem e Regio enotatum repperisset, tandem recepit. Confirmatur nostris Guelff. et Lag. 29. Sunt igitur musae Thespiades, quarum Plinius mentionem fecit hist. nat. XXXVI, 4 §. 12, neque Graeco accusativo eas appellari insolitum debet haberi, cum eo Cicero quoque quamquam paulo rarius usus sit. Schneiderus Gramm. Lat. p. 312 ex Epist. IX, 21, 3 *cantharidas*, ex II de Divin. 46 *Aethiopas* citat.

quae ad aedem Felicitatis sunt, ceteraque profana ex illo oppido signa tolleret, hunc marmoreum Cupidinem,
3 quod erat consecratus, non attigit. — Verum, ut ad
5 illud sacrarium redeam, signum erat hoc, quod dico, Cupidinis e marmore: ex altera parte Hercules, egregie factus ex aere. Is dicebatur esse Myronis, ut opinor: et certe. Item ante hos deos erant arulae, quae cuivis religionem sacrarii significare possent. Erant aenea duo praeterea signa, non maxima, verum eximia venustate, virginali habitu atque vestitu, quae manibus sublatis sacra quaedam, more Atheniensium virginum, reposita in capitibus sustinebant. Canephoroe ipsae vocabantur. Sed earum artificem, quem? quemnam? Recte admones, Polyclitum esse dicebant. Mes-

---

§. 4. *non attigit]* At non effugit illud signum communem sortem. A C. Caligula Romam deportatum, cumque Claudius restituisset, denuo a Nerone translatum Plinius hist. nat. XXXVI 4, 5 Romae in scholis Octaviae positum vidit, Pausanias IX, 27 combustum tradit. Quod Silligius in catalogo artificum p. 385 ex Dione Cassio LXVI, 24 imperante Tito factum docet.

§. 5. *et certe]* Adiecit Lambinus *est*, de suo, ut videtur. Neque enim ex ullo codice enotatum repperi. Sed ex eo quod sequitur *item*, in Hervagiana factum est *ita est.* Tum *hos* dedimus ex Guelff. et Havn. collatione pro vulg. *hosce. Arulae* primum Lambinus e Memmianis duobus et Cuiaciano, quibuscum duo nostri Guelf. faciunt. Deteriores et olim editi omnes *tabulae.* Mox verborum ordinem consensu Guelferb. codicum et Havn. coll. constituimus, qui vulgo est *sacrarii religionem* et *erant aenea praeterea duo signa.*

Canephoroe] Sic mss. quorum notitiam habemus, uno Lag. 42 excepto, omnes, item editiones vetustae. Mendosam formam *canephorae*, quam invexerat Naugerius, expulit rursus in nota repetitae editionis Lambinus. Esse enim Graece κανηφόρους. Sic et infra c. 8 et apud Plinium hist. nat. XXXVI, 7 *Canephoros.* — *quem? quemnam?]* Prius *quem* omittunt deteriores libri mss. et editi ante Lambinum: in melioribus est, recteque sic dudum editur apud Quintilianum Instit. IX, 2, 61. Cf. etiam Plinium in epist. I, 20, qui extemporalem hanc dicendi figuram laudat. — *Polyclitum esse dicebant] Polyclitum* Rufinianus hunc locum laudans pag. 203 Ruhnk. scribit, quod non effugit Garatonium. Sic item et h. l. et infra c. 6 Havn. collatio et Guelf. 1, non alter, et veriorem esse scribendi rationem per *i* quam per *e* vocalem compara-

sanam ut quisque nostrum venerat, haec visere sole-
bat: omnibus haec ad visendum patebant cotidie: do-
mus erat non domino magis ornamento, quam civitati.
C. Claudius, cuius aedilitatem magnificentissimam sci- 6
mus fuisse, usus est hoc Cupidine tamdiu, dum forum
diis immortalibus populoque Romano habuit ornatum:
et, cum esset hospes Heiorum, Mamertini autem po-
puli patronus, ut illis benignis usus est ad commodan-
dum, sic ipse diligens fuit ad reportandum. Nuper
homines nobiles huiusmodi, iudices, et quid dico nu-
per? immo vero modo, ac plane paulo ante vidimus,
qui forum ac basilicas non spoliis provinciarum, sed
ornamentis amicorum; commodis hospitum, non furtis

---

tio similium nominum, *Cliti*, *Heracliti* docet. Cf. Schneideri Element. ling. Lat. p. 70 et Buttmanni gramm. Gr. ampl. T. I p. 24. Scripserunt igitur Goerenzius de Fin. II, 34. Drakenborch. Liv. XXV, 28, restituendumque etiam apud Quintilianum et Plinium in locis laudatis ex optimis codicibus.

§. 6. *C. Claudius]* Pulcher, quem aedilem anno a. Chr. 99 primum *colorum varietate scenam adumbravisse* Plinius hist. nat. VIII, 7, 16 tradit, *vacuis ante pictura tabulis extentam*. Haec igitur C. Claudii commemoratio Ciceroni facultatem dedit, ut ipsum Hortensium peteret, cuius aedilitatis laudem, cum item magnificentissima fuisset, (vid. de Off. II, 16. Brut. c. 92) suspicione munerum a reis nocentibus acceptorum imminuit. Contra ex nobilibus hominibus, quos Claudii exemplum secutos esse dicit, cum plures potuerint esse, unum certe agnosco, C. Antonium, quem verisimile est aedilem curulem proxime ante Ciceronem fuisse, cum fuerit haud dubie. Eum sibi in praetura et consulatu collegam fore, iam tum Cicero, quae veterum Romanorum in huiusmodi rebus observandis diligentia fuit, facile praevidere potuit.

ad reportandum] Gruterus Cuiacianum tradit exhibere *reponendum*. Non credo, cum nullus nostrorum habeat, nec probarem si esset. Nam apud Ciceronem *reponere* non sic dicitur, (quoniam lib. I, 18 pr. *reponuntur* est in basibus, unde sublata signa) contra *reportari* res ablatae saepe dicuntur, ut c. 46 extr. — *huiusmodi]* Sic Lambinus et Guelff. cum Havn. coll. Vulgo *eiusmodi*.

ac basilicas] Lambinus *et basilicas*, de nostris unus Lagom. 29. Ceterum forum quidem cum unum illo tempore fuerit, ne basilicae quidem fuerunt nisi duae, Porcia et Opimia, in foro Romano. Proxima fuit Iulia, sed tamen post XXV ferme annos constructa.

commodis hospitum] Praeter communem vocabuli usum dicuntur

nocentium, ornarent: qui tamen signa atque ornamenta sua cuique reddebant, non ablata ex urbibus sociorum, quatridui causa, per simulationem aedilitatis, do-
7 mum deinde atque ad suas villas auferebant. Haec omnia, quae dixi, signa, iudices, ab Heio e sacrario Verres abstulit: nullum, inquam, horum reliquit, neque aliud ullum tamen, praeter unum pervetus ligneum, Bonam Fortunam, ut opinor: eam iste habere domi suae noluit.

4 Pro deum hominumque fidem! quid hoc est? quae haec causa est? quae ista impudentia est? Quae dico signa, antequam abs te sublata sunt, Messanam cum imperio nemo venit, quin viderit. Tot praetores, tot

---

res, quae ab hospitibus ad tempus concessae sunt sive commodatae. Explicavit sic Isidorus orig. V, 25 a Graevio citatus: *commodum est id, quod nostri iuris est et ad alium temporaliter translatum est, cum commodo temporis, quamdiu apud eum sit, unde commodum dictum.* — *quatridui causa, per simulationem]* Quia in libris mstis invenerat *causam*, Lambinus in eam suspicionem incidit, ut legere mallet *per causam et per simulationem* deleta voce *quatridui.* Inepte prorsus, et bene factum, quod manum ab interpolando textu abstinuit, sed notandum tamen, idem mendum in Guelff. et coll. Havn. esse.

§. 7. *ab Heio e sacrario]* Vulgo *de sacrario*, sed alterum Lambinus secundis curis (in marg. repetitae editionis) voluit, et legitur in utroque Guelf. et coll. Havn. — *neque aliud ullum tamen]* Dictum est pro *aliud certe nullum*, nam *tamen* non raro poni pro *certe*, ut Germanice *doch* pro *wenigstens* satis constat. Si sic fere esset *omnia abstulit, neque aliud tamen ullum reliquit*, nemo offenderet: at illud ad eandem rem redit. — *habere domi suae noluit]* Sic Lambinus in marg. repet. editionis voluerat, scripsitque Gruterus melioribus fidem habens. Antea, ut est in codicibus deterioribus, *domi suae habere.*

quae haec causa est? quae ista impud. est?] Sic Guelf. 1 et edidit Graevius e Franc. et Regio, quamquam Havn. coll. extremum *est* omittit. Omnino in hoc verbo maxime variatur: edd. principes et codd. vulgares *quae est haec causa*, mediae aetatis editiones *quae haec causa*, Steph. et Lambinus *quae haec causa est.* Sed hi tamen in altero membro *haec* invitis libris melioribus servarunt, male, nam *hoc* et *haec causa* ad oratorem pertinet, quod ipsi agendum est, *ista impudentia* ad Verrem pertinet. Itaque hoc etiam Ernestius voluit, sed in textu tamen habet *quae est haec causa? quae haec impudentia est?* In Guelf. 2 duae hae interrogationes exciderunt.

consules in Sicilia, tum in pace, tum etiam in bello ſuerunt; tot homines cuiusque modi: non loquor de integris, innocentibus, religiosis: tot cupidi, tot improbi, tot audaces: quorum nemo sibi tam vehemens, tam potens, tam nobilis visus est, qui ex illo sacrario quicquam poscere aut tollere aut attingere auderet. Verres quod ubique erit pulcherrimum auſeret? nihil habere praeterea cuiquam licebit? tot domus locupletissimas domus istius una capiet? Idcirco nemo superiorum attigit, ut hic tolleret? ideo C. Claudius Pulcher rettulit, ut C. Verres posset auſerre? At non requirebat ille Cupido lenonis domum ac meretriciam disciplinam: facile illo sacrario patrio continebatur: Heio se a maioribus relictum esse sciebat in hereditate sacrorum: non quaerebat meretricis heredem.

Sed quid ego tam vehementer invehor? Verbo 8

---

§. 7, *tot domus]* Miror non afferri ex ullo libro *domos.* Itaque hoc loco maxime uti debuerunt, qui accusativi formam in *us* altori in *os* praeferrent, Heusingerus ad lib. II de Off. 17, 64 et qui ab illo laudantur Oudendorp. ad Sueton. Claud. 25, Drakenborch. ad Liv. III, 29. Apud Sallustium quidem Cat. 12 nunc *domos* bis editur sine controversia, postquam Prisciani laudatio sublata est a Krehlio.

ut hic tolleret] Sic ambo Guelf. Lag. 29 coll. Havn. vet. cod. in margine repetitae Lambinianae, vulgo *iste.* Sed *hic*, qui nunc est, opponitur aetate superioribus. — *in hereditate sacrorum]* Codices vulgares *an hereditatem*, cum qua mendosa scriptura veteres editores conſlictati partim (quemadmodum ſactum est in Hervagiana) repetito verbo *quaerebat* sic scripserunt: *an hereditatem sacrorum non quaerebat? meretricis heredem quaerebat?* partim *ad hereditatem sacrorum non quaerebat meretricis heredem* correxerunt. Quae ratio cum in Victoriana primum inita esset, propagata est per Manutianas, Lambinianas, Gruterianam, quamvis Steph. iam edidisset e meliore libro *in hereditate*, idemque Lambinus in v. c. Gruterus in Cuiaciano invenisset. Nimirum Graevius primus interpunctione mutata, quo ea verba referenda essent ostendit. Iam vero nulla debet esse dubitatio, neque mss. quidam, ut ait Ernestius, sed quicquid bonorum librorum apud quemque editorem ſuit, *in hereditate* habet. *Sacra* h. l. non sunt sacrificia, sed ipsa signa sacrata.

uno repellar: *emi*, inquit. O dii immortales! praeclaram defensionem! Mercatorem in provinciam cum imperio ac securibus misimus, omnia qui signa, tabulas pictas, omne argentum, aurum, ebur, gemmas coemeret, nihil cuiquam relinqueret! Haec enim mihi ad omnia defensio patefieri videtur, *emisse.* Primum, si id, quod vis, tibi ego concedam, ut emeris, quoniam in toto hoc genere hac una defensione usurus es: quaero, cuiusmodi tu iudicia Romae putaris esse, si tibi hoc quemquam concessurum putasti, te in praetura atque imperio tot res, tam pretiosas, omnes denique res, quae alicuius pretii fuerint, tota ex provin-
5 cia coemisse. Videte maiorum diligentiam, qui nihil-
9 dum etiam istiusmodi suspicabantur; verumtamen ea, quae parvis in rebus accidere poterant, providebant. Neminem, qui cum potestate aut legatione in provinciam esset profectus, tam amentem fore putaverunt, ut emeret argentum; dabatur enim de publico: ut vestem; praebebatur enim legibus: mancipium putaverunt; quo et omnes utimur, et non praebetur a populo. Sanxerunt, *ne quis emeret, nisi in demortui locum.* Si qui

---

§. 8. *Verbo uno repellar]* Sustuli nunc vocem *iam*, quae vulgo additur *(verbo iam uno repellar)*, quia non est in Guelff. Leid. Havn. nec in edit. Steph. Lambiniana. — *Mercatorem in provinciam]* Hoc verborum ordine libri mss. omnes et Lambinus in margine repetitae: editi *mercatorem — in provinciam misimus.* Sed postea *omnia qui* pro vulg. *qui omnia* optimi tantum, Lambini vet. cod. in marg. Guelf. ambo, Havn. collatio. Cf. ad lib. III, 95 §. 221.

§. 9. *nihildum etiam]* Vide ad c. 28 init. — *fore putaverunt — mancipium putaverunt]* Sic inde a Grutero utrobique plena forma legitur, olim *putarunt — putaverunt*, etiam Lambini vera editio, in marg. autem repetitae Lambinus scribitur habere, sive potius velle: *putaverunt — putarunt*, sic in vet. cod. esse. Et recte, si de coll. Havn. coniectura facienda. Guelff. tamen cum lectione Gruteriana consentiunt.

ne quis emeret, nisi in demortui locum] *Mancipium* vulgo additur post *emeret*, sed abest a Stephani et Lambini vet. cod. et a Guelff. Leid. Havn. Posse abesse, quin etiam melius abesse, ut intellecto servo facilius oratio ad genus masculinum transeat, facile probabitur. Quam-

Romae esset demortuus? Immo, si quis ibidem. Non enim te instruere domum tuam voluerunt in provincia, sed illum usum provinciae supplere. Quae fuit causa, cur tam diligenter nos in provinciis ab emptionibus removerent? Haec, iudices, quod putabant ereptionem esse, non emptionem, cum venditori suo arbitratu vendere non liceret. In provinciis, intelligebant, si is, qui esset cum imperio ac potestate, quod apud quemque esset, emere vellet, idque ei liceret, fore, uti, quod quisque vellet, sive esset venale, sive non esset, quanti vellet auferret. Dicet aliquis, Noli isto modo agere cum Verre: noli eius facta ad antiquae religionis ra-

---

quam σύνεσιν utique adhibebimus, ex quo genere laudat Garatonius Livii libr. XXXVIII, 34, ubi cum *servitia* praecesserint, sequitur *qui*. Cognatae rationis est supra lib. II, 32 *Quod unquam huiusmodi monstrum aut prodigium audivimus aut vidimus, qui cum reo transigat, post cum accusatore decidat.* Vide Drakenborch. ad Livium XXIX, 12. Sed *si quis* codd. deteriores omnes.

§. 10. *ereptionem esse, non emptionem]* Annominationis figuram agnosco, quam describit auctor ad Herennium IV, 21, Rutilius Lupus III, Quintilianus Instit. IX, 3, 69 sqq. 75 sqq. Et praeter exempla, quae illi laudant, alia sunt Ciceronis de nat. deor. I, 7, 17 *Tu autem noli existimes, me adiutorem huic venisse sed auditorem.* Phil. II, 11 *Qui me non solum meis laudibus ornaret, sed etiam oneraret alienis.* In Verrem I, 1 *ut ad audendum proiectus, sic paratus ad audiendum.* Cf. etiam II, 52 §. 129. Quamquam hoc quidem genere Cicero multo parcius utitur, quam posset expectari a tanto hominis acumine, si ipsum genus satis probasset, nec aut frigidum aut leve putasset (sicut illud est Phil. III, 9 *ex oratore arator).* Magis rerum proprietate praepositionibus distinguenda delectatur, qualia illa sunt, quod Divin. 9 Caecilium litteras non *deportare*, sed *asportare* velle dicit, et lib. I, 4 Verrem sibi neque occulte *surripi*, neque impune *eripi* posse, aliaque multa.

idque ei liceret] Abest *ei* ab edd. vett. usque ad Hervag. et Victor. codicibusque deterioribus, Lagom. quidem praeter 42 omnibus.

Dicet aliquis] Gruterus primus *dicit*, typographorum, ut opinor, errore, quamquam secuti eum sunt reliqui. Neque enim aut editt. vett. aut libri mss. exhibent, praeter Lag. 45, nullius momenti. — *ad antiquae relig. rationem exq.]* In marg. Lamb. repetitae *fort. exigere*, quod haud dubie usu sermonis praestat ac nescio an verum sit. Neque enim facta quaerere opus est, quae in promptu sunt sed diiudicare.

tionem exquirere: concede, ut impune emerit, modo
ut bona ratione emerit, nihil pro potestate, nihil ab
invito, nihil per iniuriam. Sic agam. Si quid venale
habuit Heius, si id, quanti aestimabat, tanti vendidit:
6 desino quaerere, cur emeris. Quid igitur nobis facien-
11 dum est? num argumentis utendum in re eiusmodi?
Quaerendum est, credo, Heius iste num aes alienum
habuerit, num auctionem fecerit: si fecit, num tanta
difficultas eum rei nummariae tenuerit, tanta egestas,
tanta vis presserit, ut sacrarium suum spoliaret, ut
deos patrios venderet. At hominem video auctionem
fecisse nullam; vendidisse praeter fructus suos nihil
unquam; non modo in aere alieno nullo, sed in suis
nummis multis esse et semper fuisse; si haec contra
ac dico essent omnia, tamen illum haec, quae tot an-
nos in familia sacrarioque maiorum fuissent, venditu-
rum non fuisse. Quid, si magnitudine pecuniae per-
suasum est? Verisimile non est, ut ille homo tam lo-

---

§. 10. *concede]* Guelff. *concedo.* Iidem et coll. Havn. item cum multis vulgaribus *si quod.* — *cur emeris]* Sic primus Lambinus recepitque Gruterus tacite, priores et mss. vulgares *emeres.*

§. 11. *faciendum est]* Secutus sum codd. Guelff. et coll. Havn. Lambinique editionem. Vulgo *faciundum est.* Lag. 42 *vobis.*

tanta vis presserit] Sic libri mss. meliores omnes praeter Leid., qui non commemoratur, nimirum v. c. in marg. repet. Lamb. Cuiacianus, Regius, ambo Guelf. Contra editionum scripturam *oppresserit* tuentur Pall. Lagomarsiniani, (praeter 29, in quo est *visio presserit).* Et si quaeras de usu Latini sermonis, non facile *opprimitur* aliquis, *ut* aliquid faciat, sed *premitur*, cogitur, ut pro Rosc. Am. 34 extr. *Opprimi* aliquem absolute potius dicimus. — *in aere alieno]* Abest *in* a codd. vulgaribus editisque olim usque ad Naugerium. Iidem post *multos* pro *multis* mendose, quo magis mirere, quamvis iam correctum fuerit in Ascens. 1511, servatum tamen esse a Naugerio, Hervag. Victorio. Cf. Ciceronis ipsius verba pro Rosc. Comoedo 8, §. 22 *Egebat? Immo locuples erat. Debebat? Immo in suis nummis versabatur.* Tum *et semper* scripsimus pro vulg. *ac semper* ex utroque Guelf. et Havn. collatione. — *persuasum est?]* Omisi *ei*, ex auctoritate Guelff. Leid. Havn. Lambinus edidit *ei persuas. est* procul du-

cuples, tam honestus, religioni suae monumentisque maiorum pecuniam anteponeret. Sunt ista: verumta- 12
men abducuntur homines nonnunquam etiam ab institutis suis magnitudine pecuniae. Videamus, quanta ista pecunia fuerit, quae potuerit Heium, hominem maxime locupletem, minime avarum, ab humanitate, a pietate, a religione deducere. Ita iussisti, opinor, ipsum in tabulas referre: *haec omnia signa Praxiteli, Myronis, Polycliti, HS sex milibus et* D *Verri vendita sunt.* Rettulit. Recita ex tabulis.

Iuvat me, haec praeclara nomina artificum, quae isti ad coelum ferunt, Verris aestimatione sic conci-

---

bio, quia etiam in suis libris *ei* non repperit et liberum voci locum assignari posse putavit. — *Verisimile non est ut]* De hac loquendi ratione vide Gramm. nostram §. 623. Sed quod Imperfecto utitur, conditionale est. Cf. locum simillimum in orat. p. Sulla 20 §. 57.

§. 12. *Videamus, quanta ista pecunia fuerit]* Sic Lambinus primus, non ex ingenio, ut Ernestius scripsit, pro vitioso *fuit* corrigens, sed librorum auctoritatem secutus, quoniam sic etiam ambo Guelferbytani et Havn. Lagomarsiniani omnes *fuit:* nimirum mendi genere frequentissimo, ut aut omittatur aut addatur temere lineola incurva, qua librarii litteras *er*, Coniunctivi proprias, notare solent. Adiectae quidem male exempla sunto III, 79 §. 182. V, 39 §. 101. Ceterum cf. ad II, 53 pr. — *a pietate, a religione]* Deteriores et edd. veteres *et pietate ab religione*, post Stephanum et Lamb. *a pietate ab religione* vulgo edebatur. Nos *a rel.* dedimus e Guelf. 1, alter et Regius et Leid. praepositionem eam omittunt. — *Sex milibus et D Verri vendita sunt]* Numerum hunc constituit Hotomanus e vulgata scriptura infra c. 12 probavitque Lambino, Grutero, reliquis. In edd. veteribus et codicibus deterioribus, e quibus ductae sunt, *sex milibus* absolvitur. In melioribus accedunt notae quaedam parum intellectae, Guelf. 2 *iiico*, a quo non discrepat Guelf. 1 *in eo*, in Cuiac. Gulielmus legit *IIICIↃ*, in Havn. coll. Madvigius *IIIIↃ*. Sed quid faciamus *tribus milibus?* Si hic solus numerus esset, facerem *sex milibus trecentis C. Verri*, nam aegre in sollemnibus tabulis praenomine careo. Verum infra c. 12 *IↃ* certum videtur esse: itaque rationem Hotomani deserere nolui. Quod est *sunt* editoribus veteribus debetur, nam deteriores fere libri *sic*, meliores *sed:* Aldina et Hervag. *sint*. Sed nihil muto. Mox autem *rettulit* adieci e melioribus, et sustuli titulum, quem Lambinus de suo addidit, *Tabulae Heii*.

disse. Cupidinem Praxiteli HS cIↃDC! Profecto hinc na-
7 tum est *Malo emere, quam rogare.* Dicet aliquis,
13 Quid? tu ista permagno aestimas? Ego vero ad meam rationem usumque meum non aestimo: verumtamen a vobis ita arbitror spectari oportere, quanti haec eorum iudicio, qui studiosi sunt harum rerum, aestimentur; quanti venire soleant; quanti haec ipsa, si palam libereque venirent, venire possent; denique ipse Verres quanti aestimet. Nunquam, si x. cccc Cupidinem illum putasset, commisisset, ut propter eum in sermonem
14 hominum atque in tantam vituperationem veniret. Quis vestrum igitur nescit, quanti haec aestimentur? In auctione signum aeneum non maximum HS xl milibus venire non vidimus? Quid, si velim nominare homines, qui aut non minoris, aut etiam pluris emerint? nonne possum? Etenim qui modus est in his rebus cupiditatis, idem est aestimationis: difficile est enim finem facere pretio, si non libidini feceris. Video igitur He-

---

§. 12. *HS CIↃDC]* Numerum verum esse, denarii CCCC qui infra dicuntur, ostendunt. Lagom. libri fere CIↃd, Guelff. co c.

§. 13. *usumque meum]* Adieci *meum*, sicut olim Steph. et Lambinus fecerant, auctoritate utriusque Guelf. et Lagom. 29.

Nunquam, si X. CCCC] Vulgo *nunquam enim si denariis quadringentis.* Verum Guelf. 1 *nunquam sex*, alter et coll. Havn. *nunquam X*, qua de causa *enim* delendum existimavi, nam *si* cum necessarium sit ad explendam orationem, tum inesse videtur in *sex*. X autem denarii numeri notam in nummis esse constat.

§. 14. *signum aeneum non maximum HS XL milibus]* Sic plane Guelf. ambo et Havn. coll. nisi quod *milibus* non habent, nec, ut alibi fere fit, lineolam numero inducunt. Vulgo *non magnum* et *CXX milibus*, sed ipse Lamb. dudum recte *non maximum* ediderat, quod insequentes edd. neglexerunt. — *emerint]* Libri mss. vulgares praeter Lag. 42 et editi ante Lamb. *emerent.*

si non libidini feceris] Vulgo *nisi libidini feceris*, quod non reprehendo, quamquam praecipientis potius quam argumentantis est. Verum Guelf. 2 et coll. Havn. *si* tantum, Guelf. 1 *si non*, et verisimilius videbatur excidisse *non* (vide ad I, 15 §. 39), quam in uno verbo varie lapsos esse librarios.

ium neque voluntate, neque difficultate aliqua temporis, neque magnitudine pecuniae adductum esse, ut haec signa venderet; teque ista simulatione emptionis vi, metu, imperio, fascibus, ab homine eo, quem una cum ceteris sociis non solum potestati tuae, sed etiam fidei populus Romanus commiserat, eripuisse atque abstulisse.

Quid mihi tam optandum, iudices, potest esse in 15
hoc crimine, quam ut haec eadem dicat ipse Heius? Nihil profecto: sed ne difficilia optemus. Heius est Mamertinus: Mamertina civitas istum publice communi consilio sola laudat: omnibus iste ceteris Siculis odio est; ab his solis amatur: eius autem legationis, quae ad istum laudandum missa est, princeps est Heius: (etenim est primus civitatis:) ne forte, dum publicis mandatis serviat, de privatis iniuriis reticeat. Haec 16

---

§. 14. *neque magnitudine]* Lambini vet. cod. in margine repet. et coll. Havn. *nec.* — *non solum potestati tuae, sed etiam fidei — commiserat*] Lambinus in priore editione post *potestati tuae* adiecit *permiserat*, intellecto scilicet verborum discrimine, sed violata editoris fide. Nam in marg. repetitae edit. annotatur illam vocem non esse in vetere codice, nec est in alio ullo. — *eripuisse atque abstulisse*] *Atque* deest in utroque Guelf. Sed asyndeto quid facias? cum *abstulisse* etiam minus videatur esse quam *eripuisse.*

§. 15. *Heius est Mamertinus*] Media vox est non in Guelff., verum simile tamen exemplum desidero. — *omnibus iste*] Sic dudum correctum erat in Victoriana pro vetere lectione *ipse*, et ediderant P. Manutius, Stephanus, Lambinus, alii, cum repetitores Lamb. ad Hervagianam redierunt. Itaque denuo vulgo scribitur *ipse*, quamquam est alienissimum, et ad Heium potius referretur quam ad Verrem. In melioribus omnibus Guelff. Leid. Lag. 29 Havn. coll. *iste* recte legitur.

ne forte, dum — serviat, de privatis iniuriis reticeat] Vitium h. l. esse, quod structura verbb. non usitata ratione procedere videbatur, Hotom. Lamb. Ernestius putaverunt. Male: vide Beckium, qui locum rectissime omissa verendi notione explicat. Reprehendendus etiam Lambin. qui *servit* scribendum coniecit et revera edidit. Facile enim est ad intelligendum, Coniunctivum ad consilium et propositum Heii pertinere, quod ipsum veretur Cicero.

cum scirem et cogitarem, commisi tamen, iudices, Heio: produxi eum prima actione: neque id tamen ullo periculo feci. Quid enim poterat Heius respondere, si esset improbus, si sui dissimilis? Esse illa signa domi suae, non esse apud Verrem? Qui poterat quicquam eiusmodi dicere? Ut homo turpissimus esset inpudentissimeque mentiretur, hoc diceret, illa se habuisse venalia, eaque se, quanti voluerit, vendidisse. Homo domi suae nobilissimus, qui vos de religione sua ac dignitate vere existimare maxime vellet, primo dixit se istum publice laudare, quod sibi ita mandatum esset: deinde neque se illa habuisse venalia, neque ulla condicione, si, utrum vellet, liceret, adduci unquam potuisse, ut venderet illa, quae in sacrario fuissent a ma-
8 ioribus suis relicta et tradita. Quid sedes, Verres?
17 quid expectas? quid te a Centuripina civitate, a Catinensi, ab Halesina, Tyndaritana, Hennensi, Agyri-

---

§. 16. *commisi tamen*] Vulgo adiicitur *me*, sed abest pronomen a Leid. Guelf. ambobus, Havn. coll., omisitque dudum secundum veterem suum, quem dicit in var. lect., Stephanus. Audies igitur *rem*, quo fit ut absolute quodammodo positum videatur. Supra III, 60 negat se de existimatione sua cuiquam *commissurum:* et laudat Madvigius orat. II de leg. agr. 8, §. 20 *Universo populo neque ipse committit, neque illi horum consiliorum auctores committi recte putant posse.*

Esse illa signa domi suae, non esse apud Verrem?] Vulgo editur *signa illa domi suae esse, non apud Verrem*, rudi quodam orationis filo, quoniam in oppositione repeti solet verbum. Nostra lectio e Leid. utroque Guelf. coll. Havn. ducta est: neque enim curamus quod in Guelff. et Havn. *esset* legitur, quod ad *dissimilis* referretur. Lambinus a vulg. non discedit, nisi quod annotat in vet. cod. esse *illa signa*, quod quo pertineat e nostrorum codicum similitudine vides.

eaque se quanti] Vulgo *sese*, alterum Steph. et Lamb. e codicibus suis, a quibus ne reliqui quidem boni discrepant. Leid. tamen et Guelf. 2 *ea se.*

§. 17. *ab Halesina, Tyndaritana*] Nescio unde Gruterus sumpserit illud *ab*, quod in eius et insequentium editionibus ante *Tyndaritana* repetitur. Abest enim a prioribus nec in mstis Guelff. legitur. Pro *Hennensi* codices vulgares et edd. veteres *Aetnensi*, *Ethnensi*,

nensi, ceterisque Siciliae civitatibus circumveniri atque opprimi dicis? tua te altera patria, quemadmodum dicere solebas, Messana circumvenit: tua, inquam, Messana, tuorum adiutrix scelerum, libidinum testis, praedarum ac furtorum receptrix. Adest enim vir amplissimus eius civitatis, legatus huius iudicii causa domo missus, princeps laudationis tuae: qui te publice laudat: ita enim mandatum atque imperatum est — Tametsi rogatus de cybaea tenetis memoria, quid responderit: aedificatam publicis operis, publice coactis, eique aedificandae publice Mamertinum senatorem praefuisse — Idem ad vos privatim, iudices, confugit: utitur hac lege, qua iudicium est, communi arce sociorum. Tametsi lex est de pecuniis repetundis, ille se negat pecuniam repetere, quam ereptam non tantopere

---

perpetua varietate. P. Manutius *Ennensi* dedit, sed Guelff. Havn. in vera nominis scriptura (de qua vide ad l. II c. 65 §. 156.) sibi constant.

huius iudicii] Adhuc in editis fuit *huiusce*, in qua particula addenda librarii solent esse liberaliores quam scriptores, velut mox §. 36. Satis significat *huius*, quod est in Guelff. et coll. Havn. — *laudationis tuae]* Abest *tuae* a Guelf. 1. — *ita enim]* Sic primus Steph. e meliore aliquo. Antea fuit *id enim*, quod etiam Lagom. omnes praeter 42 exhibent.

de cybaea] Adiectivum esse non Substantivum Garatonius probavit loco lib. V, 17 *navem vero cybaeam maximam.* Idem sententiam Turnebi in Advers. XX, 5 et Salmasii ad Capitolini vitam Maximinorum c. 22 secutus, et nomen deducit a κύχη, genere navis apud Hesychium, unde *cupa* quoque Latinis dicitur, et *cybaeam* scribendum putat, quia sic pro vulgari *cybea* in codice Reg. V, 17 legatur. Recte, et *cybaea* hoc quidem loco omnes Lagomarsiniani, altero Guelf. ambo.

communi arce sociorum] Mirum cur ab hac veterum editionum scriptura, Ascens. Iunt. Aldinae, Cratandrinae, Hervagianae, discesserit qui Iuntinam Venetam curavit, sive is fuit Victorius sive alius, dederitque id quod adhuc obtinuit, *communis et privatae rei sociorum.* Nam quamvis non desint codicum mss. corruptelae, qui quidem et *communis* et *arte* habent, plerique tamen *arce* exhibent, nec reliquorum verborum ullum vestigium est. Guelff. *commumarce.* Lex igitur ipsa *arx sociorum* appellatur, sicut est divin. c. 5 *haec lex socialis est, hanc habent arcem* cet. — *ille se negat]* Lambinus *negat tamen ille se*, an ut post *tametsi* eleganter repetatur *tamen?* In libris mss.

desiderat: sacra se maiorum suorum repetere abs te
18 dicit: deos penates te patrios reposcit. Ecqui pudor
est? ecquae religio, Verres? ecqui metus? Habitasti
apud Heium Messanae: res illum divinas apud eos deos
in suo sacrario prope cotidiano facere vidisti: non movetur pecunia: denique quae ornamenti causa fuerunt, non requirit: tibi habe Canephoros: deorum simulacra restitue.

---

nihil eiusmodi est, et ipse vulgatam in vet. cod. esse annotavit, nisi quod in illo *de repetundis pecuniis*. — *deos penates te patrios reposcit]* Sic tota meliorum codicum familia exhibet, Lambini v. c. in margine, Regius, Leid., ambo Guelf.; vulgo e libris interpolatis *a te* editur pro accusativo *te*. Quae porro Ernestium offenderunt, satis iam videntur ab aliis defensa esse, vid. Beckium; sed en denuo ipse Beckius *deos* uncis coercendum putavit. Causam non addidit, nam *deos penates* coniungi satis illustre exemplum apud Livium ipso operis exordio docet, docet etiam Ciceronis pro rege Deiotaro cap. 3 et cap. 5. *Patrios* autem eos deos vocat, quod a maioribus Heio relicti erant.

§. 18. *Ecqui pudor est? ecquae religio?]* Sic libri veteres omnino omnes, nisi quod plerique scripti *et* pro *ec* peccant, sed repetita Lamb. *ecquis* et *ecqua*, quorum alterum Gruterus omisit, alterum, quamquam nihilo magis codicum auctoritate firmatum, recepit et ad hanc usque aetatem propagavit. — *prope cotidiano]* Sic olim edidit Stephanus pro vulg. *quotidie:* reliqui non ausi sunt, quamquam fatebantur quos quisque optimos codices habebat ita exhibere (ad quorum numerum complendum Guelff. et Leid. adde), veriti, opinor, ne Plautinum vocabulum Ciceroni obtruderent. Verum abunde etiam aliorum scriptorum auctoritate commendarunt Bentleius ad Terent. Heaut. IV, 5, 6, Ruhnkenius ad Rutil. Lup. p. 11. Itaque tuto recepit tandem Beckius. Alias similes formas, *crastino*, *hesterno*, *vespertino*, *matutino* (quod imprimis frequens apud Plinium maiorem) *repentino* comparavit Madvigius in epist. ad Orell. p. 60. Patet igitur etiam hac in re codicum mss. discrimen. Sed temere Lambinus priore edit. scripsit *apud se* pro *apud eos deos*, de coniectura, cuius in libris mss. nostris quidem nulla causa apparet.

tibi habe Canephoros] Tibi adiecerunt Stephanus et Lambinus e mss., expulit rursus Gruterus, quia non esset in Palf. nec Gruteriano: credo, neque est in Lagomars. praeter 29, sed in Regio et Guelff. est, nec potest abesse, *sibi* enim *habere* iubemus, cum possidere patimur et ius nostrum relinquimus: II, 19 extr. *clamare coeperunt, sibi ut haberet hereditatem*, IV, 67 *Quamobrem tibi habe sane istam lau-*

Quae quia dixit, quia tempore dato modeste apud vos socius amicusque populi Romani questus est: quia religioni suae non modo in diis patriis repetendis, sed etiam in ipso testimonio ac iureiurando proximus fuit: hominem missum ab isto scitote esse Messanam de legatis unum, illum ipsum, qui navi istius aedificandae publice praefuit, qui a senatu peteret, ut Heius afficeretur ignominia. Homo amentissime, qui putasti im- 9
petraturum te? quanti is a civibus suis fieret, quanti 19
auctoritas eius haberetur, ignorabas? Verum fac te impetravisse; fac aliquid gravius in Heium statuisse Mamertinos: quam putas auctoritatem laudationis eorum futuram, si in eum, quem constet verum pro testimonio dixisse, poenam constituerint?

Tametsi quae est laudatio ista, cum laudator interrogatus laedat necesse est? Quid? isti laudatores

---

dationem, al. *Canephoros* edd. vett. et codd. mss. plerique, media demum aetate in Ald. Hervag. Vict. Manut. aliis factum est *canephoras*, et ipse hoc servavit Lambinus a Stephano discedens quamquam annotavit, in libris mstis esse *Canephoros*.

test. ac iureiurando] Hoc ordine verba collocantur in Guelff. et Lag. 29 et haud dubie a Lambino in suis codd. inventa sunt, quoniam sic corrigi voluit in margine repet. edit. Vulgo inverso leguntur. Porro *repetendis* pro *repetundis* et *affic. ignominia* item inverso ordine verborum scripsi auctoribus libris mss. non solum melioribus, sed plerisque omnibus.

§. 19. *qui putasti impetraturum te?*] Vulgo *quid putasti? te impetraturum?* et sic etiam Lambinus in priore editione; in margine repetitae tamquam Lambinianum profertur *quid put. impetr. te*, quod item est in Havn. collatione. Guelff. tamen et Leid. praeterea *qui*, i. e. qui tibi in mentem venit? — *quam putas auctoritatem* cet.] *Quam* pro olim vulgato *quantam* Steph. et Lamb. ediderunt et firmant ambo Guelf. Graeviique Regius (cum collat. Havn.) Tum ante Steph. edebatur *constituerent*, uti mendose sane in deterioribus libris omnibus legitur. Sic et supra c. 7 *emerent*, ubi ratio et boni codd. postulaverunt *emerint*.

quae est laudatio ista] Hic verborum ordo est in codicibus Guelf. et Lambini vet. cod. in marg. repet. Vulgo *quae est ista laudatio?* Mox margo Lamb. Guelff. Havn. *non* pro *nonne*.

tui nonne testes mei sunt? Heius est laudator: laesit gravissime. Producam ceteros: reticebunt, quae poterunt, libenter: dicent, quae necesse erit, ingratis. Negent isti onerariam navem maximam aedificatam esse Messanae? negent, si possunt. Negent ei navi senatorem Mamertinum publice praefuisse? utinam negent! Sunt etiam cetera, quae malo integra reservare, ut

---

§. 19. *quae necesse erit, ingratis*] Primum edebatur ex deterioribus *gratis*, quod cum manifesto falsum esset, iam in Cratandrina coeptum est edi *ingratis*. Lambinus tamen *ingratiis* scripsit. De ea forma iam contenditur: et ipse in minore editione Garatonii auctoritatem secutus *ingratiis* scripsi: nunc autem Guelff. libris denuo inspectis cum in utroque *ingratis* inveniatur, idemque coll. Havn. exhibeat, mutare sententiam cogor. Nam qua re imprimis nititur Bosius ad Nepot. Them. 4 (cuius sententiam Garatonius probavit), Plautus et Terentius utuntur illi quidem una forma *ingratiis*, verum iidem non habent nisi *gratiis*. Vide Bentl. ad Terent. Adelph. IV, 7, 26. Prosae autem orationis scriptores cum *gratis* dicant adverbialiter, consentaneum est *ingratis* dicere, certe apud Ciceronem p. Quintio 14 §. 47 et Nepotis loco laudato, ubi nunc *ingratiis* vulgo legitur, tantum abest ut librorum mss. consensus sit, ut in plerisque altera forma extet: hoc autem loco quae res sit vides. Neque Gellius rem conficit, qui lib. XVII, 1 *ingratiis nostris*, si sana lectio est, quod merito dubitatur, substantive posuit ad exemplum antiquorum, Appuleius autem, quamquam ne illius quidem auctoritas ad Ciceronianam Latinitatem pertinet, tamen, si res ad fidem mss. revocanda est, et ipse *ingratis* potius quam *ingratiis* dixit. Vide Oudendorp. ad Metam. I, 19 p. 80.

negent, si possunt] Haec verba absunt a codd. deterioris familiae (Lag. omnibus, Ox. Huyd.) et editionibus veteribus usque ad Hervag. et Victorianam. Sed in illis et reliquis est *si possint* et exhibet Guelf. 2, Lambinus *si possunt* edidit e vet. cod. cum quo coll. Havn. et Guelf. 1 faciunt. Itaque hoc nunc recipiendum putavi, etiam hanc ob causam quod *si possint* tempore excidit remque in futurum removet.

ei navi senatorem — praefuisse] Additur vulgo *navi faciundae*, etiam apud Lamb., nec notulae quicquam in repet. edit. Sed verbum illud in Regio Graevii (Hav. coll.) Leid. Guelff. non legitur, nec dubito quin possit e praegressis cogitatione suppleri. Additur quidem supra §. 17 et V, 18 extr. — *quae malo integra reservare* cet.] Edd. vett. *quae modo integra reservare* (vel *servare*) *volui, ut quam minimum dem illis temporis*, quemadmodum codd. deteriores, e quibus illae ductae sunt, Oxon. Franc. Huyd. Lagom. praeter 29 omnes: *volui* tamen etiam in Lag. 42 et 45 omittitur. Correxerat iam Hervagianus edi-

quam minimum sit illis temporis ad meditandum confirmandumque periurium. Haec tibi laudatio procedat 20
in numerum: hi te homines auctoritate sua sublevent: qui te neque debent adiuvare, si possint, neque possunt, si velint; quibus tu privatim iniurias plurimas contumeliasque imposuisti; quo in oppido multas familias totas in perpetuum infames tuis stupris flagitiisque fecisti. At publice commodasti. Non sine magno quidem rei publicae provinciaeque Siciliae detrimento. Tritici modium LX milia empta populo Romano dare debebant et solebant: abs te solo remissum est. Res publica detrimentum fecit, quod per te imperii ius in una civitate imminutum est; Siculi, quod ipsum non de summa frumenti detractum est, sed translatum in Centuripinos et Halesinos, immunes populos, et hoc plus impositum, quam ferre possent. Navem imperare 21
debuisti ex foedere: remisisti in triennium: militem

---

tor secutique sunt reliqui. Codex Regius tamen pro *sit* habet *idem*, quod num tantum valere debuerit apud Beckium ut veterem illam lectionem *dem* revocaret, dubito. Ambo certe Guelf. *sit*. Ceterum Lambinus in edit. *etiam* sustulit, quod est in principio ante *cetera*.

§. 20. *multas familias totas*] Sic libri mss. omnes: tamen *totas* in vetustis edd. non est, et adiectum primum in Hervag. Victoriana. Rursus eiecit Lambinus priore, sed ipsum sese correxisse puto, quod in textu repetitae denuo comparet. — *mod. LX milia*] *Mod.* Lagomarsiniani omnes, unde aberrationes librariorum explicantur Guelf. 1 *modia*, 2 et Havn. coll. *modios*. — *quod ipsum*] i. e. quantum quidem ipsum, Germ. *so viel gerade als nicht abgezogen, sondern auf andre übertragen ist.* Neque enim hanc meliorum librorum (Guelff. Leid. Havn.) et edit. Steph. scripturam relinquendam puto, quamvis grammatica ratio paulo difficilius explicetur. Itaque etiam ante *quod* non est *quia*, sed *tantum quantum*, *in wie fern*. Vulgo autem ex deterioribus ediderunt *quod hoc*, Lambinus *quod hoc ipsum*, nimirum coniuncta utraque scriptura. Ordo verborum *in una civitate* pro vulgato *una in civitate* e Guelff. et Lambini v. c. (Havn.) est.

§. 21. *imperare debuisti ex foedere*] Hoc verbb. ordine Guelff. et Lambinus in margine: vulgo *ex foed. debuisti*. Porro *ut* pro vulg. *uti* Guelff. et Havn. coll., et *hostes communes* Lamb. cum iisdem co-

nullum unquam poposcisti per tot annos. Fecisti item, ut praedones solent: qui cum hostes communes sint omnium, tamen aliquos sibi instituunt amicos, quibus non modo parcant, verum etiam praeda quos augeant, et eos maxime, qui habent oppidum opportuno loco, quo saepe adeundum sit navibus, nonnunquam etiam necessario. Phaselis illa, quam cepit P. Servilius, non fuerat urbs antea Cilicum et praedonum: Lycii illam, Graeci homines, incolebant. Sed quod erat eiusmodi loco, atque ita proiecta in altum, ut et exeuntes e Cilicia praedones saepe ad eam necessario devenirent, et, cum se ex hisce locis reciperent, eodem deferrentur; asciverunt sibi illud oppidum piratae, primo commer-
22 cio, deinde etiam societate. Mamertina civitas improba antea non erat; etiam erat inimica improborum: quae C. Catonis, illius, qui consul fuit, impedimenta retinuit. At cuius hominis? clarissimi ac potentissimi; qui tamen cum consul fuisset, condemnatus est, [Ita C. Cato, duorum hominum clarissimorum nepos, L.

---

dicibus cum vulgo sit *com. hostes.* Verum *sunt* ambo Guelff. et Havn. coll. parum probabiliter.

antea Cilicum et praedonum] Vulgo *ante* et *atque*, sed secutus sum Guelff. *antea* etiam edit. Lamb. et Havn. Iisdem auctoribus deinceps scripsi *se ex hisce* pro vulg. ordine *ex hisce se* et *sibi illud* pro *illud sibi.* Lag. 29 *latronum.*

§. 22. *ac potentissimi*] Sic Lambinus et Havn. cum Guelff. Vulgo *potentissimique*, quod a Naugerio factum e scriptura vulgarium librorum *potentissimi quoque.* Lag. 29 *potentissimi clarissimique.*

[Ita C. Cato cet.] Non potui non Ernestii iudicium sequi haec verba, ut quae de nota marginali in textum venisse viderentur, uncis includentis. Neque enim cohaerent cum reliqua oratione. Sed etiam auctor a quo petita videntur, in promptu est, Velleius lib. II, 8 *Mandetur deinde memoriae severitas iudiciorum, quippe C. Cato consularis, M. Catonis nepos, Africani sororis filius* (nepos igitur L. Aemilii Paulli) *repetundarum ex Macedonia damnatus est, cum lis eius IIII aestimaretur.* Quamquam Ferratio credo, non tam iudices quod sociis consulere vellent, sed ob iram amissi exercitus adversus Scordiscos hanc illi plagam iniicere voluisse, quam indigne ferens exul

Paulli, et M. Catonis, et P. Africani sororis filius,] quo damnato, tunc, cum severa iudicia fiebant, HS IIII milibus lis aestimata est! Huic Mamertini irati fuerunt; qui maiorem sumptum, quam quanti Catonis lis aestimata est, in Timarchidi prandium saepe fecerunt. Ve- 23
rum haec civitas isti praedoni ac piratae Siciliensi Phaselis fuit. Huc omnia undique deferebantur; apud istos relinquebantur: quod celari opus erat, habebant sepositum et reconditum: per istos, quae volebat, clam imponenda, occulte exportanda curabat: navem denique

---

Tarraconem abiit. Cf. or. p. Balbo c. 11. Ceterum pecuniae summa incerta fit, nam coll. Hav. *GII*, Guelf. ant. *IIς*, alter *HS gñ*, quae notae nihil aliud nisi nummos Sestertios indicant. Vide ad lib. III, 80. Ne in Lagom. quidem numerus est ullus, unus Lag. 29 sicut editur XVIII. Itaque IIII dedi secundum Velleium, quod et libr. III, 80 verisimillimum esse vidimus. Porro, cum in hoc membro *tunc* (sic Lambini v. c. Havn. Guelff. pro *tum) cum severa iudicia fiebant*, verbum *severa* absit a libris melioribus omnibus, nec tamen oratio Cicerone digna sine eo constet, dubito an etiam reliqua omnia usque ad haec extrema *lis aestimata est* ad explicationem illam marginalem pertineant, et in principio fuerit olim *Is est C. Cato.*

irati fuerunt] Ante Gruterum e codd. deterioris familiae legebatur *irati non fuerunt.* Ille negationem sustulit auctoritate vet. cod. in margine repet. Lambinianae (qui idem a Stephano in var. lect. laudatur, quamvis nec Stephanus nec Lambinus in textu ei paruerint) et Cuiaciani (si diversus est ab illo) et sui Gruteriani. Accedit Regius Graevii cum coll. Havn. et nova certe auctoritas Guelff. et Lagom. 29. Unus veteri lectioni patrocinatus est Ernestius, *huic* ad Verrem referendum esse contendens. Verum de hoc nondum loquitur, de Mamertinis dicit, qui cum consularem hominem persequerentur, gratiam libertini et accensi expetiverint. — *in Timarchidi prandium*] *Timarchidi*, ut Lambinus edidit pro vulg. *Timarchidis*, aperte legitur in Guelff. et Havn. coll.

§. 23. *undique deferebantur*] Vulgo *deportabantur*, illud Stephanus e cod. vet. edidit et in reliquis eius familiae libris inventum est (Leid. *ferebantur)*, neque causa est cur negligatur, quamquam *deportari* de oneribus usitatius habetur. Mox *et reconditum* pro vulg. *ac* Lambini vet. cod. (Havn.) Guelff. — *clam imponenda*] Omisi quae vulgo praemittuntur verba *in navem* propterea quod absunt a Lambini duobus, et Regio Graevii, nec in Guelff. inveniuntur. *Navem* singulari numero vix intellexeris aliam quam *cybaeam*, de qua dicturus est dein-

maximam, quam onustam furtis in Italiam mitteret, apud istos faciendam aedificandamque curavit: pro hisce rebus vacatio data est ab isto sumptus, laboris, militiae, rerum denique omnium: per triennium soli non modo in Sicilia, verum, ut opinio mea fert, his quidem temporibus, in omni orbe terrarum, vacui, expertes, soluti ac liberi fuerunt ab omni sumptu, mo-
24 lestia, munere. Hinc illa Verria nata sunt: quod in convivium Sex. Cominium protrahi iussit, in quem scyphum de manu iacere conatus est, quem obtorta gula de convivio in vincla atque in tenebras abripi iussit. Hinc illa crux, in quam iste civem Romanum, multis inspectantibus, sustulit: quam non ausus est usquam

---

ceps. *Imponere* autem sic dici simpliciter omissa navigiorum significatione Oudendorpius ad Caes. de bell. civ. III, 14 probavit, laudavitque Garatonius ipsius Ciceronis locum II de divin. 40 *cum M. Crassus exercitum Brundisii imponeret.* — *navem denique*] Lambinus *navim* mansitque in textu, quia repetitores omiserunt. Eam formam etsi hoc quidem loco etiam Guelf. ambo exhibent, propagare tamen nolui, quia tot aliis locis in his orationibus iidem codices a vulgaribus non discrepantes *navem* habent, neque alio ullo *navim* tuto legi apud Ciceronem cognovi: lib. III de nat. deor. 37 §. 89 fide codd. Glog. et Rhedig. saepe in dubium vocata nititur. — *faciendam aedificandamque*] Nescio an Leid. et coll. Havn. fide tollendum sit *aedificandamque*, sed Guelferbytani *faciendamque*, nihil aliud, et videtur etiam Lambinus invenisse, qui in margine coniecit scribendum *aedificandam faciendamque.*

§. 24. *Verria*] Sic codices, quorum lectionibus utor, omnes: edd. principes *Verreia:* in Aldina demum factum est *Verrea.*

quod in conviv.] Sic editiones vett. et omnes utriusque familiae codd. msti, quorum notitiam habemus. In Victor. primum extitit *hinc in convivium*, et a reliquis bona fide servatum. Quamquam quae ista est sententia: *hinc*, nimirum quod Mamertinae civitatis gratiam omni largitionum genere sibi paraverat — *in convivium Sex. Cominium protrahi iussit? Quod in convivium* referendum ad ipsa illa Verria, cum ea sollemnibus epulis celebrarentur. Vide II, 21. — *in vincla*] Sic Steph. Lamb. ediderunt et legitur in Havn. coll. Guelff. Lag. 29. Vulgo *vincula.* Cf. ad lib. V, 7 extr. Iisdem auctoribus post *iste civem Rom.* mutato verborum ordine dedimus, quod vulgo est *civ. Rom. iste:* et extremo capite *communicavit*, quod in libris mss. deterioris ordinis est *communicavisset*, in editis inde ab Aldino *communicasset.*

defigere, nisi apud eos, quibuscum omnia scelera sua ac latrocinia communicavit. Laudatum etiam vos quemquam venitis? qua auctoritate? utrum, quam apud se- 11
natum, an quam apud populum Romanum habere debetis? Ecquae civitas est, non in provinciis nostris, verum in ultimis nationibus, aut tam potens, aut tam 25
libera, aut etiam tam immanis ac barbara; rex denique ecquis est, qui senatorem populi Romani tecto ac domo non invitet? qui honos non homini solum habetur, sed primum populo Romano, cuius beneficio nos in hunc ordinem venimus, deinde ordinis auctoritati, quae nisi gravis erit apud socios et exteras nationes, ubi erit imperii nomen et dignitas? Mamertini me publice non

---

§. 24. *venitis]* Sic Lambiniana et coll. Havn. Guelff. Vulgo *venire audetis.* Tum vulgo *apud senatorium ordinem*, quod ineptum: senatus *ordo* est civitatis, senatorius ordo dignitas. Nos e Lambini vet. cod. Regio Guelff. *senatum* dedimus.

§. 25. *Ecquae civitas*] Molesta res est diiudicare utra pronominis forma praestet, cum neutra certis poetarum testimoniis careat. Nam *ecqua* Terent. Eun. III, 3, 15 et Virgil. Aen. III, 341, *ecquae* Lucretius V, 1208 et 1212 nec potest aliter *ecquaenam.* Apud Cic. Lambinus, quemadmodum ad lib. II de Invent. 12 profitetur faciendum sibi videri, *ecqua* scripsit, et confirmant hoc loco coll. Havn. Guelf. 2 Lag. 29, reliqui deteriores et Guelf. 1 *ecquae* exhibent, et supra §. 18 omnes in ea consentiunt. *Ecqua* editur supra lib. I, 24 extr. et ad Att. VII, 8, *ecquae* ad eund. VIII, 12 et Acad. II, 26, *ecquaenam* de Fin. IV, 24. — *non in provinciis nostris, verum]* Revocavit Ernest. vitium ab imperitia librariorum sive correctorum profectum et aegre a Grutero expulsum, *non modo in prov. nostris.* Fidem ille habuit edd. vett. quas nunquam sibi persuadere potuit e pessimis codd. ductas esse. Iis h. l. opponitur Lambini vet. cod., Cuiacianus apud Gruterum, Havn. coll. Guelf. ambo.

tecto ac domo non invitet] i. e. excipiat. Inde ablativus, ut Philipp. XII, 9 §. 23 *tota familia accurret, hospitio invitabit:* ne cum Lambino coniicias fuisse *in tectum ac domum.*

et exteras nationes] Deteriores inepte *in exteras nationes*, quae ubi discernuntur a sociis, sunt quae sub regibus sunt aut sua libertate utuntur, itaque in Victoriana correctum est *atque* et per reliquas editiones propagatum, sed codicum meliorum lectio est *et*, sicut unus edidit Hervagius, voluitque edi Lamb. in margine. Mox bis *invitarunt* Guelf. 1 et Havn. bis *invitaverunt* vulgares et Guelf. 2, editiones variant.

invitarunt. Me cum dico, leve est: senatorem populi Romani si non invitarunt, honorem debitum detraxerunt, non homini, sed ordini. Nam ipsi Tullio patebat domus locupletissima Cn. Pompeii Basilisci, quo, etiamsi esset invitatus a vobis, tamen devertisset: erat etiam Percenniorum, qui nunc item Pompeii sunt, domus honestissima, quo L. frater meus summa illorum voluntate devertit. Senator populi Romani, quod in vobis fuit, in vestro oppido iacuit et pernoctavit in publico. Nulla hoc civitas unquam alia commisit. Amicum enim nostrum in iudicium vocabas. Tu, quid ego privatim negotii geram, interpretabere imminuendo ho-
26 nore senatorio? Verum haec tum queremur, si quid de vobis per eum ordinem agetur, qui ordo a vobis adhuc solis contemptus est. In populi Romani quidem conspectum quo ore vos commisistis? nec prius illam crucem, quae etiamnunc civis Romani sanguine redundat, quae fixa est ad portum urbemque vestram, revellistis, neque in profundum abiecistis, locumque illum omnem expiastis, quam Romam atque in horum conventum adiretis? In Mamertinorum solo foederato

---

§. 25. *domus locupletissima]* Additur vulgo *et amplissima*, non ineptum spatiosae domus epitheton. Sed tamen constantiae causa secundum duos Lambini codices et Guelff. et Havn. coll. sustulimus. Tum *Percennii* fuerunt constanter usque ad repetitam Lambinianam, e qua Gruterus *Parcennios* propagavit. Sed una haec codicum varietas est, quod Guelf. 2 et Leid. *Porcenniorum* domum appellant. In inscriptt. Gruterianis *Percennius* et *Percernii* sunt.

L. frater meus] i. e. patruelis, quem non multo post mortuum deplorat in epist. ad Att. I, 5. — *imminuendo honore]* Ante Graevium fere divisis verbis *in minuendo* scribebatur, sed *interpretari aliquid in aliqua re* recte Ernestius Latinum esse negavit. Sed ne malis *honori*, *imminuendo honore* dicitur pro: ita, ut imminuas honorem.

§. 26. *Verum haec tum]* Guelf. 1 *verum tum haec*, alter *verum tum hoc*. — *Romam atque in horum conventum]* Facile cuipiam *in* delendum videatur, nec alienam esse ab ea coniectura scripturam codd. Guelff. *atque morū conventum*. Verum cum praepositione dicimus *in*

atque pacato monumentum istius crudelitatis constitutum est. Vestrane urbs electa est, ad quam cum adirent ex Italia, crucem civis Romani prius, quam quemquam amicum populi Romani viderent? quam vos Rheginis, quorum civitati invidetis, itemque incolis vestris, civibus Romanis, ostendere soletis, quo minus sibi arrogent, minusque vos despiciant, cum videant ius civitatis illo supplicio esse mactatum.

Verum haec emisse te dicis. Quid? illa Attalica 12
tota Sicilia nominata ab eodem Heio peripetasmata 27
emere oblitus es? Licuit eodem modo, ut signa. Quid enim actum est? An litteris pepercisti? Verum hominem amentem hoc fugit: minus clarum putavit fore,

---

ius adire, et *in oppidum* infra c. 23, *ad senatum* c. 61 est, nec fere omittitur illa nisi ubi res ad preces pertinet. Cf. ad c. 51 pr. et V, 8 §. 19. — *ad quam cum adirent]* Facile audis *homines*, sed Hotomanus coniecit *qui adirent* scribendum esse, recepitque Lambinus priore. In alterius margine *cum* in duobus codd. vett. esse notatur. Est vero in omnibus. — *amicum populi Rom. viderent]* Sic Hervag. Stephan. Lambinus, reliqui, et Guelf. 2 Lag. 29. Ceteri *amicum viderent pop. Romani*, etiam Guelf. 1. — *itemque incolis vestris]* Vulgo *item incolis vestris*, quod ad Rheginos pertineret, quasi hi quoque cum aliis incolae urbis Mamertinorum essent: coniungendis quidem verbis non aptum est *item*, sed *itemque*, quod dedimus ex Leid. Guelf. 2 coll. Havn. et Ursini codice olim collato, et eodem pertinet quod est in Guef. 1 *item quam*. Sic I, 22 *deorum simulacra itemque cetera signa;* IV, 54 *ad aedem Honoris et Virtutis itemque aliis in locis;* V, 21 *ex senatus consulto itemque ex lege Terentia*, al. Etiam apud Quintilianum frequens ea coniungendi ratio est, restituendaque fuit e codicibus copula in vulgaribus libris omissa Instit. I, 7, 5.

§. 27. *nominata ab eodem Heio]* Haec coniungenda videntur, nam quod Hotomanus censuit *Attalica nominata* comprehendenda esse, non illa in Sicilia solum appellabantur *Attalica*, sed ubivis, genus vestis auro intertextae, vide Plinium hist. nat. VIII, 48, neque *nominata* ut absolute pro *celebratis* intelligas, usus sermonis concedit. Sed en tibi Lambinus, ut Hotomani intelligendi rationem adiuvaret, mutata verborum collocatione *Attalica tota Sic. nom. peripetasmata* coniunxit.

Quid enim actum est] Intellige: nihil enim re vera actum est, non vera fuit emptio.

quod de armario, quam quod de sacrario esset ablatum. At quomodo abstulit? non possum dicere planius, quam ipse apud vos dixit Heius. Cum quaesissem, numquid aliud de bonis eius pervenisset ad Verrem, respondit, istum ad se misisse, ut sibi mitteret Agrigentum peripetasmata. Quaesivi an misisset: respondit id, quod necesse erat, scilicet dicto audientem fuisse praetori; misisse. Rogavi, pervenissentne Agrigentum: dixit pervenisse. Quaesivi, quemadmodum revertissent: negavit adhuc revertisse. Risus po-
28 puli atque admiratio omnium vestrum facta est. Hic tibi in mentem non venit iubere, ut haec quoque referret HS VI milibus D se tibi vendidisse? metuisti, ne

§. 27. *ut sibi mitteret Agrigentum]* In Guelff. et coll. Havn. lacuna h. l. est, ab uno *Agrigentum* usque ad alterum, quod proxime sequitur, quales nonnunquam accidunt. Haec ipsa causa est cur relinquere cogar illud *quaesivi an misisset*, quod falsum esse certa quadam ratione docui in Gramm. ling. Lat. §. 353. Fortasse *anne misisset* scribendum. — *quaesivi quemadmodum]* Sic Lambinus secundum libros Memmii et Cuiacii, Graevius secundum eum quem Regium appellat ediderunt, et inventum est in utroque Guelferbytano. A plerisque aliis et editionibus veteribus *quaesivi* abest, sed legitur *quemadmodum*, primus P. Manutius *quaesivi an domum revertissent* edidit, de coniectura putarem, nisi ita prorsus in Lag. 29 esse notaretur. Eaque lectio, spreta vel meliorum vel plurium codicum scriptura vulgata facta est per Gruterum. Intelligis ad risum excitandum nonnihil valuisse, quod orator in testium interrogatione se minime dubitare simulavit, quin reddita fuerint, tantum de ratione qua remissa fuerint quaesivit.

admiratio omnium vestrum facta] Sic libri mss. plerique meliores aeque ac deteriores, neque abeunt olim editi, nisi quod Ascensiana 1511 *admurmuratio* in textu habet, *admiratio* in margine. In Naugeriana primum et *admurmuratio* legitur, et *vestrum* omittitur, eaque scriptura usque ad Graevium mansit et postea ab Ernestio revocata est, male, nam de codicibus non fiunt auctores nisi Lag. 42, in quo est *admurmuratio*, et Lagom. 1 qui *vestrum* omittit. Neque in Guelf. altero *âmratio* ut Ernestius ait, sed *âmiratio* legitur.

§. 28. *HS VI milibus IↃ]* Hunc numerum ex Hotomani coniectura primus dedit P. Manutius in edit. 1559, deinde Gruterus et reliqui. Codices vulgares et edd. vett. hoc quidem loco *HS D*, mox *HS VI milibus D*, unde non difficile fuit eandem summam repetere supra. Libri meliores, Guelff. Havn., priore loco nullum numerum habent,

aes alienum tibi cresceret, si HS VI milibus D tibi constarent ea, quae tu facile posses vendere HS ducentis milibus? Fuit tanti, mihi crede: haberes quod defenderes: nemo quaereret, quanti illa res esset: si modo te posses docere emisse, facile cui velles tuam causam et factum probares: nunc de peripetasmatis quemadmodum te expedias, non habes.

Quid? a Phylarcho Centuripino, homine locuplete 29
ac nobili, phaleras pulcherrime factas, quae regis Hieronis fuisse dicuntur, utrum tandem abstulisti, an emisti? In Sicilia quidem cum essem, sic a Centuripinis, sic a ceteris audiebam, (non enim parum res erat clara,) tam te has phaleras a Phylarcho Centuripino abstulisse dicebant, quam alias item nobiles ab Aristo Panhormitano, quam tertias a Cratippo Tyndaritano. Etenim si Phylarchus vendidisset, non ei, posteaquam reus factus es, redditurum te promisisses. Quod quia vidisti plures scire, cogitasti, si ei reddidisses, te mi-

---

altero ∞d. Itaque hunc ego in minore editione utrobique reposui: nunc autem ad Hotomanianam rationem redeo, propterea quod idem videtur numerus esse debere, qui supra est cap. 6, illic autem de sex milibus itidem ut hic de quingentis HS constat. Accedit quod Lag. 29 vulgatam nunc lectionem aliqua certe auctoritate firmat. Lambinus quid voluerit non invenio, qui hoc loco *HS IↃↃCIↃ* ediderit, altero numerum VID immutatum reliquerit.

§. 29. *Phylarcho]* Codd. variant, sed omnes tamen *Philiarcho* volunt, sicut etiam scripsit Lambinus infra cap. 23. Sed id nomen nullum est et male compositum: sed nec quod nunc vulgo legitur *Philarchus*, invenitur apud scriptores: contra *Phylarchus* frequens est. Itaque sic dedi, (etiam V, 35 in nomine alterius Phylarchi Haluntini,) quandoquidem Graeca littera *y* in codd. aut nunquam aut rarissime comparet. — *In Sicilia]* Edd. vett. et codices vulgares omnes *Siciliae*, primus Hervag. *in Sicilia* exhibuit, quod postea servatum est, confirmaturque Lambini, Gruteri, Graevii de suis bonis libris silentio et nunc Guelferbytanorum amborum auctoritate. Apud Ciceronem unum adhuc istius generis exemplum notavi, de rep. III, 9 *Graeciae:* de aliis quidem cf. interp. ad Caes. B. G. VIII praef.

quam alias item nobiles] In priore editione Lambinus scripsit *alteras*, quod in repetita tamquam coniectura litteris *fort.* affertur.

nus habiturum, rem nihilominus testatam futuram: non reddidisti. Dixit Phylarchus pro testimonio, se, quod nosset tuum istum morbum, ut amici tui appellant, cupisse te celare de phaleris: cum abs te appellatus esset, negasse habere sese: apud alium quoque eas habuisse depositas, ne qua invenirentur: tuam tantam fuisse sagacitatem, ut eas per illum ipsum inspiceres, ubi erant depositae: tum se deprehensum negare non potuisse: ita ab se invito phaleras ablatas gratis.

---

§. 29. *te minus habiturum]* Sic dudum correctum erat ante Lambinum, a P. Manutio primum opinor, cum in edd. veteribus esset *te minus invidiae habiturum*. Senserunt falsum additamentum editores, quamvis in iis libris mstis, quibus utebantur, Hotomanianis, Pall. Franc. ut uno verbo dicam, in omnibus deterioris familiae, extaret. Verum abest a melioribus, uno Lambiniano, et Regio Graevii, (Leid. qui siletur) ambobus Guelferbytanis. — *morbum, ut amici tui appellant]* Adiicitur in codicibus deterioris familiae omnibus et editionibus vetustis *studium*, inepte e principio libri quasi memoriae causa huc translatum: nam *studium* ipse Verres appellat, non amici. Abest ab alterius familiae codicibus. Sed iam P. Manutius in edit. 1540 turpe additamentum sustulerat. Lambinus ea de re disputans, dum sub alienis nominibus coniecturas temptat, ut aut *ut tu ipse studium*, aut *studiose* (quod ad insequentia pertineret) scribatur, nescio quomodo effecit, ut repetitores illius editionis *studiose*, tamquam sic esse deberet, in textu ponerent. Inde in Gruterianam, quae huius fuit negligentia, transiit, sed tamen ipse totam eam parenthesin una cum verbo suspecto tollendam censet. Sic item Ernestius et Beckius faciendum censent, immerito vitiis deteriorum librorum ad infringendam fidem meliorum abutentes. — *cupisse te celare]* Libri deteriores (Lagom. omnes) *celasse*, iidemque postea pro vulg. *negasse* exhibent *negare*. Correxit hoc alterum iam Naugerius, illud prius Hervag. et Victor.

apud alium quoque eas habuisse depositas] Quoque in edit. Lambiniana non legitur, puto quod ea vox illum offenderat, nam melius sine dubio esset *etiam depositas hab. apud alium*. Paulo post pro *tuam tantam* cet. in editionibus Steph. et Lamb. (tacentibus repet.) et in Guelf. 1 et coll. Havn. est *istius*, sed in utrisque tamen *inspiceres*, quod mirum est quomodo Lambinus (nam Stephanus nihil nisi codicem sequitur) tulerit. In Guelf. 2 aliquot verbb. lacuna est.

phaleras ablatas] Codd. deterior familia *ablatas phaleras*, melior *phaleras sublatas*, itaque ediderunt Steph. et Lambinus, nisi quod vulgarem verborum ordinem retinuerunt, et ipse scripsi in min. editione.

Iam, ut haec omnia reperire ac perscrutari soli- 13
tus sit, iudices, est operae pretium cognoscere. Ci- 30
byratae sunt fratres quidam, Tlepolemus et Hiero: quorum alterum fingere opinor e cera solitum esse, alterum esse pictorem. Hosce opinor, Cibyrae cum in suspicionem venissent suis civibus fanum expilasse Apollinis, veritos poenam iudicii ac legis, domo profugisse. Quod Verrem artificii sui cupidum cognoverant tum, cum iste, id quod ex testibus didicistis, Cibyram cum inanibus syngraphis venerat, domo fugientes ad eum se exules, cum iste esset in Asia, contulerunt. Habuit eos secum ab illo tempore, et in le-

---

Sed poenitet facti, nec dicendi rationem concoquo. Tollimus enim aliquid *ex* aut *de loco*, tollimus etiam *alicui homini*, cuius id commodo aut incommodo fiat (quemadmodum explico III, 97 extr.); *ab* aliquo tollere non possumus nisi quod ei impositum est: phaleras quidem ab eo sive ei, qui possidet, *auferimus*. Ac videtur extrema praegressi verbi littera adhaesisse ad insequens et locum vitio dedisse. Idem quod nos passum esse Lambinum verisimile fit, qui cum in editione scripsisset *phaleras sublatas*, in margine repetitae traditur legere *phaleras ablatas*.

§. 30. *Hosce opinor, Cibyrae cum]* Cibyra est Phrygia, quae eadem magna appellatur a geographis: cf. ad I, 38 pr. Sed Lambinus in margine repetitae, puto vulgari interpunctione in errorem ductus, *audio Cibyrae* legendum coniecit: dirimenda vero ea verba sunt, ut nomen loci ad fanum Apollinis pertineat. — *inanibus syngraphis]* Quae sint inanes syngraphae nondum quisquam certa quadam ratione explicavit. Pertinere rem ad Malleoli hereditatem (vid. lib. I c. 36), furtumque Verris subesse apparet. Itaque *inanes* eas esse puto, in quibus neque creditoris neque debitorum nomina dum perscripta sunt, quales Verres secum attulit, ut cum iis, qui Malleolo deberent, novas faceret, suumque nomen pro Malleolo inscriberet.

domo fugientes] Sic codices melioris familiae et editiones Steph. Lamb., vulgares *profugientes*. Sed quod in Gruteriana editione est et ex ea in Ernestianam immigravit, *perfugientes*, typographorum errori debetur. — *Habuit eos secum]* Hoc verborum ordine pro vulg. *habuit secum eos* Steph. Lamb. Guelff. Sed praepositio *ab* in Guelff. Leid. Havn. non legitur, sublataque est a Stephano, nec tamen possum probare, quod illos Verres etiam Romae secum habuit, ut patet ex ipsius Q. Tadii commemoratione, coll. I, 49.

gationis praedis atque furtis multum illorum opera con-
31 silioque usus est. Hi sunt illi, quibus in tabulis re-
fert sese Q. Tadius dedisse iussu istius Graecis pi-
ctoribus. Eos iam bene cognitos et re probatos se-
cum in Siciliam duxit. Quo posteaquam venerunt, mi-
randum in modum, (canes venaticos diceres,) ita odo-
rabantur omnia et pervestigabant, ut, ubi quicque es-
set, aliqua ratione invenirent. Aliud minando, aliud
pollicendo, aliud per servos, aliud per liberos, per ami-
cum aliud, aliud per inimicum inveniebant: quicquid
illis placuerat perdendum erat. Nihil aliud optabant
quorum poscebatur argentum, nisi ut Hieroni et Tle-
14 polemo displiceret. Verum mehercule hoc, iudices, di-
32 cam. Memini, Pamphilum Lilybaetanum, amicum et

---

§. 31. *in tabulis refert]* Non narrat, sed admonet rei quasi praesentis. Itaque neutrum displicet, nec praesens tempus, quod pro vulgato *retulit* dedimus meliorum codicum consensu, nec quod ait *in tabulis*, pro quo P. Manutius in edit. 1559 et Lambinus correxerunt *in tabulas*. — *ubi quicque esset]* Sic postulat Latinitas et perite correxit sine libris Manutius 1559, eumque secutus Gruterus cum olim ederetur *quicquid*, quod non ponitur cum relativis, sed ipsum relativum est. Lambinus vulgarem lectionem servavit, rationem non ignorans, sed confundi eas pronominum formas ratus ad lib. V de Fin. 9 §. 24. Verum si libros suos inspicere voluisset, non dubito quin inventurus fuerit, quod in Havn. coll. et Guelf. 1 est, *quicque:* Guelf. 2 *quicquam.* Simul animadverte ad scribendi rationem, quoniam Conr. Schneiderus in Elem. L. L. p. 502 miratur nondum se invenisse *quicque.* At in edd. vetustis sic est, nec intelligitur cur non sit quemadmodum in reliquis eius generis. — *Aliud minando]* Sic Guelff. Leid. coll. Havn. vulgo *minitando.* Extr. cap. *nisi id ut* Steph. Lamb. e cod. vet. quod intelligitur ex Havn. collatione. Non sic Guelff. nostri.

§. 32. *Verum mehercule hoc — dicam]* Nihil refert, sed pro vulg. *vere mehercules hoc dicam* secundum alterius familiae libros *verum mehercule* dedimus. *Verum* iam Hervagius. Sed de interiectionis forma *mehercule* ab ipso auctore magis quam *mehercules* probata, nota res est. Vide Orat. 47. Corrigendi etiam erunt e melioribus libris primum hoc ipso cap. extr. tum in Verr. V, 58 med. et 68 pr. pro Planc. 26, quibus locis alteram formam defendere voluit Goerenz. ad lib. III de Legg. c. 15. Relinquitur *mehercules* p. Rosc. Am. 48 extr. De aliis formis cf. ad lib. III, 62 §. 145.

hospitem meum, nobilem hominem, mihi narrare, cum iste ab sese hydriam Boëthi manu factam, praeclaro opere et grandi pondere, per potestatem abstulisset, se sane tristem et conturbatum domum revertisse, quod vas eiusmodi, quod sibi a patre et maioribus esset relictum, quo solitus esset uti ad festos dies, ad hospitum adventus, a se esset ablatum. Cum sederem, inquit, domi tristis, accurrit Venerius: iubet me scyphos sigillatos ad praetorem statim afferre. Permotus sum, inquit: binos habebam: iubeo promi utrosque, ne quid plus mali nasceretur, et mecum ad praetoris domum ferri. Eo cum venio, praetor quiescebat: fratres illi Cibyratae inambulabant. Qui me ubi viderunt, Ubi sunt, Pamphile, inquiunt, scyphi? Ostendo tristis. Laudant. Incipio queri, me nihil habiturum, quod alicuius esset pretii, si etiam scyphi essent ablati. Tum

---

§. 32. *amic. et hosp. meum]* Sic Guelff. Lag. 29. Havn. Vulgo *hospitem et amicum meum.* — *Boëthi manu]* Caelator ille argenti unus de principibus. Vid. Plin. hist. nat. XXXIII, 55 *Proximi ab eo* (Mentore) *in admiratione Acragas et Boëthus et Mys fuere. Extant hodie omnium opera* cet. — *a patre et maioribus*] Sic Guelf. ambo, sed una cum edd. vett. Iunt. Ald. Vict. quamquam in iis et in codd. deterioribus *a matre* loco patris legitur. In Hervag. *a patre* correctum est, sed etiam praepositio addita.

ad hospitum adventus] Sic codd. Guelff. Lag. 29 Leid. Havn. coll. voluitque Lambinus in margine repet. editionis. Nimirum vulgata lectio *ad hospitum adventum*, quoniam illos non semel et una venisse intelligimus, proprietati Latini sermonis, certe Ciceroniani, adeo nocet, ut vitiosa sine dubio haberi debeat. Dixi ea de re dudum in Gramm. Lat. §. 92. Huius autem verbi pluraliter positi exempla sunt in Verr. II, 34. p. leg. Man. 5. in Rull. I, 3. in Pis. 22.

Eo cum venio] Latinitatis lege iubente Ernestius se dicit *veni* correxisse. Temere factum: delevit enim, quod maxime ad imitandum vulgarem hominum sermonem pertinet et in rem praesentem deducit.

Qui me ubi] Sic primum Stephan. Lamb. secutique sunt reliqui. Olim e deterioribus edebatur *qui simul ut me.* Item post *ut isti abs te ne auferantur* Steph. primum dedit. Ante illum *ut* non erat, verborum collocatio varia. Sed temere Lambinus de suo *inquiunt* verbis *quid vis nobis dare* interiecit.

illi, ubi me conturbatum vident: Quid vis nobis dare, ut isti abs te ne auferantur? Ne multa, sestertios CIↄ me, inquit, poposcerunt: dixi me daturum. Vocat interea praetor: poscit scyphos. Tum illos coepisse praetori dicere, putasse se, id quod audissent, alicuius pretii scyphos esse Pamphili: luteum negotium esse; non dignum, quod in suo argento Verres haberet. Ait ille, idem sibi videri. Ita Pamphilus scyphos optimos aufert.

33 Et mehercule ego antea, tametsi hoc nescio quid nugatorium sciebam esse, ista intelligere: tamen mirari solebam, istum in his ipsis rebus aliquem sensum habere; quem scirem nulla in re quicquam simile hominis habere. Tum primum intellexi, ad eam rem istos fratres Cibyratas fuisse, ut iste in furando manibus suis, oculis illorum uteretur. At ita studiosus est huius praeclarae existimationis, ut putetur in hisce rebus intelligens esse, ut nuper (videte hominis amentiam) posteaquam est comperendinatus, cum iam pro damnato mortuoque esset, ludis Circensibus mane apud

---

§. 32. *HS CIↄ me, inquit, pop. dixi me daturum]* Utrum sint *HS CIↄ* e vulgaribus et Regio, an *CC*, quod e scriptura codd. Guelff. *HS CC^ta* invenitur, non decerno: nam ipsa illa ducenta milia, etsi Lambinus edidit, omnem verisimilitudinem excedunt. Reliqua loci constitutio est secundum consensum meliorum codicum. Nam vulgares et scripti et primum editi *HS ω me inquit dixi daturum*, Hervagius scripsit *HS CC me, inquit, poposcerunt, dixi me daturum C*, cetera ex aliquo meliore, sed quod adiecit *C*, suam coniecturam secutus, ut qui Pamphilum, quamvis ille dixisset breviter sese dicturum, tamen in mercando morari iuberet. Sed haec vulgata facta est. Quod autem Beckius, dum scribit *HS CIↄ dixi me daturum*, se ad veterum editionum et codicum plurimorum fidem redisse putavit, nihil est. Immo is ultra modum brevem orationem facit. Traxit tamen in errorem alios.

poscit scyphos] Sic Guelff. et coll. Havn., vulgo *scyphos poscit*. Paulo post pro *scyphos optimos aufert* Lambinus in margine repet. coniecit scribendum esse *refert:* at non est *aufert a Verre*, ut periculum esse posset ne intelligeretur eripere. — *luteum negotium]* i. e. contemnendum. Sic *homo luteus* Verres vocatur III, 14, qui hebes ac nullius ingenii sit, et in Pis. 25 Piso *homullus ex luto et argilla fictus Epicureus*. Fortius etiam Aristophanes Equit. 899 κόπρειος ἀνήρ.

L. Sisennam, virum primarium, cum essent triclinia strata argentumque expositum in aedibus; cum pro dignitate L. Sisennae, domus esset plena hominum honestissimorum: accessit ad argentum, contemplari unumquicque otiose et considerare coepit. Mirari stultitiam alii, quod in ipso iudicio, eius ipsius cupiditatis, cuius insimularetur, suspicionem augeret: alii amentiam, cui comperendinato, cum tam multi testes dixissent, quicquam illorum venisset in mentem. Pueri autem Sisennae, credo qui audissent, quae in istum testimonia dicta essent, oculos de isto nusquam deiicere, neque ab argento digitum discedere. Est boni iudi- 34
cis, parvis ex rebus coniecturam facere uniuscuiusque et cupiditatis et incontinentiae. Qui reus, et reus lege

§. 33. *L. Sisennam]* Fuisse illum hoc anno aedilem curulem (cum C. Antonio, vid. supra ad c. 3) haud inepte Ernestius suspicatur, certis testimoniis probari nequit. Schubertus quidem, qui nuper librum de Aedilibus edidit, p. 412 L. Murenam cum Antonio aedilem fuisse putat, sed quibus causis adductus id opinatus fuerit, non indicat. Immo constat ex orat. Ciceroniana c. 9 Murenam omne tempus, quod inter quaesturam et praeturam intercessit, a Roma abfuisse legatum in Asia.

accessit ad argentum, contemplari unumquicque — coepit] Sic Graevius edidit ex codice Regio, et legitur in utroque Guelf. Nec dubito quin etiam in ceteris codd. mstis Indicativi legantur, cum ea scriptura in edd. vett. usque ad Naugerium servata sit. Is primum animadversa constructionis ratione perturbata *accesserit — coeperit* edidit, quod ceteri editores tacite receperunt, Ernestius tamquam unice verum defendit. Nec iniuria ille quidem, sed animadvertisse debebat, non raro scriptores vett. interpositis longioribus parenthesibus, initam constructionis rationem omittere et a Coniunctivis ad Indicativos transire. Longiorem expositionem supervacuam fecit Matthiaei diligentia in libro quem de anacoluthis scripsit p. 20. Ex iisdem codd. et eodem auctore *unumquicque* (sed cum littera *c* Havn., *t* Guelf. 2, *d* Guelf. 1) pro vulg. *unumquodque* probavi. Ceterum *honestorum* fuit ante Stephanum, qui in ea re melioribus libris paruit.

venisset in mentem] Vulgo *veniret:* illud recipiendum censui e Lambini v. c. in marg. Havn. Leid. Guelferbytanis. Praecesserat quidem *augeret*, sed tempora pro verborum significatione diversa esse et possunt et debent. Item *audissent* et *dicta essent* edit. Lambini et Guelff. Havn. Lag. 29. Vulgo *audivissent — essent dicta.*

comperendinatus, re et opinione hominum paene damnatus, temperare non potuerit maximo conventu, quin L. Sisennae argentum tractaret et consideraret; hunc praetorem in provincia quisquam putabit a Siculorum argento cupiditatem aut manus abstinere potuisse?

16 Verum, uti Lilybaeum, unde digressa est oratio,
35 revertamur, Diocles est, Pamphili gener illius, a quo hydria ablata est, Popillius cognomine. Ab hoc abaci vasa omnia, ut exposita fuerant, abstulit. Dicat se licet emisse: etenim hic propter magnitudinem furti

---

§. 34. *qui reus, et reus lege comperendinatus]* Qui tandem accidisse dicamus, ut nemo Steph. et Lambinianae lectionis, etiam in repetitae editionis margine notatae, mentionem fecerit, eius quam a Guelff. codd. (adde etiam Havn. coll.) confirmatam, supra expressimus. Vulgo enim legebatur *qui reus lege et reus comperendinatus*, sed quae sequuntur *re et opinione* cum opponantur non reo, sed reo comperendinato, manifesto requirunt ut aliquid addatur, qua ratione comperendinatus dicatur. Reus quidem semper aliqua lege reus est sive tenetur, Verrem autem cum prima actione testes arguissent, *nemo comperendinatum*, quod erat, *sed condemnatum iudicabat*, ut ipse ait orator I, 7 extr. — *temperare non potuerit]* Lambinus *sibi temperare* scripsit, de coniectura, ut nunc iam intelligitur, nec necessaria illa.

hunc praet. in provincia] Sic paulum mutato verborum ordine Lambinus in marg. repetitae et Guelff. codices. Havn. *praetorem in provinciam*, ex quo patet unde hauserit Stephanus quod ineptissime edidit *in provinciam praetorem*.

§. 35. *unde digressa est oratio, revertamur]* Vulgo legitur *unde digressa est, oratio revertatur*, quam scripturam cum Lambinus in edit. non movisset, annotavit tamen codd. mss. duos habere *unde degressa est oratio, revertamur*. Sed ne fallare, *degressa* Lambinus ex ingenio scripsit, nam nostri codices *digressa*, uti decet, retinent. Cf. Drakenb. ad Liv. IV, 17 et supra ad lib. III, 69 extr. Sed *revertamur* non debebat contemni, quamquam in Havn. coll. *revertantur* legitur. — *exposita fuerant]* Notandum videtur in Lagom. codd. omnibus praeter 42 et in Guelff. esse *fuerunt*. — *Dicat se licet emisse]* Sic cod. Regius et ambo Guelf. ediditque post Stephanum Lambinus, repetitoribus tacentibus, quin etiam multo ante Hervagius. Nam vulgares libri tantum habent *dicat se emisse*. Hoc autem reprehendo, quod Graevius Ernestiusque cognita illa librorum lectione verba alio ordine, quam quo scripta sunt, exhibere maluerunt, cum ederent *dicat licet se emisse*. Nam de Lambino uterque fallitur, neque errorem Garatonius aut Beckius correxerunt.

sunt litterae, ut opinor, factae. Iussit Timarchidem aestimare argentum. Quo modo? Quo qui unquam tenuissime in donatione histrionum aestimavit.

Tametsi iamdudum ego erro, qui tam multa de tuis emptionibus verba faciam, et quaeram, utrum emeris necne, et quomodo et quanti emeris: quod verbo transigere possum. Ede mihi scriptum, quid argenti in provincia Sicilia pararis, unde quicque aut quanti emeris. Quid fit? quamquam non debebam ego abs 36
te has litteras poscere: me enim tabulas tuas habere

---

§. 35. *sunt litterae, ut opinor, factae*] Sic ambo Guelferbytani. Lambinus autem (cum coll. Havn.) *litterae, ut opinor, sunt factae*, vulgo *sunt, ut opinor, litterae factae*. — *in donatione histrionum*] Videtur moris fuisse ut histrionibus, perfectis ludis, cum praemia darentur, insuper corollae, quas deorum honoris causa tulerant, permitterentur parvo taxatae. Erant autem eae illo tempore foliis quidem ex auro et argento, floribus e ramento cornuum ad speciem verorum assimilatae. Vide Plinium in hist. nat. XXI, 3 sq.

Tametsi iam dudum ego erro] *Ego* in libris mss. omnibus est, sed eo quo nos posuimus loco meliores et Stephan. Lambinus, post *tametsi* deteriores et edd. principes. Primus sustulit Naugerius, cumque reliqui quam fidem codicum sequi maluerunt. — *utrum emeris necne*] Accessit illud *necne* in edit. Graeviana e cod. Regio (Havn. coll.) Idem cum Ernestius in Guelf. 2 invenisset, tamen plurium librorum consensum postulat, quo se dicat adduci posse, ut soloecismum *utrum* pro *an* (seu potius *num*) positi emendet. Age iam accedit testimonium Guelf. 1 et Lag. 29, accedit silentium Leidensis (ad edit. Graev. exacti) et quam ipse Ernestius consulere debuit, Lambini editio, qui ita e suis codd. haud dubie, non ex coniectura edidit. Sunt quidem nonnulli loci, ubi *utrum* non sequente *an* dicitur, ut in Verr. II, 69, (nam quem Ernestius in clave laudat V, 16 invenire non potui, et hunc ipsum esse credo, bis laudatum) pro Flacco 19. Sed hi et pauci sunt, et ad eorum genus pertinent, ubi, oratione aliquam ob causam interrupta, iusta verborum structura turbatur. — *quod verbo transigere possum*] Haec verba a Regio cod. abesse notat Graevius, et rectius abesse putat. Quod mihi longe aliter videtur. Verum eadem etiam a Guelff. absunt, non tamen haec solum, sed omnia ab uno usque ad alterum *emeris*. Nec magnopere dubitavi, quin sic etiam in cod. Reg. fuisse putarem; et nunc etiam testimonium coll. Havn. accedit. Itaque his quidem libris non utor, utrum *quidque*, an *quodque* e Lag. 29 scribendum sit: sed edd. vett. tamen *quicque*.

et proferre oportebat. Verum negas te horum annorum aliquid confecisse. Compone hoc, quod postulo, de argento; de reliquo videro. *Nec scriptum habeo, nec possum edere.* Quid futurum igitur est? Quid existimas hos iudices facere posse? Domus plena signorum pulcherrimorum iam ante praeturam: multa ad villas tuas posita, multa deposita apud amicos, multa aliis data atque donata: tabulae nullum indicant emptum. Omne argentum ablatum ex Sicilia est; nihil cuiquam, quod suum dici vellet, relictum: fingitur improba defensio, praetorem omne id argentum coemisse; tamen id ipsum tabulis demonstrari non potest. Si quas tabulas profers, in his, quae habes; quomodo habeas, scriptum non est: horum autem temporum, cum te plurimas res emisse dicis, tabulas omnino nullas profers. Nonne te et prolatis et non prolatis tabulis condemnari necesse est?

---

§. 36. *aliquid confecisse]* Intellige tabularum. Numerale *aliquot*, ut est in vulgatis, vix ferri posse videtur, itaque Car. Stephanum et Guelff. codd. secutus correxi. Havn. coll. *aliquit.* — *hos iudices] Hos* edidit Stephanus et Lamb. pro vulg. *hosce.* Sic etiam Guelff. et Havn.

domus plena signorum pulcher. iam ante praeturam] Lambinus male adiecit (de suo) *domus est plena:* sed delevit idem recte, sive potius in margine repet. deleri iussit ex vet. cod. *etiam*, quoniam vulgo legitur *iam etiam ante praeturam.* Abest item a Guelff. et Leid. et Havn. Post vulgo *apud amicos multa deposita*, nos eum ordinem verborum restituimus, quem Guelff. et Havn. coll. et ipsius orationis concinnitas postulant. — *quae habes]* Deteriores codd. *quas habes*, meliores (Cuiacianus apud Gruterum, Regius Graevii, ambo Guelf.) *quae habes.* In edd. veteribus cum initio secundum illos codices *quas habes* datum esset, Naugerius *quae* correxit, donec Victorius de coniectura, opinor, *quid habeas* dedit, eaque scriptura usque ad hanc aetatem propagata est. Tu subintellige ex iis quae sequuntur *perscripta sunt.* — *dicis — profers]* Vulgo *dicas — proferas*, in qua scriptura genitivus *horum temporum* pendet, nec habet quo referatur. Itaque Indicativos ex editionibus Steph. et Lambini et codicibus Guelferbytanis restitui, ut *cum* temporale fiat, genitivus ad *tabulas* pertineat.

Tu a M. Coelio, equite Romano, lectissimo adolescente, quae voluisti Lilybaei abstulisti: tu C. Cacu- 17 37
rii, prompti hominis et experientis et in primis gratiosi, supellectilem omnem auferre non dubitasti: tu maximam et pulcherrimam mensam citream a Q. Lutatio Diodoro, qui Q. Catuli beneficio ab L. Sulla civis Romanus factus est, omnibus scientibus, Lilybaei abstulisti. Non tibi obiicio, quod hominem dignissimum tuis moribus, Apollonium, Niconis filium, Drepanitanum, qui nunc A. Clodius vocatur, omni argento optime facto spoliasti ac depeculatus es. Taceo. Non enim putat ille sibi iniuriam factam, propterea quod homini iam perdito et collum in laqueum inserenti subvenisti, cum pupillis Drepanitanis bona patria erepta cum illo partitus es. Gaudeo etiam, si quid ab eo abstulisti, et abs te nihil rectius factum esse dico. A Ly-

§. 37. *a M. Coelio]* Codd. Guelff. et edd. veteres pleraeque etiam Lambiniana *Celio*, e Lagom. nihil a Gruter. Graev. scriptura *Caelio* diversum enotatum est, sed *oe* scribo, quia sic et inscriptiones fere, et nummi constanter exhibent. Sed ne per *ae* quidem male.

quae voluisti] Adiicitur vulgo *vasa argentea.* Sed absunt ea verba ab utroque Guelferb. et Havn. coll. nec, si recte reliqua comparas, opus esse putabis. Post ex iisdem illis codicibus, sed etiam editis Stephani et Lambini, *prompti* dedi pro vulg. *promptissimi.* Sequitur enim gradus positivus, nec solere Ciceronem gradus variare vidimus ad lib. II, 90 fin. Ceterum *C.* vocatur primum in Hervagiana, deinde in Steph. et reliquis: vulgares libri *P.*

mensam citream] Ne dubites illum operae pretium fecisse, lege Plinium de hac arbore (citro sive cedro Atlantica) deque pretiosissimis mensis citreis exponentem libro XIII c. 29 sq. Immo ipsum Ciceronem earum studiosissimum fuisse ex eodem loco intelliges, qui ingenti pecunia (sed de ipsa pecuniae summa vid. Harduini annotationem) unam emerit. — *ab L. Sulla]* Vulgo *a*, sed *ab* ambo Guelff. Lag. 29.

spoliasti ac depeculatus es] „Cod. Cuiac. *depecuniatus es:* quod sui iudicii facio: ego verbum non addo, nisi ad hoc propemodum exemplum a Lucilio dictum *deargentare*, pro argento emungere, libro XXIX (apud Nonium c. 2 nr. 218.)" Gulielmus. Eodem modo „mendose" dicit Lambinus in marg. repet. habere cod. vet. et est in coll. Havn. Neque differunt ambo Guelff. — *ab eo abstulisti]* Sic Stephan. Lambiniana et codd. meliores, quo accedit, si tanti est, Quintiliani auctoritas in Instit. IX, 2, 52. Vulgo tamen *ab illo.*

sone vero Lilybaetano, primo homine, apud quem deversatus es, Apollinis signum ablatum certe non oportuit. Dices te emisse. Scio: HS cıɔ: ita opinor. Scio, inquam: proferam litteras: tamen id factum non oportuit. A pupillo Heio, cui C. Marcellus tutor est, a quo pecuniam grandem eripueras, scaphia cum emblematis Lilybaei utrum empta esse dicis, an confiteris erepta?

Sed quid ego istius in eiusmodi rebus mediocres
38 iniurias colligo, quae tantummodo in furtis istius, et damnis eorum, a quibus auferebat, versata esse videantur? Accipite, si vultis, iudices, rem eiusmodi, ut amentiam singularem et furorem, non iam cupiditatem
18 eius perspicere possitis. Melitensis Diodorus est, qui

---

§. 37. *A Lysone vero*] Sic primus videtur Graevius nomen hominis scripsisse, in reliquis libris editis et mss. *Lisone* legitur. Vide infra §. 59. *Ab* coll. Havn. Tum Guelf. 1 *homine primo* ordine verborum non usitato. Deinde Lamb. primus recte edidit *deversatus es*, pro quo antiquiores editores *diversatus es*. — *ablatum certe non oportuit*] Graev. sibi primus videbatur delevisse, quod in ceteris adiicitur *ablatum certe esse*, paruitque ei Ernestius. Sed iam olim Steph. et Lambinus illud fecerant, auctoribus codd. mss. melioribus. Cf. de genere dicendi Terentio et Ciceroni admodum frequenti interpretes ad Acad. II, 41 §. 10 et ignoro num usquam pro participio sit infinitivus, qui tamen nonnunquam cum verbis *volendi* invenitur, ut dicas v. c. *consultum tibi esse volo* pro eo quod frequentius est, *consultum volo*. — *Dices te*] Vulgo praeponitur *at*, quod omisimus constantiae causa Guelferbytanos libros et coll. Havn. secuti. Item post vulgo legitur *et tamen*, sed prior vocula abest ab iisdem illis libris nec desiderabitur. — *cui C. Marcellus*] *C.* praenomen adiecerunt P. Manutius 1559 et Lambinus, nec decet virum illustrem (de quo cf. II, 3. III, 91. IV, 40) sine eo appellari sed illi libros suos secuti sunt, et nos Guelff. sequimur.

empta esse] Abest *esse* a Guelf. antiquiore, sed solo tamen.

§. 38. *versata esse*] Sic omnes libri et olim editi et manu scripti, (nisi excipiendus est ille, cuius collatio Havn. extat) neque prius quam in textu repetitae Lambinianae *versatae* correctum legitur, quod deinde sepulta quasi vetere scriptura per editiones recentiores propagatum est. Male, opinor, nam *quae* facile explicari potest, *ea* sive talia *quae*, ut ambae enuntiationes, quod dicimus, ἐκ παραλλήλου positae sint.

et furorem, non iam cupiditatem] Vulgo edebatur *ut amentiam singularem, ut furorem iam, non cupiditatem eius perspicere pos-*

apud vos antea testimonium dixit. Is Lilybaei multos iam annos habitat, homo et domi nobilis et apud eos, quo se contulit, propter virtutem splendidus et gratiosus. De hoc Verri dicitur, habere eum perbona toreumata: in his pocula quaedam, quae Thericlia nominantur, Mentoris manu summo artificio facta. Quod iste ubi audivit, sic cupiditate inflammatus est non solum inspiciendi, verum etiam auferendi, ut Diodorum ad se vocaret ac posceret. Ille, qui illa non invitus haberet, respondet Lilybaei se non habere, Melitae apud quendam propinquum suum reliquisse. Tum iste 39

---

sitis. Eam scripturam Graevius e cod. Regio ita emendavit, ut *et* pro *ut fur.* ederet, sed *iam non* intactum relinqueret. Atqui persuadere mihi non possum, quamvis sileat Havn. coll., quin in codice Reg. fuerit, quemadmodum in Lambini cod. vet. (ad marg. repet.) et in Guelff. legitur *et furorem, non iam cupiditatem.* Hanc igitur lectionem veram puto. *Non iam* esse *non amplius* notum est.

pocula quaedam] Vulgo interponitur *duo*, sed abest id verbum a Lamb. vet. cod. in margine, et Cuiac. apud Gruterum, Leid. Erf. utroque Guelf. Unus siletur Regius (coll. Havn.) sed silentio minus fidei habendum. — *quae Thericlia nominantur]* Iam certa erit haec lectio auctoritate optimorum librorum, Cuiaciani, Regii, amborum Guelff. quamvis deteriorum turba octo Lagomarsinianis aucta olim vulgatam *Heraclea* retineant. Originem vitii ostendit scriptura Erfurtensis libri *et hericlia*, quam qui in aliquo libro msto invenerat, facile poterat ad nomen celebrius traducere. Est autem ut ab Hercule quoque genus quoddam poculorum capacissimorum olim appellatum fuerit, vid. Athenaeum in libro XI, §. 38 pag. 469 et Macrob. Saturn. V, 21. Verum *Thericlia* pocula homini, de quo hoc loco agitur, artificiorum, quam bibendi studiosiori, magis convenire facile intelligitur: quae nomen habent a Thericle figulo Corinthio. Illum enim Salmasius ait in exercitat. Plinianis p. 734, Aristophanis poetae aequalem, calices facere solitum ex nigra terra, sed postea pocula ad fictilium illorum imitationem facta, sive ex terebintho aliove ligno sive ex argento vitrove essent, vocata esse Thericlea. De eodem *Thericle* et eius aetate cf. Bentleium in dissert. de epistolis Phalaridis, opusc. philol. p. 11 et 216 sq. De *Mentore* omnium qui argentum caelabant maxime laudato vide testimonia scriptorum a Sillig io in catal. artificum sub eo nomine collecta.

non solum inspiciendi] Vulgo *inspiciundi*, sed quos ipse codices consului et Havn. coll. cum edit. Lambiniana *inspiciendi.* Iidem codices mox *Lilyb. se*, quod vulgo est *se Lilybaei.*

continuo mittit homines certos Melitam: scribit ad quosdam Melitenses, ut ea vasa perquirant: rogat Diodorum, ut ad illum propinquum suum det litteras: nihil ei longius videbatur, quam dum illud videret argentum. Diodorus, homo frugi ac diligens, qui sua servare vellet, ad propinquum suum scribit, ut iis, qui a Verre venissent, responderet, illud argentum se paucis illis diebus misisse Lilybaeum. Ipse interea recedit: abesse a domo paulisper maluit, quam praesens illud optime factum argentum amittere. Quod ubi iste audivit, usque eo commotus est, ut sine ulla dubitatione insanire omnibus ac furere videretur. Quia non potuerat eripere argentum, ipse a Diodoro erepta sibi vasa optime facta dicebat: minitari absenti Diodoro: vociferari palam: lacrimas interdum vix tenere. Eriphylam accepimus in fabulis ea cupiditate, ut, cum vidisset monile, ut opinor, ex auro et gemmis, pulchritudine eius incensa salutem viri proderet. Similis istius cupiditas; hoc etiam acrior atque insanior, quod illa cupiebat id, quod viderat, huius libidines non solum
19 oculis, sed etiam auribus excitabantur. Conquiri Dio-
40

§. 39. *illum propinq. suum]* Sic edit. Lamb. et libri meliores nostri cum Havn. Vulgo *illum suum propinquum.* Tum vulgo *propinquo suo scribit:* Stephan. et Lambin. et codices melioris familiae *ad propinquum suum.* Hoc loco potest utrumque: nam ubi *scribere* est id quod litteras mittere, cum praepositione, ubi id quod litteris significare, cum dativo fere construi solet. — *a domo]* cum alii, tum meliores nostri. Vulgo *ab.* — *iste audivit]* Sic Steph. Lambiniana cum vet. cod. et Guelff. Erfurt. Sed vulgatam *est commotus* non commovit Lambinus, quam nos invertimus auctoritate coll. Havn. et trium nostrorum, duorum Guelff. uno Erfurt. Ex iisdem et Lamb. v. c. *eripere arg.* quod vulgo est *argentum eripere.* Sed mox in illis male omittitur praepositio in verbis *a Diodoro.*

Eriphylam accepimus] Ambo Guelf. *Erifilem*, quod certe debebat esse *Eriphylen*, esset enim ut *Circen* de nat. deor. III, 19 et *bibliothecen* Epist. XIII, 77; sed tamen Latinae formae, ubi aliquam fidem habent a libris mss. apud Ciceronem praestant, cf. Oudendorp. ad lib. I de Inv. 50 et ad Sueton. Aug. 65.

dorum tota provincia iubet. Ille ex Sicilia iam castra
commoverat, et vasa collegerat. Homo, ut aliquo modo
illum in provinciam revocaret, hanc excogitat rationem,
si haec ratio potius, quam amentia nominanda est.
Apponit de suis canibus quendam, qui dicat, se Dio-
dorum Melitensem rei capitalis reum velle facere. Primo
mirum omnibus videri, Diodorum reum, hominem quie-
tissimum, ab omni non modo facinoris, verum etiam
minimi errati suspicione remotissimum. Deinde esse
perspicuum, fieri omnia illa propter argentum. Iste
non dubitat iubere nomen deferri: et tum primum opi-
nor istum absentis nomen recepisse. Res clara Sici- 41
lia tota, propter caelati argenti cupiditatem reos fieri

---

§. 40. *iam castra commoverat]* Olim edebatur *castra iam moverat*, post Lambin. alio verborum ordine *iam castra moverat*. Sed ne id quidem ad fidem librorum mss. satis est. Nam ambo Guelf. et Erfurt. *iam castra commoverat*, quod ipsius Ciceronis auctoritate V, 37 tuemur. Accedit coll. Havn. quae mox cum Erfurt. *in prov. illum.*

excogitat] Sic Steph. Lamb. et Guelff. Erf. Lag. 29 Havn. Vulgo *excogitavit*. — *facinoris, verum etiam]* Codd. vulgares et editiones veteres *ab omni non modo facinore, verum minimi errati suspicione*. *Etiam* addiderunt simul Hervag. et Victorianae curatores, *facinoris* e vet. cod. Lambini ad marg. repetitae Gruterus recepit. Accedunt auctores reliqui meliores, nisi quod ambo Guelf. *et* habent pro *etiam*. — *non dubitat iub. nomen deferri]* Leid. et Guelff. *dubitabat*, mendose, iidem Guelf. et Erf. Havn. *referri*, quod forsitan propter auctoritatem librorum verum alicui videatur, ut subintelligatur *in tabulas*, et idem dicatur quod mox est *nomen recipere*. Verum non est forense illud dicendi genus, et lib. II c. 38 itidem primo aliquis se velle nomen deferre ait, ac postea demum confirmatus a praetore *defert*, et *recipit* alter. Confundi a librariis et verba ea vidimus ad III, 35 §. 81 et praepositiones utique ad III, 45 §. 107.

Res clara Sicilia tota] Hanc scripturam codicum omnium, qui quidem melioris familiae sunt, primus e libris protulit Turnebus Advers. VIII, 10, edidit paulo post Lambinus. Secutus eum est Gruterus, quamquam in editionibus vett. et codd. Pall. reliquisque deterioribus est *reclamat Sicilia tota*. Quid igitur? hanc putabimus librariorum esse aberrationem, an emendationem hominum eruditorum, qui cum omissas voces *est* et *in* non ferrent, ipsum scriptorem, ut secum loqui mallet, corrigerent? Mihi certe alterum potius verisimile fit. Sed de ellipsi praepositionis *in* dixi in Gramm. L. L. §. 482.

rerum capitalium, neque solum reos fieri, sed etiam absentes. Diodorus Romae sordidatus circum patronos atque hospites cursare: rem omnibus narrare. Litterae mittuntur isti a patre vehementes, ab amicis item, videret, quid ageret de Diodoro, quo progrederetur: rem claram esse et invidiosam; insanire hominem; periturum hoc uno crimine, nisi cavisset. Iste etiamtum patrem, si non in parentis, at in hominum numero putabat: ad iudicium nondum se satis instruxerat: primus annus erat provinciae; non, ut in Sthenio, iam refertus pecunia. Itaque furor eius paululum, non pudore, sed metu ac timore repressus est. Condemnare Diodorum non audet: absentem de reis eximit. Diodorus interea praetore isto prope triennium provincia
42 domoque caruit. Ceteri, non solum Siculi, sed etiam cives Romani, hoc statuerant, quoniam iste tantum cupiditate progrederetur, nihil esse, quod quisquam putaret, se, quod isti paulo magis placeret, conservare aut domi retinere posse. Postea vero quam intelle-

§. 41. *neque solum reos fieri]* Inutile et si locum recte examinas importunum additamentum est in vulgaribus libris, *neque solum praesentes reos fieri* (Ernestius solus *neque solum reos fieri praesentes*, P. Manutius item sine auctore *neque solum praesentes*, sublatis verbis *reos fieri)*. Nam quid attinuit dicere *praesentes*, cum ipse Diodorus praesens fieri reus non potuerit, necdum de alio quopiam, qui praesens reus factus sit, dixerit orator? Satis est *reos fieri*, cum id ipsum indignum sit propter eiusmodi causam. Itaque recte Lambinus codices meliores secutus verbum sustulit, paruitque ei Gruterus Cuiaciani et Hittorpiani (Erf.) codicis auctoritatem reveritus: insecuti tamen editores ad veteres sordes redierunt, putavitque Beckius ita verbum suspectum defendi posse, quod sententia universe exprimeretur: illud vero abunde fit plurali numero, sed ut praeterea quod verum non esset diceretur, certe non fuit necesse. — *insanire hominem]* Verrem ipsum dici subsequens verbum *periturum* docet, ut mirere quid Ernestius et post eum alii egerint, qui cum ad Diodorum referrent, *insanire* fere idem esse dicerent quod coelum et terram movere.

§. 42. *aut domi retinere]* Guelf. ambo *ac*: mendum existimo, cum negatio praecesserit, et diversae res sint. Siletur praeterea de ceteris bonis.

xerunt, isti virum fortem, quem summe provincia expectabat, Q. Arrium, non succedere: statuerunt nihil se tam clausum neque tam reconditum posse habere, quod non istius cupiditati apertissimum promptissimumque esset.

Tum iste ab equite Romano splendido et gratioso, Cn. Calidio, cuius filium sciebat senatorem populi Romani et iudicem esse, equuleos argenteos nobiles, qui Q. Maximi fuerant, aufert. Imprudens huc incidi, iu- 43
dices: emit enim, non abstulit: nollem dixisse: iactabit se, et in his equitabit equuleis. *Emi: pecuniam solvi.* Credo: etiam tabulae proferentur. Est tanti: cedo tabulas: dilue sane crimen hoc Calidianum, dum ego tabulas aspicere possim. Verumtamen quid erat, quod Calidius Romae quereretur, se, cum tot annos in Sicilia negotiaretur, abs te solo ita esse contemptum, ita despectum, ut etiam una cum ceteris Siculis despoliaretur? Si emeras, quid erat, quod confirma-

---

§. 42. *nihil se]* Sic quattuor boni nostri (Guelff. Erf. Lag. 29) et Havn. coll. elegantiore verborum collocatione quam vulg. *se nihil.*

qui Q. Maximi fuerant] Coniecit Gulielmus secundum Priscianum, qui hunc locum libr. III extr. ubi de diminutivis agit, scribendum esse *quique maximi fuerant*, idque Graevius ex cod. Regio recepit, et confirmant ambo Guelf. Sed vere tamen iudicasse puto Ernestium, tum etiam *erant* legendum esse, neque enim *maximi fuerant* potest esse idem quod plurimo emerat. Itaque et ipse veterem scripturam reliquorum codicum servare malui, Q. Maximum Fabium illum intelligens.

§. 43. *Imprudens* cet.] De hac quasi poenitentia dicti cf. praecipientem Quintilianum Instit. orat. IX, 2, 60. Ceterum *Callidius* Havn. Guelff. sed tamen alter etiam *Calidius.* — *abs te solo]* Lambinus in margine repet. et Havn. coll. cum Guelff. *a te.* Cf. ad III, 60 §. 138.

despoliaretur] Vetus contentio in hac voce renovatur, nam cum in principibus editionibus fuisset *spoliaretur*, Naugerius *dispoliaretur* scripsit, secutique eum sunt reliqui usque ad Lambinum, qui *despoliaretur* edidit. Quem cum Gruterus secutus esset, Graevius et Ernestius redierunt ad priorem scribendi rationem. Et Ernestius quidem in ea certe re sibi constitit, quod ubicunque hoc verbum apud Ciceronem legitur, in Verr. III, 21 §. 54. Epistol. XIV, 2 et ad Atticum VII, 9, ibi scribendum esse *disp.* moneret. Nec tamen scripsit nisi hoc loco, quod

bat, se abs te argentum esse repetiturum, si id tibi sua voluntate vendiderat; tu porro posses facere, ut Cn. Calidio non redderes? praesertim cum is L. Sisenna, defensore tuo, tam familiariter uteretur, et cum
44 ceteris familiaribus Sisennae reddidisses? Denique non opinor negaturum esse te, homini honesto, sed non gratiosiori, quam Cn. Calidius est, L. Curidio te argentum per Potamonem, amicum tuum, reddidisse. Qui quidem ceterorum causam apud te difficiliorem fecit. Nam cum te confirmasses compluribus redditurum, posteaquam Curidius pro testimonio dixit, te sibi reddidisse, finem reddendi fecisti: quod intellexisti, praeda te de manibus emissa testimonium tamen effu-

---

sic Guelf. haberet. Addo nunc etiam alterum antiquiorem. Sed reliquis tamen locis *despoliare* codices omnes, item apud Terentium Andr. IV, 5, 21 meliores, et apud Caesarem lib. II de bell. Gall. 31 Oudendorpius, et apud Lactantium Instit. VI, 11, 3 Bünemannus. Itaque et ipse similitudinem verbi *denudare* et testimonia codicum sequi malui. Vide tamen Drakenborch. ad Livii libr. XLV, 36. — *si id tibi]* Voculam *id* adieci ex codicibus Guelff. et editione Lambiniana. Etiam Graevius eam receperat, e Regio haud dubie: nam veteres editiones et quae Gruteri textum sequuntur non habent.

§. 44. *L. Curidio]* Sequi debui, quamvis nomen sit insolitum, consensum meliorum codicum, Lambini veteris, Regii, Guelferbytanorum. Stephanus *Coridio*, Leid. *Canidio.* Vulgo *L. Cordio.* Sed in Steph. Lambiniana additur etiam *te*, firmatque collat. Havn. et Guelff. itaque recipiendum putavimus, quamquam omissum quidem pronomen facile excusari potest. Mox vulgo *cum te compluribus confirmasses redditurum:* nos alium verborum ordinem instituimus secundum Guelff. nostros et marginem repetitae Lambinianae (quamvis sileat Havn. coll.) quo et perspicuitati consulitur et servatur Ciceroni suus mos ut accusativos, qui ad Infinitivum pertineant, proxime ad verbum *dicendi* adiungat, eique praemittat.

praeda te de manibus emissa] Quod edidi, duabus in rebus a vulgari textu discrepat, primum mutato verborum ordine, nam legebatur vulgo *te praeda de manibus amissa.* Secutus autem sum et Guelff. et Lambinianos libros mss. cum Havn. coll. atque in hoc ipso proprium aliquid agnosces Ciceronis, qui accusativum libenter interponat ablativis absolutis. Deinde iubentibus codd. Guelff. et Leid. scripsi *emissa* pro *amissa*, cum ab ipso sciente et volente etiam praeda abie-

gere non posse. Cn. Calidio, equiti Romano, per omnes alios praetores licuit habere argentum bene factum; licuit posse domesticis copiis, cum magistratum aut aliquem superiorem invitasset, ornare et apparare convivium. Multi domi Cn. Calidii cum potestate atque imperio fuerunt: nemo inventus est tam amens, qui illud argentum tam praeclarum ac tam nobile eriperet, nemo tam audax, qui posceret, nemo tam impudens, qui postularet ut venderet. Superbum est enim, iudices, et 45
non ferendum, dicere praetorem in provincia homini honesto, locupleti, splendido, *vende mihi vasa caelata.* Hoc est enim dicere: non es dignus tu, qui habeas, quae tam bene facta sunt: meae dignitatis ista sunt. Tu dignior, Verres, quam Calidius? qui, ut non conferam vitam neque existimationem tuam cum illius: neque enim est conferenda: hoc ipsum conferam, quo tu te superiorem fingis — quod HS ccc milia divisoribus,

---

rit, (quod nos vulgo dicimus *fahren lassen)* id quod Garatonius iam censuerat. Vide illum ad III Accus. 13. Cf. Burmann. ad Phaedr. I, 13, 10. — *licuit habere]* Sic Guelff. Havn. Vulgo *licuit argentum habere.* — *cum potestate atque imperio]* Sic Lambinus in marg. repetitae edit. e vet. cod. scribendum censuit, recte et diligenter, nam sic etiam libri nostri et Havn. collatio, cum vulgo sit *cum imperio ac potestate.* Etiam V, 40 pr. similiter ex iisdem libris nobis corrigendum fuit. Usitatior certe haec est verborum collocatio, nam antecedit potestas, insuper datur imperium.

§. 45. *quae tam bene facta sunt]* Quaeritur *sunt* an *sint* legendum sit. Et illud quidem editiones principes usque ad Naugerium, et restituerunt Steph. et Lambinus, ex codicibus suis, nam et Guelff. habent et coll. Havn. Ad certas res pertinere, quas praetor surripuerit, non ad ea omnia, quae bene facta sint, videtur etiam illud ostendere, quod dixit *tam bene.* Itaque *sunt* praetuli. — *neque existimationem]* Vulgo *atque*, sed si *ut non*, quod praecessit, pro *ne* positum esse non negaveris, (sicut p. lege Man. 15 §. 44. Epist. V, 16 med.) *atque* hoc loco minus recte dici concedes. *Neque* igitur dedi secundum Lambinum et codices Guelff. coll. Havn. Cf. ad libr. III c. 94.

HS CCC milia divisoribus] Vulgo h. l. *LXXX milia* quae populo data sint, post *trecenta accusatori* leguntur, quod verum esse nequit, quoniam maior haud dubie illa pecunia fuit, quam quae uni homini

ut praetor renuntiarere, dedisti; LXXX accusatori, ne tibi odiosus esset, ea re contemnis equestrem ordinem et despicis? ea re tibi indignum visum est, quicquam, quod tibi placeret, Calidium potius habere, quam te?

21 Iactat se iamdudum de Calidio: narrat omnibus
46 emisse se. Num etiam de L. Papinio, viro primario, locupleti honestoque equite Romano, turibulum emisti? qui pro testimonio dixit, te, cum inspiciendum poposcisses, evulso emblemate remisisse: ut intelligatis, in homine intelligentiam esse, non avaritiam, artificii cupidum, non argenti fuisse. Nec solum in Papinio fuit hac abstinentia: tenuit hoc institutum in turibulis omnibus, quaecunque in Sicilia fuerunt. Incredibile est au-

---

data est. Libri meliores, cod. vet. in margine Lambini, Havn. collatio, ambo Guelf. utroque loco *HS CCC*, sed si eadem fuisset summa, non dubito quin orator *item* vel tale quid additurus fuerit. Itaque Garatonium vere coniecisse puto, quod numeros locum suum commutasse censuit. — *et despicis]* Vulgo *ac despicis? ea re indignum tibi.* Nos *et* e Guelff. Lag. 29 Havn. coll. dedimus, ordinemque verborum secundum Lambini editionem et eosdem illos codd. constituimus.

§. 46. *emisse se]* Ordo verborum est de margine Lambinianae repetitae et Havn. coll. librisque Guelff. item forma ablativi *locupleti.* Vulgo *se emisse* et *locuplete.* Nomen autem illi est vulgo *Papirio*, sed e coniectura Naugerii, nam primum editi et manuscripti omnes praeter Lag. 42 et 45 *Papinio*, neque verum videtur commutare hominum propria nomina propterea quod rariora sunt, cum sint tamen. Sed in eo ne melioribus quidem codicibus Regio Graevii, Guelff. obtemperamus, ut praenomen tollamus.

evulso emblemate] Optio datur utrum *vulso*, an *revulso*, an *evulso* malis, nam *avulso*, quod in plerisque editionibus legitur, omnium minimam auctoritatem habet, unius Lag. 42 in his extremis libris exigui pretii. Reliqui codd. vulgares, Lagom., Oxon. Huyd. *vulso. Revulso* Graevius e Regio protulit (Havn. coll. *revolso).* Verum *evulso* Lambini v. c. in margine et nostri Guelff., nec dubitare poteris quin usitatissimum certe in hoc praedandi genere sit. Sic enim proximis capitibus saepius consensu codicum aut editur iam aut restituendum nobis fuit. *Avellere* autem quin et ipsum recte dicatur non dubito.

Incredibile est autem] Lambinus in margine repet. et Guelf. 1 *incredibile autem est*, alter Guelf. *incred. autem hec:* de reliquis libris

tem, quam multa et quam praeclara fuerint. Credo tum, cum Sicilia florebat opibus et copiis, magna artificia fuisse in ea insula. Nam domus erat ante istum praetorem nulla paulo locupletior, qua in domo haec non essent, etiamsi praeterea nihil esset argenti, patella grandis cum sigillis ac simulacris deorum, patera, qua mulieres ad res divinas uterentur, turibulum. Haec autem omnia antiquo opere et summo artificio facta: ut hoc liceret suspicari, fuisse aliquando apud Siculos peraeque pro portione cetera, sed quibus multa fortuna ademisset, tamen apud eos remansisse ea, quae religio retinuisset. Dixi, iudices, multa fuisse fere 47
apud omnes Siculos: ego idem confirmo, nunc ne unum quidem esse. Quid hoc est? quod hoc monstrum, quod prodigium in provinciam misimus? Nonne vobis id egisse videtur, ut non unius libidinem, non suos oculos, sed omnium cupidissimorum insanias, cum Ro-

---

siletur. Nec ego vulgatam possessione moverim, quamquam longe absum ab eorum sententia, qui ducem secuti Schaeferum in praef. ad Plinii epistolas mysterium quoddam verae Latinitatis in coniunctionibus *enim*, *autem*, *igitur* a principio longius removendis quaerunt.

magna artificia] Putaveram aliquando *artificia* nove h. l. dici officinas caelatorum et eiusmodi hominum: verum nunc pluralem numerum non pertinere puto nisi ad varia rerum genera, et artificia ipsas *artes* esse. — *patera, qua mulieres] patina* in utroque Guelf. et Leid. et Havn. coll. est: nec tamen probo, cum *patinae* in rebus divinis nullus usus, contra *paterae*, poculi patentioris, adeo frequens, ut eius commemoratione carere non possimus. Et §. 47, 48 repetuntur *patellae*, *paterae*, *turibula*. — *peraeque pro portione]* Sic ex emendatione Turnebi (Advers. VIII, 10) Lambino probata Ernestius edidit, quo etiam Guelf. librorum scriptura ducit *per eaque proportione;* sed vulgares cum edd. vett. *aequa proportione* de coniectura emendatorum. Naugerius primus edidit *peraequa proportione*, mixtum illud quidem ex utraque scriptura. Cf. ad lib. III, 63.

§. 47. *apud omnes Siculos]* Sic Guelff. et Havn. Vulgo *apud Siculos omnes*. — *quod hoc monstrum]* Adiiciendum fuit *hoc*, si fides consensui meliorum codicum Guelff. Erfurt. et Havn. coll. habenda, et olim adiecerant Steph. Lambinus. Neque impedit quicquam.

cupidissimorum insanias] Sunt isti artificiorum studiosi, veterum

mam revertisset, expleret? Qui simul atque in oppidum quodpiam venerat, immittebantur illi continuo Cibyratici canes, qui investigabant et perscrutabantur omnia. Si quod erat grande vas et maius opus inventum, laeti afferebant: si minus eiusmodi quippiam venari potuerant, illa quidem certe pro lepusculis capiebantur, patellae, paterae, turibula. Hic quos putatis fletus mulierum, quas lamentationes fieri solitas esse in hisce rebus? quae forsitan vobis parvae esse videantur: sed magnum et acerbum dolorem commovent, mulierculis praesertim, cum eripiuntur e manibus ea, quibus ad res divinas uti consuerunt, quae a suis acceperunt, quae in familia semper fuerunt.

---

operum collectores. Sed priusquam sic ediderunt Stephanus et Lambinus, e vulgaribus codicibus edebatur *avarissimorum*, ex interpretatione magistrorum. Vicit etiam apud Gruterum Cuiaciani et Hittorpiani (Erf.) libri auctoritas: sed ne reliqui quidem boni suam sectam deserunt.

in oppidum quodpiam] Sic sive *quoppiam* olim scribebatur, cum Gruterus illepidum appellans, nimirum quod id pronomen paulo rarius adiective ponitur, de sententia Gulielmi vitio codicis Erfurtensis *quopiam* abusus, adverbium instituit. At illud non tam rarum: vide lex. ipsum *quodpiam (membrum)* Tusc. III, 9 est. Mirum autem bonos libros omnes in hoc verbo mendosos esse, qui *copiam*, *copia* fere exhibent. Lag. 1. 14 *quoddam*. — *Cibyratici canes]* Lib. I c. 48 *multa sibi opus esse, multa canibus suis, quos circa se haberet*, et sollertiam horum hominum ipse supra c. 13 cum canibus venaticis compararat. Itaque non pertinet ad h. l. explicandum quod Hotomanus ex Coelii epist. ad Ciceronem (VIII, 4) affert, *Cibyratas exercitatissimos fuisse venatores*.

laeti afferebant] Sic Graevius primus instituit edere, recte et codicibus utriusque familiae iubentibus. At olim editi omnes *auferebant*: nec aliud Stephanus, etsi in varietate lectionis in vet. cod. *adferebant* esse notavit. Mox pro *capiebantur* ambo Guelf. et Lambini vet. cod. *accipiebantur* (Leid. *acciebantur)*, quod potest explicari tamquam de rebus vilibus et facili captura, quasi Germanice dicas *sie wurden mitgenommen*, et nescio an verum sit, sed tamen alterum illud magis venaticum, et cum reliquorum codicum, tum Erfurt. et Havn. coll. auctoritate tutum est. — *consuerunt]* Sic primus Gruterus, antea *consueverunt*, quemadmodum in vulgaribus est: quin etiam meliores discrepant, Guelff. pleniorem, Lambini vet. cod. in marg. (Havn. coll.) Lag. 29 Erf. contractam formam habent. Cf. ad III, 21 pr.

Hic nolite expectare, dum ego haec crimina agam 22
ostiatim, ab Aeschylo Tyndaritano istum pateram abs- 48
tulisse, a Thrasone item Tyndaritano patellam, a Nymphodoro Agrigentino turibulum. Cum testes ex Sicilia dabo, quem volet ille eligat, quem ego interrogem de patellis, pateris, turibulis: non modo oppidum nullum, sed ne domus quidem ulla paulo locupletior expers huius iniuriae reperietur. Qui cum in convivium venisset, si quicquam caelati aspexerat, manus abstinere, iudices, non poterat. Cn. Pompeius est Philo, qui fuit Tyndaritanus. Is coenam isti dabat apud villam in Tyndaritano. Fecit, quod Siculi non audebant; ille,

---

§. 48. *dum ego haec crimina agam ostiatim]* Sic Stephanus et Lambinus ediderunt pro vulgata *hoc crimen* et firmatur consensu bonorum codicum nostrorum. — *quem volet ille eligat] Ille* adiectum primum a Grutero, in prioribus deest. Sed legitur in vet. cod. Lambini ad marginem editionis repetitae, et in reliquis bonis omnibus, cum absit a vulgaribus. — *non modo oppidum nullum, sed ne domus quidem ulla]* Haec est lectio non a Grutero primum prodita (ut ex eius notula videri potest) sed quae iam in edit. Manutiana (1540) Stephan. Lambiniana legitur, item in Hervag. et Victor. nisi quod ab his abest *ulla*. Inventa est in codicibus Cuiac. Hittorp. (Erf.) in Guelff., et in cod. vet. ad marg. Lambinianae eadem est nisi quod *nulla* mendose legitur. Vulgarium autem codicum et Lagom. omnium haec est scriptura: *non modo oppidum nullum, domus nulla paulo* cet. quae Ernestio efficacior videbatur. Eadem est in edd. principibus (et Iunt. Aldina) sed tamen inverso ordine *nulla domus.*

manus abstinere] Vulgo *manum*, sed Guelff. et Lambinus in margine edit. repet. (cum Havn. coll. non Erf.) *manus abstinere*, nec aliter solet Cicero, vide ex his ipsis oratt. I, 37 init. IV, 32 extr. V, 2 init. *Adiicere* tamen et *oculum* et *manum* dicitur. — *apud villam]* prorsus ea ratione, qua apud Tacitum frequentissimum est, dictum pro *in villa*, fortasse quia *in* prope sequitur. Etiam *ad* locum aliquem sic pro *in* ipso loco interdum dici verisimile fit, ut IV, 54 §. 121 *ad aedem.* Sed illud apud Ciceronem hoc uno loco, quapropter Nonius grammaticus notavit cap. 12 nr. 19: „Error consuetudinis *apud* pro *in* utitur. Itaque vitiose dicimus, cum nos *in foro* fuisse dicamus, *apud forum* fuisse, cum *apud* iuxta significet." Post „*apud* pro *in* etiam dictum invenimus, ut Terentius Andria (II, 1, 2) *apud forum modo e Davo audivi*, M. Tullius de signis *coenam isti dabat apud villam in Tyndaritano.*

civis Romanus quod erat, impunius id se facturum pu-
tavit: apposuit patellam, in qua sigilla erant egregia.
Iste continuo ut vidit, non dubitavit illud insigne pe-
natium hospitaliumque deorum ex hospitali mensa tol-
lere: sed tamen, quod ante de istius abstinentia dixe-
ram, sigillis avulsis reliquum argentum sine ulla ava-
49 ritia reddidit. Quid? Eupolemo Calactino, homini no-
bili, Lucullorum hospiti ac perfamiliari, qui nunc apud
exercitum cum L. Lucullo est, non idem fecit? Coe-
nabat apud eum. Argentum ille ceterum purum appo-
suerat, ne purus ipse relinqueretur: duo pocula non
magna, verumtamen cum emblematis. Hic, tamquam
festivum acroama, ne sine corollario de convivio disce-
deret, ibidem, convivis spectantibus, emblemata evel-
lenda curavit.

Neque ego nunc istius facta omnia enumerare conor: neque opus est, neque fieri ullo modo potest: tantum uniuscuiusque de varia improbitate generis in-

---

§. 48. *ante — dixeram]* Nihil refert, et utrumque saepe legitur, *antea dixi* et *ante dixi*, sed tamen nos *ante* potius e Lambini v. c. in marg. Havn. coll. Guelf. 1, quam ex altero et Erf. et vulgaribus *antea* scripsimus. Nam cum remotius videatur ab usu librariorum, tum apud Ciceronem tamen frequentius est. — *sigillis avulsis]* Unus Guelf. antiquior *evulsis*. Cf. supra ad §. 46.

§. 49. *Eupolemo Calactino]* Sunt etiam h. l. sicut III, 43. pr. varietates codicum, nam Lag. 29 *Galactino*, reliqui deteriores *Galaestino*.

Argentum ille apposuerat] Vulgo *illi*, quasi Verres alter Menecrates fuerit: et opus est pronomine, quod subiectum orationis mutatur. Itaque *ille* e meliore aliquo libro (neque discrepant nostri) ediderat Lambinus, et servarant etiam repetitores, sed Graterus ad veteres sordes relapsus est. Idem tamen Lambinus proxime pro *hic* correxit *iste*, quasi non recte concordarent *ille — hic*. Ceterum Erf. Guelff. Havn. coll. *emblemate*, mendose, opinor. — *tamquam festivum]* Secuti sumus Regium Guelff. Erfurt. quod *tamquam* scripsimus pro vulg. *quasi*: item *evellenda* ex Guelff. Leid. Havn. coll. dedimus pro vulg. *avellenda*, (Erf. *vellenda)* sed *spectantibus* iam Lambinus ediderat e vet. cod. et reliquis bonis pro vulg. *inspectantibus*. Aegre parui, sed comparantur convivae spectatoribus scenae, quorum aures oculique simul oblectantur. Dominus quidem, cuius res agebatur, *inspectabat* potius.

tantum uniuscuiusque] Sic Lambini vet. cod. cum Havn. coll. et

dicia apud vos et exempla profero. Neque enim ita
se gessit in his rebus, tamquam rationem aliquando
esset redditurus, sed prorsus ita, quasi aut reus nun-
quam esset futurus, aut, quo plura abstulisset, eo mi-
nore periculo in iudicium venturus esset: qui haec,
quae dico, iam non occulte, non per amicos atque in-
terpretes, sed palam de loco superiore ageret, pro im-
perio et potestate. Catinam cum venisset, oppidum 23
locuples, honestum, copiosum, Dionysiarchum ad se 50
proagorum, hoc est summum magistratum, vocari iu-
bet: ei palam imperat, ut omne argentum, quod apud
quemque esset Catinae, conquirendum curaret et ad
se afferendum. Phylarchum Centuripinum, primum ho-
minem genere, virtute, pecunia, non hoc idem iuratum
dicere audistis, sibi istum negotium dedisse atque im-
perasse, ut Centuripinis, in civitate totius Siciliae multo

Guelff. Vulgo *tantummodo*. Et antea *neque* e Guelff. et Lag. 29 dedimus, quod vulgo est *nec*. Denique *venturus esset* editio Lambiniana et codd. qui cum ea faciunt. Reliqui libri *esset venturus*.

§. 50. *proagorum]* primum extat in Hervagiana (1534) deinde in Manutiana 1559, in reliquis. Antea *Pardiorum* edebatur, corruptius etiam quam in codd. vulgaribus est *proandiorum*. At c. 39 summus magistratus Tyndaritanorum recte semper scribebatur. Libri mss. deteriores *ad se transferendum*, editi adiecta copula *et ad se transferendum*, in repetita sola Lambiniana *afferendum* est, et in textu quidem, cum in margine scribatur „sic vet. cod. Lambin. *transferendum*." Mutato igitur consilio ipsi quoque repetitores aliquid novare ausi sunt. Sed recte et auctoribus ceteris libris alterius familiae. Nam transferimus ad aliquem quod retineat et possideat: hoc autem loco nondum de possidendo, sed de inspiciendo argento dicitur. Mox vulgo *imperavisse*, nos *imperasse* ex Guelff. et coll. Havn. itemque ex edit. Lambini dedimus. — *primum hominem]* restituit Gruterus e libris mss., omnibus dico. Nam quod mediae aetatis editores a Cratandro usque ad ipsum Lambinum fecerunt *primarium hominem*, inutilis correctio est, neque quisquam, qui paulo attentius has orationes legerit, dubitare poterit, quin recte dicatur *primus homo*. Vide ad I, 26 et adde de *primo homine* V, 63 §. 163. Tuscul. I, 33 §. 81.

ut Centuripinis, in civitate] Hervag. Manut. Steph. Lamb. ediderunt *Centuripis*, eamque emendationem Garatonius et Ernestius summo-

maxima et locupletissima, omne argentum conquireret et ad se comportari iuberet? Agyrio similiter istius imperio vasa Corinthia per Apollodorum, quem testem audistis, Syracusas deportata sunt.
51 Illa vero optima est, quod, cum Haluntium venisset praetor laboriosus et diligens, ipse in oppidum noluit accedere, quod erat difficili ascensu atque arduo; Archagathum Haluntinum, hominem non solum domi, sed tota Sicilia in primis

---

pere probarunt, Beckius et Schützius denuo in textum receperunt. Non ego, cum videatur haec civitas esse inter eas, quae semper gentili nomine, non urbis, legantur, ut *Leontini*, de quibus vide ad lib. II, 66. Certe nondum *Centuripas* apud Ciceronem inveni, quamvis in his orationibus frequentissima Centuripinorum commemoratio fiat.

§. 51. *Illa vero optima est]* Intellige *res*, quae ellipsis haud dubie facilior est ad ferendum, quam si, probata lectione vulgata *illa vero optima* (sine *est)*, cum Hotomano et Lambino intelligas *iudicia et exempla*. Invenitur autem illud *est* non in uno et altero bono codice, sed utique in omnibus, praeterquam quod Stephani vetus, quem dicit, in var. lect. *sunt* habet, nec delevit quisquam ante Victorium. Garatonius ab nostra ratione non est alienus, conferri iubens lib. II, 23 *refert illam suam Syracusanam*. Sic etiam de natura deor. 1, 8 *sed illa palmaris*, *quod* rel. et Quint. VI, 1, 4 *illa vero iucundissima, si contingat aliquod ex adversario ducere argumentum*, ubi cum Spaldingio *figura* subintelligi non potest, quoniam ista non est figura, sed opportunitas. — *cum Haluntium venisset]* Reduxerat Gruterus *ad Halunt.* quod in edd. vett. et suis codd. invenerat, seque mirari scribit cur mediae aetatis editores P. Manutius, Lamb. praepositionem abiecerint. Abiecerant illi et primus quidem Hervagius bonorum codd. auctoritatem secuti, quibus iam accedunt Guelff. At necessarium forsitan cuipiam videatur *ad Haluntium*, cum in ipsum oppidum non venerit Verres. Apparet hoc ex ipsa narratione, eamque ob causam Cicero non debebat suis verbis addere. De nomine urbis cf. ad III, 43, sed addere debeo, in coll. Havn. esse *Alluntium*, in Guelf. 2 *alintium*, in Guelf. 1 *alinthium*, et hunc librum sibi constare, illos postea et aspirare et partim *y* litteram inferre.

in oppidum noluit accedere] Lambinus *ascendere* coniecit atque edidit, causa satis quidem aperta, at non idonea. Ceterum vulgo *accedere noluit:* nostrum petivimus e codd. Guelff. et vet. cod. Lambini cum Havn. coll. — *non solum domi]* Additur vulgo *domi suae*, quod non est contra morem Ciceronis, verumtamen contra libros meliores. Itaque etiam Lambinus omisit.

nobilem, vocari iussit: ei negotium dedit, ut, quicquid Halunti esset argenti caelati, aut si quid etiam Corinthiorum, ut omne statim ad mare ex oppido deportaretur. Ascendit in oppidum Archagathus. Homo nobilis, qui a suis amari et diligi vellet, ferebat graviter, illam sibi ab isto provinciam datam, nec, quid faceret, habebat: pronuntiat, quid sibi imperatum esset: iubet omnes proferre, quod haberent. Metus erat summus. Ipse enim tyrannus non discedebat longius: Archagathum et argentum in lectica cubans ad mare infra oppidum expectabat. Quem concursum in op- 52
pido factum putatis? quem clamorem? quem porro fletum mulierum? qui videret, equum Troianum introductum, urbem captam diceret. Efferri sine thecis

§. 51. *ut omne statim]* Hotomanus in repetita particula *ut* offensus e vetere quodam libro suo *id* corrigendum censuit. Recepit Manutius (1559), et Lambinus, quamvis ipse in annotatione veriorem explicandi rationem iniecit, eumque Gruterus librorum suorum mentione omissa secutus est. Itaque recte eum Graevius deseruit et ad sinceram bonorum librorum scripturam revertit. Cf. ad II, 6 §. 17.

Ascendit in oppidum] Graevius e cod. Regio *escendit* edidit seu potius edere voluit, uti nunc quidem editur lib. III de Off. 20 *ut omnes simul in rostra — escenderent*, et ex cod. Vatic. Philipp. II, 34, et Graevio Ernestioque iubentibus pro leg. Man. 18, item sic ut ad *rostra* pertineat: alibi non fere apud Ciceronem. Neque h. l. accipio, magisque Guelferbytanos libros cum reliquis conspirantes sequor quam Regium sive Havn. coll. in qua et ipsum *ascendit* supra scriptum est.

amari et diligi] Adhuc in editis fuit *et amari*, sed sustulimus nunc geminationem iussu codicum melioris familiae Lambin. in marg. Havn. coll. Guelff. Lag. 29, nec opus est sane cognatas res sic opponi diremptas. Mox *quod haberent* Graevius edidit e Regio et Lambiniano vet. codice concinentibus Guelferbytanis. Vulgo *quae*.

§. 52. *qui videret — captam diceret]* Vulgo *qui viderent — captam esse dicerent*, sed *esse* iam Lambinus in marg. repet. tolli iussit meliores libros secutus. Aliud omisit, quod in iisdem libris singularis numerus est *videret — diceret:* itaque me quoque in errorem induxit, qui in minore editione sublato *esse* pluralem tamen servarim. Nunc admonitus Havn. collatione denuo inspectis Guelff. libris in his quoque et *videret* et *diceret* repperi, de quo dubitaram antea. Sic

vasa, extorqueri alia de manibus mulierum, effringi multorum fores, revelli claustra. Quid enim putatis? Scuta si quando conquiruntur a privatis in bello ac tumultu, tamen homines inviti dant, etsi ad salutem communem dari sentiunt: ne quem putetis sine maximo dolore argentum caelatum domo, quod alter eriperet, protulisse. Omnia deferuntur. Cibyratae fratres vocantur: pauca improbant: quae probarant, iis crustae aut emblemata detrahebantur. Sic Haluntini, excussis deliciis, cum argento puro domum revertuntur.
24 Quod unquam, iudices, huiuscemodi everriculum ulla
53 in provincia fuit? Avertere aliquid de publico quam

---

igitur scribendum, (et fecerat olim Hervagius) ut fides servetur, non quod putem pluralem ferri non posse. Nam quod ait Madvigius in epist. ad Orell. p. 68 in huiusmodi sententia singulari numero et Ciceronem et alios scriptores uti, verum est in altera persona (vide Drakenborch. ad Livium III, 11), tertiae nullum exemplum simile novi. Sed facile tamen credo, ut *si quis videret*, ita etiam *qui videret* usitatius esse quam *qui viderent*. — *quae probarant, iis — detrahebantur]* Sic consensu non spernendo libri manu scripti pro eo quod in Victoriana et Hervag. primum legitur *detrahuntur*, quod si probes, scribendum etiam videtur *probarunt*. Guelf. 2 *probarent*, Huyd. et editio Manutiana 1559 *probant*. In fine huius capitis e Guelff. et Havn. coll. pro *reverterunt* scripsimus *revertuntur*, quod fuit item in edd. principibus usque ad Aldinam. — *excussis deliciis]* i. e. postquam illae res, quibus magnopere delectabantur, de manibus eorum excussae sunt. Sic pro Mur. 14 *omnia ista nobis studia de manibus excutiuntur, simulatque aliquis motus novus bellicum canere coepit*. Miror Ernestium se dicere non dubitare quin Cicero scripserit *excussi deliciis*. Nam quamvis aliquis *excuti* dicatur, i. e. explorari, non excutitur tamen aliqua re, sed exuitur, ut propemodum putem illum voluisse *exuti deliciis*.

§. 53. *huiuscemodi everriculum ulla in prov. fuit]* Restitui *huiuscemodi*, quod in utriusque familiae codd. et in edd. vett. legitur, a Grutero, incuria puto, in *huiusmodi* mutatum est. Praeterea *ulla in prov.* edidi e libris melioribus, deteriores et edd. vett. *in illa*, Lag. 29 *illa in prov.* Receperant iam illam lectionem Hervagius, P. Manutius, Steph., Lambinus, etiam repetitores Lambinianae. Sed Hotomanus in omnibus scriptis esse putavit, quod in suis invenerat, *in illa prov.* cique Gruterus et reliqui parere maluerunt, quam consulere libros.

obscurissime per magistratum solebant: etiam aliquid a privato nonnunquam occulte auferebant: et hi tamen condemnabantur. Et, si quaeritis, ut ipse de me detraham, illos ego accusatores puto fuisse, qui huiusmodi hominum furta odore aut aliquo leviter presso vestigio persequebantur. Nam nos quidem quid facimus in Verre, quem in luto volutatum totius corporis vestigiis invenimus? Permagnum est, in eum dicere aliquid, qui praeteriens, lectica paulisper deposita, non per praestigias, sed palam per potestatem, uno imperio, ostiatim totum oppidum compilaverit. At tamen, ut posset dicere se emisse, Archagatho imperat, ut illis aliquid, quorum argentum fuerat, nummulorum dicis causa daret. Invenit Archagathus paucos, qui vellent accipere: his dedit. Eos nummos tamen iste Ar-

---

§. 53. *etiam aliquid a privato]* Codd. meliores omnes, Lambiniani ad marg., Regius Graevii, Guelf. ambo cum Leidensi, quibus accedit etiam Francianus (alias inter deteriores), *etiam cum aliquid a privato*, qua scriptura etiamsi non tota utor, (quo enim referas istud *cum?)* tamen *a* pro *de* recipiendum videtur. Nam qui occulte aufert *a privato*, is cavet tantum ne populus sciat, quod uni factum est, at qui id facit *de privato*, is vere fur est. — *et hi tamen condemnab.]* Vulgo *illi*, sed *hii* Guelff., Lambini v. c. et Havn. coll. *ii*.

ut ipse de me detraham] Edd. principes *ut ipse me detraham*, Aldina Crat. Hervag. *ut ipse de me detraham*. Sed in Victor. extitit *ut egomet mihi detraham*, quod cum temere confictum sit et ab Hotomano convictum, non debuit porro a Lambino tolerari. Recte igitur Aldinam scripturam, quae eadem est codicum manu scriptorum omnium, revocavit Gruterus. — *quid facimus in Verre]* Guelff. et Leid. *in Verrem:* non placet.

praestigias] Sic Hervag. Lambin. reliqui e melioribus, cum in ceteris esset *praestigia*. Ex iisdem alterius familiae codd. *compilaverit* pro vulg. *compilarit* dedimus, et *posset* pro *possit*, Ernestii exemplum secuti; etiam *dicere se emisse*, et *ut illis aliquid*, mutato ordine verborum, qui fuit adhuc *se dicere emisse* et *ut aliquid illis*. *Nummulorum* autem primi Stephanus et Lambinus e suis (nostrisque melioribus) codicibus scripserunt pro olim vulg. *nummorum*, nec eos quisquam reliquit praeter Beckium.

chagatho non reddidit. Voluit Romae repetere Archagathus; Cn. Lentulus Marcellinus dissuasit, sicut ipsum dicere audistis. Recita Archagathi et Lentuli testimonium.

54 Et, ne forte hominem existimetis hanc tantam vim emblematum sine causa coacervare voluisse, videte, quanti vos, quanti existimationem populi Romani, quanti leges et iudicia, quanti testes Siculos negotiatoresque fecerit. Posteaquam tantam multitudinem collegerat emblematum, ut ne unum quidem cuiquam reliquisset: instituit officinam Syracusis in regia maximam. Palam artifices omnes, caelatores ac vascularios, convocari iubet: et ipse suos complures habebat. Eo concludit

---

§. 53. *repetere]* Sic Hervagiana, voluitque Lambinus restitui in margine repet. e vet. cod. Concinunt praeter Havn. coll. etiam Guelff. Leid. Vulgo *petere.* — *Recita Archagathi — testimonium]* Sic nunc omnes inde a Grutero legimus, at olim non sic, quod mirum est neminem editorum notasse. Nam edd. vett. et ipse Lambinus *Recita* non habent, sed eius loco *Atque hac tota de re audistis*, uti in omnibus deterioris familiae codicibus legi fidem faciunt nuper collati Oxon. et Huydecoperanus Lagomarsinianique omnes. Verum in margine repet. Lamb. nostra lectio primum e vet. cod. notatur, eamque Gruterus tacitus in textum recepit, haud dubie quod eam in bonis libris (non Pall. sed Gulielmi) invenerat. Habent eam etiam Guelf. ambo, sed quod in Guelf. 2 et Havn. coll. est *R. Archagathi*, in Guelf. 1 est *Romae Archagathi* cet.

§. 54. *quanti testes Siculos negotiatoresque fecerit]* Libri meliores omnes et Lag. 29 notabili consensu *que* omittunt, itaque edidit Graevius. Sed recte ego Ernestium annotasse puto, Siculos negotiatoribus opponi, quippe Romanis, sed hoc ille non recte, quod *testes* et *Siculos* tantum, non etiam *negotiatores* coniungi voluit. Certe etiam si absit *que*, sic intelligendum. — *in regia]* domo olim regis Hieronis. Quantum turbarum olim dederit mendum deteriorum librorum *in regiam*, vide apud veteres interpretes. Locus, postquam constituit Lambinus, neminem impediet. Cod. Ursini *aurifices* traditur exhibere, sive ipse correxit, male, nam Cicero non tria hominum genera dicit, sed duo, illud *artificum* nomen commune est utrique. Cf. Quintil. Inst. II, 21, 10.

Eo concludit] In hoc verbo concinunt omnes libri melioris familiae, tres Lambiniani (duo Memmii, tertius Cuiacianus) Hittorpianus (i. e. Erfurt.) Leidensis ambo Guelferbytani coll. Havniensis, aptissimo quidem

magnam hominum multitudinem. Menses octo continuos his opus non defuit, cum vas nullum fieret nisi aureum. Tum illa, ex patellis et turibulis quae evellerat, ita scite in aureis poculis illigabat, ita apte in scaphiis aureis includebat, ut ea ad illam rem nata esse diceres: ipse tamen praetor, qui sua vigilantia pacem in Sicilia dicit fuisse, in hac officina maiorem partem diei cum tunica pulla sedere solebat et pallio. Haec 25
ego, iudices, non auderem proferre, ni vererer, ne forte 55
plura de isto ab aliis in sermone, quam a me in iudicio vos audisse diceretis. Quis enim est, qui de hac officina, qui de vasis aureis, qui de istius pallio non audierit? Quem voles e conventu Syracusano virum

---

ad significandum Verris studium. Ex deterioribus editur *conducit*. Sed mendose illi libri *eos*, et partim in demenda extrema littera *m* *(magna)* peccant. Tum *his opus* Lambinus in margine et Erf. Guelff. pro vulg. *opus his*. — *quae evellerat]* *Evellerat* in codd. optimis legitur, Lambini in margine, Regio, *(evelleret* mendose Guelff. Erf.) neque iam dubium esse potest, quin recte sic ediderit Graevius. Nam vulg. *vellerat* ferri non potest, et *avellerat*, quod Lamb. dedit, nullam librorum auctoritatem habet.

in scaphiis aureis includebat] Vulgo *in scyphis* legitur, sed cum id poculorum genus usitatissimum fuerit, non intelligitur cur id singulariter ponatur. Cod. Cuiacianus apud Gruterum (et coll. Havn.) et Erfurt. *scaphis*, Guelf. antiquior *scafis*, unde restituendum videbatur quod iam olim Gulielmo visum erat *scaphiis*, quoniam et supra c. 17 extr. *scaphium* Cicero appellarat. Est hoc et ipsum genus poculorum, idem opinor quod *cymbium*, nam σκάφος est cymba, in eam formam factum, sed aliis etiam usibus inserviebat, fortasse iusculo ministrando, ut apud nos. Luxuriasse autem veteres in formis poculorum quis ignorat, unde et *cantharus* inventus et *calix*. Porro *concludebat* ambo Guelf. Erf. Cuiac. sed siletur de Lamb. et Havn. coll.

§. 55. *vos audisse]* Sic Guelff. nec abit nisi cum mendo scribendi Havn. coll. Vulgo *audisse vos*. — *qui de istius pallio non audierit]* Edd. principes et codd. vulgares *de istius pallio palla non audierit*. In Aldina factum est *pulla*, in Victoriana denique adiectum de coniectura *tunica*, uti nunc vulgo editur *de istius pallio, tunica pulla*. Neque mutare auderem, ni etiam meliores libri mss., omissa *tunica*, *pullo* haberent, quod aut mendum est, repetito priore verbo, aut a librario adiectum coloris memori. Offendor certe in omissa coniun-

bonum nominato: producam: nemo erit, quin hoc se
56 audisse aut vidisse dicat. O tempora, o mores! Nihil nimium vetus proferam. Sunt vestrum aliquam multi, qui L. Pisonem cognorunt, huius L. Pisonis,

---

ctione, et alioquin non tam tunica ista in praetore domi versante quam *pallium* in Romano oculos laedebat. Omnino praestat delere.

e conventu Syracusano] Sic Guelff. nostri et coll. Havn. et scribendum e vet. cod. in marg. repet. censuit Lambinus: nam ipse in priore vulgatam retinuit *de conv. Syracusanorum.* Is conventus Syracusanorum esset populus congregatus: cur autem congregatus? satis esset e populo Syracusano. Qui autem hoc loco dicitur conventus, cives Rom. sunt, qui Syracusis negotiantur aut versantur (cf. ad II, 13), et is de loco dici debet Syracusanus, ut Panormitanus V, 54. Cf. etiam ad V, 59 §. 155. Mox vulgo *aut vidisse, aut audisse*, quod forsitan dixeris praestare ei, quod nos e Guelff. et Havn. dedimus, certe scribendum *vidisse aut audisse.* Verum in ista re parum interest inter utrumque testimonii genus.

§. 56. *Sunt vestrum aliquam multi]* Hoc verbum sive verborum compositio alibi apud Cic. non legitur, nec apud alium praeter Appuleium, sed hunc quidem veterum in eiusmodi rarioribus verbis imitatorem: nec abhorret a ratione: nimirum sicut *quam multi* sunt „multi quotcunque vis" (vide lib. III, 88 §. 206), sic *aliquam multi* paulum imminuit eum numerum ut sint: satis multi. Tres Pisones Frugi cum hoc loco commemorentur, vetustissimus, auctor legis de pecuniis repetundis in tribunatu a. 605, Cos. fuit a. 621: alterius praeturam Hispaniensem assignat Pighius in Annalibus a. 642 (ipse 641 habet, alia ratione temporum computandorum usus) sane credibiliter, cum Appianus in Hispan. c. 99 ei successisse tradat Ser. Galbam, consulem a. 646. Tertius, quem *hunc* dicit orator, collega Verris fuit in praetura a. 680 (praetorem peregrinum fuisse puto) vid. lib. I, 46. Itaque cum post alterius Pisonis mortem usque ad hunc annum, quo causa Verrina agitur, praeterierint duo et quadraginta anni, facile apparet fuisse aliquot e senioribus iudicibus, qui illum nosse debuerint. Quod pertinet ad verba oratoris, *vestrum aliquam multi* codices plerique (Lag. omnes), *alii quam multi* Reg. Leid. Guelff. vitiose, editionum Iuntina *alii quam multi*, Veneta 1499 Aldina Hervag. *aliquammulti.* Sed ab ea lectione Victoriana et reliquae usque ad Lambinum et additione et detractione temere abierunt sic: *sunt vestrum, iudices, quam multi.* Lambinus *aliquammulti* restituit et propagavit, *iudices* mansit donec Beckius uncis appositis damnavit. *Cognorunt* nos dedimus ex Lambiniana: Guelf. 1 (et Havn.) *gnorunt*, Guelf. 2 *norunt*, deteriores fere *cognoverint*, Lag. 27 et 42 ut vulgo editi *cognoverunt.*

qui praetor fuit, patrem. Ei, cum esset in Hispania praetor, qua in provincia occisus est, nescio quo pacto, dum armis exercetur, anulus aureus, quem habebat, fractus et comminutus est. Cum vellet sibi anulum facere, aurificem iussit vocari in forum ad sellam, Cordubae, et palam appendit aurum: hominem in foro iubet sellam ponere, et facere anulum omnibus praesentibus. Nimium fortasse dicet aliquis hunc diligentem. Hactenus reprehendet, si qui volet: nihil amplius. Verum fuit ei concedendum. Filius enim L. Pisonis erat, eius, qui primus de pecuniis repetundis legem tulit. Ridiculum est, me nunc de Verre 57
dicere, cum de Pisone Frugi dixerim: verumtamen quantum intersit videte. Iste cum aliquot abacorum faceret vasa aurea, non laboravit, quid non modo in Sicilia, verum etiam Romae in iudicio audiret: ille in auri semuncia totam Hispaniam scire voluit, unde praetori anulus fieret. Nimirum, ut hic nomen suum comprobavit, sic ille cognomen.

Nullo modo possum omnia istius facta aut memo- 26
ria consequi aut oratione complecti. Genera ipsa cu-

---

§. 56. *Ei cum — fractus est]* Vulgo *is cum*, sed libri melioris familiae *et*, quare Graevius sive potius is, qui codicem contulit (id quod apparet ex Havn. exemplari) coniecit *ei* scribendum, quod nos recepimus concinnitatis causa. Sed etiam *et comminutus est* scribendum fuit ex Guelff. et Havn. coll. pro vulg. *est et comminutus.*

iussit vocari in forum] Sic Lamb. pro vulg. *in foro* legendum censuit in marg. et edidit Graevius e Regio, nos e Lag. 29 et Guelf. 1. Nam alter cum Leid. *fecit vocari in foro*, mendose.

et palam appendit] Sustulimus nunc *ei*, quod vulgo interponitur, auctoritate Guelff. Leid. Havn. item cum Lambino mutato ordine verborum *iubet sellam* dedimus, quod adhuc fuit *sellam iubet.* Mox vulgo *reprehendat* et *si quis*, nos Lambinianam et Havn. coll. et codices Guelff. Lag. 29 secuti sumus. Havn. et Guelf. 2 *dicit;* non Guelf. 1.

§. 57. *me nunc de Verre dicere]* Sic Steph. Lambinus secundum libros alterius familiae. Vulgo *nunc de Verre me dicere*, nec accurate correctum est quod in minore nostra est.

pio breviter attingere, ut hic modo me commonuit Pisonis anulus, quod totum effluxerat. Quam multis istum putatis hominibus honestis de digitis anulos abstulisse? nunquam dubitavit, quotienscunque alicuius aut gemma aut anulo delectatus est. Incredibile dicam, sed ita clarum, ut ipsum negaturum non arbi-
58 trer. Cum Valentio eius interpreti epistola Agrigento allata esset, casu signum iste animadvertit in cretula. Placuit ei. Quaesivit, unde esset epistola: respondit, Agrigento. Iste ad quos solebat litteras misit, ut is

---

§. 57. *ut hic modo]* Locum laudat Quintilianus Inst. IX, 2, 61 secundum cuius edita exemplaria Hotomanus corrigendum censuit, quod tum apud Ciceronem edebatur *ut hoc modo.* Fecerat iam ante illum P. Manutius, sed codicum auctoritatem nunc demum afferimus Guelff. Sed mox *anulos aureos* apud Quintilianum sine controversia legitur, a Ciceronianis libris mss., Guelferbytanis, Regio, Lambini vet. cod. in margine repet., verbum *aureos* abest, delendumque sibi videri significavit Lambinus, rectissime: neque enim de materia, sed de lapidis artificio agitur. Quin ille detraxisset etiam, si argentei fuissent aut ferrei.

Incredibile dicam, sed ita clarum] Sic Lambinus in margine repetitae editionis, nimirum e vet. cod. quod patet ex Havn. collat. et Guelff. Vulgo *incredibilem rem dicam, sed tam claram.* Lag. 29 reliqua ut Guelff., sed *tam* servat, verum praestat illorum auctoritas.

§. 58. *Quaesivit, unde esset]* Vulgares libri mss. et editi *exquisivit*, quasi opus fuerit acriore inquisitione. Nostram lectionem e veteribus libris protulerunt Ursinus et Stephanus, e codice Regio Graevius, qui in textum recepit. Firmant ambo Guelf. quo magis miror nihil Lambinum aut mutasse aut annotasse saltem.

Agrigento] Codicum deterior familia et pleraeque editiones veteres *Agrigenti:* sed *Agrigento* olim Ascensiana, Cratandrina, denique Hotomano auctore omnes. Pro *cretula* Ursini vet. liber et codex Iannoctii apud Garat. *cerula.* Verum cretae sive cretulae (vide Plin. hist. nat. 35, 31) illitae imprimere anulum mos Asianorum et Graecorum fuit, et procul dubio etiam in Sicilia frequentissimum. Cf. de cera Romanorum, creta Asianorum locum celebrem Cic. p. Flacco c. 16. Itaque creta anularia apud Plinium est 35, 37, et γῆ σημαντρὶς apud Herodotum II, 38. — *Iste ad quos solebat litteras misit]* Hoc ordine verborum Lambinus in marg. repetitae, e codd. id quod nunc, quamvis ipse non annotarit (nec suppleat Havn. collat.), e Guelff. apparet. Neque deterior est, immo compositior vulgari *iste litteras, ad quos solebat, misit.*

anulus ad se primo quoque tempore afferretur. Ita litteris istius patrisfamilias, L. Titio, civi Romano, anulus de digito detractus est. Illa vero eius cupiditas incredibilis est. Nam ut in singula conclavia, quae iste non modo Romae, sed in omnibus villis habet, tricenos lectos optime stratos cum ceteris ornamentis convivii quaereret, nimium multa comparare videretur. Nulla domus in Sicilia locuples fuit, ubi iste non textrinum instituerit. Mulier est Segestana, perdives et 59
nobilis, Lamia nomine: per triennium isti, plena domo telarum, stragulam vestem confecit, nihil nisi conchylio tinctum. Attalus, homo pecuniosus, Neti: Lyso

---

§. 58. *L. Titio, civi Rom.]* Reliqui in minore edit. quod vulgo legitur *L. Titio cuidam, civi R.* incertus de scriptura codicum Guelff. Nunc hos quoque omittere verbum, quod voluerat Lambinus in margine repetitae, cum Regio (Havn. coll.) video. Nec sane cognoscitur, cur ille *quidam* dicatur, cum et praenomen addatur et pater familias appelletur. — *in omnibus villis habet]* Usque ad Gruterum erat *omnibus in villis*, hic tacite sic edidit, quemadmodum Lambini vet. cod. ad marginem (et Havn. coll.) et ambo Guelf. habent. Ceterum quod Imperfectis Coniunct. usus orator de re praeterita tamquam de praesente loquitur, pertinet ad notissimam formam enuntiationum hypotheticarum, de qua nos in Gramm. §. 525. Itaque miror sane, cur Goerenzius olim ad Acad. II, 20 corrigendum putaverit *videbatur.*

non textrinum instituerit] Textrinum princ. editores recte, i. e. secundum fidem librorum mss. Sed cito extitit *textrinam* in Ascensiana 1511, et sic postea omnes, una excepta Iuntina. Denuo codicum scripturam revocavit Gruterus (Guelf. 1 *textrinum non instituerit).* Est enim *textrinum* ut *pistrinum*, alterae formae *textrina, pistrina* parum usitatae, quamquam et *tonstrina* et *sutrina* est.

§. 59. *nihil nisi conch.]* Codd. deteriores et edd. vetustae *nihil conchylio tinctum*, quod cum ineptum esset, in Victoriana factum de coniectura *nihil non*, atque hoc per Manutianas propagabatur, cum Hervagius iam et Stephanus e melioribus *nihil nisi* dedissent.

Neti: Lyso] Sic inde a Grutero constanter editur, olim e vulgaribus legebatur *nec vulgo*, absurde, sed quod Manutius explicabat *non vulgaris.* Lambinus, quamquam in priore edit. emplastro non sane artificiose iniecto ediderat *nec unus e vulgo*, annotavit tamen esse in uno codice (cui concinit Guelf. 2) *netyliso*, et ex ea scriptura legendum censuit *Neti Lyso:* tueturque adeo suum ius primi inventoris, quam-

Lilybaei; Critolaus Hennae; Syracusis Aeschrio, Cleomenes, Theomnastus; Helori Archonidas. Dies me citius defecerit, quam nomina. Ipse dabat purpuram, tantum operam amici. Credo: iam enim non libet omnia criminari: quasi hoc mihi non satis sit ad crimen, habuisse tam multum, quod daret; voluisse deportare tam multa; hoc denique, quod concedit, amicorum operis esse in huiuscemodi rebus usum. Iam

---

quam eandem coniecturam uno anno ante Turnebus in Advers. VIII, 10 proposuerat e libri cuiusdam veteris scriptura *Neci: Lyso.* Quicquid est, (non enim difficile fuit invenire cuivis, et homo appellatur supra §. 37) optima lectio iam agnoscitur, et auctoritate Guelff. et Havn. coll. firmatur. Mox *Hennae* ne in optimis quidem est, sed Guelf. 1 *ethne,* 2 *et ne*, Havn. *Aetnae*, Lagom. *Etnae*, ut dubitare me fatear an h. l. quod nomen totiens falso illatum est, *Aetnae*, verum sit.

Helori Archonidas] Priorem vocem e certissima F. Ursini correctione Graevii et Ernestii exemplum secutus emaculavi, cum in libris mss. sit *Pelori*, quod promontorium celebre, non urbs est; (cf. ad libr. V, 34) sed etiam altera in extrema sui parte corrupta erat, quod legebatur *Archonides.* Doricam nominis formam editores dudum e lib. III, 56 restituere debebant, quae nunc aperte in duobus Guelf. et Havn. coll. legitur. Additur praeter hunc *Archonidam* vulgo *Megistus*, quem iure sustulisse mihi videor, primum quod id nomen non inventum est in Guelff. et Regio, tum quod verisimile fit ortum esse ex insequentibus verbis *me citius.* Nam quod vulgo est *vox me citius defecerit*, in melioribus mss. est *dies me citius* cet. ut omnis corrumpendi loci ratio pateat, cum *dies* extremis verbi praegressi litteris haustus esset, inventum esse novum nomen, quo damnum resarciretur.

operam amici] Sic libri Guelff. et Regius, nam quod Graevius scribit in eo esse *amici operam* inverso ordine, errorem esse, ortum e vulg. lectione, et olim putavi, et nunc constat e coll. Havniensi. Coniunge etiam *tantum operam*, quia se dicit lenius acturum cum Verre. Vulgo autem *ipse dabat purpuram tantum, amici operas*, quod factum videtur e sequentibus *amicorum operis esse — usum.* Sed aliud est *uti operis amicorum*, aliud *dare operas:* operae certe non dabantur, sed opus gratis ei fiebat sive dabatur.

quasi hoc mihi non satis sit] Cohaeret hoc cum praegressis *non libet*, et alienum est quod in edd. vett. et codd. deterioribus adiicitur *quasi vero hoc.* Sic incipiunt tantum novae periodi. Delevit primum P. Manutius, nec est in Stephaniana, sed Lambinus servavit quamquam nullo codice laudato: idem contra immerito *mihi* sustulit.

vero lectos aeratos et candelabra aenea, num cui praeter istum Syracusis per triennium facta esse existimatis? Emebat. Credo. Sed tantum vos certiores, iudices, facio, quid iste in provincia praetor egerit, ne cui forte negligens nimium fuisse videatur, neque se satis, cum potestatem habuerit, instruxisse et ornasse.

Venio nunc non iam ad furtum, non ad avaritiam, 27
non ad cupiditatem, sed eiusmodi facinus, in quo omnia nefaria contineri mihi atque inesse videantur; in quo dii immortales violati, existimatio atque auctoritas nominis populi Romani imminuta, hospitium spoliatum ac proditum, abalienati scelere istius a nobis omnes reges amicissimi nationesque, quae in eorum regno ac dicione sunt. Nam reges Syriae, regis Antiochi filios 61

---

§. 60. *negligens nimium*] Sic Steph. Lambinus et codd. meliores. Vulgo *nimium negligens.* — *sed eiusmodi facinus*] Vulgares libri mss. et editi usque ad Gruterum *sed ad eiusmodi facinus:* is secundum Stephani codicem et Lambini vet. cod. in marg. reliquosque eius ordinis *ad* sustulit, nec video cur restitui oporteat, coll. II, 3 §. 7.

§. 61. *reges Syriae*] Antiochus et Seleucus, quorum pater Antiochus ὁ Εὐσεβής, filius Ant. Cyziceni, dudum mortuus erat, vide Ioseph. Antiq. XIII, 13, 4, ne Iustino lib. 40 credas, superfuisse illum adhuc quo tempore Pompeius Syriam in provinciae Rom. formam redegit tradenti. Is vero, qui a Pompeio regno exclusus est, horum ipsorum fratrum natu maior est, Antiochus Asiaticus, Cyziceni nepos: cf. Appian. bell. Mithrid. 106. Nam quod ait Cicero, fratres tum Syriam *sine controversia* obtinuisse, verum est, si de iure intelligas, siquidem tum iam competitores filii Antiochi Grypi omnes perisse videntur, re vera Syriam obtinebat Tigranes, ab ipsis Syris ut nefariae principum cognatorum contentiones tandem finirentur ante hos ferme decem annos arcessitus (83 a. Chr.). Quo tempore igitur Verres Siciliae praesidebat, Selene regina cum filiis aut nullam aut exiguam partem Syriae (Ptolemaidem coniiciat aliquis e Iosepho XIII, 16, 4) tenebant, sed cum bellum Mithridaticum iam summa vi gereretur a Lucullo, faciie illi sperare poterant, fore ut eius eventus etiam ad Tigranem et restitutionem Seleucidarum pertineret: ac fuisse hanc itineris Romam suscepti causam prorsus mihi persuadeo. Cur igitur tegit Cicero? Ne nimium inopes et contempti reges tum fuisse videantur, qui sane paucis post annis et fortasse hoc ipso, quo orationes scripsit Cicero, regnum recuperabant:

pueros, scitis Romae nuper fuisse: qui venerant non propter Syriae regnum; nam id sine controversia obtinebant, ut a patre et a maioribus acceperant: sed regnum Aegypti ad se et ad Selenen, matrem suam, pertinere arbitrabantur. Hi ipsi, posteaquam temporibus rei publicae exclusi per senatum agere quae voluerant non potuerunt, in Syriam, in regnum patrium profecti sunt. Eorum alter, qui Antiochus vocatur, iter per Siciliam facere voluit. Itaque isto praetore
62 venit Syracusas. Hic Verres hereditatem sibi venisse arbitratus est, quod in eius regnum ac manus venerat is, quem iste et audierat multa secum praeclara habere, et suspicabatur. Mittit homini munera satis

---

et perfecissent ni Pompeius fuisset. Quod autem tradunt hunc Antiochum regno Syriae exclusum factum esse regem Commagenes, falsum est: diversi sunt homines apud Appianum l. l. nec aut Strabo libro XVI aut Plutarchus in Pompeio tacuisset. De Aegypto autem longior spes, sed spes tamen, cum Selene filia esset Ptolemaei Physconis, soror Lathyri, quo mortuo et interempta unica filia legitima Berenice, regnum affectabat Auletes, nothus Lathyri filius. Quin ipsam hanc *Selenen* fuisse Lathyri aliquando uxorem, antequam Antiocho Grypo nupserit, Iustinus lib. XXXIX, 4 tradit, eique peperisse duos filios, qui alii non possunt esse nisi hi reges Syriae. Verum ingens perturbatio nominum in ea historia versatur, siquidem Appianus in Syriacis c. 69 Selenen affirmat primum Antiocho Cyziceno, deinde eius fratri Grypo, tertio Cyziceni filio Antiocho τῷ Εὐσεβεῖ nupsisse. Quae conciliet quicunque poterit, ego errorem ortum ex eo puto, quod et huic uxori *Pii* et alteri Cyziceni commune Aegyptiorum nomen Cleopatra fuerit. Interempta est a Tigrane hoc ipso anno, puto, (70 a. Chr.) in conatu regni recuperandi Seleuciae, ἐπὶ τοῦ Ζεύγματος, teste Strabone lib. XVI, 2, 3.

Hi ipsi] *Ipsi* e melioribus accessit primum in Lambiniana, deinde in reliquis. Coniungit Ernestius cum verbis *agere non potuerunt*, sed collocatio adversatur. Nihil aliud nisi personarum convenientiam significat: *diese selben*. Tum *posteaquam rei publ.* primus Stephanus, libri mss. vulgares et olim editi *postquam p. R.* Quaenam illa tempora sint, difficile dictu: putant pericula duorum bellorum, Mithridatici et Sertoriani: ego bellum servorum in Italia dixerim: nam a. 73 et 72 Romae fuisse puto. Verba *in Syriam* omisit Lambinus, suum iudicium secutus.

large, haec ad usum domesticum: olei, vini, quod visum est: etiam tritici quod satis esset, de suis decumis. Deinde ipsum regem ad coenam vocavit: exornat ample magnificeque triclinium: exponit ea, quibus abundabat, plurima et pulcherrima vasa argentea: (nam haec aurea nondum fecerat:) omnibus curat rebus instructum et paratum ut sit convivium. Quid multa? Rex ita discessit, ut et istum copiose ornatum, et se honorifice acceptum arbitraretur. Vocat ad coenam deinde ipse praetorem: exponit suas copias omnes, multum argentum, non pauca etiam pocula ex auro, quae, ut mos est regius, et maxime in Syria, gemmis erant distincta clarissimis. Erat etiam vas vinarium ex una gemma pergrandi, trulla excavata manubrio aureo, de qua satis, credo, idoneum, satis gravem te-

---

§. 62. *haec ad usum domesticum]* Sunt *haec* vulgaria, quae solent fere mitti iter facientibus. Sed abest *haec* a Guelf. 1.

olei, vini, quod visum est] Sic Guelff. Erf. et Lamb. v. c. ad marg. cum coll. Havn. e quibus libris ipse Lamb. *est* tantum edidit pro vulg. *erat*, quod cum praesenti tempore minus recte concordat, ordinem verborum *vini, olei* non mutavit. Deinceps *de suis decumis* Stephanus, Gruterus, reliqui: vulgares libri *de his dec.* etiam Lambinus in edit. quamquam in annotatione unum librum ms. habere ait *in suis.* Miror, quod unus tantum, cum alibi de Memmianis pluribus dicat.

vocavit] Vocat suum iudicium secutus, non librorum fidem, edidit Lambinus. Nos ea variatio non offendit. Erf. *vocabat* mendose.

et pulcherrima] Editi *ac pulch.* contra libros mss. non meliores tantum, sed omnes praeter unum Lag. 42. Sed mox discrepantia est codicum, dum Guelff. Leid. Erf. Havn. *nam*, reliqui cum editis libris *namque*, quasi scire debuerint iudices. — *manubrio aureo]* Olim fuit *cum man. aureo.* Praepositionem sustulerunt Lambinus et Gruterus, secutique sunt reliqui, sed nemo qua id auctoritate codicum factum esset executus est. Itaque non miror quod Garaton. restitui voluit. Omittunt vero Guelff. Erf. Havn. collatio, (et voluit, opinor, Stephanus, in cuius varietate lectionis pro *pr.* legendum *vet.)* cumque trulla totum sit, pars eius manubrium, ablativum qualitatis nemo reprehenderit.

de qua satis, credo, idoneum] Sic Lambini vet. cod. in margine et ambo Guelferbytani, melius haud dubie quam vulgatum *de qua, credo, satis idoneum.* Miror modo reliquos bonos, Havn. Erf. fortasse etiam Leidensem, discrepare a Guelff.

63 stem, Q. Minucium dicere audistis. Iste unumquodque vas in manus sumere, laudare, mirari. Rex gaudere, praetori populi Romani satis iucundum et gratum illud esse convivium. Posteaquam inde discessum est, cogitare nihil iste aliud (quod ipsa res declaravit) nisi, quemadmodum regem ex provincia spoliatum expilatumque dimitteret. Mittit rogatum vasa ea, quae pulcherrima apud eum viderat: ait se suis caelatoribus velle ostendere. Rex, qui illum non nosset, sine ulla suspicione libentissime dedit. Mittit etiam trullam gemmeam rogatum: velle se eam diligentius conside-
28 rare. Ea quoque ei mittitur. Nunc reliquum, iudi-
64 ces, attendite, de quo et vos audistis, et populus Romanus non nunc primum audiet, et in exteris nationibus usque ad ultimas terras pervagatum est. Candelabrum e gemmis clarissimis, opere mirabili perfectum, reges hi, quos dico, Romam cum attulissent, ut in Capitolio ponerent: quod nondum perfectum tem-

---

§. 63. *nihil iste aliud (quod ipsa res decl.) nisi]* Libri mss. deteriores et olim editi *cogitare iste nihil aliud quam id quod ipsa res declaravit nisi*, servavitque etiam Lambinus, quamvis Hotomanus alterutrum aut *quam* aut *nisi* tollendum censuisset, sustulissetque P. Manutius 1559 *nisi*. In repetita demum Lambiniana voces *quam id* sublatae, eaque vulgata lectio facta est, etsi Graevius *id* servavit. Nobis nihil aliud supererat quam iussu librorum Guelff. Erf. Havn. paulum immutare ordinem verborum. Ceterum Guelff. Havn. *istum* vitiose.

apud eum viderat] Sic Guelff. Erf. Havn., vulgo *illum*, et ex iisdem post paulo *qui illum non nosset* pro vulg. *qui istum non nosset*.

§. 64. *usque ad ult. terr. pervagatum est] Usque* accessit e melioribus libris in Hervagiana, nec posthac omissum est. *Pervagatum* verum puto, cf. ad lib. III, 56 pr. sed Cuiacianus et Hittorp. (Erf.) apud Gruterum et ambo Guelff. *pervulgatum*, pro vulgata Stephani et Lambini silentium stat, et quod nihil in coll. Havn. annotatum est, nam Leid. negligenter et scriptum et collatum omitto.

e gemmis] Item §. 67 *candelabrum factum e gemmis*, at §. 71 accuratius *e gemmis auroque perfectum:* λιθοκόλλητον igitur.

plum offenderant, neque ponere potuerunt, neque vulgo ostendere ac proferre voluerunt: ut et magnificentius videretur, cum suo tempore in cella Iovis Optimi Maximi poneretur, et clarius, cum pulchritudo eius recens ad oculos hominum atque integra perveniret. Statuerunt id secum in Syriam reportare: ut, cum audissent, simulacrum Iovis Optimi Maximi dedicatum, legatos mitterent, qui cum ceteris rebus illud quoque eximium ac pulcherrimum donum in Capitolium afferrent. Pervenit res ad istius aures, nescio quomodo. Nam rex celatum voluerat: non quo quicquam metueret aut suspicaretur, sed ut ne multi illud ante perciperent ocu-

---

§. 64. *quod nondum perfectum templum offenderant]* Delevi *etiam*, quod vulgo legitur post *nondum*, auctoritate Lambiniani v. c. in marg. et coll. Havn. et meorum Guelff. Erfurt. (quamquam alter Guelf. uti Leid. mendose *nunquam* pro *nondum* litterarum compendiis exhibet). Accedit etiam Nonius lib. IV in voce *offendere*. Alioquin non auderem damnare abundantiam verborum, cum similiter dici videam c. 5 *qui nihil dum etiam istiusmodi suspicabantur*, lib. III, 84 *sed fortasse adhuc in nullo etiam vindicatum*, quin hoc ipsum non apud Ciceronem quidem, sed apud Terentium est in Hec. V, 1, 19 *mane, nondum etiam dixi id quod volui*. Ceterum templum Iovis Capitolini a. 83 Scipione et Norbano Coss. deflagrasse, et a Sulla iisdem vestigiis restitui coeptum, nec tamen dedicatum, quod solum eius felicitati defuerit, vide apud Plinium in hist. nat. VII, 44 et Tacit. Hist. III, 72. Dedicatum vero est a Catulo, anno post hanc orat. habitam, Coss. Hortensio et Q. Metello, teste Cassiodoro in Chronico. Quod sequitur *potuerunt* accessit primum in Stephaniana edit., mox Lambiniana et Gruteriana, e melioribus et Nonio grammatico l. l., nam deterior familia codicum omittit. — *in cella Iovis Opt. Max.]* *Optimi* abest a vulgaribus mss. et edd. primis usque ad Naugerium, contra *Maximi* desideratur in Erf. et nonnullis deterioris ordinis. Item postea omittendo alterutro verbo turbant libri mss. *In sella* Gruterus ex errore typographorum Lambinianae repet. hausit.

ac pulcherr.] Vulgo *atque*, et est in Guelf. 1 Lag. 42. 45. Verum reliqui *ac*. — *rex celatum voluerat]* Gruterus sustulit *id*, quod olim interponebatur, in ea re secutus librorum aliquot meliorum auctoritatem, Lambiniani vet. cod. nostrorum Guelff., quamquam legitur illud in Erf. et in Havn. collat. si fides silentio haberi debet. Mox *non quod* scripsit Lambinus, codex quidem nullus habet praeter Lag. 42. Cf. ad II, 35 extr.

lis, quam populus Romanus. Iste petit a rege, et eum pluribus verbis rogat, ut id ad se mittat: cupere se dicit inspicere, neque se aliis videndi potestatem esse
65 facturum. Antiochus, qui animo et puerili esset et regio, nihil de istius improbitate suspicatus est: imperat suis, ut id in praetorium involutum quam occultissime deferrent. Quo posteaquam attulerunt, involucrisque reiectis constituerunt: clamare iste coepit, dignam rem esse regno Syriae, dignam regio munere, dignam Capitolio. Etenim erat eo splendore, qui ex clarissimis et pulcherrimis gemmis esse debebat: ea

---

§. 64. *ante perciperent oculis, quam populus Rom.]* *Perciperent* vulgo legebatur et probabatur, priusquam Gruterus libri Hittorpiani (Erf.) lectionem *praeciperent* proferret et commendaret. Eandem cum Graevius e cod. Regio recepisset, ac videre iussisset qui Latine sibi intelligere viderentur, quam recte alterum illud diceretur, plerique omnes recentiores secuti sunt, praesertim postquam Lallemandus itidem in Parisinis esse confirmavit. De hoc primum liceat dubitare, nam cum omne discrimen scripturae in eo versetur, utrum *p (prae)*, an *p (per)* sit, Lallemandi diligentiae parum confido. In Guelff. est *percipere.* Nec satis intelligo cur Graevius de Latinitate dubitarit. Nam etsi *percipere* plerumque ad mentem traducitur (sicut quod Germ. dicimus *auffassen* et *erfassen)*, consistere tamen potest in sensibus, ut in Orat. c. 2 §. 8 *illud quod neque oculis neque auribus neque ullo sensu percipi potest,* (εἶδος eius quod in quaque re pulchrum est dicit,) praesertim ubi fruendi significatio accedit, ut hoc loco. Contra *ante praecipere oculis quam pop. Rom.* inconditam dicendi rationem esse recte Ernestius observavit. Primum istius abundantiae *ante praecipere*, quamquam multa exempla collegerunt Gronovius et Drakenborchius ad Livii lib. XXI, 20 (qualia sunt Liv. XXI, 32 *fama prius percepta res erat,* et Taciti Annal. XI, 7 *nihil a quoquam expeti, nisi cuius fructus ante praeviderit)* nullum tamen apud Ciceronem est, deinde, ut illud detur, quo pertinent verba *quam populus Rom.?* nam hic quidem non *praecipit;* debebat esse, antequam pop. Rom. videret. Sed taedet plura.

§. 65. *clamare iste]* Sic cum Lambini v. c. in margine repetitae, nostri tres boni. Vulgo *iste clamare.* — *et pulcherrimis]* Sic libri mss. melioris familiae omnes et nonnulli ex deterioribus, ex quibus principes editores hauserant. Naugerius contra *plurimis* dedit, quem ne Lambinus quidem reliquit, donec Graevius denuo melioribus obsequi coepit.

varietate operum, ut ars certare videretur cum copia: ea magnitudine, ut intelligi posset, non ad hominum apparatum, sed ad amplissimi templi ornatum esse factum. Cum satis iam perspexisse videretur, tollere incipiunt, ut referrent. Iste ait, se velle illud etiam atque etiam considerare: nequaquam se esse satiatum: iubet illos discedere, et candelabrum relinquere. Sic illi tum inanes ad Antiochum revertuntur. Rex primo 29
nihil metuere, nihil suspicari: dies unus, alter, plures: 66
non referri. Tum mittit, si videatur, ut reddat. Iubet iste posterius ad se reverti. Mirum illi videri: mittit iterum. Non redditur. Ipse hominem appellat: rogat ut reddat. Os hominis insignemque impudentiam cognoscite. Quod sciret, quodque ex ipso rege audis-

---

§. 65. *ad ampl. templi ornatum]* Vulgo *ornamentum* secundum deteriores, meliores (Stephani vetus, Reg. Erf. Guelff.) *ornatum*, edideratque Lambinus, immo iam vetustissimi ante Naugerium, quod Ernestius alioquin veterum editionum quam codicum studiosior non animadvertit. Utrum vero similius sit non difficile est invenire, certe ad communem loquendi usum multo praestat *ad ornatum*. *Ornamentum* enim ipsa res est, quae ornat, quae *ornatus* causa comparatur. Quamquam interdum, sed raro tamen, etiam *ad ornamentum* aliquid esse dicitur, ut supra 8 §. 18. Alium similem locum laudat Madvigius de orat. I, 45 §. 199 et excusat. — *Cum satis]* Praemittitur vulgo *quod*, sed id verbum abest a Lambini vet. cod. et reliquis bonis. Deinde *candelabrum relinquere* ἀσυνδέτως collatio Havn. non male, sed tamen Guelff. Erf. non addicunt.

§. 66. *Tum mittit, si videatur, ut reddat]* Hunc locum, uti solent, cum suam sapientiam scriptoribus obtrudunt, addendo quae abesse possent, magistri corruperunt: *tum mittit rex ad istum, si sibi videatur, ut reddat.* Absunt autem verba notata ab utroque Guelf. et Erfurtensi, et olim collatorum in Cuiaciano non esse *rex* traditur, in Havn. omitti tria verba *rex ad istum.* Nihil impedit tamen, quominus et *sibi* tollatur (quod unum in una Hervagiana factum est). De Lambinianis altum silentium. Cf. Liv. VI, 25 pr. ad quem locum Drakenb. nonnulla notavit. — *quodque ex ipso rege]* Nostri boni tres et Havn. coll. *quod;* tum Lag. 5. 27. 42 *ab ipso rege.* Sed *vehementissime* codices Stephani et Lambini cum collat. Havn. et Guelff. Erfurt. Vulgo *vehementer.*

set in Capitolio esse ponendum, quod Iovi Optimo Maximo, quod populo Romano servari videret, id sibi ut donaret, rogare et vehementissime petere coepit. Cum ille se et religione Iovis Capitolini et hominum existimatione impediri diceret, quod multae nationes testes essent illius operis ac muneris: iste homini minari acerrime coepit. Ubi videt, eum nihilo magis minis, quam precibus permoveri, repente hominem de provincia iubet ante noctem decedere: ait, se comperisse, ex eius regno piratas ad Siciliam esse venturos.
67 Rex maximo conventu Syracusis, in foro, ne quis forte me in crimine obscuro versari, atque affingere aliquid suspicione hominum arbitretur, in foro inquam Syracusis, flens atque deos hominesque contestans clamare coepit, candelabrum factum e gemmis, quod in Capitolium missurus esset, quod in templo clarissimo populo Romano monumentum suae societatis amicitiaeque esse voluisset; id sibi C. Verrem abstulisse: de ceteris operibus ex auro et gemmis, quae sua penes

---

§. 66. *quam precibus permoveri]* Annotat Lambinus in libris mss. esse *removeri* et id sibi placere. Idem enotatum est in coll. Havn. et inveni ego in Guelff. non in Erfurtensi. Et vitium puto: iam enim Verres petere inceperat; si rex tantum reposcere, *removeri* posset explicari. Sed paulo post e codd. meis tribus et Havn. collatione pro vulg. *in Siciliam esse venturos* restitui *ad Siciliam* verissime, ut facile intelligitur.

§. 67. *affingere aliquid suspicione hominum]* Emendasse se scribit Lambinus *suspicioni:* male quidem, quamquam illud est in Erfurt. libro et edit. Ascensiana, neque enim hominibus aliquid affingitur, sed Verri, cuius crimina augeri non debent hominum suspicione. Tuscul. III, 23 *qui nihil opinione affingat assumatque ad aegritudinem.*

atque deos] Sic vet. cod. Lambini et uterque Guelf. Vulgo *ac deos;* sed mediae aetatis editores Hervagius Vict. Manut. Steph. Lambinus coniunctionem penitus sustulerant. — *populo Romano]* Si quis *populi Romani* malit, adiuvari eum a vet. cod. Lambiniano Garatonius scribit, quippe in quo notis brevioribus *p. R.* scriptum. Eaedem sunt in Guelf. 1, sed in altero dativus suprascripta *o* vocali indicatur: et sic verum puto. Erfurt. *societatis suae.*

illum essent, se non laborare: hoc sibi eripi miserum esse et indignum. Id etsi antea iam mente et cogitatione sua fratrisque sui consecratum esset: tamen tum se, in illo conventu civium Romanorum, dare, donare, dicare, consecrare Iovi Optimo Maximo, testemque ipsum Iovem suae voluntatis ac religionis adhibere.

Quae vox, quae latera, quae vires huius unius 30
criminis querimoniam possunt sustinere? Rex Antiochus, qui Romae ante oculos omnium nostrum biennium fere comitatu regio atque ornatu fuisset: is cum amicus et socius populi Romani esset, amicissimo patre, avo, maioribus, antiquissimis et clarissimis regibus, opulentissimo et maximo regno, praeceps provincia populi Romani exturbatus est. Quemadmodum hoc 68
accepturas nationes exteras, quemadmodum huius tui facti famam in regna aliorum atque in ultimas terras perventuram putasti, cum audirent, a praetore populi

---

§. 67. *possunt sustinere]* Sic vet. cod. in margine Lambinianae, Guelf. ambo, Reg. apud Graevium: vulgo *possint* (etiam in Erf.), quod tironibus nostratibus elegantius videatur, quoniam sermo noster lenitate ista, *möchte*, *sollte*, abundare coepit, auribus antiqua Latinitate assuetis in oratione directa parum ἐναργές videbitur. Hoc Graevius non correxit, sed Regii codicis auctoritate interposuit *iudices*, quod cum non invenerim in meis nec Lambinus notarit, relinquo.

praeceps provincia — exturbatus est] Legebatur olim *praeceps e prov. — exturbatus est:* praepositionem omisit Gruterus, restituit post Olivetum Lallemandus, sed nihil de codd. Pariss. Eorum autem sex numero per hoc et inseq. caput variantes scripturas habeo, ex quibus invenio tres non habere praepositionem, duos habere, unum *et prov.* Sed plus apud me valet quod abest praepositio a Guelff. Lambini vet. cod. Erf. Havn. coll. Eaque constructio ablativi cum rei tum imprimis loci sine praepositione *ab*, *ex*, *de*, quae insit in verbo, velut *expellere patria*, *civitate*, exquisitior merito habetur, quamvis praepositio frequentius etiam addatur. *Exturbare* quidem *bonis patriis* in Verr. II, 19, *fortunis omnibus* pro Quint. 31 legitur.

§. 68. *putasti, cum audirent]* Vulgo soloece *audierint*, quod verum esset, si *putas* esset. Et revera olim in vulgaribus omnibus videtur *putatis* fuisse, quod extat in Huyd., in ceteris abiit in *putaris*. Sed

Romani in provincia violatum regem, spoliatum hospitem, eiectum socium populi Romani atque amicum? Nomen vestrum populique Romani odio atque acerbitati scitote nationibus exteris, iudices, futurum, si istius haec tanta iniuria impunita discesserit. Sic omnes arbitrabuntur, praesertim cum haec fama de nostrorum hominum avaritia et cupiditate percrebruerit, non istius solius hoc esse facinus, sed eorum etiam, qui approbarint. Multi reges, multae liberae civitates, multi privati opulenti ac potentes habent profecto in animo Capitolium sic ornare, ut templi dignitas imperiique nostri nomen desiderat: qui si intellexerint, interverso hoc regali dono, graviter vos tulisse: grata fore vobis populoque Romano sua studia ac dona arbitrabuntur. Sin hoc vos in rege tam nobili, in re tam eximia, in iniuria tam acerba, neglexisse audierint: non erunt tam

---

si *putasti*, necesse est *audirent*, et utrumque legitur in Erf. Guelff. Havn. coll. Quid? etiam in Parisinis praeter unum omnibus.

a praetore populi R.] In plerisque bonis exciderunt notae *p. R.* (Lamb. vet. cod. Guelff. Pariss. aliquot) in aliis *a praet.* intercidit. Sed *populi Rom.* appellatione carere nullo modo possumus. Paulo post *nomen vestrum populi Rom.* sine *que* Erfurt. Paris. D.

haec fama] Vulgo *haec omnino fama:* nos sustulimus vocem iussu plurimorum codicum, Parisinorum quidem omnium. Ne vulgares quidem *omnino*, sed praeter unum Lag. 42 et fortasse Oxon. Huyd. *omnia.* Ceterum *percrebruerit* Lag. 29 Guelf. 1 et duo Parisini, quattuor reliqui cum Guelf. 2 *percrebuerit*, de ceteris siletur, sed poteris hoc pro leniore forma interpretari. — *qui approbarint]* Recte fecit Ernestius, quod e codice Guelf. 2 coniunctivum restituit pro Gruteriana lectione *approbarunt.* Sed dudum legebatur in editionibus veteribus, et omnino in nullo codice manuscripto (decem et septem in hoc capite habeo) alterum illud est, ut iam appareat cum errore typographorum contendisse Ernestium. Ne *approbaverint* quidem, quod est in edd. Aldina superioribus, in libris mss. est. — *hoc regali]* Sic nunc dedi ex Paris. D, Guelf. ambobus, Havn. coll. et edd. Steph. Lambinique. Olim *regali hoc.*

in re tam eximia, in iniur.] Nescio an rectius bis *in* tollatur, ut abest a vet. cod. Steph. et coll. Havn. In editionibus quidem Steph. Lamb. posterius tantum omittitur, quod factum etiam in codd. Lagom.

amentes, ut operam, curam, pecuniam impendant in eas res, quas vobis gratas fore non arbitrentur.

Hoc loco, Q. Catule, te appello. Loquor enim 31
de tuo clarissimo pulcherrimoque monumento: non iu- 69
dicis solum severitatem in hoc crimine, sed prope inimici atque accusatoris vim suscipere debes. Tuus est enim honos in illo templo senatus populique Romani beneficio: tui nominis aeterna memoria simul cum templo illo consecratur: tibi haec cura suscipienda, tibi haec opera sumenda est, ut Capitolium, quemadmodum magnificentius est restitutum, sic copiosius ornatum sit, quam fuit; ut illa flamma divinitus extitisse videatur, non quae deleret Iovis Optimi Maximi templum, sed quae praeclarius magnificentiusque deposceret. Audisti, Q. Minucium dicere, domi suae dever- 70
satum esse Antiochum regem Syracusis: se illud scire ad istum esse delatum: se scire non redditum: audisti

---

omnibus et edd. nonnullis vetustis, velut Iuntina. Guelff. et duo Parisini (7775 et D) *in rege tam nobiliore tam eximiam iniuriam tam acerbam.* Mox *audient* Guelf. 1 duo Paris. Havn. coll.

§. 69. *senatus populique Rom. beneficio]* Nam beneficium erat, quod Catulus creatus est, qui templum illud dedicaret, publicis sumptibus restitutum, suumque nomen inscriberet. Superest lapis, qui ad partem illius operis pertinet, ab Hotomano laudatus, in thesauro Gruteriano p. 170 et in collectione Orelliana nr. 31 *Q. Lutatius Q. f. Q. n. Catulus substructionem et tabularium ex S. C. faciund. coeravit.* Sed in verbis aliqua varietas est, nam Guelff. et Pariss. tres (7774 A. 7775. 7823) cum Havn. coll. *tuus enim honos illo templo* habent, Lag. 29 et Paris. A B *tuus enim est.* Postea *quemadmodum* dedi ex reliquis bonis et quattuor Parisinis pro vulg. *quomodo.*

§. 70. *Q. Minucium dicere] Rufum* cognomen omisi, iubentibus codd. Guelff. et Pariss. omnibus praeter unum C ex deterioribus, item Stephani vetere cod. et Havn. collatione; neque alibi equitem illum Romanum negotiatorem Syracusis, et in hac causa testem primarium in his oratt. sic dici memini. Sed unde nomen illud inventum dicimus?

Ant. regem Syracus. se illud scire ad istum esse] Verba quae praescripsi absunt a codd. Guelff. tribus Parisinis (iisdem quos paulo ante nominavi) Leid. Havn. coll., praeterea a septem Lagom. Huyd. Oxon.

et audies omni e conventu Syracusano qui ita dicant, sese audientibus illud Iovi Optimo Maximo dicatum esse a rege Antiocho et consecratum. Si iudex non esses, et haec ad te delata res esset: te potissimum hoc persequi, te petere, te agere oporteret. Quare non dubito, quo animo iudex huius criminis esse debeas, qui apud alium iudicem multo acrior, quam ego sum, actor accusatorque esse deberes.

32 Vobis autem, iudices, quid hoc indignius, aut quid
71 minus ferendum videri potest? Verresne habebit domi suae candelabrum Iovis, e gemmis auroque perfectum? cuius fulgore collucere atque illustrari Iovis Optimi Maximi templum oportebat, id apud istum in eiusmodi conviviis constituetur, quae domesticis stupris flagitiisque flagrabunt? In istius lenonis turpissimi domo simul cum ceteris Chelidonis hereditariis ornamentis Capitolii ornamenta ponentur? Quid huic sacri unquam fore, aut quid religiosi fuisse putatis, qui nunc tanto scelere se obstrictum esse non sentiat? qui in iudicium veniat, ubi ne precari quidem Iovem Optimum Maximum atque ab eo auxilium petere more omnium

---

abest *regem*, ut haec quemadmodum eduntur vulgo non sint nisi in duobus Paris. A B et Lag. 29. Postea *omni e conventu* Hervagius, Manutius, Steph. Gruterus reliqui secundum meliorem familiam codicum, *omnes* mss. vulgares et olim editi. — *a rege]* Vulgo *ab rege*, hoc Guelff. Lambini vet. cod. tres Parisini. — *te agere]* Sic tacite Gruterus, sed rectissime et melioribus nostris adiuvantibus. Vulgares (Lagom. praeter 29 omnes) cum libris olim editis *et*.

§. 71. *candelabrum Iovis]* Vulgo *Optimi Maximi* epitheta adduntur, candelabro parum apta, quae cum absint a codd. Lamb. Guelff. ambobus coll. Havn. et proxime repetantur, recidenda putavi.

flagitiisque flagrabunt] i. e. referta erunt, abundabunt: sic lib. II, 53 *flagrabat domus tota praetoria studio hominum et cupiditate.*

hereditariis ornamentis] Nimirum heredem sibi instituerat Verrem Chelido: supra c. 4 §. 7. — *aut quid religiosi fuisse]* Vulgo *fuisse religiosi*, sed eo quo edidi ordine Guelff. Lambini cod. in marg. coll. Havn.

possit? a quo etiam dii immortales sua repetunt in eo iudicio, quod hominibus ad suas res repetendas est constitutum. Miramur Athenis Minervam, Deli Apollinem, Iunonem Sami, Pergae Dianam, multos praeterea ab isto deos tota Asia Graeciaque violatos, qui a Capitolio manus abstinere non potuerit? Quod privati homines de suis pecuniis ornant ornaturique sunt, id C. Verres ab regibus ornari non passus est.

Itaque hoc nefario scelere concepto, nihil postea 72
tota in Sicilia neque sacri neque religiosi duxit esse: ita sese in ea provincia per triennium gessit, ut ab isto non solum hominibus, verum etiam diis immortalibus bellum indictum putaretur.

Segesta est oppidum pervetus in Sicilia, iudices, 33
quod ab Aenea fugiente a Troia, atque in haec loca veniente, conditum esse demonstrant. Itaque Segestani non solum perpetua societate atque amicitia, ve-

---

§. 11. *a quo etiam dii immort. sua repetunt]* Coniunctivum modum noli expectare, nam haec non dicuntur ἐν παραλλήλῳ.

repetendas] Sic Lamb. vet. cod. Havn. Guelff. Leid. Vulgo *repetundas*. — *non passus est]* Editi vulgo libri *non est passus*, ordine verborum haud dubie usitatissimo, sed contra fidem librorum mss., quorum plerique, sed deteriores, (Lag. omnes) *passus non est*, item probabiliter, sed quod rarissimum meliores, Lambini vet. cod. Havn. coll. ambo Guelf., *non passus est*. Neque tamen debuimus spernere, quoniam hoc quoque licet. Infra c. 44 pr. *poscere non ausus est*.

§. 72. *religiosi duxit esse]* Sic voluit Lambinus in margine pro vulg. *religiosi esse duxit*, et exhibent Guelff. Havn.

ab Aenea] Thucyd. VI, 2 Ἰλίου δὲ ἁλισκομένου τῶν Τρώων τινὲς διαφυγόντες Ἀχαιοὺς, πλοίοις ἀφικνοῦνται πρὸς τὴν Σικελίαν, καὶ ὅμοροι τοῖς Σικανοῖς οἰκήσαντες, ξύμπαντες μὲν Ἔλυμοι ἐκλήθησαν, πόλεις δ' αὐτῶν Ἔρυξ καὶ Ἔγεστα. Sed Romana fama Acestem urbis illius ἐπώνυμον in Sicilia matre Troiana natum, ibique ante Aeneam fuisse tradit, adiutum tamen ab eo in urbe condenda viribusque auctum. Fuisse templum Aeneae Segestae docet Dionys. Halic. Antiq. I, 53. Itaque *cognatos populi Rom.* in columna Duilii non immerito adiiciunt ad nomen Segestanorum, quamquam adesum et ipsum. Cf. etiam V, 47.

rum etiam cognatione se cum populo Romano coniunctos esse arbitrantur. Hoc quondam oppidum, cum illa civitas cum Poenis suo nomine ac sua sponte bellaret, a Carthaginiensibus vi captum atque deletum est: omniaque, quae ornamento urbi esse possent, Carthaginem sunt ex illo loco deportata. Fuit apud Segestanos ex aere Dianae simulacrum, cum summa atque antiquissima praeditum religione, tum singulari opere artificioque perfectum. Hoc translatum Carthaginem locum tantum hominesque mutarat, religionem quidem pristinam servabat: nam propter eximiam pulchritudinem etiam hostibus digna quam sanctissime colerent
73 videbatur. Aliquot saeculis post P. Scipio bello Punico tertio Carthaginem cepit: qua in victoria (videte hominis virtutem et diligentiam, ut et domesticis praeclarissimae virtutis exemplis gaudeatis, et eo maiore odio dignam istius incredibilem audaciam iudicetis) convocatis Siculis omnibus, quod diutissime saepissimeque Siciliam vexatam a Carthaginiensibus esse cognorat, iubet omnia conquiri: pollicetur, sibi magnae

---

§. 72. *Dianae simulacrum cum]* Stephanum in eo secuti sunt reliqui, quod *cum* dederunt, pro quo olim fuit *tum*, quamquam hoc etiam in Guelff. est, nec *cum* certos auctores habet praeter Erfurt. et Lag. 29. Sed verborum collocationem, quam idem Stephanus de consensu omnium meliorum instituit, ne Lambinus quidem in editionem recepit, in marg. autem habet. Est enim vulgo *simul. Dianae*. Mox *servabat* scripsi e Lambini vet. cod. et Guelff. Editur vulgo *conservabat*, quod miror in Erfurt. et coll. Havn. fere cum Guelff. facientibus esse. Ad usum sermonis perinde est. Sed miramurne quod dixit *digna* de ipsa dea, quod debebat esse *dignum*, de simulacro? Etiam infra §. 74 a simulacro transit ad personam. Nemo certe ausit cum Herelio scribere *dea digna*. Sed ex hoc genere pleraeque omnes illius coniecturae sunt.

§. 73. *esse cognorat] Esse* vulgo omittitur, sed editum est a Steph. et Lambino, quibus favent tres libri meliores nostri cum Lag. 29 et Havn. coll. Secundum eosdem codices *cognorat* primus edidit Hervagius (non qui Victorianam sive Iuntinam Venetam eiusdem anni curavit) secutique sunt reliqui. Antea e deterioribus *noverat*. Tum *pollicetur sibi* Hervag. Steph. Lambinus rel. Altera classis *sibi pollicetur*.

curae fore, ut omnia civitatibus, quae cuiusque fuissent, restituerentur. Tum illa, quae quondam erant Himera sublata, de quibus ante dixi, Thermitanis sunt reddita: tum alia Gelensibus, alia Agrigentinis: in quibus etiam ille nobilis taurus, quem crudelissimus omnium tyrannorum Phalaris habuisse dicitur, quo vivos supplicii causa demittere homines, et subiicere flammam solebat. Quem taurum cum Scipio redderet Agrigentinis, dixisse dicitur, aequum esse illos cogitare, utrum esset Agrigentinis utilius, suisne servire, anne populo Romano obtemperare; cum idem monumentum et domesticae crudelitatis et nostrae mansuetudinis haberent. Illo tempore Segestanis maxima cum 34
cura haec ipsa Diana, de qua dicimus, redditur: re- 74
portatur Segestam: in suis antiquis sedibus summa cum gratulatione civium et laetitia reponitur. Haec

---

§. 73. *quae cuiusque fuissent]* Male et contra sermonis leges Guelf. 1 *quae cuiuscunque fuissent*, certe *quae* abesse debebat.

erant Himera sublata] Vulgo *fuerant* contra nostros et Lambini codices. De Himera cf. II, 35. Mox *antea* vulgo: *ante*, ut fere solet orator, (cf. ad §. 48.) Guelf. 1. — *et subiicere flammam solebat]* Subintelligendum videtur, non orationi Ciceronis inserendum, quod quidem Lambinus fecit, *cui subiicere flammam solebat*, e praegresso *quo*. — *cum Scipio]* Sic Guelff. Erfurt. Havn. Vulgo *Scipio cum*.

utrum esset Agrigentinis utilius] Vulgo *Siculis*, quasi illa res ad omnes pertinuerit. Nos secuti sumus Stephani et Lambini codices, Guelff. Erf. Leid. Havn. Garatonii quidem suspicio, utrumque verbum ab interpolatoribus additum videri, nimium late patet: quae enim ista sententia generalis? Ceterum proprietatem verborum observa, nam *servimus* domino et tyranno, *obedimus* imperatori, *paremus* superiori dignitate et auctoritate, *obtemperamus* sociis et amicis, sive servimus dominanti, obedimus imperanti, paremus iubenti, obtemperamus volenti. Tum *anne* pro vulg. *an* e vet. cod. Lambini et reliquis melioribus scripsimus: Guelf. 1 cum vulgaribus facit. Nihil interest; nam si quis existimet, *anne* non dici, nisi si prius membrum interrogandi particulam non habeat: solet illud quidem plerumque esse, verum sicut hoc loco, in Orat. 61 est: *quaerendum utrum una species et longitudo sit earum*, *anne plures*.

erat posita Segestae sane excelsa in basi, in qua grandibus litteris P. Africani nomen erat incisum, eumque Carthagine capta restituisse perscriptum. Colebatur a civibus: ab omnibus advenis visebatur: cum quaestor essem, nihil mihi ab illis est demonstratum prius. Erat admodum amplum et excelsum signum cum stola: verumtamen inerat in illa magnitudine aetas atque habitus virginalis. Sagittae pendebant ab humero: sinistra manu retinebat arcum: dextra ardentem facem praeferebat.
75 Hanc cum iste sacrorum omnium et religionum hostis praedoque vidisset, quasi illa ipsa face percussus esset, ita flagrare cupiditate atque amentia coepit. Imperat magistratibus, ut eam demoliantur, et sibi dent: nihil sibi gratius ostendit futurum. Illi vero di-

---

§. 74. *sane excelsa in basi]* Guelf. 1 mendose *celsa*, nam *celsus* apud prosarios non dicitur pro eo quod est altus, sed quod est erectus.

nihil mihi ab illis est demonstratum prius] Cod. Ursini *demonstratum antiquius*, quod sic Latine non dicitur: falsa imitatio est locutionis *nihil antiquius habere.* — *signum cum stola]* Non igitur tunicatum et alte cinctum, quemadmodum a recentioribus fere artificibus Diana venatrix (χιτώνη) fingi solebat. Tum *sinistra manu retinebat.* Quis? signum illud Dianae, puta, sive ipsa potius dea. Sed vulgares codd. nonnulli (constat de Franc. et Huydec. et Lagom. 5. 48) et edd. vett. *manus* exhibent. Verum a Naugerio primo restitutum est.

§. 75. *iste sacrorum omnium et religionum hostis praedoque]* Sic magno consensu Guelff. Erf. Lag. 29 et Stephani Lambinique cod. vet. cum Havn. coll. Deteriores et adhuc editi *sacrorum omnium hostis, religionumque praedo*, quasi discrimen sit, non copia oratoria. Sic *hostis praedoque* II, 6. §. 17. — *illa ipsa face]* Sic aut *ipsa illa face* legatur per libros mss. licet: nos librorum meliorum consensum ipsumque adeo usum dicendi secuti sumus. Verum editiones principes *ipse illa* contra libros, donec Naugerius restituit *ipsa illa.* Hunc denuo deseruit Gruterus *illa ipse* scribens, item contra libros. Nec opus est Verris personam exprimi, facis naturam significari ἐναργῶς. *Percussus* in codd. quibus nos utimur omnibus est. Unus Lag. 29 *repercussus.* Post Ernestius *iste*, quod vulgo post verbum *magistratibus* legebatur, recte unius Guelf. 2 auctoritate usus delevit. Sed iam reliqui boni accedunt, Guelf. 1 Erf. Havn. coll.

cere, sibi id nefas esse: seseque cum summa religione, tum summo metu legum et iudiciorum teneri. Iste tum petere ab eis, tum minari, tum spem, tum metum ostendere. Opponebant illi nomen interdum P. Africani: populi Romani illud esse dicebant: nihil se in eo potestatis habere, quod imperator clarissimus, urbe hostium capta, monumentum victoriae populi Romani esse voluisset. Cum iste nihilo remissius atque 76
etiam multo vehementius instaret cotidie: res agitur in senatu. Vehementer ab omnibus reclamatur. Itaque illo tempore ac primo istius adventu pernegatur. Postea, quicquid erat oneris in nautis remigibusque exigendis, in frumento imperando, Segestanis praeter ceteros imponebat aliquanto amplius, quam ferre possent. Praeterea magistratus eorum evocabat: optimum quemque et nobilissimum ad se arcessebat: circum omnia pro-

---

§. 75. *sibi id nefas esse: seseque]* Sic Erfurt. et Havn. coll. et sero vidi etiam in Guelff. esse. Vulgo *id sibi nefas esse, seque.* Demonstrant magistratus, non suam esse rem, a senatu petere Verrem debere: hoc efficitur et ordine verborum et fortiore pronomine.

tum petere ab eis] Sic pro vulg. *illis* Guelff. Erf. et v. c. Lambini, sed quod ex eodem Lambiniano (et in Havn. coll.) notatur *cum petere*, mendum habendum est. In Erf. praeterea *minitari* pro *minari.*

Opponebant illi nomen interdum P. Africani: populi Rom. illud esse dicebant] Sic ipsam manum auctoris restitutam puto codd. meliorum tum eorum, qui olim collati sunt, tum meorum trium (duorum Guelff. unius Erf.) auctoritate. Vulgo legitur *opponebant illi interdum nomen Africani, donum populi Rom.* cet., sed praenomen quidem iam Lambinus et Graevius adiecerant. Vox autem *donum* (quamquam Lambinus de suis codd. annotare oblitus est) manifesto interpretandi conatum prodit; neque enim illi donatam sibi statuam esse Verri enarrare opus habebant, sed hac praecipue re nitebantur, non amplius illam suam esse, sed ipsius populi Rom. cuius in basi nomen legeretur. Sic cap. 41 Mercurius Tyndaritanus publicum populi Rom. signum vocatur. — *monumentum victoriae populi Romani]* Voces duas postremas in codice Hittorp. deesse annotaverat Gulielmus, id quod de Erfurt. confirmo, neque tamen idcirco sicut ille damnarim.

§. 76. *optimum quemque et nobilissimum]* Sic pro olim vulgato *optimum et nobilissimum quemque* secundum Lambini vet. cod. ce-

vinciae fora rapiebat: singillatim unicuique calamitati fore se denuntiabat: universis se funditus eversurum esse illam civitatem minabatur. Itaque aliquando multis malis magnoque metu victi Segestani praetoris imperio parendum esse decreverunt. Magno cum luctu et gemitu totius civitatis, multis cum lacrimis et lamentationibus virorum mulierumque omnium, simulacrum Dianae tollendum locatur. Videte quanta reli-
77 gio fuerit apud Segestanos: repertum esse, iudices, scitote neminem, neque liberum, neque servum, neque civem, neque peregrinum, qui illud signum auderet attingere. Barbaros quosdam Lilybaeo scitote adductos esse operarios. Hi denique illud, ignari totius nego-

---

terosque meliores Gruterus tacite edidit, secutique sunt reliqui. *Fora* dicit oppida in quibus conventus iuridici agebantur. Cf. ad V, 11 §. 28. Sed codices deteriores Oxon. Huyd. Lag. praeter 29 omnes et edd. vetustae *loca*. — *universis se funditus eversurum esse illam civit. minabatur]* *Universis* dudum ediderat Stephan. cum Lambino, idque in Cuiaciano et Hittorp. (Erf.) a se inventum Gulielmus probarat, nemo tamen posthac praeter Garatonium recipiendum censuit, qui quidem recte ostendit, respondere praegressis *singillatim unicuique*. Iam accedunt illis libris etiam Guelf. ambo. Quod Gruterus legendum coniecerat *universim*, apud Ciceronem sordet. Verum alio etiam ordine Steph. Lamb. cum Havn. coll. et codice Erf. *evers. esse illam*, cum vulgo sit *illam eversurum esse*. Guelf. 1 *evers. illam* omisso *esse*, alter *esse evers. illam*. Itaque nunc illos secuti sumus.

et lamentationibus] Adhuc editi *et lamentatione*, nec quicquam apud Lambinum. Sed parendum consensui Erf. Havn. coll. utriusque Guelf., etiam convenientiae cuidam verborum.

§. 77. *Videte quanta religio fuerit apud Segestanos]* Vulgo legitur *quanta religione fuerit*, et interpungitur fere post ea verba. Verum codices meliores omnes *religio*, neque dubium esse potest quin oratio continuanda sit longius. Nam qui periodum incipit verbis *apud Segestanos* ostendit iam, apud alios inventos esse, qui signum tollerent, quod melius incertum aliquamdiu relinquitur. Sed ipsa res satis loquitur. In Guelff. autem (quod contra Ernestium dictum sit) nulla interpunctio est. — *scitote adductos esse]* *Adductos* pro vulg. *advocatos* recepit Ernestius e Guelf. (2) et mstis quibusdam, ut ipse ait, id est omnibus quicunque apud Steph. Lamb. Grut. Graevium optimi fuerunt, et miror etiam Huydecop. cum iis facere. *Adduci* homines di-

tii ac religionis, mercede accepta, sustulerunt: quod cum ex oppido exportabatur, quem conventum mulierum factum esse arbitramini? quem fletum maiorum natu? quorum nonnulli etiam illum diem memoria tenebant, cum illa eadem Diana Segestam Carthagine revecta victoriam populi Romani reditu suo nuntiasset. Quam dissimilis hic dies illi tempori videbatur! Tum imperator populi Romani, vir clarissimus, deos patrios reportabat Segestanis, ex urbe hostium recuperatos: nunc ex urbe sociorum praetor eiusdem populi turpissimus atque impurissimus eosdem illos deos nefario scelere auferebat. Quid hoc tota Sicilia est clarius, quam omnes Segestae matronas et virgines convenisse, cum Diana exportaretur ex oppido? unxisse unguentis? complesse coronis et floribus? ture, odoribus in-

---

cuntur cum contemptu, tamquam pecudes ratione non utentes: et *barbari* appellantur, quod ea pars Siciliae Graecis coloniis non frequentata veteribus Sicanis colonisque Poenis relicta est, vide Thucydidem libro VI pr. *Scitote* cum vi quadam repetitur neque facile abiiciendum, ut Gruterus interpolato codici suo obtemperans censuit.

quod cum ex oppido exportabatur] Vulgo *exportaretur*, quod non condemno: verum Indicativus, quem Stephani codex in varietate lectionis et Guelff. Erf. Havn. coll. exhibent, recepitque in editione Lambinus, nihilo deterior, immo describendae rei aptior est.

praetor eiusdem populi turpissimus] Sic edd. vett. inde ab Aldina: in antiquioribus addebatur *populi Romani*, et partim (Venet. 1498 Ascens.) pro *eiusdem* ex nonnullis deterioribus libris (Huyd. Lag. 5. 14. 27) *equidem* mendose legebatur. Graevius *praetor pop. Rom.* revocavit. Sunt etiam h. l. varietates codicum in notis, sed tamen nullus meliorum post *populi* quicquam habet, et satis videtur esse *eiusdem*.

Quid hoc tota Sicilia est clarius, quam omnes Segestae matronas cet.] *Hoc* sequente *quam* etiam aliis tribus apud Ciceronem locis abundare Schellerus docuit in Observationibus p. 69, ad Att. IV, 8 med. de Orat. I, 37 §. 169, de Divin. I, 39 extr. non opus igitur esse ut aut *hoc* (quod fecit Lambinus) aut *quam* omittatur. Deinde *Segestae* edidi pro vulg. *Segestanas* Guelff. libros et Erf. secutus, nec aliud inventum puto in Cuiaciano, in quo et in Hittorp. (quod falsum) *Segestanae* Gulielmus (in indice var. lectt.) legi notavit. Etiam Havn. coll. *Segestae*.

78 censis usque ad agri fines prosecutas esse? Hanc tu tantam religionem si tum in imperio propter cupiditatem atque audaciam non pertimescebas: ne nunc quidem, in tanto tuo tuorumque liberorum periculo, perhorrescis? Quem tibi aut hominem, invitis diis immortalibus, aut vero deum, tantis eorum religionibus violatis, auxilio futurum putas? Tibi illa Diana in pace atque in otio religionem nullam attulit? quae cum duas urbes, in quibus locata fuerat, captas incensasque vidisset, bis ex duorum bellorum flamma ferroque servata est; quae Carthaginiensium victoria, loco mutato, religionem tamen non amisit, P. Africani virtute religionem simul cum loco recuperavit. Quo quidem scelere suscepto, cum inanis esset basis, et in ea P. Africani nomen incisum: res indigna atque intoleranda videbatur omnibus, non solum religiones esse violatas, verum etiam P. Africani, viri fortissimi, rerum gestarum gloriam, memoriam virtutis, monumenta victoriae,
79 C. Verrem sustulisse. Quod cum isti renuntiaretur de basi ac litteris, existimavit homines in oblivionem totius negotii esse venturos, si etiam basim, tamquam indicem sui sceleris, sustulisset. Itaque tollendam

---

§. 77. *ture, odoribus incensis]* Vulgo *odoribusque*. Sed non insolitum est in oratione Latina, ubi alterum verbum altero explicatur, ἀσυνδέτως ponere. Sic I, 30 extr. *spoliatum auxiliis pecunia.* Epist. III, 8 pr. *me vultu taciturnitate significasse, tibi non esse amicum.* Epist. XIII, 24 extr. *ut eum tuis officiis liberalitate complectare.* Multo etiam saepius ubi per affectum verba cumulantur, cf. ad lib. II extr. et V, 65 extr. quod ne ab huius quidem loci ratione abest. Itaque meliores codices Guelff. Erf. Lambini vet. in marg. cum Havn. coll. deserendos non putavi, et aegre fero in minore editione nostra vulgatam me nolente irrepsisse.

§. 78. *tuo tuorumque liberorum]* e Guelff. duo scripsi pro vulg. *liberorumque tuorum:* hoc tamen defenditur Erf. auctoritate et silentio coll. Havn.

§. 79. *basim]* Unus Lag. 29 *basin.* Cf. ad II, 66 §. 160.

istius imperio locaverunt: quae vobis locatio ex publicis litteris Segestanorum priore actione recitata est.

Te nunc, P. Scipio, te, inquam, lectissimum ornatissimumque adolescentem appello: abs te officium tuum, debitum generi et nomini, requiro et flagito. Cur pro isto, qui laudem honoremque tuum familiaeque tuae depeculatus est, pugnas? cur eum defensum esse vis? cur ego tuas partes suscipio? cur tuum munus sustineo? Cur M. Tullius P. Africani monumenta requirit: P. Scipio eum, qui illa sustulit, defendit? Cum mos a maioribus traditus sit, ut monumenta maiorum ita suorum quisque defendat, ut ne ornari quidem nomine alieno sinat: tu isti aderis, qui non obstruxit ali- 36

§. 79. *litteris Segestan.]* Sic Lambini vet. cod. cum Havn. coll. Guelff. Lag. 29. Reliqui mss. cum editis *Seg. litteris.*

P. Scipio] Nasica, idemque Metellus Pius, adoptatus a Numidici Pio filio, postea socer Cn. Pompeii et Cos. a. 702 u. c. 52 ante Chr. nat. Vide stemmata affinium domorum apud Wetzelium in excursu ad Cic. Catonem maiorem. Advocatum Verris tum fuisse patet. *Debitum* ait, i. e. quod debes, sive quod a te debetur. — *honoremque tuum familiaeque tuae]* Sic olim notatur a Fulvio Ursino et a Lambino inventum esse in codicibus suis, nosque in Guelferbytanis invenimus. Havn. coll. silet. Vulgo legitur *qui laudem honoremque familiae vestrae depeculatus est:* sed iure quaeras cur *vestrae*, cum unum Scipionem alloquatur. *Depeculatus est* paulo insolentius, sed tamen significanter translatum, pro eo quod est *imminuit.*

tuum munus sustineo] *Onus* vulgo, parum honeste. Nam illud *onus* certe non debet videri, et re vera *munus* familiae Scipionum proprium est. Itaque inseq. cap. *succedam ego vicarius muneri tuo.* Hoc autem loco *munus* a Stephano et Lambino editum est e codd. ipsorum et secundum Guelff. et coll. Havn. Sed paulo post miror cur Lambinus non etiam *Cur* ante *M. Tullius* adiecerit, quod iidem mss. exhibent. Interrogando enim pergit orator, aliquanto post demum orationem ita convertens, ut se iam illam rem suscepturum dicat.

ita suorum quisque defendat, ut rel.] Lambinus edidit *maiorum suorum ita quisque*, omissa dividendi ratione, quae propria est pronomini *quisque.* Sed nos *ea* sustulimus, quod vulgo est in his, *ut ea ne ornari quidem*, iussu Guelff. librorum (silente Havn. coll.) Tum hi et Lag. 29 *nomine aliorum*, Lag. 42 *nomine alio:* nobis *alieno* satis placebat, et requirebamus aut *nominibus aliorum* aut *nomine alterius.*

qua ex parte monumentum P. Scipionis, sed id funditus
80 delevit ac sustulit? Quisnam igitur, per deos immortales! tuebitur P. Scipionis memoriam mortui, quis monumenta atque indicia virtutis, si tu ea relinques aut deseres, nec solum spoliata illa patiere, sed etiam eorum spoliatorem vexatoremque defendes? Adsunt Segestani, clientes tui, socii populi Romani atque amici: certiorem te faciunt, P. Africanum, Carthagine deleta,

---

Sed *obstruxit*, quod sequitur, restitui iussit e vet. cod. in margine repet. Lambinus, cum in vulgaribus libris et mss. et editis esset *obtrusit*, ipseque in priore editione de coniectura Hotomani edidisset *obtrivit*, Stephanus autem haberet *obruit*. Cum Lambiniano libro postea conspirare inventi sunt reliqui boni, Cuiacianus Gulielmi, Regius Graevii, Guelf. Ernestii, cumque omnibus ea scriptura placuerit, mirari subit, cur nemo recipere ausus sit. Puto autem eos paululum etiam dubitasse de constructione. Nam accusativus alibi est eius rei, quae, cum natura sua pervia sit, struendo intercluditur, sicut *obstruere viam*, *portam*, *flumen*, *aures* dicimus: hoc autem loco omnes intelligimus *obstruere* esse novo opere struendo rei nocere, quod eius conspectum aut aditum adimas, qua significatione videtur requiri dativus, sicut notum est *obstruere luminibus*. Ac vulgo quidem legitur *monumenta*, Guelff. autem, quod olim neglexeram, *monumentū* habent. Havn. coll. *monumentū*: singularem numerum facile probabis, sed haud scio an etiam *monumento* legendum existimes, praesertim cum in illis libris et in Leid. mox plenius legatur *sed id delevit*, quod pronomen cum vulgo absit requiritur, si diversus casus antecesserit, abundat si accusativus fuerit. Interim ego a codicum scriptura discedere nolui. Ordinem verborum *funditus delevit ac sustulit* Steph. Lamb. ex codicibus melioribus restituerunt: vulgo *funditus sustulit ac delevit*.

§. 80. *relinques aut deseres* cet.] In temporibus verborum codices mss. discrepant: vulgares priora praesentia, *relinquis ac deseris*, posteriora futura exhibent, *patiere — defendes*: Havn. coll. *relinques aut deseres*, Guelff. *relinquis aut deseres*, ac deinde *patieris — defendis*. Nos Lambinum et Ernestium secuti utrobique futura dedimus, tantum quod *aut* non omisimus. Neque enim illa inanis verborum cumulatio: *relinquit* enim simpliciter qui rem non tuetur, *deserit* cum culpa, cum tueri et possit et debeat, atque eam rem esse iam explicat ipse orator. Succedit igitur alterum in alterius locum, et *aut* idem fere est quod *aut potius*. Cf. nunc Ferd. Handium in Tursellino p. 539. Porro *nec* pro vulg. *neque* Guelff. Havn. et Lambinus in margine, Leid. *non*.

simulacrum Dianae maioribus suis restituisse; idque apud Segestanos eius imperatoris nomine positum ac dedicatum fuisse; hoc Verrem demoliendum et asportandum, nomenque omnino P. Scipionis delendum tollendumque curasse: orant te atque obsecrant, ut sibi religionem, generi tuo laudem gloriamque restituas, ut, quod per P. Africanum ex urbe hostium recuperarint, id per te ex praedonis domo conservare possint. Quid 37
aut tu his respondere honeste potes, aut illi facere, nisi ut te ac fidem tuam implorent? Adsunt et implorant. Potes domesticae laudis amplitudinem, Scipio, tueri: potes: omnia sunt in te, quae aut fortuna hominibus aut natura largitur: non praecerpo fructum officii tui: non alienam mihi laudem appeto: non est pudoris mei, P. Scipione, florentissimo adolescente, vivo et incolumi, me propugnatorem P. Scipionis defensoremque profiteri. Quamobrem si suscipis dome- 81
sticae laudis patrocinium, me non solum silere de vestris monumentis oportebit, sed etiam laetari, P. Africani eiusmodi fortunam esse mortui, ut eius honos ab

---

§. 80. *quod per P. Africanum ex urbe hostium]* Sic edd. Stephani et Lambini codicesque Guelff. Lag. 29 alii. Vulgo *quod ex urbe hostium per P. Africanum.*

Quid aut tu] *Tu* adiecerant Stephanus et Lambinus, ex codicibus, revocavitque Ernestius. Guelf. tamen prior *quid autem tu*, alter *quid autem cum.* Mox *omnia sunt in te* Lambinus in margine et libri Guelff. Havn. Vulgo *omnia in te sunt.* — *me propugnatorem P. Scipionis]* Eieci additamentum vulgarium codd. editionumque omnium *monumentorum P. Scipionis*, quia abest a Guelff. Leid. Lambini vet. cod. Havn. collatione. Quidni Cicero hoc etiam loco ipsius Scipionis se defensorem appellet, cum paulo post illum virum, non eius monumenta, omnibus Romanis commendatum esse dicat?

§. 81. *sed etiam laetari, P. Africani eiusmodi fortunam esse mortui]* Lambini vet. cod. et ambo Guelf. *sed et laetari*, quibus reliquorum silentium iure opponitur. Sed in eadem periodo vulgo male legitur *eiusmodi esse fortunas mortui*, quod iam Lambinus in edit. consentientibus libris Guelff. Leid. et Havn. coll. correxit. Nam quam-

his, qui ex eadem familia sunt, defendatur, neque ullum adventicium auxilium requiratur. Sin istius amicitia te impediet, si hoc, quod ego abs te postulo, minus ad officium tuum pertinere arbitrabere: succedam ego vicarius tuo muneri; suscipiam partes, quas alienas esse arbitrabar. Deinde ista praeclara nobilitas de-

---

vis sint nonnulli loci, quibus *fortunas* etiam a Cicerone pro *fortuna* dici probari queat, (nam de Terentio constat: vide Ruhnk. ad Andr. I, 1, 70) sicut contra *fortunam* pro facultatibus et re familiari (v. c. pro Sulla 23 §. 66. Phil. I, 8 §. 20): tamen hi et pauci sunt, nec prohibere debent, quominus meliorum codicum fidem sequamur.

qui ex eadem familia sunt] Sic Guelff. et vet. cod. Lambini (non coll. Havn.) editi et mss. vulgares plerique *ab iis*, *qui* — *sint*. Certi homines intelliguntur, non qui quoque tempore sunt. Tum Lambiniana editio et meliores *auxilium requiratur*, vulgares inverso ordine. — *Sin istius amicitia] Sin* primus Stephanus, deinde reliqui. Deteriores *si*. Deinde Guelf. 2 et Havn. coll. *impedit* — *arbitrabere*, Guelf. 1 verbis *te impediet* omissis, *arbitrare*. Componere poteris, si placet. Tum *ego* a nobis adiectum est, in ceteris non legitur, sed voluit adiici Lambinus in margine repet. editionis, et Guelff. Lag. 29 Havn. coll. habent. — *Deinde ista praeclara]* Editur vulgo *nae ista* rel. et locum recte constitutum putabamus, reminiscentes illud *Tantae molis erat*. Nam codices plerique *ne*, et mirum est quantum veteres interpretes laborarint, cum in mentem non veniret illud esse adverbium confirmans, quod hodie inducto discrimine ab altero *ne* dehortante diphthongo scribi solet. Quod discrimen num esse debeat longa quaestio, vide Orthographiam Harlesianam sub ea voce, et cuius commemoratio non omittenda erat, Faernum ad prologum Andriae Terent. vs. 17: sed institutum utile est haud dubie. Itaque iam non opus est, ut cum Hotomano *ne* ironice dictum pro *ut* accipiamus, aut id ipsum scribamus, aut *dummodo* cum Ursino corrigamus: Ernestius primus *nae* scripserat locumque a coniecturis vindicasse videbatur. Sed fides tamen postulat, ut scripturam Guelff. librorum, quorum alterum hoc loco Ernestius nihil aliud nisi valde vitiosum esse dicit, denuo exploremus. Ille igitur Guelf. 2 *de l. m. de ista*, Guelf. 1 *del.* (vacuo spatio aliquot litterarum relicto) *de ista*, Havn. coll. *de L̄. N̄. de ista*; has notas, cum primum textum recenserem, omiseram, quoniam redire videbantur ad nobile illud N. L. Nunc autem vere explico e libro, cui alibi non valde fido, quippe infideli quamvis ex fidelissimis ducto, Lag. 29: is *deinde* clare exhibet. Nec quicquam video melius, quo fides integerrimorum librorum cum veritate reconcilietur. Nam vulgares libri, si quid corrigunt, tam verecundi non sunt.

sinat queri, populum Romanum hominibus novis industriis libenter honores mandare, semperque mandasse. Non est querendum, in hac civitate, quae propter virtutem omnibus nationibus imperat, virtutem plurimum posse. Sit apud alios imago P. Africani; ornentur alii mortui virtute ac nomine: talis ille vir fuit, ita de populo Romano meritus est, ut non uni familiae, sed universae civitati commendatus esse debeat. Est aliqua mea pars virilis, quod eius civitatis sum, quam ille claram, amplam, illustremque reddidit; praecipue quod in his rebus pro mea parte versor, quarum ille princeps fuit, aequitate, industria, temperantia, defensione miserorum, odio improborum: quae cognatio studiorum et artium propemodum non minus est coniuncta, quam ista, qua vos delectamini, generis et nominis.

---

§. 81. *hominibus novis industriis]* Sic Lambinus edidit et est in Cuiaciano apud Gruterum, utroque Guelf. Havn. coll., alterius sectae auctoribus et reliquis editoribus duo adiectiva sine copula posita displicuerunt, itaque vulgo editur *novis atque industriis.* Sed eius generis exemplorum largam copiam e Livio attulit Drakenb. ad I, 14, 7, quibus hoc quidem loco ne uti quidem velim, quandoquidem *homines novi* coniuncte dicuntur. Mox *in hac civitate* ediderunt Steph. et Lambinus e codd. quibuscum Havn. coll. et Guelf. 2 facit, in priore ea verba exciderunt. Vulgo *in ea civitate.*

quam ille claram, amplam illustremque reddidit] Sic ambo Guelf. Vulgo *amplam, illustrem, claramque.* — *quod in his rebus pro mea parte versor] Rebus* edidi pro vulgato *artibus*, primum constantiae causa, nam sic habet Stephani cod. in var. lect. Leid. Regius apud Graevium, uterque Guelf. Deinde videntur *artes* e proximo, ubi est *cognatio studiorum et artium*, huc relatae esse. Eas quidem esse virtutes, vel generalius etiam, quas nos dicimus *Eigenschaften*, satis constat. Cf. p. lege Manil. c. 13. Verum num satis apte *versari* in his ingenii artibus dicatur, id dubito.

non minus est coniuncta] i. e. arta. Sic in epist. III, 10 ad fin. *quae fuit unquam amicitia consularium in nostra civitate coniunctior?* Sed iuvat hoc loco meminisse quae Aristoteles Rhet. II, 24 ex Iphicratis oratione ad populum Atheniensem habita, de Harmodii posteris servavit, quae eiusdem fere sententiae sunt. Lege Mureti Var. Lectt. lib. VIII, 22.

38 Repeto abs te, Verres, monumentum P. Africani:
82 causam Siculorum, quam suscepi, relinquo; iudicium de pecuniis repetundis ne sit hoc tempore; Segestanorum iniuriae negligantur: basis P. Scipionis restituatur; nomen invicti imperatoris incidatur, signum pulcherrimum Carthagine captum reponatur. Haec abs te non Siculorum defensor, non tuus accusator, non Segestani postulant: sed is, qui laudem gloriamque P. Africani tuendam conservandamque suscepit. Non vereor, ne hoc officium meum P. Servilio iudici non probem; qui cum res maximas gesserit, monumentaque suarum rerum gestarum cummaxime constituat, at-

---

§. 82. *iudicium de pecuniis repetundis]* Ambo Guelf. inverso ordine *de repetundis pecuniis.* — *basis P. Scipionis restituatur]* Sic iidem libri, sed adiuti a Regio et Lag. 29 pro vulg. *P. Africani.* Post paulo *invicti* iam restituit Ernestius e Lambini v. c., Regio, Guelff. pro superlativo gradu *invictissimi*, quo adhuc Plautus solus in milite glorioso comice usus est. — *Carthagine captum reponatur]* *Captum* facile h. l. *receptum* explicare poteris. Sed P. Manutius in edit. 1559 et Lambinus ex Holomani sententia scripserunt *Carthagine capta recuperatum*, nimis copiose seu potius verbose: quodque Lambinus scribit in duobus codd. suis esse *captum recuptum*, unde Beckius fecit *capta receptum*, id in alio nullo libro inventum est, praeterquam quod in Lag. 29 *capta* est pro *captum.*

monumentaque suarum rerum gestarum cummaxime] *Gestarum* addi voluit Lambinus in margine, et addidit Graevius e Regio (addicentibus Guelff.), nec potest abesse. Certe deberet *rerum suarum*, quod quamvis sit in Ernestiana editione, non habet tamen auctoritatem a codd. mss. Illa autem reprehensio Ernestii, non *suarum* sed *a se gestarum* dicendum fuisse, vana est. Nam ut *alicuius res gestae* dicuntur, ex. gr. supra III, 35, §. 81, sic *tuae res gestae* pro Deiot. 4. et saepius p. Marcello, c. 2. 8. 9. *de rebus gestis suis* Brut. 35. *Cummaxime*, quoniam divisis verbis scribebatur, Naugerium ita offendit ut *cum*, quippe quod iam praecessisset, deleret, scriberetque simpliciter *maxime*, eaque lectio in editionibus mediae aetatis omnibus usque ad Gruterum mansit. Lambinus in marg. (et ambo Guelf.) *quam maxime*, Cuiacianus apud Gruterum *cum quam maxime*, mendose, at liber Fulvii Ursini corrupte *nunc maxime*. *Cummaxime*, ubi adverbialiter ponitur, praesentis temporis aut infiniti est, ut ubi praesentis expressa significatione opus est, adiungat sibi *nunc: nunc cumma-*

que in iis elaboret: profecto volet haec non solum suis posteris, verum etiam omnibus viris fortibus et bonis civibus defendenda, non spolianda improbis tradere. Non vereor, ne tibi, Q. Catule, displiceat, cuius amplissimum in orbe terrarum clarissimumque monumentum est, quam plurimos esse custodes monumentorum, et putare omnes bonos alienae gloriae defensionem ad officium suum pertinere. Equidem ceteris istius fur- 83
tis atque flagitiis ita moveor, ut ea reprehendenda

---

xime, *jetzt gerade*. Cf. Heusing. ad Cic. de Off. 1, 13 extr. Sed de praeterito dicendum *tummaxime*. Vide Drakenborchium ad Liv. XXVII, 4 et imprimis Dukerum ad Florum II, 16, 3.

in iis elaboret] Ambo Guelf. Lag. 29 *laboret;* non credo, et contra utor auctoritate collationis Havniensis, nam *laborasse* Servilium i. e. rem expedire non potuisse, alienum est a sententia. *Elaborare* est studio et labore aliquam rem efficere conari, *laborare* ob aliquam rem laborem habere. Cf. supra ad I, 1. Ceterum Guelff. *hiis*, vulgo *his*, Havn. coll. *iis*. — *amplissimum in orbe terrarum]* A libris Guelff. et coll. Havn. abest *in*, nec dubium quin etiam Lambinus a suis abesse invenerit, qui in marg. repet. tamquam Ciceronis adscripserit *orbis terrarum*. Sed genitivus huic loco non aptus est; si quid mutandum, scribe ex illis libris *in orbi terrarum*, quam formam Lucretianam Charisius p. 112 e Ciceronis quoque libro V de rep. laudat. Nam *in* temere saepe et omittitur et additur, ubi *m* praecessit, sicut mox iidem illi libri *tantum imputem* pro *tantum putem* habent.

§. 83. *Equidem ceteris istius furtis — ita moveor]* Miror tamdiu relictum esse librariorum errorem, Ciceroniana oratione prorsus indignum, *et quidem — ita moveor*. Dudum Hotomanus coniecerat *equidem*, sed cum nemo praeter Lambinum secutus est, cuius auctoritatem ne quis elevari putet perpetua hominis erga Hotomanum observantia, en ego praeter Stephanianum librum veterem in variet. lect. Guelff. et Lag. 29 testimonium affero, in quibus *equidem* perspicue legitur. Opponitur Ciceronis persona illis *bonis omnibus*, qui ante nominantur. *Et quidem* non dicitur nisi ubi novum aliquid additur, quo quod praecesserit aut augeatur aut corrigatur, hic autem nihil novi additur, sed cum antea dixerit, omnes bonos magnorum virorum gloriam tamquam suam rem tueri debere, se quidem prorsus eum habere animum confirmat. Quam saepe etiam in bonis libris *et quidem* et *equidem* confundantur, vide apud Drakenb. ad Liv. VI, 54 init. quo loco *equidem* unice verum est, quamvis oratio ἀνακόλουθος fiat. Apud Ciceronem quidem, qui *equidem* non absolute tamquam adver-

tantum putem: hic vero tanto dolore afficior, ut nihil mihi indignius, nihil minus ferendum esse videatur. Verres Africani monumentis domum suam, plenam stupri, plenam flagitii, plenam dedecoris, ornabit? Verres temperatissimi sanctissimique viri monumentum, Dianae simulacrum virginis, in ea domo collocabit, in qua semper meretricum lenonumque flagitia versantur?

39 At hoc solum Africani monumentum violasti.
84 Quid? a Tyndaritanis non eiusdem Scipionis beneficio positum simulacrum Mercurii, pulcherrime factum, sustulisti? At quemadmodum, dii immortales! quam audacter! quam libidinose! quam impudenter! Audistis nuper dicere legatos Tyndaritanos, homines honestissimos ac principes civitatis, Mercurium, qui sacris anniversariis apud eos ac summa religione coleretur, quem P. Africanus, Carthagine capta, Tynda-

---

bium confirmativum ponere, sed vim pronominis primae personae servare solet, (cf. Heus. ad Off. I, 12 init.) minus quid quoque loco verum sit, dubitatur.

ut nihil mihi indignius, nihil minus ferendum esse videatur] Sic e codice Regio edidit Graevius, sed multo ante eum Stephanus et Lambinus, nisi quod ambo *esse* omittunt, in ea re proximos editores non codices secuti, et Lambinus *mi* pro *mihi* scripsit, e codice suo, id quod nunc excerpta Havn. ostendunt. Guelferbytani cum Graeviana scriptura consentiunt. In ceteris edd. et codd. deterioris ordinis verba *nihil minus* omittuntur, eamque scripturam Ernestius ita defendit, ut diceret, Latinum esse etiam *indigne ferre*. At non invenitur *indignius ferre*, contra, qua nos edidimus ratione saepissime, et proxime quidem cap. 32 init. — *temperatissimi sanctissimique viri]* Non contemnendum videtur, quod in margine Lamb. legitur *al. temperantissimi:* nam etsi Ernestius etiam *temperatum* simpliciter sic dici annotat, ego tamen non memini *hominem temperatum* vocari, qui continens sit et alienus a libidinibus, contra modestum et ab iracundia remotum. Quodsi dixeris *moderatum* tamen eo quo hic opus sit sensu usurpari, et ad eandem rationem transduci etiam *temperatum*, non multum renitar.

§. 84. *non — sustulisti]* Unus Lag. 42 *nonne*. — *quem P. Africanus]* Deest nota praenominis in Guelf. ambobus.

ritanis non solum suae victoriae, sed etiam illorum fidei societatisque monumentum atque indicium dedisset, huius vi, scelere, imperioque esse sublatum. Qui, ut primum in illud oppidum venit, statim, tamquam ita fieri non solum oporteret, sed etiam necesse esset, tamquam hoc senatus mandasset, populus Romanus iussisset; ita continuo, signum ut demolirentur, et Messanam deportarent, imperavit. Quod cum illis, qui 85
aderant, indignum, qui audiebant, incredibile videretur: non est ab isto, primo illo adventu, perseveratum. Discedens mandat proagoro Sopatro, cuius verba audistis, ut demoliatur: cum recusaret, vehementer minatur: et statim ex illo oppido proficiscitur. Refert rem ille ad senatum: vehementer undique reclamatur. Ne multa: iterum iste ad illos aliquanto post venit, quaerit continuo de signo. Respondetur ei, senatum non permittere; poenam capitis constitutam, si iniussu

---

§. 84. *ut primum]* De abundantia hac, *ut primum — statim — continuo* in una periodo vide Garatonium ad Plancianam c. 26. Sed in eo quod est *pop. Rom. iussisset*, omisi copulam, quae vulgo adiicitur, *populusque*, iussu amborum Guelferbytanorum. Efficit enim nonnihil asyndeton.

§. 85. *et statim ex illo oppido proficiscitur]* Vulgo *ita tum ex illo* cet. sed illud in libris mss. (inter quos Stephani vetus est) legi annotavit Lambinus, improbans haud dubie, nam alioquin in textum recepisset. Nec tamen satis intelligo, cur quod praeter illos codd. in Regio Graevii et utroque Guelf. est, reiiciendum videatur, cum praesertim ad rem describendam etiam illud valeat, hominem ne quid ingratum audiret, et senatui deliberandi otium faceret, statim profectum esse. Mox *refert rem ille ad senatum* Lambinus in marg. ex vet. codice, Havn. coll. Guelf. 1: alter *refert rem esse ad sen.* Vulgo *Proagorus refert rem ad sen.* in quo facile interpretem agnoscis. Verbum illud abest item a Leid. et Lag. 29.

ad illos aliq. post] Hoc ordine verborum codices quidem mss., quibus ego utor, omnes, editi libri *aliquanto post ad illos*. Sed post Steph. et Lambinus contra codd. edidisse videbantur *nisi mihi signum traditur*, adiecto pronomine, quod melius subintelligeretur, verum extare nunc video praeter Havn. etiam in Guelf. ambobus. Itaque recepi.

senatus quisquam attigisset: simul religio commemoratur. Tum iste: Quam mihi religionem narras? quam poenam? quem senatum? vivum te non relinquam, moriere virgis, nisi mihi signum traditur. Sopater iterum flens ad senatum rem defert, istius cupiditatem minasque demonstrat. Senatus Sopatro responsum nullum dat, sed commotus perturbatusque discedit. Ille praetoris arcessitus nuntio rem demonstrat: negat ullo modo fieri posse. Atque haec (nihil enim praetermit-
86 tendum de istius impudentia videtur) agebantur in conventu, palam, de sella ac de loco superiore. Erat hiems summa, tempestas, ut ipsum Sopatrum dicere audistis, perfrigida, imber maximus: cum iste imperat lictoribus, ut Sopatrum de porticu, in qua ipse sedebat, praecipitem in forum deiiciant, nudumque constituant. Vix erat hoc plane imperatum, cum illum spo-

---

§. 85. *ad senatum rem defert]* Omittitur vulgo *rem*, adiectum a nobis meliorum librorum auctoritate, Cuiaciani apud Grut. Havn. Lambinianae edit. Guelf. prioris, nam in altero est *refert rem.* Graevius quidem simpliciter legendum censuit *ad senatum refert*, idque Ernestius probavit: sed docuit idem, cum *deferre* ad simplicem rei expositionem pertineat, *referre* ad deliberationem incipiendam, utrumque in illa re ferri posse. Quamquam quod maluit Graevius iam olim edidit P. Manutius 1559 et exhibere traditur Lag. 29.

praetoris arcessitus nuntio] *Accersitus* Lag. praeter 29 omnes sed nec Guelff. nec Regius. Porro *a praetoris nuntio* scribendum censuit Hotomanus e vet. cod., ut ait, recepitque Lambinus priore: in alterius margine non ea tamquam ipsius lectio notatur, sed, quod plus est, tamquam *vet. cod.* Sed ne quis fallatur, is videtur esse ille Hotomanianus, certe non est Lambinianus nobilis, qui fere cum Guelff. et Havn. coll. conspirat. P. Manutius 1559 *a praetore accersitus nuntio* scripsit. Quo isti corrigendi conatus pertineant, vix intelligas.

§. 86. *Vix erat hoc plane imperatum]* Parui codicum meliorum auctoritati, Lambinianorum in marg., Regii, Leid. Guelff. quod sustuli *etiam*, quod additur vulgo post *etiam*. Alioquin non displicet, auget enim, ut Germanicum *noch.* Mox vulgo *omnes ideo putabant.* Nos quod *id fore* dedimus, Lambinum et Graevium et codices modo appellatos secuti sumus.

liatum stipatumque lictoribus videres. Omnes id fore putabant, ut miser atque innocens virgis caederetur: fefellit haec homines opinio. Virgis iste caederet sine causa socium populi Romani atque amicum? Non usque eo est improbus: non omnia sunt in uno vitia: nunquam fuit crudelis. Leniter hominem clementerque accepit. Equestres sunt medio in foro Marcellorum statuae, sicut fere ceteris in oppidis Siciliae: ex quibus iste C. Marcelli statuam delegit, cuius officia in illam civitatem totamque provinciam recentissima erant et maxima. In ea Sopatrum, hominem cum domi nobilem, tum summo magistratu praeditum, divaricari ac deligari iubet. Quo cruciatu sit affectus, 87
venire in mentem necesse est omnibus, cum esset vinctus nudus in aere, in imbri, in frigore. Neque tamen finis huic iniuriae crudelitatique fiebat, donec populus et universa multitudo, atrocitate rei miseri-

---

§. 86. *est improbus*] Vulgo non legitur *est*, quod nos e Guelff. et altera classe librorum, edit. Hervag. Steph. Lambiniana, adiecimus. Neque enim abesse potest. Mox vulgo *non omnia sunt in eo uno vitia*, sed cur *in eo uno*, cum satis sit *in uno*, et debuerit *in isto?* Abest *eo* a vet. cod. Lambini et Havn. coll. et, quod nunc demum video, ab utroque Guelferbytano. Itaque sustuli de textu.

sicut fere ceteris] De Siculis Marcellorum clientibus cf. Livium lib. XXVI, 32, et de *C. Marcello* ad nostrum lib. II, 21.

cum domi nobilem, tum] Vulgo *tum* utroque loco, sed magis ad rem pertinet, quod magistratus erat. Itaque recte Stephanus et Lambinus e libris suis *cum*, et accedit Lag. 29 et Havn. collatio. Sed in hac et Guelf. 2 *domo* peccatur. — *divaricari ac deligari*] *Diligari* scripsit Lamb. e suo vet. cod. et est in Guelff. Havn. coll. Nec tamen ratio intelligitur, (cum *deligare* sit ut *devincire*,) aut ea verbi forma alibi invenitur. Ceterum utrum *in aëre* an *in aere* fuerit, quod olim dubitabatur, (et denuo dubitatur a Madvigio,) e libris mss. diiudicari non potest, ego certe puncta diaereseos, quae dicuntur, nusquam imposita vidi. Non dubito tamen quin verum sit *in aere*, nam *in aëre* non puto dici posse eos esse, qui sedent in equo, sub dio: eos vero, qui pendent circumfuso aëre. Cruciatus in eo non minor nus, quod metallum fuit, frigidius lapide aut ligno.

§. 87. *et universa multitudo*] Vulgo *atque*, sed *et* Lambini vet.

cordiaque commota, senatum clamore coegit, ut isti simulacrum illud Mercurii polliceretur. Clamabant fore, ut ipsi se dii immortales ulciscerentur: hominem interea perire innocentem non oportere. Tum frequens senatus ad istum venit: pollicetur signum. Ita Sopater de statua C. Marcelli, cum iam paene obriguisset, vix vivus aufertur.

Non possum disposite istum accusare, si cupiam: opus est non solum ingenio: verum etiam artificio quo-
41 dam singulari. Unum hoc crimen videtur esse, et a
88 me pro uno ponitur, de Mercurio Tyndaritano: plura
sunt; sed ea quo pacto distinguere ac separare possim, nescio. Est pecuniarum captarum, quod signum a sociis pecuniae magnae sustulit. Est peculatus, quod publicum populi Romani signum, de praeda hostium captum, positum imperatoris nostri nomine, non dubitavit auferre. Est maiestatis, quod imperii nostri gloriae rerumque gestarum monumenta evertere atque asportare ausus est. Est sceleris, quod religiones ma-

---

cod. et Guelff. Paulo post pro *commota* uterque Guelf. *commotus*. Tum *ut isti* dedimus cum Stephano et Lambino secundum Guelff. Vulgo *ut ei*, quod ambiguum esset an ad Sopatrum referretur.

Clamabant fore ut] Verissimum hoc: nec quod Graevius edidit *clamabat*, aut sermonis usu, aut librorum mss. auctoritate defenditur. Itaque error typographorum videtur. Sed statim *ipsi se* Lambini vet. cod. et Guelf. 1, alter cum Leid. *ipse*, quod eodem tendit. Vulgo *ipsi sese*. Cf. ad V, 29 pr.

§. 88. *publicum populi Rom. signum*] Verissime sic Lambinus e vet. cod. et Ernestius e Guelf. 2 (et Leid.) scripserunt pro vulg. *publice*: nam *publice auferre* hoc quidem loco nihil est, contra saepe *publicum populi Romani* coniunctim dicitur. In Guelf. antiq. versus unus et alter excidit, quod idem fortasse accidit in vet. cod. cuius collatio Havn. est, quippe ex qua nihil a vulgata scriptura diversum enotatum sit. Verum Lag. 29 correctoris manum prodit: *quod publice, quod populi Rom. signum*, nimirum ut *publice* accipiatur *palam*. Ceterum de crimine ipso cf. lib. I, 4 extr.

evertere] i. e. *demoliri*. Nam *avertere*, quod Gulielmus coniecit, furto clandestino aptum est, huic rapinae et violentiae non item.

ximas violavit. Est crudelitatis, quod in hominem innocentem, in socium nostrum atque amicum, novum et singulare supplicii genus excogitavit. Illud vero 89
quid sit, iam non queo dicere; quo nomine appellem, nescio: quod in C. Marcelli statua. Quid est hoc? Patronusne quod erat? Quid tum? quo id spectat? Utrum ea res ad opem, an ad calamitatem clientium atque hospitum valere debebat? an ut hoc ostenderes, contra vim tuam in patronis praesidii nihil esse? Quis hoc non intelligeret, in improbi praesentis imperio maiorem esse vim, quam in bonorum absentium patrocinio? An vero ex hoc illa tua singularis significatur insolentia, superbia, contumacia? Detrahere videlicet aliquid te de amplitudine Marcellorum putasti. Itaque nunc Siculorum Marcelli non sunt patroni: Verres in eorum locum substitutus est. Quam in te tantam vir- 90
tutem esse aut dignitatem arbitratus es, ut conarere clientelam tam splendidae, tam illustris provinciae traducere ad te, auferre a certissimis antiquissimisque

---

§. 88. *in hominem innocentem]* Guelff. et v. c. Lambini *quod in innocentem in hominem*, Havn. coll. *quod in innocentem hominem.* Porro Lambini liber (sive sunt libri) et Havn. *vestrum*, a Guelff. id verbum abest. Sed consensu plurimorum *et singulare* pro *ac singulare* dedimus.

§. 89. *Quis hoc non intell.*] Lambini v. c. in margine et Guelff. *quis non hoc.* — *de amplitudine Marc.*] Est hoc e codicum familia meliore, vulgares (Lag. omnes, Huyd. Oxon.) et edd. veteres *magnitudine*, parum apposite. Illud Hervagius primus, deinde Stephan. et Lambinus, et, quia repetitores transmiserunt, reliqui.

§. 90. *tam splend., tam illustr. provinciae*] Vulgo *clientelam tam illustrem, tam splendidae provinciae*, inconcinne. Itaque haud paulo melius Lambinus edidit *tam illustris, tam splendidae prov.*, sed melius etiam est, quod idem in marg. repetitae e vet. cod. protulit et in Stephani vetere et Havn. coll. et Guelff. est *tam splendidae tam illustris provinciae:* nam *illustris* plus est quam *splendidus.* Itaque sic restituimus.

patronis? Tu ista nequitia, stultitia, inertia, non modo totius Siciliae, sed unius tenuissimi Siculi clientelam tueri potes? Tibi Marcelli statua pro patibulo in clientes Marcellorum fuit? tu ex illius honore in eos ipsos, qui honorem habuerant, supplicia quaerebas? Quid postea? quid tandem tuis statuis fore arbitrabare? An vero quod accidit? Nam Tyndaritani statuam istius, quam sibi propter Marcellos, altiore etiam basi, poni iusserat, deturbarunt, simulac successum
42 isti audierunt. Dedit igitur tibi nunc fortuna Siculo-

---

§. 90. *nequitia, stultitia*] Hoc ordine verba collocata sunt in Lag. 29 Guelff. Havn. coll. item apud Lambinum priore editione. Vulgo *stult. nequitia.* — *qui honorem habuerant*] Sustulimus *illi*, quod vulgo interiicitur, iussu Lambini vet. cod. Leid. Guelff., facillime enim intelligitur. Nihil tamen ex Havn. coll. enotatur. Sed mox et in hac et in vet. Stephani et Guelff. est *arbitrabere:* male quidem: sed melius quod a Guelff. et Lambini vetere abest *id*, quod vulgo est *an vero id, quod accidit.*

Dedit igitur tibi nunc] Sic Stephanus et Graevius e codd. ille vetere suo, hic e Regio: item Lambinus Stephanum secutus in editione, sed in marg. repetitae e suo v. c. *dedit nunc igitur tibi* voluit, quemadmodum Guelf. 1 habet, cum in altero et Leid. et Lag. 29 sit *dedit nunc igitur fort.* sine *tibi*, vulgo autem *nunc* non legatur. Sed haec minuta. Gravius quod, cum paulo post vulgo legatur *eius religioni te eundem vinctum adstrictumque dedamus*, Guelff. Leid. Regius exhibent *eius religione te isti devinctum adscriptumque dedamus* (Guelf. 1 *asscriptum*, 2 *asscriptumque).* Vulgata scriptura cur ferri nequeat, Madvigius bene exposuit, imprimis quod *idem* Verres dicitur, quod de Metello potius debebat esse *eiusdem religioni.* Sed cum ne integriorum quidem codicum scriptura sine vitio sit: non dico de mendo *asscriptum*, quod secundum vulgatam facile tollitur, sed de pronomine *isti*, quod ad Sopatrum referri non potest, quoniam *Siculi* praecesserunt; Madvigius quidem coniecit *istic*, i. e. ut explicat „in subsellio, ubi reus sedes," ac praeterea cum Lambino *videamus* pro *dedamus*, ego dudum putavi *istis* scribendum esse, i. e. Siculis in iudicio praesentibus. Nam cum ipse Verres *tu* appelletur, qui dicantur *isti*, non est ambiguum. *His* si dixisset orator, iudices videretur dicere, *illis* dicere poterat, sed ἐνάργεια quasi dediti repetentibus malefici periret. Itaque sic edidi: nam quod Ernestius ait, legitimam consecutionem temporum requirere *dederemus* pro *dedamus*, mutatur res recepto in textum *nunc.*

rum C. Marcellum iudicem, ut, cuius ad statuam Siculi, te praetore, alligabantur, eius religione te istis devinctum adstrictumque dedamus. Ac primo, iudi- 91
ces, hoc signum Mercurii dicebat iste Tyndaritanos M. Marcello huic Aesernino vendidisse: atque hoc sua causa etiam M. Marcellum ipsum sperabat esse dicturum: quod mihi nunquam verisimile visum est, adolescentem illo loco natum, patronum Siciliae, nomen suum isti ad translationem criminis commodaturum. Verumtamen ita mihi res tota provisa atque praecauta est, ut, si maxime esset inventus, qui in se suscipere istius culpam crimenque cuperet: tamen is proficere nihil posset. Eos enim deduxi testes, et eas litteras deportavi, ut de istius facto dubium esse ne-

§. 91. *M. Marcello huic Aesernino]* Extat et alibi huius Marcelli nati fortasse *Aeserniae*, quae est colonia populi Rom. in Samnio, memoria. Cic. in Bruto 35 *M. Marcellus Aesernini pater.* Sed quin ei idem quod patri praenomen fuerit *M.* non *C.* ut est in editis libris, dubium esse nequit propter consensum bonorum codicum (Lamb. Guelff. Havn.), qui quidem illam notam etiam mox adiiciunt, ubi vulgo *etiam Marcellum ipsum* sine praenomine est. Nec video quid obstet quominus hunc Aeserninum viginti annis post (703 u. c. 51 ante Chr.) consulem fuisse putemus.

Verumtamen ita mihi res tota provisa atque praecauta est] *Provisa* pro vulg. *praevisa* ediderunt Lambinus et Graevius e codd.: nam quod Graevius scribit Ernestiusque repetit etiam *ex editionibus vetustioribus*, nescio quas dicant praeter unam Hervagianam ex optimis codd. passim correctam. Sed recte dicit Ernestius vel sine libris corrigendum fuisse: nam cavendi significatio non inest in verbo *praevidere*, contra *providere* et *praecavere* saepe iunguntur: Cic. ad Att. II, 1 *quod a me ita praecautum atque ita provisum est.* Livius XXXVI, 17 *satis undique provisum atque praecautum est, ne* cet. Guelff. et Havn. collat. *provincia provisa*, διττογραφία. Praeterea Lamb. in marg. repet. legi voluit *ita mihi res tota*, cum adhuc et ab ipso in priore edit. editum esset *ita res mihi tota.* Etiam hoc plane secundum Guelff. libros et Havn. coll. Item mox in iisdem *ut si* est, non quemadmodum in editis, *uti si.*

deduxi testes] Sic Lambini v. c. Guelff. Havn. Vulgo *testes deduxi*, in vetustissimis etiam *testes adduxi.* — *Dubium esse nemini]* nos cum edit. Graeviana et Havn. Guelf. 2, vulgo nunc *dubium nemini*

92 mini posset. Publicae litterae sunt, deportatum Mercurium esse Messanam sumptu publico. Dicent, quanti. Praefuisse huic negotio publice legatum Poleam. Quid? is ubi est? Praesto est: testis est. Proagori Sopatri iussu. Quis est hic? Qui ad statuam adstrictus est. Quid? is ubi est? Vidistis hominem, et verba eius audistis. Demoliendum curavit Demetrius gymnasiarchus, quod is ei loco praeerat. Quid? hoc nos dicimus? Immo vero ipse praesens: Romae nuper istum ipsum esse pollicitum, sese id signum legatis esse

---

esse, primum editi *nemini dubium esse*. In fine pro *posset* unus Lag. 29 *possit*, sed pro ratione Latini sermonis consilium intelligitur, quod tum fuit cum deducerentur testes.

§. 92. *deport. Merc. esse]* Sic boni omnes: vulgo *dep. esse Mercurium*. Mox ex Guelff. Lambini v. c. Havn. *dicent* dedi pro vulg. *dicunt*. Futurum tempus explico, si eas examinare velitis: tum igitur diligenti eius rei perscriptione omnis dubitatio eximetur, quin ita factum sit. — *Quid? is ubi est? vidistis hominem]* Duobus verbis plenior vulgo hic locus legitur *testis est. vidistis hom.* Sed illa exiguam prorsus auctoritatem habent, cum non solum a melioribus codd. verum etiam a deterioribus praeter unum Lag. 42 de nostris absint. Primum accessisse video in Ascens. 1511, deinde ceteri praeter Iuntinum editorem 1515 bona fide retinuerunt, donec Graevius litem movere coepit. — *Demetrius gymnasiarchus, quod is ei loco praeerat] Democritus* nescio unde in Hervagianam venerit, sed ex ea in repetitam Lambinianam et inde in Gruterianam transiit. Reduxit Ernestius *Demetrium*. Sed nec ille nec Garatonius alioquin accuratissimus graviorem errorem, qui ad ipsum sermonem spectat, animadvertit. Nimirum in repetitam Lambinianam *eo loco praeerat* irrepsit, unde in Gruterianam et reliquas venit, fortasse incuria typographorum, cum et in edd. prioribus et codd. praeter Lagom. 45 et 48 omnibus legeretur *ei loco:* dicimus quidem praeesse aliquem hoc aut illo loco, si quis divisis inter plures muneribus aliquam ipse cum ceteris partem tuetur, sed in hac re de pluribus publicorum monumentorum curatoribus sermo non est.

istum ipsum] Sic Guelf. 1: alter et Stephan. et Havn. *ipsum istum*, reliqui deteriores *ipsum* solum. Hoc etiam primum edebatur, donec in Victoriana factum est, quod sane melius, *istum*. Gruterus revocavit *ipsum*, Ernestius *istum* restituit. Antea Lambinus de suo adiecit *ipse praesens ait*, satis importune, quod quivis subintelligit.

redditurum, si eius rei testificatio tolleretur, cautumque esset, eos testimonium non esse dicturos. Dixit hoc apud vos Zosippus et Ismenias, homines nobilissimi et principes Tyndaritanae civitatis.

Quid? Agrigento nonne eiusdem P. Scipionis mo- 43
numentum, signum Apollinis pulcherrimum, cuius in 93
femore litteris minutis argenteis nomen Myronis erat

---

§. 92. *Dixit hoc apud vos Zosippus et Ismenias]* Insolita constructio, cuius exemplum simile laudavi in Gramm. de Orat. I, 62 *Haec cum Antonius dixisset, dubitare visus est Sulpicius et Cotta.* Item codicum auctoritate firmum est apud Caesarem de B. Civ. 1, 2 *Intercedit M. Antonius, Q. Cassius, tribuni plebis,* minus lib. III, 7 *erat Orici Vespillo et Rufus cum navibus,* cum in promptu sit *erant.* Et cf. in Verr. I, 30 §. 75. Neque multum proderit, si excuses scriptorem primum de uno cogitasse, post alterius quasi recordatum nomen adiecisse. Ceterum *Ismenias* scripsi cum Lag. 29, non, ut vulgo fit, *Hismenias*, quod librariorum asperitati gutturis debetur, sed pro *Zosippo* dubito utrum *Sosippus* cum Lambino scribendum sit, an *Zoippus*, nomen non inusitatum apud Siculos (vid. Liv. XXIV, 4). Guelf. 1 *Zosiphus*, 2 *cosphus.*

§. 93. *Quid? Agrigento]* Ernestius *Agrigenti* correxit, nimirum quia sequitur *ex fano.* Ipsum igitur nomen ablativo casu simpliciter expressum tulisset, et restituit idem infra cap. 50 *Enna tu simulacrum Cereris tollere audebas.* Verum haud raro ne adiecta quidem alia loci definitione accuratiore casus ille mutatur. Nam Caesar de bell. civ. III, 105 *T. Ampium conatum esse tollere pecunias Epheso ex fano Dianae*, sine varietate lectionis. Cf. item hui. orat. c. 50 §. 112 et V, 72 §. 187 ut eos locos revocata integriorum codd. scriptura constituimus. — *cuius in femore litteris]* i. e. in aenea statua ferruminatione insertis, ἐγκολλητοῖς. Cf. interpr. ad Sueton. August. c. 7. Quod ad crisin verborum pertinet, vulgo legitur *in femine litterulis.* Sed facere iam non potui, quin auctoritati codicum Guelff. et Leid. et Lambiniani v. c. parerem, quorum ad consensum nihil deest nisi quod vet. cod. cuius collat. Havn. est silentio eius qui contulit, vulgatam confirmat. Scio quidem, saepius a librariis formam per litteram *r* alteri esse suppositam, ac vereor ne in eandem apud multos reprehensionem incidam, quam Sigonius a Gronovio et Drakenb. ad Liv. XXX, 18, 13 subiit. Sed ille per totum opus interpolato libro usto usus est, nos longe melioribus freti deprecamur tantum, ne quis observatione illa contra veritatem abuti velit, praesertim ubi de singulari numero eius verbi agitur, nam in plurali longe frequentius

inscriptum, ex Aesculapii religiosissimo fano sustulisti? Quod quidem, iudices, cum iste clam fecisset, cum ad suum scelus illud furtumque nefarium quosdam homines improbos duces atque adiutores adhibuisset, vehementer commota civitas est. Uno enim tempore Agrigentini beneficium Africani, religionem domesticam, ornamentum urbis, indicium victoriae, testimonium societatis, requirebant. Itaque ab iis, qui principes in ea civitate erant, praecipitur et negotium datur quaestoribus et aedilibus, ut noctu vigilias agerent ad aedes sacras. Etenim iste Agrigenti (credo propter multitudinem illorum hominum atque virtutem, et quod cives Romani, viri fortes atque honesti, per-

---

femina, *feminum*, *feminibus* invenias. Confer adversus eos, qui certatim post Heinsium et Gronovium formas per *n* litteram restituerunt, (Drakenb. ad Sil. Ital. I, 540. Spalding. ad Quint. VI, 3, 100) Heynium ad Tibull. Carm. I, 8, 26 etiam *femoris*, *femori* verum esse apud bonos scriptores docentem.

Quod quidem, iudices, cum iste] Sic Lallemand. raro Graevianae lectionis desertor e quattuor codd. Pariss. edidit, cum quibus conspirant Lag. 29 et Havn. collatio. Guelf. 1 *quiquid iudices*, 2 *quidquid iudicium*, Lambini vet. in marg. *quid, quid, iudices?* sed notas interpunctionum haud dubie ipse Lambinus adiecit. Nihil verius videtur, quam quod Lallem. aut vidit aut invenit. Vulgo *quod iste, iudices, cum clam fecisset.* — *furtumque nefarium]* Sic ex codd. melioribus Steph. Lamb. Graevius Ernestius. Deterior familia (Lag. omnes praeter 29) *nefarios.* Sed Guelf. 1 antea *scelus istud*, 2 *scelus istum.* Lambiniana editio *illud scelus.*

Uno enim tempore] In Ernestiana lectione *uno eodemque tempore* defectum coniunctionis aucta verborum gravitas non compensat, nec de veritate satis constat. Nam cum in libris mss. vulgaribus *uno eorum tempore* legatur, veteres editores fecerant *uno eodem tempore:* qui deesse aliquid senserant, Lambinus *uno et eodem tempore*, Ernestius *uno eodemque* de coniectura ediderunt. Itaque recte pro verbo dubio e Stephaniano, Regio, Guelff. Lag. 29 substituetur *enim.* Nam *uno tempore* prorsus Tullianum est pro *simul:* laudat Garaton. Act. I, 2 *invidiae, quas uno tempore mihi, vobis, M'. Glabrioni praetori, sociis, exteris nationibus* cet. *facere conatur.* Mox *ab iis* Lambinus scripsit et confirmant Havn. coll. et Guelff. *(hiis).* Vulgo *illis.* — *fortes atque honesti]* Vulgo *fortes ac strenui atque ho-*

multi in illo oppido coniunctissimo animo cum ipsis Agrigentinis vivunt ac negotiantur,) non audebat palam poscere aut tollere, quae placebant. Herculis templum 94
est apud Agrigentinos, non longe a foro, sane sanctum apud illos et religiosum. Ibi est ex aere simulacrum ipsius Herculis, quo non facile dixerim quicquam me vidisse pulchrius (tametsi non tam multum in istis rebus intelligo, quam multa vidi,) usque eo, iudices, ut rictum eius ac mentum paulo sit attritius, quod in precibus et gratulationibus non solum id venerari, verum etiam osculari solent. Ad hoc templum, cum esset iste Agrigenti, duce Timarchide, repente, nocte intempesta, servorum armatorum fit concursus atque impetus. Clamor a vigilibus fanique custodibus tollitur: qui primo cum obsistere ac defendere cona-

---

nesti: sed cur onus verborum feramus, cum tollant Stephani vet. Guelff. Leid. Havn. coll.? Tum *palam tollere aut poscere* editi, *palam poscere aut tollere* tota familia codd. meliorum et nonnulli quoque e vulgaribus, ut Franc. Prius *poscitur* quam *tollitur*, et *palam* ad utrumque verbum refertur.

§. 94. *dixerim quicquam]* Sic Lambinus in marg. et Havn. Guelff. Erfurt. (qui hinc denuo incipit). Vulgo *quicquam dixerim.*

ut rictum eius ac mentum paulo sit attritius] Rictum neutro genere, formam Lucretianam, in hoc Tullii loco (nec alibi utitur eo verbo) legit Nonius Marcellus, verum in editionibus vett. secundum codd. deteriores expressis constanter *rictus* fuit, donec Lambinus meliores libros nactus Hotomani praesagitionem implevit, *rictumque* e suis mss. edidit. Postea Cuiacianus, Hittorp. (Erf.), Regius collati Gruterum et Graevium in hanc partem pertraxerunt: Ernestius, cum idem in Guelf. 2 (nos addimus etiam 1 et Lag. 29) invenisset, maluit illos tacite sequi, quam demere aliquid de auctoritate veterum editionum. Ceterum *mentum* attingitur in supplicationibus: Homerus Iliad. I, 501 δεξιτερῇ δ' ἄρ' ὑπ' ἀνθερεῶνος ἑλοῦσα λισσομένη προσέειπεν, et Plinius hist. nat. XI, 45 docet in vetere Graecia moris fuisse: oscula feruntur in gratiarum actionibus, quae sunt *gratulationes* proprie, adversus deos: nam ubi alicui homini gratulamur, diis gratias agimus illius nomine, unde demum nova significatio existit, *Glückwunsch* τοῦ συγχαίροντος τινί. Moneo propter Lipsium, qui hoc loco scribi aliquando *gratationibus* maluit, Ciceronis prorsus oblitus.

rentur, male mulcati clavis ac fustibus repelluntur. Postea convulsis repagulis, effractisque valvis, demoliri signum ac vectibus labefactare conantur. Interea ex clamore fama tota urbe percrebruit, expugnari deos patrios, non hostium adventu necopinato, neque repentino praedonum impetu, sed ex domo atque ex cohorte praetoria, manum fugitivorum instructam arma-
95 tamque venisse. Nemo Agrigenti neque aetate tam affecta, neque viribus tam infirmis fuit, qui non illa nocte eo nuntio excitatus surrexerit, telumque, quod cuique fors offerebat, arripuerit. Itaque brevi tempore

---

§. 94. *male mulcati clavis ac fustibus] Mulcati* in notis repetitae editionis, reprehensis si qui adhuc caeci esse mallent, reponi iussit Lambinus, cum in edd. vett. fuisset *mulctati*, ipseque priore cum Vict. edidisset *multati*. Hoc ipsum h. l. est in libris Guelff. et Erfurt. et pro Mil. c. 14 in eodem Erfurt. Contra tertio loco apud Ciceronem in Bruto c. 22 extr. Schütz. in aliis duobus Guelff. *mulcatos* invenit. Sed iam acquiescendum in ea sententia videtur, quam et Gronov. ad Liv. XXVIII, 30 et plerique alii veterum editores (vide Drak. ad illum Livii locum) defenderunt, *mulcari* scribendum esse, ubi de verberibus similique corporis vexatione diceretur. Repone igitur apud Curtium lib. VII, 11, 17, e paucioribus quidem sed longe vulgatis praestantioribus libris, *mulcati parte membrorum.* Propriam quasi sedem verbum habet apud Plautum et Terentium, nec ibi quisquam tollere conatur. *Convolsis* Havn. coll. et Lag. 29, non Guelff.; *percrebuit* Erf. et Guelf. 2, *percrebruit* prior.

non hostium adventu necopinato] Ultimum verbum e codd. integrioribus (etiam Stephaniano in var. lect.) primum accessit in Lambiniana editione: in Lag. omnibus, Oxon. Huyd. non legitur.

atque ex cohorte praetoria] Vulgo *atque cohorte praetoria.* Quod nos edidimus sic est in Erf. Lag. 29 et 27. Lambini v. c. *atque ex coh. praetoris*, Guelf. 1 *atque cohorte praetoris ac manum*, 2 *atque cohorte praetoris ac manum*, Havn. coll. *atque ex cohorte praetoris omnum.* Ut appareat, verum esse *praetoria:* cf. ad III, 29 §. 70.

§. 95. *viribus tam infirmis]* Guelf. 2 et Havn. coll. *infirmus*, nec tamen *affectus*, ut esset *aetate affectus*, sicut de Senect. 14 §. 47. *Fors*, quod sequitur, a Lambino primum editum e codd. plerisque, priores *sors.*

ad fanum ex urbe tota concurritur. Hora amplius iam in demoliendo signo permulti homines moliebantur: illud interea nulla lababat ex parte; cum alii vectibus subiectis conarentur commovere, alii deligatum omnibus membris rapere ad se funibus. Ac repente Agrigentini concurrunt: fit magna lapidatio: dant sese in fugam istius praeclari imperatoris nocturni milites: duo tamen sigilla perparvula tollunt, ne omnino inanes ad istum praedonem religionum revertantur. Nunquam tam male est Siculis, quin aliquid facete et commode dicant: velut in hac re aiebant, in labores Herculis non minus hunc immanissimum Verrem, quam illum aprum Erymanthium referri oportere.

Hanc virtutem Agrigentinorum imitati sunt Asso- 44
rini postea, viri fortes et fideles, sed nequaquam ex 96

---

§. 95. *Hora amplius — moliebantur]* Eodem iure poteris *horam amplius* scribere: nam sic Stephani vet. et Havn. Erf. Lag. 29, at *hora* cum reliqua turba ambo Guelf. et videtur Lambinus in suo invenisse, quoniam, cum priore Stephanum secutus *horum* edidisset, in marg. repet. ea lectio, codicum mentione non facta, *aliorum* dicitur. Etiam usu sermonis utrumque licet: Cicero p. Rosc. Com. c. 3 *quomodo, cum omnes, qui tabulas conficiant, menstruas pene rationes in tabulas transferant, tu hoc nomen triennium amplius in adversariis iacere pateris?* et paucis versibus post *quamobrem, cum cetera nomina in ordinem referebas, hoc nomen triennio amplius in adversariis relinquebas? — Ac repente Agrigentini concurrunt]* Coniunctionem adiecimus e Stephani vetere et Lambini v. c. in margine repet. ceterisque bonis, neque eam supervacuam quisquam existimabit: adiungitur enim cum vi quadam, quid continuo factum sit, cum ita res esset comparata, ubi aut *cum* aut *tum* dici poterat. Cf. etiam Handium in Tursell. T. I p. 480. Mox *perparvula* Lag. 29 et Havn. coll. Sed *revertantur* consensus Guelff. Leid. Erf. Havn. postulat, alioquin quod vulgo legitur *reverterentur* non mutarem. Cf. ad II, 14 et I, 24. — *tam male est]* Sic primum editum est in Hervagiana ex aliquo meliore: nam deterior codicum familia *tantum mali* aut *tantum malum.* Simile dicacitatis Siculorum exemplum aptissime ex Quintil. VI, 3, 41 laudat Rogerius, sive vere Siculi dixerunt, sive nomine illorum opus fuit: tenent enim hoc boni oratores, ut aliis adscribant, quae frigidiora aut sua dignitate parum digna videri possint, quemadmodum idem Quintilianus prudenter monet.

tam ampla neque tam ex nobili civitate. Chrysas est amnis, qui per Assorinorum agros fluit. Is apud illos habetur deus et religione maxima colitur. Fanum eius est in agro propter ipsam viam, qua Assoro itur Ennam. In eo Chrysae simulacrum est, praeclare factum e marmore. Id iste poscere Assorinos propter singularem eius fani religionem non ausus est: Tlepolemo dat et Hieroni negotium. Illi noctu, facta manu armataque, veniunt: fores aedis effringunt: aeditui custodesque mature sentiunt: signum, quod erat notum

---

§. 96. *neque tam ex nobili civitate]* Lambinus *neque ex tam nobili civ.* edidit, non de coniectura, ut videri potest, sed codice usus simili in ea re Lag. 29 et Guelf. 2. Ego tamen reliquorum auctoritatem tueor: sic etiam V, 48 *tam in paucis villis.* — *Chrysas]* hodie *Dittáino*, qui in Simaethum influit, oppidum *Asaro*. Sine aspirata *crisas* Guelf. 1 et nummus antiquus apud Eckhelium Doct. num. vet. T. I p. 198. — *propter ipsam]* Guelf. 1 *prope.* Mox *Chrysae simulacrum est* numerosius Guelff. Erf. Havn. quam vulgo *Chrysae est sim.* Ex iisdem libris et edit. Lambini *et Hieroni* dedimus pro vulg. *Hieronique.* Fratres illos Cibyratas esse meministi ex cap. 13.

facta manu armataque] Sic mss. omnes et olim editi: in Victor. primum extitit *armatique* servatumque est a Steph. et Lambino, quamquam uterque in codd. suis esse *armataque* annotat. Nec Ernestius lectionem iam possessione tutam omisit, defendit potius cum *facta manu* idem esset quod conferti, cum eo bene conspirare, quod ipsi dicerentur armati. Verum *manum facere* nihil aliud est nisi colligere, comparare hominum multitudinem, vide imprimis p. Caec. 12, et infra V, 30 init. Mox *aeditui* constanter in codd. mss. legitur, verum A. Gellius lib. XII, c. 10 in fidelissimis exemplaribus a se inventum dicit *aeditimi.* Quid, quod Lambinus cum Gellii inventum probaret, ita esse in libris mss. addidit? nam si suos intelligi voluit, ut sane videtur, in errorem lectores sciens induxit. Nobis in tali re ultra libros sapere anceps videtur. Nam cum Varro de R. R. I, 2 sic scribat: *in aedem Telluris veneram rogatus ab aeditimo, ut dicere didicimus a patribus nostris, ut corrigimur a recentibus urbanis, ab aedituo*, idemque de L. L. VI, 2 med. utramque formam in usu fuisse doceat, quid impedit quominus Ciceronem urbanorum hominum non contemnendam consuetudinem, uti ipse in Bruto dicit, secutum putemus. Posterioris certe aetatis usus urbanam formam tuetur, nec grammatici veteres, cum diversas formas commemorant, alteri minorem auctoritatem tribuunt.

vicinitati, bucina datur: homines ex agris concurrunt: eiicitur fugaturque Tlepolemus: neque quicquam ex fano Chrysae, praeter unum perparvulum signum ex aere, desideratum est.

Matris magnae fanum apud Enguinos est. (Iam 97
enim non modo breviter mihi de unoquoque dicendum, sed etiam praetereunda videntur esse permulta, ut ad maiora istius et illustriora in hoc genere furta et scelera veniamus.) In hoc fano loricas galeasque aeneas, caelatas opere Corinthio, hydriasque grandes, simili in genere atque eadem arte perfectas, idem ille Scipio, vir omnibus rebus praecellentissimus, posuerat, et suum nomen inscripserat. Quid iam de isto plura dicam aut querar? omnia illa, iudices, abstulit: nihil in religiosissimo fano, praeter vestigia violatae religionis nomenque P. Scipionis, reliquit: hostium spolia, monumenta imperatorum, decora atque ornamenta fanorum posthac, his praeclaris nominibus amissis, in instrumento atque in supellectile Verris nominabun-

---

§. 97. *Matris magnae]* Immo fuisse θεῶν μητέρων discimus a Diodoro Siculo lib. IV, 79 sqq. et ex narratione Posidonii apud Plutarchum in Marcello c. 20. Religio e Creta insula originem duxit, et tradebantur illae fuisse Iovis nutrices. De vetustis armis militaribus in eo fano sacratis mentio fit apud Plutarchum: eaque causa videtur fuisse, cur Scipio ornamenta ex eodem genere consecraret.

breviter mihi] Ordo verborum est ex Guelff. Vulgo *mihi non modo breviter*. Porro in illis libris duobus *sed et* est pro *sed etiam*.

grandes, simili in genere] Guelff. et Havn. *grandissimas hii in genere*, nisi quod Guelf. 2 *gravissimas*. Item Erf. *grandissimas in*. Certe causa non est cur *in* tollere velimus, id quod Lambinus fecit. Sed cum vulgo scribatur *idem ille P. Scipio*, nos nunc Stephan. et Lambinum secuti, cum Guelff. et Erf. praenomen omisimus: satis enim significatur. Havn. coll. silet. — *posthac]* Guelff. Havn. Erf. *posthaec:* non placet. — *atque in supellectile Verris]* Vulgo *ac supellectili C. Verris*. Boni libri variant, nam *in* non repetitur in Guelf. 1 et Lag. 29, et *supellectili* citat Stephanus e vet. suo, Erf. *supellectilibus*, sed reliqui *supellectile*, sicut apud Curtium V, 2 ex optimo Florentino et nonnullis aliis dedimus. Cf. ad lib. II, 14 §. 35 et de locis

98 tur. Tu videlicet solus vasis Corinthiis delectaris: tu
illius aeris temperationem, tu operum lineamenta sol-
lertissime perspicis. Haec Scipio ille non intelligebat,
homo doctissimus atque humanissimus: tu sine ulla
bona arte, sine humanitate, sine ingenio, sine litteris,
intelligis et iudicas. Vide, ne ille non solum tempe-
rantia, sed etiam intelligentia te atque istos, qui se
elegantes dici volunt, vicerit. Nam quia, quam pul-
chra essent, intelligebat, idcirco existimabat, ea non
ad hominum luxuriem, sed ad ornatum fanorum atque
oppidorum esse facta, ut posteris nostris monumenta
religiosa esse videantur.

45 Audite etiam singularem eius, iudices, cupidita-
99 tem, audaciam, amentiam, in his praesertim sacris pol-
luendis, quae non modo manibus attingi, sed ne co-
gitatione quidem violari fas fuit. Sacrarium Cereris
est apud Catinenses, eadem religione, qua Romae, qua
in ceteris locis, qua prope in toto orbe terrarum. In
eo sacrario intimo signum fuit Cereris perantiquum,
quod viri non modo cuiusmodi esset, sed ne esse qui-
dem sciebant: aditus enim in id sacrarium non est vi-
ris; sacra per mulieres ac virgines confici solent. Hoc

---

aliorum scriptorum, ubi adhuc quidem *supellectili* legitur, Schneiderum in gramm. p. 234. Porro *C. Verris* reliquimus in textus descriptione freti Lambiniano vet. codice, sed ceteri tamen boni tollunt praenomen, et recte: acerbior enim oratio fit. Quod superest, in extrema periodo vulgo quidem editur *numerabuntur*, sed contra codicum omnium veterumque editionum auctoritatem; primum in Victor. et Hervag. eiusdem anni apparuit.

§. 98. *atque humanissimus]* Lag. 29 *honestissimus.* Verum hic agitur de ea humanitate, quam explicat Gellius lib. XIII, 16, qui ex Varronis libro I rerum humanarum hunc locum affert, aliam quoque ob rem haud indignum, qui describatur: *Praxiteles, qui propter artificium egregium nemini est paulum modo humaniori ignotus.*

§. 99. *signum fuit*] Sic omnes boni, et voluit Lambinus in marg. Vulgo *fuit signum.* Post Erfurt. *nec esse quidem*, quod ad alios locos non inutile erit notare.

signum noctu clam istius servi ex illo religiosissimo at-
que antiquissimo loco sustulerunt. Postridie sacerdo-
tes Cereris atque illius fani antistitae, maiores natu,
probatae ac nobiles mulieres, rem ad magistratus suos
deferunt. Omnibus acerbum, indignum, luctuosum de-
nique videbatur. Tum iste permotus illa atrocitate ne- 100
gotii, ut ab se sceleris illius suspicio demoveretur, dat
hospiti suo cuidam negotium, ut aliquem reperiret,
quem illud fecisse insimularet, daretque operam, ut
is eo crimine damnaretur, ne ipse esset in crimine.
Res non procrastinatur. Nam cum iste Catina profe-
ctus esset, servi cuiusdam nomen defertur. Is accu-

---

§. 99. *antiquiss. loco*] Sic Stephanianus et Havn. coll. nostrique Guelff. Erf. Vulgo *fano*. — *antistitae*] Haec forma verbi testimoniis Gellii Noct. Att. XIII, 20 et Prisciani V, 4 (p. 650 Putsch. 183 Krehl.) firmatur. Codices Ciceroniani variant, nam ut boni nonnulli *antistites* exhibent, Erf. et ambo Guelff., quamquam in his mendose legitur *antistes*, ita e vulgaribus aliquot (Lag. 1. 45. 48) et ex olim editis Ascens. 1511 *antistitae* habent. Havn. *antistatae*. Hervagius praecesserat Lambino, post quem constanter editum est *antistitae*. Ceterum haec forma, quam veteres illi grammatici tamquam rariorem notant, praeter Ciceronem alios habet auctores locupletes, nobis quidem longe locupletiores quam quibus *antistes* tamquam generis communis vox nititur. Cf. lexica.

§. 100. *sceleris illius suspicio demoveretur*] Codd. vulgares et edd. veteres *removeretur*, meliores variant, nam Guelff. et Lambini v. c. *dim*. Stephanianus et Erf. et Lag. 29 et is cuius collatio Havn. est a pr. manu *demoverctur:* atque sic edidit Ernestius, cuius a iudicio non discedimus. Cf. ad divin. c. 2. Sed nos etiam *illius* scripsimus pro vulg. *istius*, Guelff. Erf. Lambini v. c. contra coll. Havn. secuti. Sed ratio patet. Mox *illud* tres illi nostri cum Stephaniano et Havn. collatione, vulgo *ea*, et silet Lambinus. Verum una res est nec convenit pluralis. — *Catina profectus*] Mirum omnes usque ad Lallemandum et Ernestium editores tulisse, quod institutae narrationi repugnat, *cum iste Catinam profectus esset*. Sed ea scriptura est codicum vulgaris familiae, nec Steph. Lamb. Graevius quicquam diversi e suis libris enotare operae pretium putarunt. Sed cum Lallemandi tribus Parisinis conspirant Guelff. Erf. Havn. Ex iisdem et Leid. postea *iudicabat* dedimus pro vulg. *iudicat*. Neque impediunt praesentia, quae et antecedunt et sequuntur: senatores enim iudices sedebant, dum illa, quae fiunt, aguntur.

satur: ficti testes in eum dantur. Rem cunctus senatus Catinensium legibus iudicabat. Sacerdotes vocantur: ex his quaeritur secreto in curia, quid esse factum arbitrarentur, quemadmodum signum esset ablatum. Respondent illae, praetoris in eo loco servos esse visos. Res, quae esset iam antea non obscura, sacerdotum testimonio perspicua esse coepit. Itur in consilium: servus ille innocens omnibus sententiis absolvitur, quo facilius vos hunc omnibus sententiis con-
101 demnare possitis. Quid enim postulas, Verres? quid speras? quid expectas? quem tibi aut deum aut hominem auxilio futurum putas? Eone tu servos ad spoliandum fanum immittere ausus es, quo liberos adire

---

§. 100. *quid esse factum arbitrarentur, quemadmodum signum esset ablatum*] Sic Lambini v. c. et coll. Havn. et tres optimi nostri, atque voluit describi in editione Gruterus: in ea autem dupliciter mendose factum est et *esset factum* et *esse ablatum*. Itaque Graevius et Ernestius illo relicto ad veterem scripturam redierunt: *quid esset factum, quemadmodum arbitrarentur signum esse ablatum*. Mox idem Gruterus tacite primus *in eo loco* pro eo quod antea erat, *in illo loco*, edidit, et *iam* adiecit, si ex codice Ursini tantum, parum idonea auctoritate usus: sed e consensu trium nostrorum et Havn. coll. intelligitur melioribus eum usum esse. Lambinus tacuerat.

condemnare possitis] Sic Guelff. et Erf. et Stephani vetus, quamquam silet Havn. coll. Vulgo *possetis*. Prorsus perinde videtur esse. Antea verborum ordo in Lambini v. c. et Guelff. contra Erf. et Havn. est *servus ille omnibus sententiis innocens absolvitur*.

§. 101. *quid speras, qui expectas?*] Verba *quid expectas* absunt a codd. vulgaribus et edd. antiquis. Vict. Hervag. ediderunt *quid spectas?* eaque scriptura adhuc mansit, quamquam Lambinus *expectas* dederat. Verum hoc est, quamquam unus Erfurt. cum Lag. 29 tuetur: nam *spectare* ad occasionem alicuius negotii suscipiendi, *expectare* ad auxilium, quod nobis alicunde venturum speramus, pertinet. Mox vulgo *quem tibi aut deorum aut hominum auxilio putas futurum?* Nos Guelff. Erf. Havn. secuti sumus, videturque id voluisse Lambinus in margine: nam in descriptione error typographorum versatus est.

Eone tu servos ad spoliandum fanum immittere ausus es?] Reduxi in locum suum vocem *fanum*, quam Ernestius tamquam superfluam et interpretandi causa a librariis additam eiecerat. Quid enim? Latine dici posse existimabimus mittere hominem aliquo *ad spoliandum*,

ne orandi quidem causa fas erat? Hisne rebus manus afferre non dubitasti, a quibus etiam oculos cohibere te religionum iura cogebant? Tametsi ne oculis quidem captus in hanc fraudem tam sceleratam ac tam nefariam decidisti: nam id concupisti, quod nunquam videras; id, inquam, adamasti, quod antea non aspexeras. Auribus tu tantam cupiditatem concepisti, ut eam non metus, non religio, non deorum vis, non hominum existimatio contineret. At ex bono viro credo 102
audieras, et bono auctore. Qui id potes, qui ne ex viro quidem audire potueris? Audisti igitur ex muliere; quoniam id viri neque vidisse neque nosse poterant. Qualem porro illam feminam fuisse putatis, iudices? quam pudicam, quae cum Verre loqueretur? quam religiosam, quae sacrarii spoliandi rationem osten-

---

non addito nec subintellecto accusativo rei, qui certe ad grammaticam rationem ex adverbio *eo* sumi non potest. Cui Latine sonabit „filios meos in scholam mitto *ad discendum*" pro *ut discant*, sive *discendi causa*. Causam igitur intelligere mihi videor, cur scriptor, cum variare orationem vellet, *fanum* addiderit, quod h. l. non *illud fanum* est, sed indefinite dicitur et cum Participio ita coit, ut significetur fere *ad sacrilegium committendum*.

in hanc fraudem — decidisti] i. e. huc tandem delapsus es, ut scelus suscipere quam istam cupiditatem ferre malles: *incidisti* usitatius esset, nec tamen Lambinus ipse posthac probasse videtur, quod illud in priore editione non monito lectore scripsisset. In alterius certe editionis margine nihil nisi *al. incidisti* legitur.

§. 102. *ex bono viro, credo]* Sic Guelff. et Havn. longe concinnius quam vulgo *ex viro bono audieras credo*, nam *vir* et *auctor* opponuntur. Ediderat quidem Lambinus *credo audieras*, sed *viro bono* reliquerat, notavit tamen in marg. in v. c. esse *bono viro*. Porro *qui id potes* Steph. Lambin. Graevius e codd. suis ediderunt, quibuscum ambo Guelf. consentiunt, multoque id rectius est quam quod vulgo legebatur *qui id potest?* Nam hoc cum praecedente verbo activo *at — audieras* non coit, ac si *fieri* supplere velis, certe *potuit* esse debuit.

quae sacrarii spol. rationem ostenderet] Singulare edi ab omnibus *ostenderet rationem*, cum in mss. utriusque familiae sit *rationem ostenderet*, quemadmodum oratorius numerus postulat. Praeterea in edd. vett. et codicum classe deteriore *sacrarium* male legitur, primus correxit Stephanus, quem Lambinus et reliqui secuti sunt.

deret? An minime mirum, quae sacra per summam castimoniam virorum ac mulierum fiant, eadem per istius stuprum ac flagitium esse violata?

46 Quid ergo? hoc solum auditione expetere coepit, cum id ipse non vidisset? Immo vero alia complura: ex quibus eligam spoliationem nobilissimi atque antiquissimi fani, de qua priore actione testes dicere audistis: nunc eadem illa, quaeso, audite, et diligenter,
103 sicut adhuc fecistis, attendite. Insula est Melita, iudices, satis lato a Sicilia mari periculosoque disiuncta: in qua est eodem nomine oppidum, quo iste nunquam accessit: quod tamen isti textrinum per triennium ad muliebrem vestem conficiendam fuit. Ab eo oppido non longe in promontorio fanum est Iunonis antiquum, quod tanta religione semper fuit, ut non modo illis Punicis bellis, quae in his fere locis navali copia ge-

---

§. 102. *An minime mirum]* Sic Stephani vetus et collatio Havn. et, quod olim oculos nostros effugerat, ambo Guelf. Tuetur iure Madvigius, interrogationem excipi interrogatione, quae et responsi et affirmationis locum teneat, eamque rem exemplis illustrat. Quamquam quod negat vulg. scripturam *at* ferri posse, nobis non persuasit. Nam cum illa interrogatio hunc sensum habere possit „num verisimile est, illam fuisse pudicam aut religiosam?" videtur non inepte sequi posse *at*, i. e. immo mirum non est cet. Sed praestat sane alterum. Lag. 29 *ac minime est mirum.* Quod sequitur *summa castimonia virorum* Hotomano displicuit, quoniam ne aditus quidem ad Cereris sacrarium viris est, voluitque *virginum* scribi. Redarguit Ernestius, qui virorum castimoniam eam ipsam esse putaret, quod ab aditu illius templi abstinerent. Non satis est hoc ad castimoniam: et malim intelligere quod a consuetudine mulierum abstinent, quibus sacra facienda sunt.

Immo vero alia complura] „Huc pertinere arbitror, quod notat Priscian. p. 769 (edit. Putsch.): Cicero de signis *immo vero compluria:* in quibusdam tamen codicibus invenitur *complura.* Vicerunt hactenus hi *quidam.*" Sic Garatonius. Neque meorum ullus librorum mss. discrepat.

§. 103. *a Sicilia]* edidit Lambinus, et legitur in Guelff. codd. et Havn. coll. Vulgo *ab Sicilia.* — *navali copia]* pro *copiis navalibus* positum non iniuria Lambinum offendit, sed scriptura deteriorum codicum veterumque editionum ante Hervagianam, quam ille revocavit,

sta atque versata sunt, sed etiam in hac praedonum multitudine semper inviolatum sanctumque fuerit. Quin etiam hoc memoriae proditum est, classe quondam Masinissae regis ad eum locum appulsa, praefectum regium dentes eburneos incredibili magnitudine e fano sustulisse, et eos in Africam portasse Masinissaeque donasse. Regem primo delectatum esse munere: post, ubi audisset, unde essent, statim certos homines in quinqueremi misisse, qui eos dentes reponerent. Itaque in his scriptum litteris Punicis fuit, *regem Masinissam imprudentem accepisse, re cognita reportandos curasse.* Erat praeterea magna vis eboris, multa ornamenta, in quibus eburneae Victoriae, antiquo opere ac summa arte perfectae. Haec iste omnia, ne multis 104
morer, uno impetu atque uno nuntio, per servos Venerios, quos eius rei causa miserat, tollenda atque asportanda curavit.

Pro dii immortales! quem ego hominem accuso? 47

---

navali proelio, minus etiam placet, et codicum alterius sectae consensu convincitur. Singularis enim numerus in ista significatione, quamquam minus ex usu Ciceronis est, non caret tamen idonea auctoritate, vide Davisium et Oudendorp. ad Caes. de B. C. I, 45 quique illic laudantur, ac videtur adeo militaris consuetudinis fuisse, cum in duabus Cn. Pompeii epistolis apud Cicer. epist. ad Att. lib. VIII, 12 quater legatur. — *in hac praedonum multitudine]* In utroque Guelf. et Havn. coll. deest *in*, in altero Guelf. etiam *hac*. Praepositio quam facile excidere potuerit, patet; quamquam non negaverim etiam solos ablativos ferri posse, sicut ipsi edidimus lib. III, 78 §. 182 *tantis aerarii angustiis*. Post Guelff. alio verborum ordine *semper fuerit inviolatum sanctumque*. — *Masinissae regis]* Lambinus edidit *Massanissae*, forma omnium deterrima, iustius enim poterat *Massinissa* (ut Guelf. 1 et Lag. 29), sed vulgaris auctoritate poetica confirmatur, vide Sil. Italic. XVI, 117 et ad eum locum Drakenborchium.

Regem primo delectatum esse] Omisi *quidem* post *regem*, quia aberat a Lambini v. c. in marg. Leid. Guelff. Havn. coll. Post ex iisdem dedi *reponerent* pro *reportarent*, et *scriptum* pro *inscriptum*, denique *reportandos curasse* pro vulg. *reponendos restituendosque curasse*.

quem legibus aut iudiciali iure persequor? de quo vos sententiam per tabellam feretis? Dicunt legati Melitenses publice, spoliatum templum esse Iunonis; nihil istum in religiosissimo fano reliquisse, quem in locum classes hostium saepe accesserint, ubi piratae fere quotannis hiemare soleant; quod neque praedo violaverit ante, neque unquam hostis attigerit, id ab uno isto sic spoliatum esse, ut nihil omnino sit relictum. Hic nunc aut iste reus, aut ego accusator, aut hoc iudicium appellabitur? Criminibus enim coarguitur, aut suspicionibus in iudicium vocatur. Dii ablati, fana vexata, nudatae urbes reperiuntur: earum autem rerum nullam sibi iste neque infitiandi rationem neque defendendi facultatem reliquit: omnibus in rebus coarguitur a me, convincitur a testibus, urgetur confessione

---

§. 104. *aut iudiciali iure persequor]* *Aut* ut scriberetur pro vulg. *ac* postulavit consensus bonorum codicum Steph. Lamb. Guelff. Havn., et defenditur negatione quae inest in interrogatione, cum sit fere pro: non est iste legibus neque iudiciis persequendus. At maior difficultas movetur a Lamb. cum vocem *iudiciali* reprehendat, et aut delendum putet, aut ita transponendum, ut ad insequens *tabella* pertineat. Eius opinionem Ernestius probavit, posse tamen fortasse emendari *legibus, iudicio ac iure*. Non credo et verbum tueor. Est enim etiam aliud *ius*, quo Cicero eiusmodi praedonem persequendum censet, *ius belli*, cui opponitur illud *iudiciale*, quod iudiciis exerceatur. *Lege* pro *legibus* Lag. 29. — *violaverit ante, neque unquam hostis]* Vulgo *violarit antea neque hostis*, sed *violaverit* Lag. omnes et Guelf. 1: alter Guelf. a pr. m. *violavit*. *Ante* scribendum et *unquam* adiiciendum Lambinus censuit in marg. repet. nimirum integrioribus libris parens: *unquam* etiam Graevius addidit.

aut suspicionibus in iudicium vocatur] Ediderat Graevius *haud susp.* e codice Franciano, parum idoneo veritatis patrono: sed alioquin illum a sententia auctoris aberrasse recte demonstravit Ernestius. Nimirum *crimina* opponuntur *manifestis maleficiis*, in quibus Verres teneri dicitur: ubi autem ne criminatione quidem opus est, quid agat accusator? iudex sufficit. Supra *aut* ante *iste* a codd. mss. quorum paulo accuratiorem collationem habemus, omnibus abesse invenitur: adiecit Iuntinae editor, quem Victorium vulgo nominamus, non Hervagianae. Sed tamen aegre dimittes.

sua, manifestis in maleficiis tenetur, et manet etiam, ac tacitus facta mecum sua recognoscit.

Nimium mihi diu videor in uno genere versari 105
criminum. Sentio, iudices, occurrendum esse satietati
aurium animorumque vestrorum. Quamobrem multa
praetermittam. Ad ea autem, quae dicturus sum, re-
ficite vos, quaeso, iudices, per deos immortales! eos
ipsos, de quorum religione iamdiu dicimus, dum id
eius facinus commemoro et profero, quo provincia tota
commota est. De quo si paulo altius ordiri ac repe-
tere memoriam religionis videbor, ignoscite: rei ma-
gnitudo me breviter perstringere atrocitatem criminis
non sinit. Vetus est haec opinio, iudices, quae con- 48
stat ex antiquissimis Graecorum litteris ac monumen- 106
tis, insulam Siciliam totam esse Cereri et Liberae con-
secratam. Hoc cum ceterae gentes sic arbitrantur,
tum ipsis Siculis ita persuasum est, ut in animis eo-
rum insitum atque innatum esse videatur. Nam et
natas esse has in locis deas, et fruges in ea terra pri-
mum repertas esse arbitrantur, et raptam esse Libe-

---

§. 105. *per deos immortales! eos ipsos]* Placet quod praepositio omittitur in Guelff. et vet. cod. Stephani, quocum miror h. l. Havn. collat. non conspirare. Vulgo repetitur *per eos ipsos.* Lag. 29 *per deos ipsos.*

§. 106. *ac monumentis]* Sic Lambinus in repet. voluit, et est in Guelff. Havn. coll. Vulgo *atque.* — *Hoc cum ceterae gentes sic arbitrantur]* Vet. cod. in marg. edit. Lamb. repet. *arbitrentur* habere traditur, non sic libri mei aut Havn. coll., et placet Indicativus quia directa oppositio fit. Verum mox ex iisdem libris et editionibus Stephani Lambinique scribendum *Siculis ita persuasum est* pro vulg. *tam persuasum est* et *in animis eorum insitum* pro dativo *animis*, solet enim sic Cicero, in ea re ab usu dicendi recentiorum remotus, quibus contracta structura placuit, ut Livio, de quo vid. Drakenb. ad lib. XXVIII, 4. — *repertas esse arbitrantur]* Adieci nunc *esse*, quia praeter Lambini vet. cod. et Havn. coll. etiam in Guelff. denuo perlustratis inveni. Minus adstrictum oratoriis numeris totum hunc excursum esse facile sentis: eodemque pertinet frequens repetitio pronomi-

ram, quam eandem Proserpinam vocant, ex Hennensium nemore; qui locus, quod in media est insula situs, umbilicus Siciliae nominatur. Quam cum investigare et conquirere Ceres vellet, dicitur inflammasse taedas iis ignibus, qui ex Aetnae vertice erumpunt: quas sibi cum ipsa praeferret, orbem omnem pera-
107 grasse terrarum. Henna autem, ubi ea, quae dico, gesta esse memorantur, est loco perexcelso atque edito, quo in summo est aequata agri planities et aquae perennes; tota vero ab omni aditu circumcisa atque directa est: quam circa lacus lucique sunt plu-

---

nis relativi, qua offensus Ernestius se dicit aliquando maluisse *eam cum investigare* pro *quam cum invest.* Confer tamen similem locum c. 55 init. *Inflammasse taedas* paulo insolentius mihi quidem videtur dixisse pro eo quod fere est *accendisse*, neque enim ut comburant inflammantur, sed ut luceant accenduntur. Ipsam autem Cererem quod sibi praetulisse faces dicit, pertinet in hac descriptione ad recordationem monumentorum, quale unum Verres sustulit §. 109. Sed extrema §. visum est nunc cum Lambini vet cod. in margine et Guelff. scribere *orbem omnem terrarum* pro vulg. *orbem omnium terrarum*, etsi hoc quidem Havn. collationis silentio firmatur. Insolens enim nec convenit, cum *omnes terrae* sint aut *orbis terrae* aut *orbis terrarum:* quid igitur *orbis omnium terrarum?*

§. 107. *loco perexcelso atque edito] Perexcelso* scripsi e libris Guelff. Edidit etiam Stephanus e codice suo vet. (Havn. coll.) secutusque eum est Lambinus pr. edit., sed in repetita vulgata scriptura *praecelso* cum restituta sit, altera in margine tamquam *aliorum* notatur. *Praecelsus* alibi apud Ciceronem non invenitur et omnino poetarum videtur. At, inquies, ne *perexcelsus* quidem aliam auctoritatem habet. Verum cum *celsus* de situ non dicatur, *excelsus* in ea re proprium verbum est: Livius lib. XXIV, 37 *Henna excelso loco ac praerupto undique sita:* augeturque id more solito praemisso *per.* Item post in hac locorum descriptione vitium superest. Nam editur vulgo *planities — ab omni aditu circumcisa atque dirempta est*, in quibus verbis *ab* primum a Stephano adiectum est nec postea omissum, etsi in vulgari secta mss. non invenitur. Sed *dirempta* contra codices a Victor. et Hervag. ceterisque vulgo editur: libri mss. partim *direpta*, ut editiones vetustissimae, partim *directa*. Atque hoc quidem praeter vulgares nonnullos (Oxon. Huyd.) in Lambini v. c. Lag. 29 Guelff. Havn. collatione legitur. Quid igitur fiet? Laudandus Madvi-

rimi atque laetissimi flores omni tempore anni, locus ut ipse raptum illum virginis, quem iam a pueris accepimus, declarare videatur. Etenim prope est spelunca quaedam, conversa ad aquilonem, infinita altitudine, qua Ditem patrem ferunt repente cum curru extitisse, abreptamque ex eo loco virginem secum asportasse, et subito non longe a Syracusis penetrasse sub terras, lacumque in eo loco repente extitisse; ubi usque ad hoc tempus Syracusani festos dies anniversarios agunt, celeberrimo virorum mulierumque conventu. Propter huius opinionis vetustatem, quod ho- 49
rum in his locis vestigia ac prope incunabula reperiuntur deorum, mira quaedam tota Sicilia privatim ac

---

gius, quod, cum nondum cognovisset, quam exigua auctoritate vulgata lectio niteretur, fretus Havn. coll. restituendum suspicatus est *directa*. Nam planitiem ait non posse per se *diremptam* dici, nec propter interpositum *circumcisa* cum verbis *ab omni aditu* coniungi, quippe quae dicta sint pro *ex omni parte*. *Directa* igitur scribendum, i. e. *steil*, quo sensu est apud Caes. B. C. I, 45 *Praeruptus locus erat, omni ex parte directus*, Diodor. lib. V, 3 de hac planitie: λειμὼν ἄνωθεν μὲν ὁμαλὸς καὶ παντελῶς εὔυδρος, κύκλῳ δ' ὑψηλὸς καὶ πανταχόθεν κρημνοῖς ἀπότομος, et cf. reliqua.

atque laetissimi] Edebatur olim ex vulgaribus codd. *et lectissimi*. Lambinus in vet. cod. *atque latissimi* esse notavit. Sed Gruterus se ex msto Turnebi edidisse ait, quod edidit, *et laetissimi*, idque videtur etiam in Lag. 29 esse. De *laetis* floribus res aperta est, sed *atque* tamen non omittendum fuit, consensu bonorum omnium commendatum. — *prope est spelunca]* Sic edd. vett. usque ad Aldinam restitueruntque Steph. et Lambinus, non insequentibus reliquis. Codicum vulgarium alii et pessimi quidem (VI Lag. Oxon. Huyd.) *propter eam Ditem patrem*, ceteris omissis, alii *propter est* simpliciter. Guelff. autem et Havn. coll. cum Steph. et Lambini scriptura consentiunt, eaque sola usu sermonis comprobatur: quoniam *prope* et praepositio et adverbium est, *propter* praepositio tantum et casum adiectum postulat. Quamquam pro leg. Man. 5 §. 13 *et eum propter esse* in Erf. legitur. — *qua Ditem patrem ferunt — extitisse]* Lambinus edidit *ex qua*, nulla facta codd. mentione, nec omnino necesse puto. Sic V, 41 *procedere praetorio*.

quod horum] Sic Guelff. et Havn. coll. Vulgo *eorum*.

publice religio est Cereris Hennensis. Etenim multa
saepe prodigia vim eius numenque declarant: multis
saepe in difficillimis rebus praesens auxilium eius ob-
latum est, ut haec insula ab ea non solum diligi, sed
108 etiam incoli custodirique videatur. Nec solum Siculi,
verum etiam ceterae gentes nationesque Hennensem
Cererem maxime colunt. Etenim, si Atheniensium sa-
cra summa cupiditate expetuntur, ad quos Ceres in
illo errore venisse dicitur frugesque attulisse: quan-
tam esse religionem convenit eorum, apud quos eam
natam esse et fruges invenisse constat? Itaque apud
patres nostros, atroci ac difficili rei publicae tempore,
cum, Ti. Graccho occiso, magnorum periculorum me-
tus ex ostentis portenderetur, P. Mucio L. Calpurnio
consulibus, aditum est ad libros Sibyllinos: ex quibus
inventum est, Cererem antiquissimam placari oportere.
Tum ex amplissimo collegio decemvirali sacerdotes po-
puli Romani, cum esset in urbe nostra Cereris pul-
cherrimum et magnificentissimum templum, tamen us-
que Hennam profecti sunt. Tanta enim erat auctori-
tas et vetustas illius religionis, ut, cum illuc irent,
non ad aedem Cereris, sed ad ipsam Cererem profi-
109 cisci viderentur. Non obtundam diutius. Etenim iam-
dudum vereor, ne oratio mea, aliena ab iudiciorum

---

§. 108. *apud quos eam natam esse — constat]* *Constet* Ernestio scribendum videbatur. At hi non sunt, apud quoscunque nata esse dicatur, sed ipsi illi Hennenses, quos antea nominarat.

P. Mucio] Is fuit annus a Chr. 133. urb. cond. 621. Tum vulgo *in quibus inventum est*, quod nulla librorum mstorum auctoritate niti videtur. Nam in edd. vett. (usque ad Iunt. 1515) et libris vulgaribus Oxon. Huydec. VII Lagom. est *a quibus*, meliores autem, Lag. 29 Leid. Guelff. vet. cod. Stephani (Havn. coll.) *ex quibus:* et sic verum est. — *Tanta enim erat]* Havn. coll. *tanta erat enim*, contra stant Guelferbytani.

§. 109. *Non obtundam diutius. Etenim iamdudum vereor* cet.] Mirum quam facile vetus lectio hoc loco a Grutero expulsa sit, quae alibi

ratione et a cotidiana dicendi consuetudine esse videatur. Hoc dico, hanc ipsam Cererem, antiquissimam, religiosissimam, principem omnium sacrorum, quae apud omnes gentes nationesque fiunt, a C. Verre ex suis templis ac sedibus esse sublatam. Qui accessistis Hennam, vidistis simulacrum Cereris e marmore, et in altero templo Liberae. Sunt ea perampla atque praeclara, sed non ita antiqua. Ex aere fuit quoddam modica amplitudine ac singulari opere, cum facibus, perantiquum, omnium illorum, quae sunt in eo fano, multo antiquissimum. Id sustulit; ac tamen eo contentus non fuit. Ante aedem Cereris in aperto 110
ac propatulo loco signa duo sunt, Cereris unum, alterum Triptolemi, pulcherrima ac perampla. His pul-

---

tam pertinaces patronos invenerit. Edebatur olim et legitur in codd. vulgaribus, ut Oxon. Huydec. Lag praeter 29 omnibus, *non obtundam diutius aures vestras; iamdudum vereor* cet. quod unius Cuiaciani auctoritate se mutasse Gruterus scribit. Sed fallit: nam Lambinus eodem modo in tribus codd. vett. suis (quorum tamen unus idem ille Cui. fuit) legi in margine repet. annotaverat, quamvis ipse antea cum Stephano contaminatam scripturam in editione servasset. In iudicio Gruteri reliqui editores acquieverunt, aliter, puto, facturi, si ille assensum cohibuisset. Nam *obtundere* alibi apud Ciceronem non est sine accusativo suo, et *ipsas aures* legimus lib. III, 67 §. 157. Verum Terentius non semel absolute dicit de iis qui auditores inaniter loquendo fatigant. Et iam ad Lambinianos illos cum Havn. collatione ambo Guelff. accedunt. Tum *et a cotid.* repetita praepositione dedi secundum Stephani vet. cod. et Guelff. Reliqui boni silentur. De re et excusatione cf. ipsum auctorem in Orat. 62, et recordare similis loci p. Archia c. 2.

principem omnium sacrorum] hanc Cererem et eius simulacrum dicit, quod hinc omnis cultus Cereris, qui ubique est, profectus esse traditur. — *ac singul. opere]* Ne quis *at* velit, non oppositio fit, sed *modica illa amplitudo* in laude ponitur apud Verrem. Magis libri variant mox, ubi *ac tamen* Naugerius primus dedit, vetustiores edd. et plerique codd. *at tamen* habent. Lambinus priore edit. *nec tamen*, sublata quae sequitur negatione, sed de coniectura. Guelf. 1 *et tamen*. Cum scriptura nunc recepta conspirant Guelf. 2 et Havn. coll.

§. 110. *pulch. ac perampla]* Sic Guelff. et Havn. coll. (Steph.

chritudo periculo, amplitudo saluti fuit, quod eorum demolitio atque asportatio perdifficilis videbatur. Insistebat in manu Cereris dextra grande simulacrum pulcherrime factum Victoriae. Hoc iste e signo Cereris avellendum asportandumque curavit.

50 Qui tandem istius animus est nunc in recordatione scelerum suorum, cum ego ipse in commemoratione eorum non solum animo commovear, verum etiam corpore perhorrescam? Venit enim mihi fani, loci, religionis illius in mentem: versantur ante oculos omnia: dies ille, quo ego Hennam cum venissem, praesto mihi sacerdotes Cereris cum infulis ac verbenis fuerunt: contio conventusque civium: in quo ego cum loquerer, tanti gemitus fletusque fiebant, ut acer-
111 bissimus tota urbe luctus versari videretur. Non illi decumarum imperia, non bonorum direptiones, non iniqua iudicia, non importunas istius libidines, non vim, non contumelias, quibus vexati oppressique erant, con-

---

vet. *et perampla).* Vulgo *et pulch. et perampla.* Mox his codicibus fidem negare non debuimus, quod *grande* addunt. Poterit sane aliquis negare grande fuisse, quod in alterius statuae manu insisteret. Sed quid pugnemus, cum et ipsa Cereris statua perampla dicatur, et haud raro Victoriae maiores, quam quae facile gestari posse videantur, inter monumenta conspiciantur? Augusta vero illa species Cereris cum comite suo et adiutore Triptolemo in aula templi.

in recordatione] Vulgo *in recognitione*, nec reprehendo, sed tamen fides optimorum librorum refragatur, Stephaniani, duorum Lamb. (quorum alterum Memmianum, alterum Cuiacianum dicit) Regii (nisi idem est Cuiac. et Stephanianus) denique Guelff. amborum.

tanti gemitus fletusque] Vulgo *tanti fletus gemitusque;* at antecedunt *gemitus.* Paruimus Lambino et Guelff. libris.

§. 111. *importunas istius]* Vulgo *importunissimas*, et *quibus operti oppressique erant.* Nos scripturam Lambinianorum (in marg.) et Guelff. codicum cum coll. Havn. secuti sumus. Repugnat Graevio Ernestius, *vexati* interpretationem esse alterius difficilioris verbi *operti* contendens. Quidni hoc potius tamquam elegans συνώνυμον adscriptum ei quod est *oppressi?* Ciceronem quidem, proprietatis studiosum, non decet *opertus contumeliis*, sicut *infamia*, *dedecore.* Accedit, quod

querebantur: Cereris nomen, sacrorum vetustatem, fani religionem, istius sceleratissimi atque audacissimi supplicio expiari volebant: omnia se cetera pati ac negligere dicebant. Hic dolor erat tantus, ut Verres alter Orcus venisse Hennam, et non Proserpinam asportasse, sed ipsam abripuisse Cererem videretur. Etenim urbs illa non urbs videtur, sed fanum Cereris esse: habitare apud sese Cererem Hennenses arbitrantur: ut mihi non cives illius civitatis, sed omnes sacerdotes, omnes accolae atque antistites Cereris esse videantur. Henna tu simulacrum Cereris tollere au- 112
debas? Henna tu de manu Cereris Victoriam deripere, et deam deae detrahere conatus es? quorum nihil violare, nihil attingere ausi sunt, in quibus erant omnia, quae sceleri propiora sunt, quam religioni. Tenuerunt enim, P. Popillio P. Rupilio consulibus, illum lo-

---

opertus apud Ciceronem semper adiectivum est, nunquam hoc sensu verbum *operire* translate dicitur. — *apud sese Cererem]* Lambinus edidit *apud Cererem sese*, de coniectura sine dubio, ut *accolarum* appellationem explicaret, quoniam *accolae* sunt qui apud aliquem habitant, non apud quos aliquis habitat. Sic fere est, sed ipsa tamen verbi ratio non impedit quominus ad alterutros referatur.

§. 112. *Henna tu simulacrum Cereris tollere audebas? Henna tu* cet.] In editis exemplaribus ante Ernestium utroque loco legebatur *Hennae*. Ille priore loco edidit *Henna*, quo et coniectura se ductum diceret, quodque in Guelff. utroque loco invenisset. Idem e Lambini codd. enotatum reperire potuisset, si repetitionem inspicere voluisset. Verum negat altero quoque loco ablativum ferri posse, haud dubie quod additur *de manu Cereris*. Tu confer ad cap. 43. Etiam hoc intelligitur, ad oratoris elegantiam pertinere, ut idem verbum eodem casu repetatur, et aut genitivus, aut ablativus bis ponatur. Praestat autem ablativus codd. meliorum auctoritate. Sed *deripere* primus edidit Lambinus de coniectura: nam in deterioribus codd. et olim vulgatis *diripere* est, in integrioribus autem, ipsius Lambini, Guelff. et Havn. coll. *eripere*, quamquam Graevius in Regio cod. *deripere* esse tradit. Servavi, quia significatio loci superioris videtur postulare. Tacit. Hist. I, 41 *dereptam Galbae imaginem solo afflixit.*

P. Popillio P. Rupilio] Coss. a. Chr. 132, u. c. 622 quod primum servorum bellum fuit: alterum a M'. Aquillio confectum a. Chr. 99,

cum servi, fugitivi, barbari, hostes. Sed neque tam servi illi dominorum, quam tu libidinum: neque tam fugitivi illi a dominis, quam tu ab iure et ab legibus: neque tam barbari lingua et natione illi, quam tu natura et moribus: neque tam illi hostes hominibus, quam tu diis immortalibus. Quae deprecatio est igitur ei reliqua, qui indignitate servos, temeritate fugitivos,
51 scelere barbaros, crudelitate hostes vicerit? Audistis
113 Theodorum et Numenium et Nicasionem, legatos Hennenses, publice dicere, sese a suis civibus haec habere mandata, ut Verrem adirent et eum simulacrum Cereris et Victoriae reposcerent: id si impetrassent, tum ut morem veterem Hennensium conservarent, publice in eum, tametsi vexasset Siciliam, tamen, quoniam haec a maioribus instituta accepissent, testimo-

---

de quo multa in libro V. In iis quae sequuntur *ab iure et ab legibus* cum Lambini v. c. et Guelff. dedi, *ab iure* etiam vulgarium plerique, Havn. coll. etiam *ab dominis.* Tum ex Guelff. Lag. 29 Havn. coll. *neque tam illi hostes*, pro vulg. reliquorum *neque illi tam hostes.*

§. 113. *Numenium]* scripsi e Guelff. pro vulg. *Numinium.* Νουμήνιος Graecum nomen est (male apud Polybium XXX, 11 Νουμένιος editur, cum var. lect. Νουμίνιος) quod Athenaei lectoribus ignotum esse non potest, *Numinius* nec Graecum nec Latinum. Postea *haec* ante *habere* non est in Guelff. et Lambini v. c. Silet Havn. coll. et facile mendum haberi potest. Sed Guelff. et Havn. in eo consentiunt ut *ad*, quod vulgo est ante *Verrem*, tollatur. Cf. supra ad c. 11 §. 18.

haec a maioribus instituta accepissent] Legitur vulgo *constituta*, sed dudum in ea significatione offendit Hotomannus, seque ut *instituta* emendandum censeret, nihil nisi alicuius veteris libri suffragium expectare scripsit. Illam veterum librorum auctoritatem abunde afferunt Lambinus, Graevius, Ernestius, ut opus vix esse videatur Guelf. 1 et Lag. 29 commemorare. Ernestius tamen negat se recepturum, quia *constituta* eodem sensu dicantur. Vellem idoneis exemplis probasset: nobis quidem quae moribus potius quam conventis nituntur, *instituta* rectius appellari videntur. Tum vulgo *iudicio adessent*, parum Latine, neque enim iudices eorum auxilio indigent, et *multo maxime*, quae superlativi intendendi ratio cum in universum minus placuerit Ciceroni (supra c. 49 extr.) tum in hoc verbo inusitata est.

nium ne quod dicerent: sin autem ea non reddidisset, tum ut in iudicio adessent, tum ut de eius iniuriis iudices docerent, sed maxime de religione quererentur. Quas illorum querimonias nolite, per deos immortales! aspernari; nolite contemnere ac negligere, iudices. Aguntur iniuriae sociorum: agitur vis legum: agitur existimatio veritasque iudiciorum. Quae sunt omnia permagna, verum illud maximum: tanta religione obstricta tota provincia est, tanta superstitio ex istius facto mentes omnium Siculorum occupavit, ut, quaecunque accidant publice privatimque incommoda, pro-

---

Nos quod correximus, de consensu Lambinianorum et Guelff. codicum et collat. Havn. dedimus, *in iudicio* iam ediderat Lambinus. Etiam *tum ut*, quod est in Guelff. et Havn., praestat vulgatae *tum uti*.

agitur vis legum] In Lagomars. praeter 42 omnibus *ius legum* esse traditur, quod num ex mss. certo constitui possit ignoro. Edd. quidem vett. usque ad Hervag. Victor. *ius* exhibent, atque idem in margine repet. se velle significat Lambinus, nam in genuina edit. vulgatam servavit, quod haud dubie multo consultius factum. Offenderit potius aliquis in eo quod praecedit *aguntur iniuriae sociorum*, nam, quantum scio, *agi* dicitur id, quod ne pereat periculum est (cf. pro lege Man. 2 quater): sed concinnitas potentior fuit ratione. Postea vero scribendum videtur *severitas iudiciorum*, ut supra ad Act. pr. 1 exposui.

publice privatimque] Sic Stephanus et Lambinus ex utriusque eorum vet. cod. (quocum conspirat coll. Havn.) ediderunt. Ego cum reliquis in minore editione vulgatam servavi *publice vel privatim*, partim quod nihil e Guelff. enotaram, partim quod illa dicendi ratione universitatem rerum satis recte significari putabam. Factum doleo, nam et Guelff. cum ceteris bonis et Leid. et Lag. 29 faciunt, et, quod magis etiam me movet, interim observavi, nusquam a Cicerone aut veteribus illis simplex *vel* eo quo postea fere fit adhiberi sensu, ut rerum diversitas in pari fine significetur (Germ. *oder was in Hinsicht der Sache gleich ist)*, sed praeterquam quod in re exemplo demonstranda ponitur, adhiberi tantum ad intendendam aut corrigendam orationem. Intenditur oratio ex. gr. ubi ille dicit *Sophoclem vel optime scripsisse Electram:* corrigitur autem plerumque adiecto *potius*, ut Phil. II, 31 *peteres vel potius rogares*, aut XI, 1 *magno in dolore sum, vel maerore potius;* aut addito *dicam* sive *ut verius dicam*, velut Phil. II, 12 *stuporem hominis vel dicam pecudis* et c. 26 *tantus te stupor oppressit vel, ut verius dicam, tantus furor;* aut *etiam*, ut p. Planc. 9 *laudanda est vel etiam amanda.* Longe ra-

pter eam causam sceleris istius evenire videantur. Au-
114 distis Centuripinos, Agyrinenses, Catinenses, Aetnenses, Herbitenses, compluresque alios publice dicere,

---

rius simplex *vel* invenitur, sed ubicunque invenitur, eandem vim servat ut oratio corrigatur et illorum aliquid suppleri possit: Tusc. II, 20 *summum bonum a virtute profectum vel in ipsa virtute positum;* Acad. II (IV) 27 *esse aliquam vim, quae finxerit, vel, ut tuo verbo utar, fabricata sit hominem.* Cf. etiam Acad. II, 26 §. 82. Quod quam huic loco non aptum sit, facile intelligis, et Cicero dixisset *aut.*

propter eam causam sceleris istius] Vulgata adhuc lectio fuit *propter eam causam scelere istius*, in qua sane verba *scelere istius*, quippe non vincta cum reliquis, interpretandi causa adiecta videri possunt. Atque Lambinus quidem cum in priore edit. scripsisset *scelusque istius*, postea aut *scelere istius* aut *eam causam* deleri voluit, Gruterus nihil nisi *scelere istius* relinquendum censuit. Inter quae Ernestius haeret, nec tamen de glossa se dubitare dicit. Mirum quod adeo refugerunt a scriptura alterius sectae codicum, quam Stephanus iam in edit. secutus erat, noratque Gruterus ex marg. Lambiniano, Ernestius ex Guelf. 2, *propter eam causam sceleris istius.* Nam explicandi causa adiectus et Latini sermonis lege vinctus genitivus idem significat quod casus similis appositus. Ex. gr. Cic. Phil. I, 11 extr. *nec erit iustior in senatum non veniendi causa morbi quam mortis:* pone *morbus quam mors*, incondite dixeris, sed sensus idem est. Sic hoc loco *sceleris istius* grammatice applicatur ad nomen *causam*, sed dissolverunt magistri, ex quorum recensione Ciceronem legimus, *propter eam causam, id est, scelere istius.* Neque inutiliter redundabit *eam*, si iungas *propter eam causam sceleris*, quod opponit Ernestius: solet enim hoc facere Cicero, ut pronominibus quasi praetemptet, quod secuturum est, ex quo genere illud imprimis est, quod neutra *id, hoc, illud* abundanter praemitti docemus. Cf. supra ad c. 35 §. 77. Haec dudum scripseram, cum Madvigii in Epist. ad Orellium explicationem huius loci legi, ubi alia plura de epexegetico illo, ut appellat, usu genitivi item ad defendendam nostram scripturam pertinentia, collecta sunt, et exempla similia laudata de Off. II, 5 §. 16 *collectis ceteris causis eluvionis pestilentiae, vastitatis*, ex iisque, quae Beierus ad illum locum attulit, praecipue lib. II de Orat. 15 §. 63 *omnes causae vel casus, vel sapientiae, vel temeritatis.* Cetera ex ipso libello pete, nec omitti tamen debet Aug. Matthiaei commemoratio, qui primus eam rem significavit ad Cic. orat. in Catil. II, 11 §. 24.

§. 114. *Aetnenses, Herbitenses, compluresque]* Vulgo *Herbitenses, Ennenses, complures alios*, in quo ferri nequit quod cum totus locus proprie de Hennensibus sit, eos ipsos inter exempla nominat. Itaque aut delendum nomen cum Guelf. 2 Leid. Lag. 29, aut *Aetnen-*

quae solitudo in agris esset, quae vastitas, quae fuga aratorum, quam deserta, quam inculta, quam relicta omnia. Ea tametsi multis istius et variis iniuriis acciderunt: tamen haec una causa in opinione Siculorum plurimum valet, quod, Cerere violata, omnes cultus fructusque Cereris in his locis interisse arbitrantur. Medemini religioni sociorum, iudices: conservate vestram. Neque enim haec externa nobis est religio, neque aliena. Quodsi esset, si suscipere eam nolletis: tamen in eo, qui violasset, sancire vos velle oporteret. Nunc vero in communi omnium gentium reli- 115
gione, inque his sacris, quae maiores nostri ab exteris nationibus ascita atque arcessita coluerunt, quae sacra, ut erant re vera, sic appellari Graeca voluerunt, negligentes ac dissoluti, si cupiamus esse, qui possumus?

Unius etiam urbis, omnium pulcherrimae atque or- 52
natissimae, Syracusarum direptionem commemorabo et in medium proferam, iudices, ut aliquando totam hu-

---

ses scribendum cum Lag. VI, quoniam in perpetua nominum illorum confusione verum aliquando etiam in deterioribus servari potuit. Accedit nunc, quod *Aetnenses* in Havn. coll. est. Ordinem autem verborum e Guelf. 1 Lambini v. c. Havn. mutavimus, et adiecimus ex his et ceteris bonis *que*. Denique *in agris esset* ex Guelff. et Lambini vet. cod. (sed tacet Havn. coll.) pro vulg. *esset in agris*.

multis istius] Sic Guelff. Lag. 29 Havn. coll. Vulgo *istius multis*. Pro *interisse* (sic enim boni, non *interiisse)* Guelf. 1 *vacasse*. *Conservate vestram*, nimirum *religionem*, legitur nunc recte, sed primus edidit Lambinus, deleto inepto vulgarium librorum additamento *auctoritatem*. Tum quod nunc vulgo editur *neque enim haec externa vobis religio*, vitium edit. Gruterianae est. Nam et codd. et editiones veteres *nobis est religio*. Lambinus solus *vobis* e cod. vet. quocum facit Guelf. 2. Denique pro *arcessita* Guelff. Havn. Lag. 29 *accersa*, Lag. 42 *accersita*, ceteri Lag. *accessa*.

§. 115. *omnium pulcherrimae]* Turpiter facit Lambinus, quod ex coniectura Hotomani adiecit *omnium Graecarum urbium pulcherrimae*. Tantum illi uni tribuit. Sed confer quae dicentur paulo post.

ius generis orationem concludam atque definiam. Nemo fere vestrum est, quin, quemadmodum captae sint a M. Marcello Syracusae, saepe audierit, nonnunquam etiam in annalibus legerit. Conferte hanc pacem cum illo bello, huius praetoris adventum cum illius imperatoris victoria, huius cohortem impuram cum illius exercitu invicto, huius libidines cum illius continentia: ab illo, qui cepit, conditas, ab hoc, qui constitutas accepit, captas dicetis Syracusas.
116 Ac iam illa omitto, quae disperse a me multis in locis dicentur ac dicta sunt, forum Syracusanorum, quod introitu Marcelli purum caede servatum est, id adventu Verris Siculorum innocentium sanguine redundasse; portum Syracusanorum, qui tum et nostris classibus et Carthaginien-

---

§. 115. *atque definiam]* libri Guelff. et coll. Havn. Vulgo *ac definiam. Definiendi* verbum recte Ernestius tuetur, laudato in clave loco Orat. 19 extr. de sophistis eloquentiae magistris, *saepissime extrema similiter definiunt*, quo tollitur Gulielmi dubitatio an scribendum videatur *atque finiam.* — *adventum]* i. e. inter pacatos, *victoria* introitus in urbem vi captam.

§. 116. *multis in locis dicentur]* Sic Guelf. ambo et Havn. coll. item edd. Steph. Lamb. Vulgo *multis locis.* Utrumque fit, ubi *loci* sunt librorum et disputationum: sic de Orat. III, 6 *aliquot locis:* verum si de regione dicitur praepositio non fere omittitur, cf. IV, 54 §. 121. V, 66 §. 169. Itaque servavi I, 17, 46. Post Guelff. *in introitu Marcelli* (sicut Lamb. voluit in marg. repet.) quamquam deinde *adventu* simpliciter. Tum *purum a caede* Lambinus primus e codd. suis dedit, et Gruterus recepit. In vulgaribus libris et editionibus Lambiniana antiquioribus est *a plurima caede*, sed Guelf. ambo et Havn. coll. *purum caede* sine praepositione, quod qui consideret verius putabit. Nam ut *vacuus* sic etiam *purus* cum simplici ablativo coniungi potest. In Cuiaciano Gruterus notat esse *caede serv.* quod ad omissam praepositionem pertinere puto. — *adventu Verris]* oratorie dictum, ut respondeat ad *introitum* Marcelli, neque enim illud primo eius adventu, sed tertio anno factum. Item clausum tum fuisse portum Carthaginiensibus, si accurate rem examines, verum non est, quorum classem intus fuisse saepeque et exisse et redisse, frustra prohibere conantibus Romanis, Livius docet lib. XXV c. 25. Sed aliquando tamen in sua potestate Syracusani habuerunt.

sium clausus fuisset, eum, isto praetore, Cilicum myoparoni praedonibusque patuisse: mitto adhibitam vim ingenuis, matresfamilias violatas, quae tum in urbe capta commissa non sunt, neque odio hostili, neque licentia militari, neque more belli, neque iure victoriae: mitto, inquam, haec omnia, quae ab isto per triennium perfecta sunt: ea, quae coniuncta cum illis rebus sunt, de quibus antea dixi, cognoscite. Urbem Syracusas 117
maximam esse Graecarum, pulcherrimam omnium,

---

§. 116. *in urbe capta]* Sic e libris melioribus Guelff. Havn. Lambini v. c. scribendum erat, minus enim ad rem apposite *quae tum urbe capta commissa non sunt* sine *in* editur. — *perfecta sunt]* De coniectura Ernestii *perpetrata sunt* diximus ad Divinat. c. 12, ubi *peccarit* pro *patrarit* legendum esse docuimus.

§. 117. *Urbem Syracusas maximam esse Graecarum, pulcherrimam omnium]* Urbis celeberrimae laus, si vulgatam hucusque lectionem probaveris, multum imminuetur. Sic enim vulgares codd. (Huydecop. et Lagom. omnium testimonio utor) et editiones praeter Graevianam omnes: *maximam esse Graecarum urbium pulcherrimamque omnium*, nec dubium esse potest, quin in ea scriptura *omnium* ad *Graecarum urbium* referendum sit. Graevius autem unius Regii codicis auctoritatem secutus idem quod nos edidit, eamque ob causam a recentioribus partim tacentibus partim aperte vituperantibus reprehenditur. Verumtamen hoc primum tollemus, quo maxime Garatonius nititur, unum esse illum codicem, quoniam prorsus idem e Stephani vet. in varietate lectionis notatur, nosque in ambobus Guelf. et Erfurtensi invenimus, nec dubitandum est quin Lambiniani, a quibus *urbium* abest, iidem *que* omittant. Deinde Syracusas re vera omnium urbium, non solum Graecarum, pulcherrimam dici, non est quod mirere, cum a Livio ipso lib. XXV, 24 tradatur, qui si forte Romam altero loco c. 29 excipere videtur, noli oblivisci eum septuaginta annis post Ciceronem scripsisse, quo temporis intervallo urbis facies magnopere mutata est. Situs certe et securitate et amoenitate Roma cum Syracusis comparari non poterat, descriptionem autem illius ipse Cicero de lege agr. II, 35 reprehendit, ubi *Romam in montibus positam et convallibus* dicit, *coenaculis sublatam atque suspensam, non optimis viis, angustissimis semitis.* Quae quidem, quantum fieri potuit, Neronis insano aedificandi studio correcta sunt, ut urbs, quae dudum magnificentia operum et amplitudine aedificiorum una omnium maxime excelleret, etiam rectis latisque viis uteretur. Rem iam conficit Ciceronis locus libro de rep. III p. 262 M. *Urbs illa praeclara, quam*

saepe audistis. Est, iudices, ita, ut dicitur. Nam et
situ est cum munito, tum ex omni aditu, vel terra,
vel mari, praeclaro ad aspectum: et portus habet prope
in aedificatione aspectuque urbis inclusos: qui cum di-
versos inter se aditus habeant, in exitu coniunguntur
et confluunt. Eorum coniunctione pars oppidi, quae
appellatur Insula, mari disiuncta angusto, ponte rur-
53 sus adiungitur et continetur. Ea tanta est urbs, ut
118 ex quattuor urbibus maximis constare dicatur: qua-
rum una est ea, quam dixi, Insula: quae duobus por-
tibus cincta, in utriusque portus ostium aditumque
proiecta est: in qua domus est, quae Hieronis regis
fuit, qua praetores uti solent. In ea sunt aedes sa-
crae complures, sed duae, quae longe ceteris antecel-
lant, una Dianae, et altera, quae fuit ante istius ad-

---

ait Timaeus Graecarum maximam, omnium autem esse pulcherrimam, ut simul eius pervagatae laudis auctorem cognoscamus.

in exitu] i. e. interiore et remotiore a mari parte sua. Postea binos ablativos ex uno participio pendentia sic explicabis: eorum portuum coniunctione fit, ut maris angustum brachium urbis partem, quae insula et est et vocatur, a cetera urbe et terra continenti separet, sed ea rursus adiungitur ponte. Ceterum *pons* ille Thucydidis aetate agger fuit, et quae natura insula fuisset paeninsula facta. Διώρυχος cum ponte haud dubie Dionysiorum aetate instituta est, et Strabo vidit, nec novimus, quando denuo aggere iacto insula adiuncta sit continenti, quemadmodum nunc quidem est. — *mari disiuncta]* Guelf. 1 *distincta*. Mox *rursus* pro vulg. *rursum* edidi cum Stephano e melioribus: Lambinus contra codd. *coniungitur*.

§. 118. *duobus portibus cincta]* Vulgo *portubus* et tuetur cum vulgaribus Guelf. 1, contra *portibus* alter Guelf. Lag. 29 Erf. Lambini v. c. cum Havn. coll. quorum librorum auctoritati facile cedas. Cf. Schneideri Gramm. p. 339: duorum locorum, quos laudat, alter satis certus est, pro lege Man. c. 6 extr., sed altero p. Flacco 12 *portibus* codicum auctoritate tutius est. — *Hieronis regis]* Hoc ordine verborum Lambini v. c. Havn. Guelff. Erf. nisi quod in hoc est *Geronis* (non *Gelonis*, ut legitur apud Gruterum de Hittorpiano). Vulgo *regis Hieronis*, neque per se displicere debet ea nominum collocandorum ratio. — *sed duae, quae longe ceteris antecellant]* Sic prorsus Erfurt. Lag. 29 Havn. coll. nec multum abeunt Leid. et Guelf. 2 *antece-*

ventum ornatissima, Minervae. In hac insula extrema est fons aquae dulcis, cui nomen Arethusa est, incredibili magnitudine, plenissimus piscium; qui fluctu totus operiretur, nisi munitione ac mole lapidum disiunctus esset a mari. Altera autem est urbs Syracusis, 119
cui nomen Achradina est: in qua forum maximum, pulcherrimae porticus, ornatissimum prytanium, amplissima est curia, templumque egregium Iovis Olympii, ceteraeque urbis partes, quae una lata via perpetua multisque transversis divisae privatis aedificiis continentur. Tertia est urbs, quae, quod in ea parte Fortunae fanum antiquum fuit, Tycha nominata est, in qua gymnasium amplissimum est, et complures aedes

---

dant, alter autem 1 *antecedunt*. Sed hoc verbum nude positum hoc sensu non placet. Coniunctivum autem nemo opinor abiiciet a libris oblatum, quoniam inest iudicii significatio. Vulgo *antecellunt*. Paulo post scripsimus e Guelf. 1 *una Dianae*, cum vulgo sit *Dianae una*, Guelf. 2 autem et Erf. Havn. cum Oxon. et Huyd. *una* omittant. E Lagomarsinianis nihil excerptum est. In Guelf. 2 et Leid. desunt etiam verba *et altera*.

plenissimus piscium] Guelf. 1 *plenus piscium*. Tum ex utroque Guelf. et Erf. et Lambini v. c. *disiunctus esset a mari* scripsi, cum vulgo esset *a mari disiunctus esset*. Havn. *diiunctus*.

§. 119. *prytanium]* codd. accuratius scripti, Guelff. Erf. coll. Havn. item c. 57 init. Cf. ad cap. 3. Ceterum de prytaniis Livius XLI, 20 *Cyzici in prytaneum (id est penetrale urbis, ubi publice, quibus is honos datus est, vescuntur)* rel. Et fuisse in omnibus urbibus Graecis Casaubonus docet ad Athen. XV, c. 60 p. 700.

ceteraeque urbis partes, quae — continentur] Addidi *quae* ex edit. Steph. et codd. melioribus omnibus, haud dubie e mente Ciceronis, quamvis probare difficile sit. Vereor enim ne cui paulo ineptius dictum videatur *in qua urbe — ceterae urbis partes sunt*, sed verborum ultimorum sensus ita constitui debet, ut e praegressis aliquanto plus suppleatur: *ceteraeque urbis partes* ad eandem rationem sunt. Vulgatam si retinueris, certe nescies quid illi *que* facias, a quo enuntiatio contra sermonis usum incipiat. Ex iisdem codd. *una via lata* pro *una lata via* recepi. — *Tycha]* iam vulgo editur, postquam Gulielmus auctoritate librorum meliorum commendavit. Olim fuit *Tyche*. Sed *et*, quod fuit ante *gymnasium*, nos sustulimus Stephanianam et codices optimos secuti.

sacrae: coliturque ea pars et habitatur frequentissime. Quarta autem est, quae, quia postrema coaedificata est, Neapolis nominatur: quam ad summam theatrum est maximum: praeterea duo templa sunt egregia, Cereris unum, alterum Liberae, signumque Apollinis, qui Temenites vocatur, pulcherrimum et maximum, quod iste si portare potuisset, non dubitasset auferre.

54 Nunc ad Marcellum revertar, ne haec a me sine
120 causa commemorata esse videantur. Qui cum tam praeclaram urbem vi copiisque cepisset, non putavit ad laudem populi Romani hoc pertinere, hanc pulchritudinem, ex qua praesertim periculi nihil ostenderetur, delere et extinguere. Itaque aedificiis omnibus, publicis privatis, sacris profanis, sic pepercit, quasi

§. 119. *Quarta autem est]* Adiicitur vulgo *urbs:* nos omisimus, Lambino praeeunte, quod et facile subintelligitur et abest a bonis omnibus. Optimum vero quod in Erf. Guelf. 2 et Havn. coll. extat *coaedificata est* pro vulg. *aedificata est:* tali enim verbo opus est, quod respondet Germanico *bebauen.* — *qui Temenites vocatur]* De laude uter prior verum dei cognomen restituerit, Lambinus ad h. l. cum Turnebo (cuius vide Advers. VIII, 12 scilicet uno anno ante Cicer. Lambinianum publici iuris facta) contendit. Iniecit tamen iam Hotomanus mentionem eius coniecturae his verbis: „Sunt tamen qui *Temenites* legant." Restitutum certe esse dubium non est. Stephanus Byz. Τέμενος τόπος Σικελίας ὑπὸ τὰς Ἐπιπολὰς πρὸς ταῖς Συρακούσαις, οὗ οἰκήτωρ Τεμενίτης. Sueton. in Tiberio c. 74 *Supremo natali suo Apollinem Temeniten et amplitudinis et artis eximiae* (unde facile intelligas hoc ipsum signum esse, quod Verres deportare non potuerat) *advectum Syracusis, ut in bibliotheca templi novi poneretur, viderat per quietem affirmantem sibi, non posse se ab ipso dedicari.* Ante Lambinum cognomen dei ferebatur *Themistes, Thesmotes, Tennites.* Quod in libris mss. suis Lambinus invenerat, etiam in melioribus nostris et Havn. coll. est.

§. 120. *periculi nihil]* Vulgo *nihil periculi*, quod de coniectura positum videtur, quoniam verbum *periculi* a deterioribus codd. (Lag. VII Oxon. Huyd.) abest: verum in melioribus Lag. 29 Guelff. Havn. coll. est, sed inverso ordine. — *aedificiis omnibus, publicis privatis, sacris profanis, sic pepercit]* Corruperunt haud dubie locum, qui editionum veterum scriptura relicta copulas iniecerunt *publ. et priv., sacris et prof.* Et primus quidem Naugerius altero tantum loco *et prof.*

ad ea defendenda cum exercitu, non expugnanda venisset. In ornatu urbis habuit victoriae rationem, habuit humanitatis. Victoriae putabat esse multa Romam deportare, quae ornamento urbi esse possent, humanitatis, non plane expoliare urbem, praesertim quam conservare voluisset. In hac partitione ornatus 121
non plus victoria Marcelli populo Romano appetivit, quam humanitas Syracusanis reservavit. Romam quae apportata sunt, ad aedem Honoris et Virtutis, itemque aliis in locis videmus. Nihil in aedibus, nihil in hortis posuit, nihil in suburbano: putavit, si urbis ornamenta domum suam non contulisset, domum suam ornamento urbi futuram. Syracusis autem permulta atque egregia reliquit: deum vero nullum violavit, nul-

---

mox Hervag. et Victor. utroque ediderunt. Quid? quod ne deteriorum quidem codicum mss. ullus habet. Sed Ernestius Graevio verum restituenti obsequi noluit, nec eum Guelf. 2 perturbata scriptura *aedificiis publicis omnibus privatis sacris profanis* admonuit. Eadem tamen traiectio verborum etiam in Guelf. 1 Lambini v. c. Havn. coll. invenitur. — *ornamento urbi]* Sic de coniectura, ut videtur, Naugerius. Nam editiones antiquae et rursus Stephaniana et libri mss. omnes *urbis.* Sed *expoliare* dedimus cum Stephano et Graevio secundum meliores. Deteriores et vulgo editi *spoliare.*

§. 121. *Romam quae apportata sunt]* Vulgo *asportata*, quasi non ipse iam orator de Roma haec Romae dicat. Guelferbytani codices inter se dissentiunt, prior enim *apportata* cum Lamb. v. c. in marg. repet. et Havn. coll. *(adportata)*, alter *deportata*, quod etiam Lambinus in uno suorum invenisse censendus est, Solus enim sic ipse edidit. Paulo post *Honoris et Virtutis* ex libris Lambini et Guelff. et Lag. 29 est, reliqui et vulgo *atque* prorsus falso. *Itemque* dudum editur, sed Huyd. et Lagomarsiniani omnes praeter 29 et edd. vetustissimae *item.* Cf. ad IV, 11 extr.

domum suam ornamento urbi futuram] Honestam et dignam illius aetatis virtute sententiam exposuit Hotomanus, quo magis miror Lambinum inepte coniecisse *domui suae ornamento urbem futuram* et illud ipsum temere in textum recepisse. Sed eius rei admonuit lectorem, uti solet facere, si quid contra libros mstos auctori obtrudit. Ceterum codd. vulgares et edd. veteres omnes *urbi ornamento* inverso quam quo nunc post repetitam Lamb. scribitur verborum ordine.

lum attigit. Conferte Verrem: non ut hominem cum homine comparetis, ne qua tali viro mortuo fiat iniuria; sed ut pacem cum bello, leges cum vi, forum et iurisdictionem cum ferro et armis, adventum et comitatum cum exercitu et victoria conferatis.

55 Aedis Minervae est in Insula, de qua ante dixi:
122 quam Marcellus non attigit, quam plenam atque ornatam reliquit, quae ab isto sic spoliata atque direpta est, non ut ab hoste aliquo, qui tamen in bello religionum et consuetudinis iura retineret, sed ut a barbaris praedonibus vexata esse videatur. Pugna erat equestris Agathocli regis in tabulis picta: his autem tabulis interiores templi parietes vestiebantur. Nihil erat ea pictura nobilius, nihil Syracusis, quod magis visendum putaretur. Has tabulas M. Marcellus, cum omnia victoria illa sua profana fecisset, tamen religione impeditus non attigit: iste, cum illa iam propter diuturnam pacem fidelitatemque populi Syracusani sacra religiosaque accepisset, omnes eas tabulas

---

§. 121. *adventum et comitatum] Adventum* opponit *victoriae*, ut supra c. 52 *huius praetoris adventum cum illius imperatoris victoria*. Neque enim *introitus* satis significat.

§. 122. *Aedis Minervae] Aedis* in v. c. legi notavit in margine Lambinus, et est in Havn. coll., ego in Guelff. et Erfurt. inveni, quocirca non videtur faciendum esse quin recipiamus. De eius verbi duplici forma cf. Drakenborch. ad Liv. IV, 25 et dicitur ab omnibus *aedicula*, quo argumento utitur Priscianus p. 703 ut probet, quia sit *apicula* et *fidicula*, nominativum verborum simplicium exisse in *is*.

qui tamen — iura retineret] i. e. servaret, conservaret. Sed miror libros meliores omnes habere *contineret*, cui quid faciam nescio.

Agathocli regis] ediderunt Lambinus et Graevius et praebent etiam nostri codices Guelf. ambo et Erfurt. Vide ad cap. 2. Mox autem vulgo *in tabulis picta praeclare* ex emendatione Naugerii, nam codd. vulgares et olim editi *praeclaris* habent. A melioribus, Stephaniano Leid. Guelff. Havn. coll. Erf. ea vox abest, nec sane quisquam desiderabit. Tum *victoria illa sua* Guelff. et Havn. coll. Vulgo *illa vict. sua*. — *religiosaque accepisset] Cepisset* omnes boni praeter Erfurtensem, nec probo. Iidem cum Erf. *manserant — acceperant*,

abstulit: parietes, quorum ornatus tot saecula manserat, tot bella effugerat, nudos ac deformatos reliquit. Et Marcellus, qui, si Syracusas cepisset, duo templa 123
se Romae dedicaturum voverat, id, quod erat aedificaturus, his rebus ornare, quas ceperat, noluit: Verres, qui non Honori, neque Virtuti, quemadmodum ille, sed Veneri et Cupidini vota deberet, is Minervae templum spoliare conatus est. Ille deos deorum spoliis ornare noluit: hic ornamenta Minervae virginis in meretriciam domum transtulit. Septem et viginti praeterea tabulas pulcherrime pictas ex eadem

---

sed plurali numero *ornatus* dici eccui placebit? Aliam emendandi viam commonstrat Guelf. 1, in quo non *ornatus*, sed *ornatui* legitur. Sed ne ea quidem placet. Mendum igitur illud putabimus.

§. 123. *si Syracusas cepisset]* Honoris et Virtutis templa a M. Marcello aedificata esse ante portam Capenam et exornata spoliis Syracusarum, nota res, vide Liv. XXV, 40, ubi et illud discimus, cupiditatem illam Marcelli in ipsius monumenta vertisse. Sed hoc nondum notatum inveni, errasse Ciceronem quod votum illud in obsidione Syracusarum factum diceret. Livius enim, haud dubie certior in eiusmodi rebus auctor, lib. XXVII, 25 vovisse Marcellum in primo consulatu a. 222 a. Chr. bello Gallico ad Clastidium tradit. — *id quod erat aedificaturus]* Lambinus in marg. repet. ex v. c. *is id quod erat aed.* se recepturum ostendit, et recepit auctore Garatonio Beckius. Adiuvant Havn. coll. Erf. Guelf. 2. Ego dubito, quoniam in Guelf. 1 non legitur *id*, et ingrata pronominum accumulatio videtur, certe *is* minus necessarium ad orationem explendam quam aut paulo post aut c. 30 pr. Sed *quemadmodum ille* e libris mss. melioris sectae omnibus (etiam Lag. 29) recepimus pro vulgato *ut ille.* Praeterea Lambinus *deos deorum spoliis ornari* edidit, quod et inventum est in codice Regio et fragm. Erfurt., parum concinne. — *Septem et viginti praeterea tabulas]* Non sola Ernestii auctoritate correxissem vulg. *viginti et septem*, quod verbis non numerorum signis in Guelf. 2 scriptum extat, nisi illud in altero antiquiore, item expressis verbis invenissem. Sunt sane loci, quibus etiam maiorem numerum sequente *et* praeponere licuisse intelligatur, ut Curt. III, 10 *triginta et duo*; Monum. Ancyr. tab. 1 a dextra *triginta et quinque;* Livius XXXV, 1 extr. *septuaginta et tres*, quamquam cum variante lect. Plautus Mil. III, 1, 35 *quinquaginta et quattuor;* Q. Fabius apud Gellium V, 4 *annos viginti et unum.* Sed hi tamen sunt pauci et laboriose conquisiti nec cum co-

aede sustulit: in quibus erant imagines Siciliae regum ac tyrannorum, quae non solum pictorum artificio delectabant, sed etiam commemoratione hominum et cognitione formarum. Ac videte, quanto taetrior hic tyrannus Syracusanus fuerit, quam quisquam superiorum: quia illi tamen ornarunt templa deorum immortalium, hic etiam illorum monumenta atque ornamenta sustulit.

---

rum multitudine comparandi, ubi contrarium fit. Quae a Schellero Obss. pag. 69 collecta sunt exempla, non huc rettuli, quia composita sunt cum *decem*, in quibus obtinere aliam legem docui in Gramm. Lat. c. 28 et 29. Sed ut de re adiiciamus aliquid, de septem et viginti regibus ac tyrannis nobis quidem nihil exploratum est, sed numerum eorum, qui vulgo noti sunt, augeri accurate evolvendis scriptoribus antiquis, annotat Münterus senex venerabilis Itin. per Siciliam p. 332.

sed etiam] Codd. Guelff. et Lambiniani *sed et*. Tuentur *etiam* Erf. et Havn. coll. et quod redit mox *et* suo sensu. Eadem res paulo post est §. 124 *sed et pretio quaestuque*. — *tyrannus Syracusanus]* Codd. fere omnes *Syracusanis*; nam *Syracusis*, quod est in edd. principibus et in Ascens. 1511 et Iunt. 1515, num in ullo libro ms. legatur dubito. Quid igitur? rectene illud videtur restituisse Naugerius? Non opinor. Dativus enim in hac orationis forma offendit, elegantia vero sententiae utraque scriptura multum cedit tertiae, quam repetitores Lambiniani induxerunt, *Syracusanus*. Eam nunc quidem putant mendo typographico ortam, seque emaculasse gloriatur Ernestius, neque magnopere ea de re contenderim. Verum tum vitio optimam coniecturam debemus, quam ego nunc non dimittam. Litterarum discrimen quam exiguum sit non attinet dicere, sed nota acerbitatem inversionis et compara *terrestrem archipiratam* V, 27.

quia illi tamen ornarunt cet.] Vulgo hic locus sic legitur: *cum illi tamen ornarint templa deorum immortalium, hic etiam deorum monumenta — sustulerit*. Sed *sustulit* libri meliores omnes inde a Stephaniano vetere; pro eo, quod est *ornarint*, Guelf. 2 *ornaverunt*, Lag. 29 Erf. *ornarent*: pro *cum* Guelf. 2 expressis litteris, Guelf. 1 compendiosis *quia*, Erf. et Havn. coll. *quam*. Sed omnes boni in eo concordant, quod pro *deorum* exhibent *illorum*, edidit quidem unus Lambinus. Qua scriptura recepta gradatio fit venustissima, quae in vulgari lectione nulla est. Nam quae monumenta ab illis ipsis tyrannis posita erant, (ea enim sunt *illorum monumenta*,) quibus ne se quidem ab omni religionis sensu alienos esse probarant, ea Verres impietate illos vincens abripuisse graviter ornateque dicitur.

Iam vero quid ego de valvis illius templi com- 56
memorem? Vereor, ne, haec qui non viderint, omnia 124
me nimis augere atque ornare arbitrentur: quod tamen nemo suspicari debet, tam esse me cupidum, ut tot viros primarios velim, praesertim ex iudicum numero, qui Syracusis fuerint, qui haec viderint, esse temeritati et mendacio meo conscios. Confirmare hoc liquido, iudices, possum, valvas magnificentiores, ex auro atque ebore perfectiores, nullas unquam ullo templo fuisse. Incredibile dictu est, quam multi Graeci de harum valvarum pulchritudine scriptum reliquerint.

---

§. 124. *de valvis]* Quid differant valvae a foribus Garatonius laudato Isidoro (XIII, c. 7) docuit, nimirum *fores* esse, quae foras vertantur, *valvas* quae introrsum aperiantur. Sed *cupidum* h. l. ne quis cum Lambino admiretur, puta esse qui animi affectu abripitur, ut veritatis oblitus nihil nisi studium suum sequatur (nostri *leidenschaftlich).* Qua ratione imprimis testes cupidi appellantur, quibus sapientes iudices fidem habere non dicuntur p. Flacco 8. Sed haec iam alii recte explicarunt: nos hoc loco correximus *viderint* pro vulg. hucusque *viderunt* sed auctore usi Guelf. antiquiore. Cum non certi sint, qui non viderunt, sed in universum significentur quicunque ea non viderunt, coniunctivum modum necessarium puto. — *nullas unquam ullo templo fuisse]* Editionum vett. lectio est, quae codicum vulgarium (Huydecop. Lagom. praeter unum 29 omnium), *ullo in tempore*, sed mox (Ascens. 1511) deleta praepositione *ullo tempore* scriptum. Quae nunc inde a Grutero vulgata lectio facta est, *ullo templo* auctorem habet Turnebum Advers. VIII, 12 sic in mstis vetustis esse affirmantem. Sed nescio quid sit quod iam Hotomanus, qui decennio ante scripserit, annotat „sunt qui ex antiquis libris *ullo templo* corrigant.“ Miror etiam Lambinum, qui in annotatione repetitae editionis se iam *ullo in templo* iuxta fidem Turnebi editurum narrat, cum ille certe non habeat praepositionem. Ipsius Lambini codd. non dubito quin praetulerint sicut Guelferbytani *illo templo*, unde factum, ut Turnebi potius codices in re dubia laudarit. Sed satis. *Ullo templo* in codice Cuiac. apud Gruterum et Regio apud Graevium fuisse traditur, quamquam nunc dubitationem facit Havn. coll., ex qua idem illud *illo templo* profertur, certe de Erfurt. (Hittorp.) ipse confirmo. Quodsi praepositionem omitti non posse censes, Lambinianae coniecturae auctorem addo. Lag. 29. Sed sic tamen *illo foro* pro *in illo foro* II, 18 §. 44, et *augustissimo templo* V, 72 §. 186.

de harum valvarum] Sic ordine verborum mutato Lambinus in

Nimium forsitan haec illi mirentur atque efferant: esto; verumtamen honestius est rei publicae nostrae, iudices, ea, quae illis pulchra esse videantur, imperatorem nostrum in bello reliquisse, quam praetorem in pace abstulisse. Ex ebore diligentissime perfecta argumenta erant in valvis: ea detrahenda curavit omnia. Gorgonis os pulcherrimum, cinctum anguibus, revellit atque abstulit: et tamen indicavit, se non solum artificio, sed etiam pretio quaestuque duci. Nam bullas aureas omnes ex his valvis, quae erant multae et gra-

---

marg. edit. repet. voluit: et fidem faciunt Guelff. Erfurt. Havn. coll. Vulgo *de valv. harum* aliquanto durius. — *mirentur atque efferant]* Si nihil aliud nisi Guelferbytanorum librorum auctoritatem sequendam putarem, scribendum esset *mirantur atque efferunt.* Etiam Stephanus et Lambinus sic ediderunt, sed Lambinum verisimile fit tamen sententiam mutasse, quoniam in marg. repet. restituta vulgata scriptura alios, non ipsum Lambinum, habere indicativos annotatur, quae fere significatio eo pertinere solet, ut illum superius iudicium suum improbasse intelligamus. Accedit quod Havn. coll. cum *mirantur* habeat, altero tamen loco coniunctivum servare videtur, et Erfurtensis liquido vulgatam scripturam firmat. Itaque iam securi Ciceronem sua consuetudine uti patiemur, ut verbi naturam et etymon secutus *forsitan* cum coniunctivo coniungat. Cf. ad librum I, 38 fin. sed vide tamen quam nihil in his rebus sine exceptione sit: nam indicativus in orat. pro Ligar. extr. est. — *rei publicae nostrae]* Guelff. et Lambini vet. cod. in marg. *nostrae reip.* habent, contra stant cum vulgata Erfurt. et Havn. coll. Paulo post alio ordine verborum Lamb. voluit *perfecta erant argum.* sed libri nostri non mutant. *Argumenta* autem h. l. proprie dicuntur, quae ex historia, haud dubie ipsius deae, delecta sunt in quibus effingendis artifices versarentur, nostrates peregrino vocabulo *Scenen* dicunt. Torquet se etiam Quintilianus Instit. V, 10, 9 in definiendo verbo, sed omnino *argumentum* est fundamentum aut verum aut veritati adsimilatum, quod aut verbis scriptor aut figuris artifex exponat. — *Gorgonis os pulcherrimum, cinctum anguibus]* *Crinitum anguibus* primum inveni in Hervagiana 1534 (non Victor.), tum in Manutiana 1540, eamque lectionem deinde ita probarunt omnes, ut iam non unde et qua de causa inducta esset, quaererent. Poetica scilicet festivitate ducti librorum omnium scripturam neglexerunt. At ego tantum abest ut eam dicendi rationem contra librorum mss. auctoritatem invito scriptori obtrudere velim, ut corrigendum putarem, si quid eius generis ad iudices dixisset.

ves, non dubitavit auferre; quarum iste non opere delectabatur, sed pondere. Itaque eiusmodi valvas reliquit, ut, quae olim ad ornandum templum erant maxime, nunc tantum ad claudendum factae esse videantur. Etiamne gramineas hastas — Vidi enim vos in 125
hoc nomine, cum testis diceret, commoveri, quod erant eiusmodi, ut semel vidisse satis esset: in quibus neque manu factum quicquam, neque pulchritudo erat ulla, sed tantum magnitudo incredibilis, de qua vel audire satis esset, nimium videre plus quam semel — etiam id concupisti?

Nam Sappho, quae sublata de prytanio est, dat 57

---

§ 124. *multae et graves]* Vulgo *et multae et graves*, sed prius *et* ab libris melioribus nostris et olim Steph. ac Lambini (etiam ab Havn. coll.) abest, recte. — *cludendum* Guelf. 1 et Havn. coll., *eludendum* Guelf. 2: sed vulg. servat Erfurtensis.

§. 125. *gramineas hastas]* nemo adhuc satis explicuit, praeter Garatonium, qui nuper in curis secundis in orat. pro Plancio p. 133 Indicas arundines esse docuit, quarum de amplitudine ingenti conferri iubet Plinium hist. nat. lib. XVI, 65 Harduin. (non XVII, 35) — *praeferuntur Indi* (calami), *quorum alia quibusdam videtur natura, quando et hastarum vicem praebent, additis cuspidibus. Arundini quidem Indicae arborea amplitudo: qualem vulgo in templis videmus.* Sic Ampelium quoque libri memoralis c. 8 de Minerva Atheniensi dicere: *ipsa autem dea habet hastam de gramine.* Nimirum gramen generis esse appellationem, cuius species et arundines et frumenta sint, pluribus verbis eodem illo loco probat. Est igitur *Bambusrohr.*

in hoc nomine, cum testis diceret, commoveri] Sic Stephanianus liber in variet. lectionis (non in textu) optime, nam *nomen* esse rem sive locum quem fugit? Neque aliud in suis libris Memmianis videtur Lambinus invenire debuisse, quoniam est in Guelff. Sed is tamen non modo vulgatam servavit, quae est *non minime cum testes dicerent*, sed eam denuo corrupit *non minimum* scribens. Verum, nihil de Stephaniano cogitans, restituit Graevius e Regio, sed et is et Ernestius singularem numerum omiserunt, qui est in libris iisdem. Et abunde satis est unus in tantilla re. Sed *quod erant eiusmodi* iidem libri, et recepi *eiusmodi* pro vulg. *huiusmodi, erat* mendum est. Denique vulgo *etiamne id concupisti?* nos ex utroque Guelferbytano *etiam* dedimus, nam sic solet fieri in continuata interrogatione, cum semel iam praecesserit illa particula. Cf. V, 47 pr. et 58 pr. et vide ad V, 25 pr.

tibi iustam excusationem, prope ut concedendum at-
126 que ignoscendum esse videatur. Silanionis opus tam perfectum, tam elegans, tam elaboratum, quisquam non modo privatus, sed populus potius haberet, quam homo elegantissimus atque eruditissimus Verres? Nimirum contra dici nihil potest. Nostrum enim unusquisque, qui tam beati, quam iste est, non sumus, tam delicati esse non possumus, si quando aliquid istiusmodi videre volet, eat ad aedem Felicitatis, ad monumentum Catuli, in porticum Metelli; det operam, ut admittatur in alicuius istorum Tusculanum; spectet forum ornatum, si quid iste suorum aedilibus commodarit: Verres haec habeat domi; Verres ornamentis

---

§. 126. *Silanionis opus]* Ante Lambinum edebatur aut *M. Syllamonis* (Venet. 1499 Iunt.) aut *M. Syllani* (Ascens.) aut quod a Naugerio factum plerisque probabatur *M. Syllanionis*. Unum vidi P. Manutium in edit. 1559, qui ineptum praenomen sagaciter corrigeret scriberetque *an.* Lambinus autem, cum praenomen, quod in libris melioribus non invenerat, sustulisset, etiam nomen, quod iam etiam apud Plinium hist. nat. XXXIV, 8 est, restituit. Atheniensis fuit, Lysippi aequalis circa exitum Alexandri Magni. — *quam iste est]* Abest *est* a Lag. 29. — *ad aedem Felicitatis]* monumentum L. Mummii, vide cap. 2; ad quam Praxitelis ex aere pulcherrima signa fuisse tradit Plinius libro XXXIV, 19 nr. 70, sed eodem loco conflagrasse sub Claudii principatu. *Catuli monumentum* cave intelligas aedem Iovis Capitolini: est Fortunae huiusce diei, quam vovit Q. Catulus bello Cimbrico, teste Plutarcho in vita Marii c. 26; et cuius meminit Plinius l. l. 19, nr. 5, et nr. 1, ubi cf. not. Harduini. De *porticu Metelli* Macedonici in regione IX cf. eundem Plinium XXXIV, 14, quo loco tradit in ea Corneliae matris Gracchorum statuam fuisse, et Adlerum in descript. urbis Romae p. 304. — *spectet forum ornatum, si quid iste suorum aedilibus commodarit]* Corruptissima haec in editionibus principibus legebantur, partim etiam adhuc leguntur. *Forum ornatum* edidit primus Stephanus cum Lambino e codd. melioribus, sed iam antea fuisse, qui idem de coniectura reponi vellent, annotatio Hotomani reprehendentis videtur docere, nec verisimile fit Manutium in editione 1559 a Stephano habere. Gruterus quidem non adeo caecus erat, ut vulgatam deteriorum codd. scripturam *eorum ornatum* tueretur. Deinde in editionibus principibus *aedibus* est pro *aedilibus*, quod ex multis etiam deterioris familiae codicibus correxit Naugerius. Restabat unum, quod aeque ne-

fanorum atque oppidorum habeat plenam domum, villas refertas. Etiamne huius operarii studia ac delicias, iudices, perferetis? qui ita natus, ita educatus est, ita factus et animo et corpore, ut multo appositior ad ferenda, quam ad auferenda signa esse videatur. Atque haec Sappho sublata quantum desiderium 127
sui reliquerit, dici vix potest. Nam cum ipsa fuit egregie facta, tum epigramma Graecum pernobile incisum est in basi, quod iste eruditus homo et Graeculus, qui haec subtiliter iudicat, qui solus intelligit, si unam litteram Graecam scisset, certe una sustulisset. Nunc enim, quod scriptum est inani in basi, declarat, quid fuerit, et id ablatum indicat.

---

cessarium puto, ut *commodarit* pro eo quod adhuc circumfertur, *accommodavit* scribatur. Nam *accommodare* alicui aliquid, est instituere ad alicuius consilium aut arbitrium, nusquam quod h. l. necesse est, usum rei ad tempus concedere: et coniunctivum reliqua oratio postulat. Est autem *commodarit* in edit. Steph. et codd. Reg. Guelf. 2 *commendaverit* in Guelf. 1. Lambinus *commodavit* dedit.

ornamentis] Guelff. Leid. Havn. coll. *ornamentum*. — *ita natus, ita educatus est]* Sic et Guelff. et Lambini v. c. cum Havn. coll. Vulgo *ita natus est, ita educatus*. — *ad ferenda quam ad auferenda signa]* Optimam hanc lectionem codd. meliorum tamdiu neglectam iacuisse, postquam semel Lambinus in lucem protulerit, est sane quod mirere. Vulgata enim *ad deferenda — signa* non habet eum sensum, quem Hotomanus inesse volebat, ut Verres baiulus potius signorum, quam possessor esse diceretur, sed hoc est *ferre* simpliciter. Iam igitur ne quis posthac dubitet, auctoritatem adscribo amborum Guelf. Leid. Stephani veteris in varietate lect. cum Havn. coll. Ceterum *appositum* dici qui faciat aliquid, non cui fiat, notabis sane: verum ne reliqua quidem duo verba *aptus* et *idoneus* tali discrimine separantur.

§. 127. *cum ipsa — tum — incisum est]* Sic dedit Stephanus et post eum Lambinus e codd. Vulgo *tum ipsa*, et *incisum habuit* fuit: sed *cum* omnes approbarunt, *incisum est* omiserunt. Hoc quoque nunc in textum recipimus, confirmatum Havn. coll. et Guelff. Sed epigramma illud estne in Anthologia Graeca servatum? Multa leguntur in Sapphonem scripta, et nihil impedire videtur quin sit quod Platonis nomen gerit Anthol. Brunck. T. I p. 171. — *certe una sustulisset]* Cum in vulgata lectione *certe non sustulisset* negatio sententiam prorsus evertat, ac nihil e libris vel scriptis vel editis praesidii ostendatur,

Quid? signum Paeanis ex aede Aesculapii prae-
clare factum, sacrum ac religiosum, non sustulisti?
quod omnes propter pulchritudinem visere, propter re-
128 ligionem colere solebant. Quid? ex aede Liberi si-
mulacrum Aristaei non tuo imperio palam ablatum est?
Quid? ex aede Iovis religiosissimum simulacrum Iovis
Imperatoris, quem Graeci Urion nominant, pulcherrime

---

ad coniecturam descendendum est. Atque gavisus sum, quod primum mihi legenti in mentem venisset ab Herelio iam aliquanto ante repertum esse, ut *una* scriberetur pro *non*. Atque hoc quidem soni causa, ut oratio paulo plenius decurrat, magis placet quam ut negatio simpliciter tollatur, id quod Garatonius faciendum putavit. Verum alterutra ratio ineunda erit, siquidem ab interrogatione, qua constituta deletoque verbo *certe* Beckius locum adiuvari posse putavit, tota orationis forma abhorret. Nam *certe*, quamquam deest in edit. vetustissimis et codd. vulgaribus, ut Oxon. Huydec. Lagom. VII, apparet tamen in melioribus et Lag. 29, ex quibus Hervagianus et Iuntinus editor (1534) restituerunt. Ad rem confer cap. 35 extr. Mox *inscriptum* legatur an *scriptum*, parum refert, sed dedimus *scriptum* Stephanum et Lambinum eorumque libros secuti. Lag. praeter 29 omnes et vulgo editi *inscriptum*.

signum Paeanis] Lambinus *Paeonis* et infra, ubi *Paean* est, *Paeon*, frustra: nam deorum illum medicum utroque nomine recte appellari constat, et Latini quidem scriptores *Paeanem* malunt (cf. Macrob. Saturnal. I, 17): nec mutant codices mss. *ac religiosum* e Guelf. 1 et Havn. coll. dedimus, Guelf. 2 *atque:* vulgo *et*.

§. 128. *simulacrum Aristaei]* non *Aristei*, ut vulgo editur. De hoc inventore casei et olei et mellis, eamque ob causam συννάῳ Bacchi, cf. praeter Iustin. lib. XIII, 7 interpretes et imprimis Vossium ad Virgil. Georg. IV, 317 sqq. Sed in fine huius capitis, ubi vulgo est *Aristaeus, qui, ut Graeci ferunt, Liberi filius, inventor olei esse dicitur*, non poteris non et orationis et rei causa verba *ut Graeci ferunt Liberi filius* spuria iudicare, utpote quae ex alicuius magistri explicatione de margine in textum venerint. Ernestii quidem ratione non utor interrogantis, ecquid illa opinio solorum Graecorum, non etiam Romanorum fuerit: nam haud dubie Graeca illa religio fuit; sed apud Graecos ille non Liberi sive Bacchi sed Apollinis filius existimatur, et nihil verisimilius quam errorem inde natum esse, quod *Liber pater* mox dicitur, cognomine Romano, non ad Aristaeum pertinente. Oratio autem pessime turbatur et conciditur, nec sanatur, si forte, sublatis verbis *Liberi filius*, reliqueris *ut Graeci ferunt*.

Iovis Imperatoris, quem Graeci Urion nominant] De Iove Οὐρίῳ et eius celebri ἱερῷ in ore Ponti plena omnia: neque describam

factum, nonne abstulisti? Quid? ex aede Liberae parvum illud caput pulcherrimum, quod visere solebamus,

---

locos scriptorum a Fr. Osanno in commentatione epigraphica, qua corpus inscriptionum Graecarum a se edendum commendavit, quae legitur in Miscellaneis criticis a Friedemanno et Seebodio collectis Vol. I p. 287 sqq. aut plenius etiam collatos a Conr. Levezovio in singulari dissertatione, quam de signo quodam aeneo prope Berolinum in sepulcris vetustis invento, quodque ipse probare vult esse *Iovis Imperatoris*, a. 1826 edidit: siquidem his testimoniis nihil aliud efficitur, quam fuisse illum εὐπλοίας datorem (οὖρον enim ventum secundum esse nemo ignorat), imprimis venerabilem iis, qui Pontum mare importunissimum navigarent, aut ex eo in Aegaeum redirent. De forma ac specie eius nihil notum. Iam vero qua ratione is apud Romanos Iuppiter *Imperator* appellari potuerit quaeritur. Ac nulla quidem potuisse multis argumentis demonstrat Levezovius in laudata dissertatione, sed aut emendandum esse nomen, aut ab oratore male impositum. Emendandum esse etiam olim nonnulli arbitrati sunt; nam Melchior Laubanus apud Gruterum *Imbricitorem*, homo doctus in Actis Lipsiensibus a. 1729 pag. 146 *Temperatorem* legi voluerunt, uterque haud inepte, certe aliquanto verisimilius quam aut Chishull Anglus in Antiquit. Asiat. p. 61 *Impuberem* coniecit, aut, si ne hoc quidem omittendum est, Buttmannus in lexilogo Tom. II p. 34 se dicit aliquando voluisse *Imberbem*, quoniam de tali Iovis Urii forma nihil prorsus exploratum est, qua de re vide Buttmanni suam emendationem damnantis sagacem expositionem in eodem libro. Sed a corrigendo deterret nomen ter sine ulla varietate scripturae positum, et quod eadem correctio etiam ad Livium pertineret, qui lib. VI, 29 item de signo Iovis Imperatoris in Capitolio posito tradit, quod idem videri cum eo, quod Cicero a Flaminino advectum commemorat, paulo post demonstrabimus. Porro mihi quidem, etsi oratorem in obscuritate veteris memoriae labi potuisse facile adducor, ut credam, persuaderi tamen nequit, eum in ipsa religione nunquam omissa errasse. Nam Iovem Imperatorem in Capitolio ducentis fere annis post coli non desisse, ostendit Plinius in Panegyrico c. 5, ubi ex eo, quod hominum turba simul cum Traiano, tum legato Caesaris, in Capitolium ingressa *Imperatorem*, non hominem sed deum, consalutavit, omen captum esse exequitur, fore ut ille mox Romae imperaret. Verum ex illo ipso loco coniicio, Iovem *Imperatorem* more antiquitus tradito a Romanis vocatum esse eum, qui itineris sive expeditionis faustae dux esset, siquidem illa quoque turba apud Plinium videtur fuisse eorum, qui iter suscipere vellent. Quid, si nomen ipsum *Imperator* derivandum est ab *endo* sive *in* et περᾶν, ut ille dicatur, qui efficit, ut, quo quis tendit, perveniat? Pone speciem fuisse adhortantis viamque manu extenta monstrantis: certe ὁδηγητὴρ Urios appellatur in epigrammate, quod descripsit de basi statuae Osannus in comment. supra laudata. Nam quam

num dubitasti tollere? Atque ille Paean sacrificiis an-
niversariis simul cum Aesculapio apud illos colebatur:
Aristaeus, qui, [ut Graeci ferunt, Liberi filius,] inven-
tor olei esse dicitur, una cum Libero patre apud il-
58 los eodem erat in templo consecratus: Iovem autem
129 Imperatorem quanto honore in suo templo fuisse ar-
bitramini? Coniicere potestis, si recordari volueritis,

---

speciem idem Osannus, amicus noster, nuperrime in dissertatione Giessensi de fragmento Graeco peripli p. 13 arbitratur Iovis Imperatoris fuisse, sedentis cum fulmine, Raschii in lexico numm. auctoritatem secutus, eam Levezovius p. 13 veram esse negat; quam autem Levezovius fuisse putat, militis armati, eam ipse non diffitetur adhuc non esse inventam.

parvum illud caput] Ordo verborum e Guelff. est: vulgo *parvum caput illud:* in Havn. coll. abesse *illud* notatur. Sed turbant libri in primo verbo. Nam codd. plerique omnes *parinum*, etiam meliores, Regius apud Graevium, quattuor Lallemandi, *parmum* e Cuiaciano affert Gruterus et ego in Guelf. 2 inveni, sed etiam hoc redire videtur ad *parinum*. Itaque sic edd. vetustissimae exhibent, Naugerius *parvum* de coniectura dederat, nec dubitarat quisquam, donec Graevius *Parium* legi posse putavit et Lallemand. cum Beckio *Parinum* scripsit. Hoc quidem prorsus ferri nequit, sed ne *Parium* quidem placet. Quid enim? Num pulcherrimum deae caput, quod Cicero laudat, e lapide bibulo aut vili lapide factum putaremus, ni illud addidisset? Aut quid admirationis inest in Pario marmore, ubi de signo religioso sermo est? Mihi quidem dubium non est, quin istae librariorum sint aberrationes, et si auctorem desideras, accipe librum Guelf. 1, in quo *parvum* perspicue extat. *Liberae* autem, quod praecedit, verum est, et Guelff. quoque codd. firmatur. Sed priusquam Graevius e Regio correxit, e deterioribus *Liberi* legebatur. *Num dubitasti tollere* de coniectura factum videtur ab Hervag. et Vict. editoribus, nam in deterioribus codd. et edd. vetustis particula non est, in melioribus, Stephaniano, Reg. Guelff., *non*. Itaque Graevius sic edidit, temere ac negligenter, quippe quo omnem sententiam converteret. Tu aut *dubitasti tollere?* cum Beckio scribe, aut veterem emendationem facillimam proba. Nam Ernestio non dubito quin nolis assentiri, qui totum colon eiiciendum existimavit.

§. 129. *Iovem autem Imp. quanto honore — fuisse arbitramini? Coniicere potestis]* Locum dedi quemadmodum in mss. Guelff. et Havn. coll. est, videturque etiam in Stephani Lambinique libris vett. fuisse, cum partim a veteribus correctoribus, partim ab editoribus varie habitus sit. Nam primum *honori* codd. deteriores omnes et edd. ante

quanta religione fuerit eadem specie ac forma signum illud, quod ex Macedonia captum in Capitolio posuerat Flamininus. Etenim tria ferebantur in orbe terra-

---

Lambinum, tum in edd. princ. et codd. vulgaribus (Lagom. VI) *arbitramur* et *hinc colligere potestis* (Lagom. omnes) legitur. *Arbitramini* non e coniectura, sed ex aliquo meliore libro msto correxit Naugerius, sed cetera intacta relicta sunt usque ad Stephanum et Lambinum, qui *coniicere* restituerunt, *hinc* et ipsi reliquerunt, necessarium, ut opinor, rati, quamquam in varietate lectionis Stephanus abesse illud a vet. cod. notavit. Nos haud dubie carere eo adminiculo possumus, cum interrogatio articulatim procedens oratorem non dedeceat. Nam Ernestii coniectura *arbitremini* recepta, prorsus omnia ad disserendi rationem traducuntur, ut orationem esse, quam audiamus, oblivisci propemodum necesse sit. Mox *atque forma* cum vulgaribus tuetur Guelf 1. Alter et coll. Havn. cum edit. Lambiniana *ac forma*, quod recepimus. Sed quod ad rem pertinet, Cicero Flamininum posuisse dicit, eum, qui Philippum regem apud Cynoscephalas in Thessalia vicit a. a. Chr. 197. At Livius lib. VI. 29 anno a. Chr. nat. 379 T. Quinctium Cincinnatum dictatorem signum Iovis Imperatoris Praeneste capto devectum, in Capitolium tulisse atque inter cellam Iovis et Minervae dedicasse tradit. Apparet alterutrum errasse, quoniam de duobus signis cogitare ipse Cicero vetat. Mihi Cicero lapsus videtur ac deceptus nomine T. Quinctii utrique communi. Nam Livium quidem par est statuere certos auctores in perpetua historia secutum esse, qui etiam tabulam sub signo fixam commemoret, in qua T. Quinctius rerum suarum gestarum memoriam testatus sit. Accedit quod constat Flamininum in nullam Macedoniae partem cum exercitu penetrasse, ut non appareat unde signum illud captum fuerit. Quod si ex Graeca aliqua urbe, velut Demetriade aut Chalcide, a Macedonibus possessa, cepisse dicatur, mirum fuerit, nullam eius rei memoriam in tanta, quae tum fuit, historiae luce ad nos pervenisse. Quod autem Cicero ait *pulcherrime* facta illa signa fuisse, si cui in Praenestino displicet, meminerit, quod de duobus verum est, ad tertium transferri potuisse, neque in ea re oratori, ne redargueretur, metuendum fuisse. Nam Capitolium annis ante hanc orationem habitam quattuordecim, Scipione et Norbano Coss., deflagraverat, nec servatum fuisse illud signum quisquam arbitrabitur. Quid enim? Nonne ipse orator et *fuerit* et *posuerat* dicit, quapropter imitatus etiam Ernestium pro codicum scriptura *videmus* recepi *vidimus*, quod Hotomanus coniecit, immo iam vetustissimi editores Mediolanensis 1498 et Ascensianus 1511 expresserant. Notabile tamen, P. Victorem in descriptione urbis Romae Praenestinum illud signum in regione VIII *Foro Romano* collocare. Sed ille haud dubie quod vetustiores auctores commemorant, non quod ipse viderat, collegit. Aliud signum Iovis Imperatoris,

rum signa Iovis Imperatoris uno in genere pulcherrime facta: unum illud Macedonicum, quod in Capitolio vidimus: alterum in Ponti ore et angustiis: tertium, quod Syracusis ante Verrem praetorem fuit. Illud Flamininus ita ex aede sua sustulit, ut in Capitolio, hoc est in terrestri domicilio Iovis, poneret.
130 Quod autem est ad introitum Ponti, id, cum tam multa ex illo mari bella emerserint, tam multa porro in Pontum invecta sint, usque ad hanc diem integrum inviolatumque servatum est. Hoc tertium, quod erat Syracusis, quod M. Marcellus armatus et victor viderat, quod religioni concesserat, quod cives atque incolae Syracusani colere, advenae non solum visere, verum etiam venerari solebant, id C. Verres ex tem-
131 plo Iovis sustulit. Ut saepius ad M. Marcellum revertar, iudices, sic habetote: plures esse a Syracusanis istius adventu deos, quam victoria Marcelli homines desideratos. Etenim ille requisisse etiam dicitur Archimedem illum, summo ingenio hominem ac disciplina, quem cum audisset interfectum, permoleste tu-

ne religio interiret, factum esse et eodem loco collocatum coniicio ex loco Pliniano supra laudato. — *in Ponti ore]* in agro Chalcedonico, cf. Scholiasten Apollonii Rhod. Arg. II, 532, et cum commentario Tzschuckii Melam I, 19 §. 5, quae Asiae pars bellis Mithridaticis vehementissime commota est. Sed quod ne tum quidem barbari fecerunt, posthac fecit praetor Romanus, templum certe ut diriperet, L. Piso, cf. Cic. orat. in eum habitam c. 35.

§. 130. *invecta sint]* Cic. p. leg. Man. 12 §. 34 *tanti belli impetus navigavit.* — *victor viderat]* Herelius suspicabatur legendum esse *reliquerat:* codices nihil movent. Sed mox *C. Verres*, addito praenomine, et Lambinus edidit, et nunc video esse in utroque Guelferbytano. Itaque auctore Garatonio recepi.

§. 131. *M. Marcellum]* In Havn. coll. et Guelff. codd. omittitur praenomen *M.* Tum *requisisse etiam dicitur Archimedem* dedimus ex Lag. 29 Guelff. Havn. et edit. Lamb. vulgo *etiam* ante ipsum Mathematici nomen ponitur, non dicam falso, sed tamen non nomen, sed res accentu adiuvatur. Tum *quem cum audisset interfectum* Stephanus et Graevius e codd. suis optimis ediderunt, et ego in Guelff.

lisse: iste omnia, quae requisivit, non ut conservaret, verum ut asportaret, requisivit. Iam illa, quae leviora 59
videbuntur, ideo praeteribo: quod mensas Delphicas e marmore, crateras ex aere pulcherrimas, vim maxi-

---

inveni. Vulgaris scriptura *eumque cum audisset interf.* satis perspicua interpolatorum vestigia prodit. Similem locum Act. I, 9 §. 25 laudat Garatonius, ubi vide. — *ut conservaret]* Vulgo *servaret*, sed sequendum mihi putavi et codd. Guelff. auctoritatem et Lambini itidem e libris suis sic edentis exemplum. Accedit Havn. coll.

quae leviora videbuntur, ideo] Additur vulgo post *videbuntur* „*si hoc loco dicerentur,*" quo tempore verbi non iniuria offensus Ernestius aut *viderentur* aut *dicantur* scribendum contendit. Tertium omisit, quod Lambinus edidit, *dicentur*, haud paulo facilius. Verumtamen totum hoc complementum, cum abesse a Guelf. 2 notasset, recte abiecit Ernestius, Stephaniani codicis auctoritate, quippe quem prorsus ignorasse videatur, nihil usus. Sed abest etiam a Guelf. 1 et Havn. coll. ut liceat iam Lambini negligentiam accusare. Praeterea *quae* pro vulg. *quia* dedi e codd. Lambini et Fulvii Ursini, item Guelff. et coll. Havn.

quod mensas Delphicas] Iste vulgo adiicitur, quod abest ab edd. Stephan. et Lamb. et codd. Leid. Guelff. Havn. coll., sine ullo detrimento sententiae. Delphicas mensas, appellatas a similitudine eius, cui insidens sacerdos Pythia oracula fundebat, Romanis pro abacis fuisse ostendit Martialis epigr. 67 lib. XII *Argentum atque aurum non simplex Delphica portat.* Cf. Harduin. ad Plin. nat. hist. XXXIV, 8. Apud eundem auctorem eod. libro c. 3 multa de aere Corinthio, *circa quod miram*, ait, *multorum affectationem fuisse: quippe cum tradatur, non alia de causa Verrem, quem Cicero damnaverat, proscriptum esse ab Antonio, quam quod Corinthiis se ei cessurum negavisset.*

crateras ex aere pulcherrimas] Ernestius *pulcherrimos* scribendum sibi dicit videri, seque in poeta *crateram* ferre, non apud Ciceronem. Adiecit Beckius etiam Lambinum *pulcherrimos* edidisse, quod falsum est, et inde ortum quod in marg. repetit. *al. pulcherrimos* legitur. Omnino temere facere videntur, qui Latinam formam *cratera* e libris veterum scriptorum, qui prosa oratione usi sunt, eiiciendam putent, (nam poetarum legibus firmatur apud Persium 2, 52, nec apud Horatium Serm. II, 4, 80 in dubium vocatur.) Apud Curtium quidem V, 8 extr. *crateram*, et libro IX extr. *crateras vino repletas* optimi quique libri mss. exhibent. Apud Liv. V, 25 et 28 *crateram auream* Freinshemius reprehendit, sed *auream* certe tutissimum esse a codicibus Drakenborch. docet. Quin etiam apud Ciceronem epist. VII, 1 *craterarum*, quod a Graevio et Ernestio magnopere impugnatum est, quamquam alias ob causas, a recentissimis editoribus iure defendi videtur. Cum res igitur sic se habeat, et hoc loco omnes codices femi-

mam vasorum Corinthiorum ex omnibus aedibus sacris
132 abstulit Syracusis. Itaque, iudices, hi, qui hospites ad ea, quae visenda sunt, solent ducere et unumquicque ostendere, quos illi mystagogos vocant, conversam iam habent demonstrationem suam. Nam, ut ante demonstrabant, quid ubique esset: item nunc, quid undique ablatum sit, ostendunt.

Quid tum? mediocrine tandem dolore eos affectos esse arbitramini? Non ita est, iudices: primum, quod omnes religione moventur, et deos patrios, quos a maioribus acceperunt, colendos sibi diligenter et retinendos esse arbitrantur: deinde hic ornatus, haec opera atque artificia, signa, tabulae pictae, Graecos homines nimio opere delectant. Itaque ex illorum querimoniis intelligere possumus, haec illis acerbissima videri, quae forsitan nobis levia et contemnenda esse videantur. Mihi credite, iudices, (tametsi vosmetipsos

---

ninam terminationem constantissime tueantur, a vulgata minime recedendum existimo. In fine *abstulit Syracusis* Lambinus edidit et est in Havn. coll. et Guelff. Vulgo *Syracusis abstulit*.

§. 132. *solent ducere]* Sic pro vulg. *ducere solent* libri nostri utriusque familiae omnes. — *item nunc] Ut — item* quoniam paulo rarius invenitur, librariorum aut captum superasse videtur aut corrigendi libidinem excitasse, nam plerique mss. et vulgo editi *ita*, Lag. 42 *sic*, Lag. 5. 27 *iidem*. Quod nos dedimus Stephanus et Lambinus ante habuerunt, codicumque est melioris familiae. Cf. Goerenz. ad Acadd. lib. II, 13 §. 42.

Quid tum?] Guelf. 1 *quid tandem tum*, incerto librario propter notam, Guelf. 2 *quid tamen*, quae scriptura Ernestio ansam dedit de integritate vulgatae lectionis dubitandi. Nimirum *quid tum* ait esse contra argumentantis et extenuantis, quod ab hoc loco alienum esse. Quasi non etiam transeuntis et ad rei caput per consecutionem venientis sit: et haec potius primaria eius formulae vis est. Etenim orator prohibet, ne quis, quod ex tanta furtorum multitudine consequi facile videatur, parum ea re Graecos affectos esse existimet.

omnes relig. moventur] In Guelff. Leid. Stephaniano Havn. coll. omittitur *religione*, contra codicum deterior familia *omni religione*.

illorum querim.] Lag. 29 *eorum*. Tum Lagom. omnes *acerrima*.

haec eadem audire certo scio,) cum multas acceperint per hosce annos socii atque exterae nationes calamitates et iniurias; nullas Graeci homines gravius ferunt ac tulerunt, quam huiuscemodi spoliationes fanorum atque oppidorum. Licet iste dicat emisse se, sicuti 133
solet dicere: credite hoc mihi, iudices: nulla unquam civitas tota Asia et Graecia signum ullum, tabulam pictam, ullum denique ornamentum urbis, sua voluntate cuiquam vendidit. Nisi forte existimatis, posteaquam iudicia severa Romae fieri desierunt, Graecos homines haec venditare coepisse, quae tum non modo non venditabant, cum iudicia fiebant, verum etiam coemebant: aut nisi arbitramini, L. Crasso, Q. Scaevolae, C. Claudio, potentissimis hominibus, quorum ae-

---

§. 132. *ferunt ac tulerunt]* Sic iubent boni, etiam mendis suis, nam Guelff. *fleverunt*, Havn. coll. *fuerunt*. Vulgo *tulerunt nec ferunt*. Tum *huiusmodi* Lambiniana et Guelf. 1.

§. 133. *credite hoc mihi] Hoc* accessit in edit. Gruter. et erat in Lamb. cod. vet. et in Guelf. 2, in altero autem et plerisque Lagom. post *mihi* reiectum: male, nam cum *mihi crede* cum vi dicatur, manet eadem vis, si pronomen, accedente aliquo verbo, in fine ponitur.

signum ullum, tabulam pictam] Sic primum scriptum in Hervag. Victor., antea fuit *et tabulas pictas* e vulgaribus, sed *et* de coniectura principum editorum. Verum Gulielmus repetendum censuit *signum ullum, ullam tabulam pictam*, ac receperunt Ernestius, alii. Non puto opus esse. Mox *existimetis* vet. cod. Steph. et coll. Havn. et ambo Guelf. nec tamen placet, tum quia sequitur *arbitramini*, tum quia in re non vera aut incredibili Indicativus legitimus est. Hoc igitur ad mendi rationem referemus, sed reliqua in hac periodo, in quibus nostri libri a vulgaribus discedunt, totidem sunt καταρθώσεις, dudum a Graevio et Ernestio in textum receptae. Unum Ernestius negat sibi placere, quod Lambinus et Graevius probarant, *desierunt* pro vulg. *desierint*. Sed si recte inspexeris, nudam temporis significationem sententiae convenire fatebere, quoniam orator ab his ipsis qui audiant latentem rationem inveniri vult. Ceterum codices vulgares (Lagom. omnes) et *desierint* habent et reliqua sic: *Graecos homines haec vendere coepisse, quae tum non vendebant, cum iudicia fiebant, verum etiam coemebant: nisi arbitramini L. Crasso, C. Scaevolae* cet. omissis voculis *modo non* et *aut*. Denique *dissolutionem* Steph. Lambinus Er-

dilitates ornatissimas vidimus, commercium istarum rerum cum Graecis hominibus non fuisse; his, qui post iudiciorum dissolutionem aediles facti sunt, fuisse.
60 Acerbiorem etiam scitote esse civitatibus falsam istam
134 et simulatam emptionem, quam si quis clam surripiat aut eripiat palam atque auferat. Nam turpitudinem summam esse arbitrantur referri in tabulas, pretio adductam civitatem, et pretio parvo, ea, quae accepisset a maioribus, vendidisse atque abalienasse. Etenim mirandum in modum Graeci rebus istis, quas contemnimus, delectantur. Itaque maiores nostri facile patiebantur, haec esse apud illos quam plurima, ut im-

---

nestius, volueratque etiam Graevius e Regio ceterisque eius ordinis: reliqui *dissolutiones. His qui* edebatur usque ad repetitam Lambinianam, in qua primum *iis qui*, itaque traditur in Havn. coll. esse: Guelff. quidem *hiis*. In eiusmodi oppositione propioris aetatis cum remotiore facillime videtur pronomen demonstrativum ferri debere.

§. 134. *referri in tabulas]* Sic est in libris Guelff. et Lambini v. c. item in Stephaniano et Regio, nisi quod in his *publicas* videtur inventum esse, quod ab illis abest. Vulgo autem *litteras publicas*, quod non memini me legere, *referre in litteras* pro *litteris publicis referre.* Tum *accepisset* primum in Hervag. scriptum: priores et Victoriana e vulgaribus *accepissent.* Sed *alienasse* adhuc vulgatur, pro quo in melioribus codd. et editionibus Stephani Lambinique est *abalienasse*, ad augendam rei indignitatem appositius. — *contemnimus]* Vulgo *nos contemnimus*, sed nulla causa est cur invitis Guelff. Havn. coll. Leid. retineatur pronomen. — *haec esse apud illos quam plurima]* Intellige apud Graecos et si qui simili condicione sunt, i. e. foedere cum populo Romano coniuncti, quod ex sequentibus intelligitur, ubi his vectigales ac stipendiarii opponuntur. Etenim sic locum restituendum esse censui, auctore usus Lambino, cuius rationem, cum ipse non explicarit, ceteri editores intelligere non potuerunt. Legitur autem in Guelff. Leid. Havn. coll. (quod haud dubie etiam in Stephani vet. fuit, etiamsi is nihil de verbis *apud socios* tradit) *haec esse apud illos quam plurima apud socios*, in quo facile intelligas, alterutrum delendum esse, aut *apud illos*, aut *apud socios.* Neque tamen dubium esse potest, quin hoc alterum potius ab interpolatoribus et vetustis interpretibus additum videri debeat: nam si sententiam examinaveris, non sane probabiliter dictum iudicabis, quia Graeci illis rebus maxime delectarentur, eam causam fuisse cur populus Romanus artis monumenta

perio nostro quam ornatissimi florentissimique essent: apud eos autem, quos vectigales aut stipendiarios fecerant, tamen haec relinquebant, ut illi, quibus haec iucunda sunt, quae nobis levia videntur, haberent haec oblectamenta et solatia servitutis. Quid arbitramini 135
Rheginos, qui iam cives Romani sunt, merere velle, ut ab iis marmorea Venus illa auferatur? quid Tarentinos, ut Europam in tauro amittant? ut Satyrum, qui apud illos in aede Vestae est? ut cetera? quid Thespienses, ut Cupidinis signum, propter quod unum

---

apud socios quam plurima esse voluerit, contra cum orator dixerit *apud illos*, atque postea Graecis ceteras gentes duriore condicione utentes opposuerit, facile aliquis interpretandi causa sociorum nomen addendum sibi esse existimare potuit. Sed hoc ne verum quidem est, quoniam vectigales ac stipendiarii et ipsi socii vocantur, eisque opponuntur potius liberi populi, quales erant pleraeque Graecae civitates, quae postea nominantur, Cyziceni, Rhodii, Athenienses, Rhegini.

haec iucunda sunt, quae — videntur] Sic Guelff. et Havn. coll. Vulgo *ea* et *videbantur*. Sed *videntur*, quod legitima verborum constructio postulat, iam dederat e Guelf. 2 Ernestius, *haec*, quamvis displiceat saepiuscule repetitum verbum, consensus etiam Stephaniani et Lag. 29 postulat. Hic tamen *haec iucunda essent* a correctore non inepto, si quidem *videbantur* verum esset.

§. 135. *merere velle, ut — auferatur]* Ante Steph. et Lambinum erat *ut — ne auferatur*, item paulo post *ut ne Europam — amittant*, quod illi meliores codd. nacti, sicut sermonis usus postulat, correxerunt: non enim *mereri* est pati, damnum facere, ut ne quid fiat, sed pretii ac mercedis loco accipere, ut aliquid aut facias aut concedas: Cic. de nat. deor. I, 24 *quid enim mereas ut Epicureus esse desinas*, de Fin. 2, 22 *quid merearis igitur, ut te dicas in eo magistratu omnia voluptatis causa facturum esse?* Ceterum *mereri* editi omnes ante Lambinum et scripti deterioris familiae eadem constantia, qua altera classis librorum exhibet *merere*. Sed *ab iis* omnes usque ad repetitam Lambinianam: codd. plerique *ab his:* Guelff. *hiis:* vulgo nunc *eis*. *Europam in tauro*, omissa voce *sedentem*, scribi voluerunt et Stephanus et Lambinus in marg. repet. edit., in ipsis editionibus quidem vulgata servata est. Verum futile additamentum iam etiam consensu Regii et Guelff. coarguitur. — *Satyrum]* heroa indigetem, unde Tarentum *Satyrium* vel *Saturium* vocatur apud Virgil. Georg. II, 197, quod nunc fere *saturum* Tarentum pro pingui explicant. Cf. Cluveri Ital. antiq. pag. 1237.

visuntur Thespiae? quid Cnidios, ut Venerem marmoream? quid, ut pictam, Coos? quid Ephesios, ut Alexandrum? quid Cyzicenos, ut Aiacem, aut Medeam? quid Rhodios, ut Ialysum? quid Athenienses, ut ex marmore Iacchum, aut Paralum pictum, aut ex aere Myronis buculam? Longum est et non necessarium commemorare, quae apud quosque visenda sunt tota

---

§. 135. *Thespiae]* Id ipsum iam tradiderat hui. libr. c. 2.

pictam Coos] Habebant et ipsi marmoream Praxitelis, sed severae pulchritudinis et quadamtenus certe velatam, multoque fama inferiorem Cnidia. Vide Plin. XXXVI, 5, 4. Gloriabantur igitur magis civis sui Apellis picta Venere, τῇ Ἀναδυομένῃ, Graecis Latinisque epigrammatis celebrata. Eam remisso tributo centum talentum paravit Augustus, Romaeque dicavit in delubro Divi patris. Vide Plin. XXXV, 10, 36 et quae Silligius annotavit in catal. artificum. (Altera, quam imperfectam reliquerat Apelles nec inventus erat qui perficeret, Cois relicta.) Ibidem de Alexandri τοῦ κεραυνοφόρου in templo Dianae Ephesiae imagine, viginti talentis auri picta ab eodem Apelle.

Aiacem aut Medeam] Mirum ni Timomachi fuerint. Plinius VII, 39 de artium honore dicens *octoginta talentis emit duas tabulas Caesar Dictator Medeam et Aiacem Timomachi, in templo Veneris Genitricis dicaturus*, quamquam Medeam Timomachi imperfectam dicit idem libro XXXV, 36 §. 41. Sed scrupulum movet quod de Timomacho agens Plinius eodem libro et capite §. 30 illum *Caesaris Dictatoris aetate Aiacem et Medeam pinxisse* dicit. Quod si accurate capiendum est, non possunt hae tabulae, de quibus Cicero agit, Timomachi esse. Apparet enim quo anno haec dicuntur vel scribuntur potius, 70 a. Chr. natum, fuisse iam aliquamdiu apud Cyzicenos. Certe Caesaris aetatem a nato eo numerabis, et Timomachum aut anno a. Chr. 99 aut non multo post pinxisse statues. A Cyzicenis Caesarem emisse Plinius non tradit, sed lib. XXXV, 9 ab illis docet M. Agrippam mercatum esse duas tabulas, item Aiacis, unam sed alteram Veneris. Cf. Ottfr. Mülleri Archaeolog. artium p. 207. Non celabo in Guelf. 1 esse *Agauem*, in altero et Havn. coll. *Agacem*.

Ialysum] heroem indigetem. Plinius lib. XXXV, 10, 36 *Protogenis tabularum palmam habet Ialysus, qui est Romae dicatus in templo Pacis;* lege cetera. Eiusdem est Athenis *Paralus*, heros, qui traditur a nonnullis longas naves invenisse, unde ab eo dicta ἡ πάραλος Atheniensium. Vide Plinium VII, 57 de rerum inventoribus. Sed *Iacchum* cuius dicamus fuisse ignoro. Sed Scopae aut Praxitelis puto, in Bacchi signis praecipue versatorum. — *visenda sunt]* Havn. coll. *sint*,

Asia et Graecia: verum illud est, quamobrem haec commemorem, quod existimare vos hoc volo, mirum quendam dolorem accipere eos, ex quorum urbibus haec auferantur.

Atque, ut ceteros omittamus, de ipsis Syracusa- 61
nis cognoscite. Ad quos ego cum venissem, sic pri- 136
mum existimabam, ut Romae ex istius amicis acceperam, civitatem Syracusanam propter Heraclii hereditatem non minus esse isti amicam, quam Mamertinam propter praedarum ac furtorum omnium societatem: simul et verebar, ne mulierum nobilium et formosarum gratia, quarum iste arbitrio per triennium praeturam gesserat, virorumque, quibuscum illae nuptae erant, nimia in istum non modo lenitudine, sed etiam

---

non recte, neque enim docere voluit, quae visenda essent. Et contra stant ambo Guelf. — *quamobrem haec commemorem]* Vulgo *commemorarim*, ut est in codd. vulgaribus: sed *commemorem* iam Ascens. et Iuntina, et restituerunt Stephanus et Lambinus ex libris suis, quibuscum in hoc quidem verbo Guelf. 1 et Havn. coll. conspirant. Guelf. 1 *illud est quemadmodum dolorem* cet. alter *illud est quemadmodum hoc commemorem qui existimare hoc volo atque*, omissis compluribus verbis. Etiam Havn. coll. *hoc*, at omittit *eos*.

mirum quendam dolorem accipere eos] Sic liber Stephanianus in varietate lect. et nostri Guelff. cum collatione Havn. (et tribus Lallem.), voluitque Lambinus in margine: vulgata e deterioribus mstis ducta, quam Gruterus et Ernestius retinuerunt, *dolorem accidere eis.* Vereor ut haec loquendi formula *dolor alicui accidit* alibi inveniatur: molestum, acerbum, iucundum aliquid saepe accidit, dolor autem *capitur* sive *accipitur.*

§. 136. *sic primum existimabam]* edidi ex ambobus Guelf. et Leid. et Lambini vet. cod. (item Havn. coll.) pro vulgato *primo.* Illud enim magis cum Ciceroniana consuetudine convenit, qui fere, ubi sequitur *deinde* sive *postea*, *primum* ponit, non *primo*, quamquam statim in fine cap. est *primo — deinde.* — *Heracl. hered.]* Cf. lib. II, 14.

per triennium praeturam] Sic Lamb. secundum suos libros edidit, nec discrepant Guelff., vulgo alio verborum ordine *praeturam per triennium gesserat.* Antea quod editur *simul et verebar* sic est in libris omnibus sine ulla varietate. — *non modo lenitudine, sed etiam liberalitate] Modo* adiecerunt Steph. Lambinus ex codd. suis, quibuscum consentientes postea inventi sunt Regius apud Graevium et ambo

liberalitate oppugnarer, si quid ex litteris Syracusano-
137 rum conquirerem. Itaque Syracusis cum civibus Romanis eram: eorum tabulas exquirebam, iniurias cognoscebam: cum diutius in negotio curaque fueram, ut requiescerem curamque animi remitterem, ad Carpinatii praeclaras tabulas revertebar; ubi cum equitibus Romanis, hominibus ex illo conventu honestissimis, illos Verrutios, de quibus ante dixi, explicabam: a Syracusanis prorsus nihil adiumenti neque publice neque privatim expectabam: neque erat in animo postulare. Cum haec agerem, repente ad me venit Heraclius, is qui tum magistratum Syracusis habebat, homo nobilis, qui sacerdos Iovis fuisset, qui honos est

---

Guelferbytani, adde etiam Lag. 29 et, si placet, Lallem. quattuor Parisinos. Recte omnino, nam Ciceronis certe loci omnes, quos Garaton. et hic et ad lib. III, 1 et ad Agrar. II, 16 attigit, quosque Duker. defendit ad Flor. II, 2, 20 de omissa vocula *modo*, sequente *sed etiam*, non solum dubii sunt, verum etiam plane iam non proferendi. Praeterea pro *lenitudine* amicus quidam Lambini voluerat *lentitudine*, quod etsi codicum summo consensu redarguitur, Graevio tamen maxime placuit. At iure videtur Ernestius illam quoque causam addidisse, quod *lentitudo*, quamvis per se aptissima esset, tamen non recte diceretur, ubi adiiceretur *in aliquem*.

§. 137. *tabulas exquirebam]* i. e. examinabam, ut c. 5 extr. *facta alicuius ad antiquae religionis rationem exquirere*. Moneo, ne quis denuo P. Manutii coniecturam (in edit. 1540) referre velit, *exscribebam*, quam Stephanus et Lambinus in edd. servarunt: quamquam in varietate lectionis ille, alter in margine repetitae libros suos *exquirebam* habere annotarunt. Itaque recte quamquam inconstanter factum, quod repetitores Lambiniani in textu posuerunt. Accedunt iam Guelff. et Havn. collatio. Vulgares codd. et edd. veteres praeter Hervagianam *scribebam*. — *in negotio]* Sic primus Stephanus: antea quod et in libris mss. vulgaribus est, *in eo negotio*, nemoque animadvertit.

hominibus] Adieci nunc verbum hoc ex edit. Lambiniana codicibusque integerrimis, Stephaniano, Havn. coll. Guelff., sed facere non potui ut etiam *illius*, quod in iisdem libris est, pro vulg. *illos* reciperem: nec fecerat Lambinus. De ipsa re vide lib. II c. 70 et 76. Sed h. l. *Verrucios* Guelff. et Havn. coll. fortasse vere, quippe cum nomen a *verruca* derivandum videretur.

apud Syracusanos amplissimus. Agit mecum et cum
fratre meo, ut, si nobis videretur, adiremus ad eorum
senatum: frequentes esse in curia: se iussu senatus
a nobis petere, ut veniremus. Primo nobis fuit du-
bium, quid ageremus: deinde cito venit in mentem,
non esse vitandum illum nobis conventum et locum.
Itaque in curiam venimus. Honorifice sane consurgi- 62
tur: nos rogatu magistratus assedimus. Incipit is lo-
qui, qui et auctoritate et aetate et, ut mihi visum est,
usu rerum antecedebat, Diodorus Timarchidi: cuius
omnis oratio hanc habuit primo sententiam: senatum
et populum Syracusanum moleste graviterque ferre,
quod ego, cum in ceteris Siciliae civitatibus senatum

---

§. 137. *qui honos est apud Syracusanos]* Ordinem verborum constituimus secundum libros Lambinianos et Guelff. Antea in Lag. 29 pro *habebat* est *gerebat*, in omnibus vulgaris familiae libris mss. *fuit* pro *fuisset*, ut sane mirer unde elegantia coniunctivi in editiones veteres venerit. De ἀμφιπόλῳ Iovis annuo magistratu Syracusano cf. ad lib. II, 51. — *mecum et cum fratre meo]* Mirum, quod in melioribus codd. Lambinianis, Guelff. de quibus affirmare in promptu est, additur *cum Q. fratre meo*, quod et ediderunt Steph. Lambinus, Gruterus, Graevius, delevit Ernestius, nam de Quinto fratre in aliis libris abunde celebrato hic certe locus non est. Erat ille comes Ciceronis L. frater patruelis, uti e cap. 65 liquet. Quocirca verisimile fit, si reputamus non esse horum codicum glossematis interpolare textum, L. praenomen h. l. restituendum esse, id quod fecit Lallemandus.

frequentes esse in curia] In curiam legitur in ambobus Guelf. et Havn. collatione, nec tamen defenderim. In fine *non esse vitandum illum nobis conventum* secundum libros Lambini reliquosque dedi, vulgo *nobis illum* alio ordine.

§. 138. *Diodorus Timarchidi]* Sic dudum erat scribendum pro vulg. *Diod. Timarchides*, cum ob codd. optimorum Cuiaciani apud Gruterum, Regiique apud Graevium auctoritatem, (quibuscum Guelff. faciunt,) tum rei ipsius causa. Quid enim in Graeco homine duplex nomen proprium? Alia res est, cum Romanus factus utriusque condicionis notam praefert, ut Sext. et Cn. Pompeius Theodorus II, 42, et Artemidorus Cornelius II, 28, et Cn. Pompeius Basiliscus IV, 11, alii. Hic autem honoris causa πατρόθεν, uti apud Graecos fieri solebat, vocatur.

§. 138. *senatum et populum]* Sic Guelff. Lag. 29 Havn. Vulgo

populumque docuissem, quid iis utilitatis, quid salutis afferrem, et cum ab omnibus mandata, legatos, litteras, testimoniaque sumpsissem, in illa civitate nihil eiusmodi facerem. Respondi, neque Romae in conventu Siculorum, cum a me auxilium communi omnium legationum consilio petebatur, causaque totius provinciae ad me deferebatur, legatos Syracusanorum affuisse: neque me postulare, ut quicquam contra C. Verrem decerneretur in ea curia, in qua inauratam C. Verris
139 statuam viderem. Quod posteaquam dixi, tantus est gemitus factus aspectu statuae et commemoratione, ut illud in curia positum monumentum scelerum, non beneficiorum videretur. Tum pro se quisque, quantum dicendo assequi poterat, docere me coepit ea, quae paulo ante commemoravi: spoliatam urbem, fana direpta: de Heraclii hereditate, quam palaestritis concessisset, multo maximam partem ipsum abstulisse: neque postulandum fuisse, ut ille palaestritas diligeret, qui etiam inventorem olei deum sustulisset: neque illam statuam esse ex pecunia publica neque publice datam, sed eos, qui hereditatis diripiendae participes fuissent, faciendam statuendamque curasse: eosdem Romae fuisse legatos, illius adiutores improbitatis, socios furtorum, conscios flagitiorum: eo minus mirari me

---

populumque. Mox *eis* vulgo, Guelff. *hiis*, Havn. *iis*. — *totius provinciae ad me]* Vulgo *totius ad me Siciliae:* nos Steph. Lambinum et libros Guelff. secuti sumus. Minor editio nostra in collocat. verborum paulum aliquid deliquit.

§. 139. *de Heraclii hereditate]* Vulgo *ex:* quod longe verisimilius est a correctore esse quam illud, vide ad III, 95 et V, 49 pr. Est autem *de* in Guelff. et reliquis huius sectae, ex quorum aliquo primum sed simul in Hervag. et Victorianam recepta sunt verba in vulgaribus codd. Oxon. Huyd. Lagom. praeter 29 omnibus omissa *multo maximam partem — — diligeret*, et mox *neque publice*, neque animadverterunt editores unde essent.

oportere, si illi communi legatorum voluntati et saluti Siciliae defuissent. Ubi eorum dolorem ex istius in- 63
iuriis non modo non minorem, sed prope maiorem, 140
quam ceterorum Siculorum esse cognovi: tum meum animum in illos, tum mei consilii negotiique totius suscepti causam rationemque proposui, tum eos hortatus sum, ut causae communi salutique ne deessent; ut illam laudationem, quam se vi ac metu coactos paucis illis diebus decresse dicebant, tollerent. Itaque, iudices, Syracusani haec faciunt, istius clientes atque amici. Primum mihi litteras publicas, quas in aerario sanctiore conditas habebant, proferunt: in quibus ostendunt omnia, quae dixi ablata esse, perscripta, et plura etiam, quam ego potui dicere: perscripta autem hoc modo, *quod ex aede Minervae hoc et illud abesset, quod ex aede Iovis, quod ex aede Liberi:* ut

---

§. 140. *ex istius ini.]* Etiam haec tria verba ex melioribus codd. accesserunt primum in Hervag. Vict. Sed correxi ex Lag. 29 *istius*, cum vulgo nunc sit *illius*, neque enim amplius loquuntur Syracusani. Porro *Siculorum ceterorum* Guelf. 1 et Lambini v. c. cum Havn. collat. *Cognovimus tum meum animum in illos tum ego mei* cet. vulgares codd. omnes, etiam Lag. 29, et edd. vetustae, donec in Hervagiana et *cognovi* apparet et *ego* sublatum est. Sed pronomen quidem de sententia Hotomani Lambinus, Graevius, Ernestius restituerunt, quamquam alio loco, post prius *tum*, ut nunc vulgo edatur: *ubi — cognovi, tum ego meum animum* cet. Ernestius adeo necessarium putat, quod mihi quidem minime videtur: similis orationis forma supra c. 51 princ. — *quod ex aede Minervae hoc et illud abesset.]* Ernestius verba *hoc et illud abesset* supplementum magistri putabat, esse enim hoc initium libelli sive indicis rerum ablatarum: recte, quamquam non de singulis libellis, sed de uno libro actorum in Senatu intellexerim, in quo haec suis nominibus perscripta fuerint. Verumtamen Ernestium in eo probare non possum, quod illud initium ita decurtavit, ut iam res intelligi non possit. Nam quamvis incepta oratio non perficiatur, at pars certe aliqua enuntiationis integra proferri debet, quae deinde excipiatur, id quod verbis fit *quod hae res abessent.* Apparet praeterea ne verba quidem *hoc et illud* salva cetera oratione tolli posse, nam quod sequitur *ut quisque his rebus tuendis praefuerat*, haud dubie illuc refertur, neque poterant

quisque his rebus tuendis praefuerat, ita perscriptum erat, cum rationem e lege redderent et quae acceperant tradere deberent, petisse, ut sibi, quod hae res abessent, ignosceretur: itaque omnes liberatos discessisse, et esse ignotum omnibus: quas ego litteras obsignandas publico signo deportandasque curavi.

---

hae res dici, nisi aliquae antea significatae essent. Non enim licet intelligere ipsas illorum deorum aedes, quoniam repetitur eisdem verbis paulo post *quod hae res abessent.* Itaque cum haec omnia ita cohaereant, ut alterum sine altero stare non possit, sane miror Ernestii rationem ab insecutis editoribus adeo probatam esse, ut in Schütziana verba illa addubitata iam non in textu sed inter notas amandata legantur. — Tum *his rebus tuendis* adiungitur vulgo *conservandisque*, quod interpretationis causa additum puto, nam abest ab uno codice Lambini (sic enim scribit) et Regio duobusque Guelferbytanis cum Leidensi. Solent quidem coniungi *tueri et conservare*, sed proprium tamen illud unum videtur fuisse. Cf. I, 50 init. Ceterum *his* dedi, quia sequitur *hae res*, vulgo *eis*, Havn. coll. *iis*, Guelff. *hiis*.

e lege redderent — acceperant — deberent.] Vulgo singulari numero verba leguntur, *redderet*, *acceperat*, et *deberet tradere;* pluralis est in Leid. et Guelff. item in Stephaniano vetere et eius compari Regio Graevii, quamquam hi quidem servant *acceperat.* Neque pugnat cum eo, quod ad I Act. 14 et lib II, 39 observavimus, non esse Ciceronis pluralem ponere post *quisque*, *unusquisque*, *pro se quisque*, quod apud recentiores, imprimis Tacitum, frequentissimum, cum duae sint enuntiationes et intercedat coniunctio, qua in re et solet fieri et rationi consentaneum est, ut cogitatione novum subiectum fingatur. Maiorem admirationem habet, sed verum tamen est, quod legitur lib. II de Fin. princ. *Hic uterque me intuebatur, seseque ad audiendum significabant paratos.* Praeterea cum vulgo sit *ex lege*, dedimus *e lege* cum Lambino et Guelf. 1. Nam *lege*, quod est in Guelf. 2, et Graevius dicit esse in Regio, (quamquam Madvig. e coll. Havn. *e lege* affert, qualis dissensus item est V, 21, §. 53) *lege* igitur simpliciter dictum vereor ut satis Latinum sit, nec memini esse nisi in nota formula *lege agere.* Numquod autem discrimen inter *e lege* et *ex lege* sit, nescio et subdubito, vide ad II, 17, §. 42. Paulo gravius fuerit notare *legem* non esse, quod Ernestius vult, quod nos dicimus *Inventarium*, a qua significatione praecipiendi et iubendi notio, quae eo verbo continetur, abhorret, sed id quod *contractum* Icti vocant, cuius sensus exemplum iustius quam Ernestius pro sua opinione laudare possum lib. I, 51 *Rabonius, qui legem nosset, qua in lege numerus tantum columnarum traditur — negat id sibi deberi.*

De laudatione autem ratio sic mihi reddita est. Primum cum a C. Verre litterae aliquanto ante adventum meum de laudatione venissent, nihil esse decre- 141
tum: deinde, cum quidam ex illius amicis commonerent, oportere decerni, maximo clamore esse et convicio repudiatos: posteaquam meus adventus appropinquaret, imperasse eum, qui summam potestatem haberet, ut decernerent: decretum ita esse, ut multo plus illi laudatio mali quam boni posset afferre. Id adeo,

---

§. 141. *Sic mihi reddita. Mihi* adiectum a Steph. Lamb. e libris ipsorum, firmaturque Guelff. Leid. Havn. coll. Mox C. praenomen additum est ab eodem Stephano e libro vet. (Havn. coll.) voluitque Lambinus in marg. repet. Id nunc et ipse do, quoniam, quod antea me latuerat, in Guelff. est. Sed *aliquantum*, quod edidit Lamb., in nullo meorum inventum est. — *clamore esse]* Hoc ordine Guelff. Havn. coll. Mox *et posteaquam* ante Lambinum legebatur, sed recte sublatam esse coniunctionem iidem illi libri probant. Sed in temporibus verborum Ernestius offendit, cum aut *commonuissent*, ut ante *venissent*, aut *commonuerint*, ut postea *appropinquarit*, necesse esse diceret. Neutrum vere: nam imperfecto tempore nihil potest esse appositius ad sententiam, quoniam illi homines dum commonere conantur interturbati dicuntur. Sed recte tamen aliquid subesse falsi suspicatus est, loco modo erravit. Quid enim facias verbi tempore *appropinquarit?* quod in oratione indirecta aut *appropinquasset* aut *appropinquaret* esse debet. Excusaram olim, quod in directa oratione fere *postquam* cum Perfecto coniungi soleret pro Plusquamperf., eam ob causam a scriptore iustam temporum rationem neglectam esse, sed video nunc *appropinquaret* esse non solum in Lag. 29 et in Havn. coll. sed etiam in utroque Guelferbytano. Hoc igitur verum haberi debet. Puta in directa oratione esse *postquam appropinquabat*, i. e. cum cotidie adventus meus expectaretur. — *illi laudatio mali quam boni posset]* Sic olim Stephanus et Lambinus e melioribus codicibus. Vulgares libri et edd. veteres corrupte *ut multo plus illa laudatio aliquid mali quam boni possit afferre*, necdum omnia erant a reliquis editoribus sublata. *Aliquid* eiecit Hervagius et qui Victorianam procuravit, sed ambo retinuerunt *possit:* itaque Ernestius se primum cum Graevio correxisse opinabatur. *Illi* item dederat iam Hervagius, nec quisquam animadvertit. *Adeo* in extremo capite eam significationem habet, quam explanavi Gramm. Lat. §. 349, ut fere sit *potius:* in repetitione Lambiniana male excusum *ideo* fefellit Gruterum.

iudices, ut mihi ab illis demonstratum est, sic vos ex 64 me cognoscite. Mos est Syracusis, ut, si qua de re 142 ad senatum referatur, dicat sententiam, qui velit: nominatim nemo rogatur; et tamen, ut quisque aetate et honore antecedit, ita primus solet sua sponte dicere, idque a ceteris ei conceditur: sin aliquando tacent omnes, tum sortito coguntur dicere. Cum hic mos esset, refertur ad senatum de laudatione Verris. In quo primum, ut aliquid esset morae, multi interpellant: de Sex. Peducaeo, qui de illa civitate totaque provincia optime meritus esset, sese antea, cum audissent, ei negotium facessitum, cumque eum publice pro plurimis eius et maximis meritis laudare cuperent, a C. Verre prohibitos esse: iniquum esse, tametsi Peducaeus eorum laudatione iam non uteretur, tamen non id prius decernere, quod aliquando voluissent, quam

---

§. 142. *aetate et honore.]* Sic Lambinus edidit et est in Havn. coll. Lag. 29 atque inveni etiam in Guelff. Antea quod est *referatur* Lambinus in duobus mss. annotat esse *referant:* conspirant illi cum Guelff. non cum Havn. coll. Rursus soli Guelff. *sponte sua* collocatione verborum vix prosae orationis, certe non Ciceroniana. *Itaque* Stephanus et Havn. Leid. Guelff. et placet sane: inest enim acris observatio graduum. — *Sin aliquando tacent]* ediderunt Stephanus et Graevius ex libro fortasse eodem, sed accedunt etiam Guelff. Vulgatum *si quando taceant* retinuerat Lambinus. Utrum praestet nemo dubitare potest, cum raro illud factum esse significetur, quocirca accentu opus est. Cf. Gramm. nostram §. 710. Quod sequitur *tum* vulgo est *tunc*, etiam in Guelff. Sed et rationem sequor et coll. Havniensem.

Sex. Peducaeo.] Et hoc loco et post codices Lag. omnes et Guelff. *Peduceo*, et nescio an sic verum fuerit, quoniam duo tituli apud Gruterum in Thesauro conspirant. Praetorem eum fuisse constat in Sicilia annis a. Chr. nat. 76 et 75, quorum annorum priore Cicerone usus est Quaestore, nec dubito quin sit ille, cuius eximiae fidei documentum proditur a Cicerone lib. II de Fin. c. 18. Duos habuisse filios videtur, alterum in adoptionem datum M' Curio, vide Savelium V. d. ad orat. post reditum in Senatu 8, alterum Sextum, cuius frequens mentio in Epistolis. In Sicilia illi successit C. Sacerdos, quem excepit Verres.

quod tunc cogerentur. Conclamant omnes et approbant, ita fieri oportere. Refertur de Peducaeo. Ut quisque aetate et honore antecedebat, ita sententiam dixit ex ordine. Id adeo ex ipso senatus consulto cognoscite: nam principum sententiae perscribi solent. Recita. *Quod verba facta sunt de Sex. Peducaeo.* Dicit, qui primi suaserint. Decernitur. Refertur deinde de Verre. Dic, quaeso, quomodo. *Quod verba facta sunt de C. Verre.* Quid postea scriptum est? *Cum surgeret nemo, neque sententiam diceret* — Quid est hoc? *sors ducitur.* Quamobrem? nemo erat voluntarius laudator praeturae tuae, defensor periculorum, praesertim cum inire a praetore gratiam posset? Nemo.

143

---

§. 142. *quam quod tunc cogerentur.]* Vulgo *tum*, sed dedimus in re incerta quod codd. et Guelff. et Lambiniani offerant. Ac nescio an hoc obtinere possim, ubi in actu rerum *nunc* dicatur, ibi, si de rebus praeteritis narretur, *tunc*, non *tum*, dici.

§. 143. *nam principum sententiae perscribi solent.]* Edebatur ante Stephanum et Lambinum *principium — solet*, quemadmodum in codd. vulgaribus est, Oxon. Huyd. Lagomarsinianis omnibus. Falsum esse, quod ad ipsam rem attineat, non opus est docere, sed cum originem quoque eius lectionis intelligere possimus, eam, quod in utroque Guelf. legitur *principium — solent*, quaestio movetur, num forte ab ipso auctore illa genitivi forma profecta sit, quae correctori parum docto interpolandi ansam dederit. Lambinus quidem in suis, Graevius in Regio codice *principum* esse scribunt, sed dubitatio multiplex relinquitur. Drakenb. quidem Livio ne ipse quidem formam *principium* restituit, veruntamen cum alibi tum ad lib. II, 27, 12 multis locis sic se in codd. invenisse scribit, cf. etiam Gronov. ad lib. XXX, 3, 5. Quin etiam in Cic. lib. I de Off. 39 §. 9 Heusingeri *facta principium* ediderunt, quod in bonis codd. a prima manu fuisset. Lag. 29 *principium sententia — solet. — dicit, qui primi*] Melioris familiae codd. nihil aliud nisi *Quod verba facta sunt de Sexto refertur*, et hoc ipsum edi voluit Stephanianus corrector. Graevius de *Peducaeo* omisso silens verba *dicit, qui primi suaserint: decernitur* commodius abfutura censet. Mihi interpolatorem sapere non videntur, nec ipsum *dicit*, quod de scriba Syracusano intelligendum. — *Quid est hoc?]* Sic plerique omnes Lagom. cum 29 et Guelf. 1 et Havn. coll. Vulgo *Quid hoc est?* Cf. ad III, 30. Mox *defensor periculorum* Guelff. Havn. et edidit Lambinus e suis: vulgo additur *tuorum.*

Illi ipsi tui convivae, consiliarii, conscii, socii, verbum facere non audent. In qua curia statua tua stabat, et nuda filii, in ea nemo fuit, quem ne nudus quidem
144 filius et nudata provincia commoveret. Atque etiam hoc me docent, eiusmodi senatus consultum fuisse laudationis, ut omnes intelligere possent, non laudationem, sed potius irrisionem esse illam, quae commone-

---

§. 143. *illi ipsi.]* Sic ambo Guelff. Vulgo silente Havn. coll. *ipsi illi.* — *conscii, socii.]* Vocem posteriorem addi voluit Lambinus in marg. repet. ac deinde locum obtinuit, antea erat *et conscii*, prius etiam *et conscii socii* e deterioribus. Ut nunc editur praestant Guelferbytani, et nota gradationem: *socios* enim flagitiorum ac furtorum gravissime dicit. Tum *non audent* Guelff. et Stephani Lambinique codd. cum Havn. coll. Intervenit quidem hoc tempus non admodum e grammatica ratione, verumtamen non invenuste, opinor. Vulgo *audebant.* — *et nuda filii, in ea nemo fuit]* Timide sic restituit Ernestius, Guelferbytano suo non satis credens. At tuto credere poterat, cum iam olim sic Stephanus et Lambinus, immo etiam Hervag. Manut. (a. 1540) edidissent. Vulgo voces *in ea* inepte ante *filii* ponuntur. Tum *ne quem* libri mss. omnes, ex editis primum in Victoriana (non Hervag.) factum est *quem ne* certissima coniectura. Porro *et nudata prov.* dedimus nos ex Guelf. 1, cum vulgo sit *in nuda prov.* Verum *in* adiecit Victorianus editor, codd. vulgares et olim editi sine aut praepositione aut coniunctione *nuda provincia.* Regius apud Graevium, *nudata prov.* a quo non multum abit ipsis vitiis Guelf. 2: *ne quem nudus quidem filius ultum data prov.*

§. 144. *Senatus consultum fuisse laudationis]* Editur vulgo nunc *senatus consulto sese fecisse laudationem*, ante Aldinam *S. C. sese fecisse laudationes*, e codibus deterioribus, quamquam in his S. C. non est, sed *Siciliam*, aut *in Sicilia.* Verum Stephanianus liber et coll. Havn. *S. C. fecisse laudationis*, Guelf. 2 *S. C. fecisse laudationes*, Guelf. 1 *S. consultum fecisse laudationis.* Ex eo nos scribendum censuimus quod supra expressum vides, *fecisse* enim et *fuisse* plurimis locis confunduntur: et *S. C. laudationis* id putamus, quo laudatio adiectis causis decernebatur, quodque fidei faciendae causa legati Romam missi secum ferrent et in iudicio explicarent. In eandem ferme mecum sententiam inciderat Garatonius, sed *sese fecisse* servavit, et genitivum ita intelligi voluit, ut *causa* subintelligeretur, nec multum abhorret Lambinus, qui legendum censeret *S. C. sese fecisse de laudatione mea*, in ea quidem re sermonis usui con-

faceret istius turpem calamitosamque praeturam. Etenim scriptum esse ita, *quod is virgis neminem cecidisset:* a quo cognostis nobilissimos homines atque innocentissimos securi esse percussos: *quod vigilanter provinciam administrasset:* cuius omnes vigilias in stupris constat esse consumptas. Hoc vero scriptum esse, quod proferre non auderet reus, accusator recitare non desineret, *quod praedones procul ab insula Sicilia prohibuisset Verres:* quos etiam intra Syracusanam insulam recepisset.

---

sulens, quod non fere Senatus consultum nisi adiecto *de* hac aut illa re dicitur. Sed h. l. alia res est, nec video cur non etiam genitivus adiungi possit, ubi de re dicitur, quae illis litteris contineatur. Reliqua eiusdem Garatonii et Graevii emendandi pericula praetermitto, quippe quae ab auctoritate librorum longius recedant. Tum Lambinus de coniectura, nihil admonito lectore, edidit *quae commonefaceret de istius turpi calamitosaque praetura.* Codices non mutant, et puto ferri posse accusativum, quamquam exemplum non est in promptu.

§. 144 *Etenim scriptum esse]* Codices vulgares *ea enim scripta est quod*, integriores *et enim scriptum est ita.* Quod nunc vulgo legitur, ab Hervag. est. Sed reliquit ille *quod iste*, pro quo nos *is* dedimus ex Guelff. et Havn. collatione. Porro *cognostis* Guelf. 1. nec nisi mendo discrepat alter, *cognoscis.* Reliqui autem *cognoscitis*, Ernestius de coniectura *cognosceretis.* Intellige de testibus priore actione auditis. Quod vulgo adiicitur (post *constat*) *adulteriisque*, sustulimus meliorum codicum iussu. Sed mirum in Stephaniano vet. (Havn. coll.) Leid. Guelff. addi post *in stupris esse consumptas* verba sine sensu e prioribus mendose, opinor, repetita, *cuiusmodi constat.* Denique, ubi nova sententia orditur, codd. vulgares *hoc ut scriptum esse*, Guelff. Leid. *hoc vero scriptum est.* Edd. principes *hoc ut scriptum est* sine sensu, unde Naugerius fecit *hoc autem scriptum esse*, Hervagius et reliqui vulgo *hoc autem scriptum etiam*, Stephanus *hoc vero scriptum esse*, librum ms. secutus nam *esse* certe in Havn. coll. Quod autem Lambinus edidit, quasi in unum confusa duplici scriptura, *hoc vero scriptum esse*, minime est probabile. Nam si accurate explices, referatur necesse est ad aliud, quod non scriptum sit; is sensus est in verbis *autem* et *etiam*, cum isto loco positum sit. In nostra lectione *vero* nihil aliud quam auget et vim addit.

145 Haec posteaquam ex illis cognovi, discessi cum fratre e curia, ut, nobis absentibus, si quid vellent, 65 decernerent. Decernunt statim primum, *ut cum fratre L. hospitium publice fieret,* quod is eandem voluntatem erga Syracusanos suscepisset, quam ego semper habuissem. Id non modo tum scripserunt, verum etiam in aere incisum nobis tradiderunt. Valde hercule te Syracusani tui, quos crebro commemorare soles, diligunt: qui cum accusatore tuo satis iustam causam coniungendae necessitudinis putant, quod te accusaturus sit et quod inquisitum in te venerit. Postea decernitur, ac non varie, sed prope cunctis sententiis,

---

§. 145. *Haec posteaquam]* Vulgo *Quae.* Sed Guelf. 1 *hoc,* alter et Leid. et Havn. coll. *haec,* quod cum Lambino recepi.

ut cum fratre L.] Sic Guelf. ambo et v. c. in margine Lambinianae. Deteriores *ut L. fratri*, quod facile convincitur. Sed num rectius sit quod Stephanus voluit, ediditque e cod. regio Graevius, *ut cum L. fratre,* hoc quaeritur. Ego tamen a libris probatis in hac re abire nolui, quod ea causa non est, cur illa verba sic collocentur, quae est in *Q. fratre*, ut discernatur ab altero *Q. filio.* Ceterum Lucium hunc fratrem patruelem (mortuum a. 686, a Chr. 68, vide ad Att. I, 5) Marco nostro subscriptorem fuisse in C. Verrem, facile est ad suspicandum. — *Valde hercule] Hercule* scripsi pro vulgo *hercle* ex ambobus Guelf. Lag. 29. Cf. ad lib. III, 62. — *et quod inquisitum in te venerit]* Sic boni libri omnes, et edd. Steph. Lamb. Vulgo *ad inquirendum in te.* — *sed prope cunctis sententiis]* Vulgo legebatur *coniunctis sententiis* ex deterioribus codd., quod quomodo explicari posset, aliis se inquirendum relinquere Graevius scripsit. Explicare volebat Ernestius, esse quasi consentientes, sicut de animorum consensione *coniunctio* et *coniunctus* diceretur. At cum coniunctio dici non possit, nisi ubi varietas aliqua est, ipse autem Cicero negarit varie decretum esse, facile apparet frustra operam insumpsisse Ernestium; ac sensit ipse duriorem explicationem suam esse, quam veriorem. Quo miror magis Beckium et Schützium a vetere corruptela non abstinuisse, ille quidem addito hoc argumento, quod variis sententiis cunctas negat recte opponi. At non illae opponuntur, sed *varie decernere* et *cunctis sententiis decernere.* Verum satis argumentationis. Ediderunt autem *cunctis* Lambinus (tacente marg. repetitionis, sed e codd. suis) et prius iam P. Manutius in edit. 1559, postea Graevius e cod. Regio, quocum faciunt ambo Guelferbytani.

ut laudatio, quae C. Verri decreta esset, tolleretur. In eo, cum iam non solum discessio facta esset, sed 146
etiam perscriptum atque in tabulas relatum, praetor appellatur. At quis appellat? Magistratus aliquis? Nemo. Senator? Ne id quidem. Syracusanorum aliquis? Minime. Quis igitur praetorem appellat? Qui quaestor istius fuerat, Caesetius. O rem ridiculam! o desertum hominem, desperatum, relictum a magi-

---

§. 146. *In eo, cum]* Sic Stephanus edidit et legitur in Havn. coll. Guelff. Lag. 29. Deteriores codd. et primum editi *an eo*, Ascens. Hervag. *atque adeo*, Victor. et vulgo reliqui *at vero*. Lambinus de coniectura edidit: *Cum iam in id non solum discessio facta esset, sed cum etiam id esset perscriptum;* in margine repet. *in eo cum* tradit vet. cod. habere, sed in eo aut fallit aut fallitur quod eidem adscribit *sed cum etiam id esset perscriptum.* Neque enim eiusmodi fulcris opus est. — *magistratus aliquis]* Ernestius ex edd. vetustissimis restituit *aliqui.* Nam inde ab Ascensiana vulgo est *aliquis.* Sed est sane *aliqui* cum in deterioribus codicibus fere omnibus, tum in Guelf. 2 et Havn. collatione. Verum Guelf. 1 *aliquis* tuetur. Nec ego ab eius auctoritate discedam, ut nec Academ. IV, 26 extr. scripserim *anularius aliqui*: quin illam formam, ubi tuto legitur, adiectivi esse video, ut *aliqui terror* Tuscul. V, 21 extr. *aliqui casus* de Off. III, 7, *dolor aliqui* Epist. VII, 1. At hic substantivum est. Item mox *Syracusanorum aliqui* uterque Guelff. et Havn. coll. contra reliquos omnes. Nec displicet, si pluralis habeatur.

Caesetius] Ferri nullo modo posse quod vulgo editur *Caecilius*, abunde demonstravit Garatonius, cuius ex argumentis hoc unum rem conficit, quod Caecilius dudum e provincia decesserat, ac Romae de accusando Verre cum Cicerone contenderat; quo victo demum Cicero in Siciliam inquisitum iverat. Debetur illud nomen vetustis editoribus: nam codd. vulgares *Caeselius* sive *Caesellius*, integriores *Caesetius* sive (ut est in Havn. coll. et Guelf. 2) *Cesecius.* Utrumque Romanum est et invenitur in titulis, *Caesellius* longe frequentius quam *Caesetius.* Sed hoc tamen in utriusque familiae codd. legitur V, 25 cum praenomine P., nec videtur dubitari posse, quin idem homo sit. Itaque quod h. l. in Guelf. 2 et Havn. praenomen est *G.*, addere nolui. Guelf. 1 *senatus consul.* — *O desertum hominem, desperatum, relictum]* Sic nunc dedi Lambini v. c. in margine coll. Havn. Guelf. 2 secutus, cum in Guelf. 1 sit *o des. hom. relictum*, vulgo autem *o desperatum ac relictum.* Illa enim coniuncta omnia unum sensum efficiunt, Verrem relictum a quovis qui magistratum haberet. Neque

stratu Siculo! Ne senatus consultum Siculi homines facere possent, ne suum ius suis moribus, suis legibus obtinere possent, non amicus istius, non hospes, non denique aliquis Siculus, sed quaestor populi Romani praetorem appellat. Quis hoc vidit? quis audivit? Praetor aequus et sapiens dimitti iubet senatum. Concurrit ad me maxima multitudo. Primum senatores clamare, sibi eripi ius, eripi libertatem: populus senatum laudare, gratias agere: cives Romani a me nusquam discedere. Quo quidem die nihil aegrius factum est, multo labore meo, quam ut manus ab illo
147 appellatore abstinerentur. Cum ad praetorem in ius adissemus, excogitat sane acute quid decernat. Nam antequam verbum facerem, de sella surrexit atque abiit. Itaque tum de foro, cum iam advesperasceret,
66 discessimus. Postridie mane ab eo postulo, ut Syracusanis liceret senatus consultum, quod pridie fecissent, mihi reddere. Ille enimvero negat: et ait, indignum facinus esse, quod ego in senatu Graeco verba fecissem: quod quidem apud Graecos Graece

---

enim possum probare quod Madvigius in epist. ad Orellium p. 88 post *relictum* interpungi iubet, ut *a magistratu Siculo* coniungatur cum verbis *praetorem appellat*, quemadmodum pro Quintio c. 20 dicatur *a praetore tribunos appellare*. Nam appellatio a senatu, non a magistratu facta est, nec scires quem magistratum orator diceret, quoniam ille Iovis sacerdos nimium longe abest. Mox *nec suum ius* Guelff. Havn. coll. Lamb. v. c. in margine. — *quaestor pop. Rom.]* Adieci haec verba *pop. Rom.* e Regio apud Graevium, cum vulgo et in ceteris codd. non essent, expulsa, ut opinor, proximi verbi vicinitate. Videtur autem postulare oppositionis concinnitas, et alioquin eius praetoris qui appellaretur quaestorem putares. Tum deteriores libri (Lag. omnes) et ante Graevium vulgo editi *aut quis audivit.* — *sibi eripi]* Sic Lambini v. c. Havn. Guelff. Vulgo *eripi sibi*. Extr. §. Lambini v. c. et Guelff. (non Havn.) *labore meo multo*, insuavi sono.

§. 147. *sane acute]* Sic Lambini v. c. Leid. Guelff. Havn. Vulgo plenius *sane diligenter et caute.* Stephanus in variet. lect. *diligenter et acute.*

locutus essem, id ferri nullo modo posse. Respondi homini, ut potui, ut debui, ut volui. Tum multa, tum etiam hoc me memini dicere, facile esse perspicuum, quantum inter hunc et illum Numidicum, verum ac germanum Metellum, interesset: illum noluisse sua laudatione iuvare L. Lucullum, sororis virum, quicum optime convenisset; hunc homini alienissimo a civitatibus laudationes per vim et metum comparare. Quodubi intellexi, multum apud illum recentes 148
nuntios, multum tabellas non commendaticias, sed

---

§. 147. *ut debui, ut volui]* Hoc ordine Guelff. et Lambini v. c. cum Havn. coll. Vulgo *ut volui, ut debui.* Deinde Lambinus *cum multa, tum* edidit, sed illud, quod variatis particulis exprimi voluit, inest in particula *etiam*. Itaque Lag. 29, qui unus Lambinum adiuvat, hanc quidem omittit. Tum *me* abest a libris mss. Guelff. et Lag. omnibus, nec tamen ea res hoc quidem loco me movet.

verum ac germanum Metellum] Ac codd. plerique omnes: editur tamen vulgo *et*, praeter Stephanum et Lambinum. Lucullum autem hunc, Metelli sororis virum, mira quadam negligentia Ernestius in indice cum Pontico confudit, neque correxit errorem, qui debebat, Schützius. Constat vero Pontici fuisse patrem, a Servilio Augure κλοπῆς, ut Plutarchus ait in Luculli Pontici vita init., et accusatum et damnatum, quod crimen peculatus esse puto. Fieri potest ut Metello cum eo bene convenerit, at cum sorore non puto, quam idem Plutarchus liberius vixisse tradit parumque apposite ad Metelli fratris gravitatem. Sed iniurias patris persecuti filii L. et M. Luculli admodum adolescentes, nomen Servilii de crimine nescio quo publico detulerunt, nec tamen damnarunt. Cf. praeter Plutarchum Cic. Acad. IV, 1. Pighius anno a Chr. 92 factum putat. Ceterum Lambinus de coniect. edidit *quicum optime ei convenisset*, quo non egemus.

§. 148. *tabellas non commendaticias]* Vulgo *tabulas*, sed *tabellas* Guelf. 2 et Havn. coll. quod videtur praestare vel ob genus illud litterarum furtivarum (pecuniam a Verre pollicentium, non qui eas perferret commendantium, de quibus vide II, 26) vel ut a publicis tabulis discernantur. Mox *Syracusanorum ipsorum* hoc ordine ambo Guelf. et Lambini v. c. Tum vulgo *in quibus singula perscripta erant*, sed *singula* e coniectura, Naugerii opinor, primum in Victoriana legitur, codd. et edd. vetustae *sigilla* habent. Emendatio facilis est, sed quominus de furtis Verris intelligas, de quibus aliquanto ante dictum erat, ordo rerum vetat et quae sequitur rixa de senatus consulto. Vere

tributarias valuisse: admonitu Syracusanorum ipsorum impetum in eas tabulas facio, in quibus S. C. perscripta erant. Ecce autem nova turba atque rixa, ne tamen istum omnino Syracusis sine amicis, sine hospitibus, plane nudum esse ac desertum putetis. Retinere incipit tabulas Theomnastus quidam, homo ridicule insanus, quem Syracusani Theoractum vocant; qui illic eiusmodi est, ut eum pueri sectentur, ut omnes, cum loqui coepit, irrideant. Huius tamen insania, quae ridicula est aliis, mihi tum molesta sane fuit: nam cum spumas ageret in ore, oculis arderet, voce maxima vim me sibi afferre clamaret, copulati
149 in ius pervenimus. Hic ego postulare coepi, ut mihi tabulas obsignare ac deportare liceret. Ille contradicere: negare, esse illud S. C., in quo praetor appel-

---

omnino Lambini v. c. et Guelf. 2 et Havn. coll. *S. C.* Sed cum praeterea in illis legatur *perscripserant*, Lambinus eam partem vulgatae servavit ediditque *S. C. perscripta erant*, laudatus a Garatonio et recentissimis editoribus. Nescio tamen an praestet *S. C. perscriptum erat*, quoniam omnibus litteris Guelf. 1 *consultum*, nec nisi de uno S. C. dicitur. Nam *perscripserant* ne ipse quidem probarim, quandoquidem monitores illi scribae certe non videntur fuisse.

§. 148. *Theomnastus quidam]* Non *quidam*, sed homo nobilis haud dubie, utpote qui sacerdos Iovis fuisset: verum quo modo factus sit, vide lib. II. c. 51. Eum frigido ioco, quapropter Syracusanis tribuitur, *Theoractum* appellat, quod nomen Hotomanus recte explicat „quem deus feriit" sive potius *perculit*. Graece Θεόῤῥηκτος esset, sed duplex *r* in nullo codice est. *Incipit* dedimus e Lambiniano et Guelff. Havn. pro vulg. *coepit:* nam utrumque sic solet περιφραστικῶς poni. Cf. Gramm. nostr. §. 753. Proximo colo vulgo *cum loqui coeperit*, quod vitiosum arbitramur. Dedimus *coepit* ex utroque Guelferbytano. — *oculis arderet]* libri meliores omnes, et facile apparet concinnius dictum esse, quam quod vulgo editur cum mutatione subiecti, *oculi arderent*.

§. 149. *Ille contradicere: negare, esse illud S. C.]* Totum locum sic describendum curavi, quemadmodum in libris melioribus legitur, Cuiaciano apud Grut., vet. cod. Lamb. in marg. repetitionis (nam illic rectius est descriptus, quam in annotatione ipsa), Regio apud Graevium, ambobus Guelferbytanis, adde Leidensem et quattuor Lal-

latus esset; negare, id mihi tradi oportere. Ego legem recitare, omnium mihi tabularum et litterarum fieri potestatem. Ille furiosus urgere, nihil ad se nostras leges pertinere. Praetor intelligens negare sibi placere, quod senatus consultum ratum esse non deberet, id me Romam deportare. Quid multa? nisi vehementius homini minatus essem, nisi legis sanctionem poenamque recitassem: tabularum mihi potestas

---

lem. Nam in nulla hucusque editione prorsus e fide horum codicum expressus est, quamvis dudum omnes praeter Ernestium intellexerint, esse hanc veram Cieronis manum. Nimirum Graevius, Lallem., Beckius, Schützius, etiam Orellius, e vulgari scriptura uno verbo locum auxerunt, quod *oportere* post voces *fieri potestatem* repetendum sibi putarunt, quamvis repetitio ingrata auribus accideret. In codd. autem vulgaribus et editt. vetustis sic legitur: *Ille contra recitare omnium mihi tabularum et litterarum fieri potestatem oportere. Ille furiosus urgere* cet. quod cum intelligi non posset, a Naugerio, opinor, in Victoriana ita correctum est, ut post *contra* interpungeretur atque interiiceretur *instare ego.* Additumque est et in hac et in Hervagiana alterum *contra* in principio eius membri, quod incipit a verbis *ille furiosus.* Lambini consilium reprehendo, qui cum miseram loci decurtationem intellexisset, illud tamen, quod optimo iure facere posset, ut integritatem suorum codd. sequeretur, non fecit, sed ne aliquid, quod semel typis expressum esset, omitteret, locum interpolaret potius. Piget describere, sed describam tamen, ne quid desideretur, quod ad fidem editoris pertinere videatur. Sic igitur in editione, quam ipse absolvit, excudendum curavit: „*ille contra dicere: negare illud S. C. in quo pr. appellatus esset, mihi tradi oportere: ego legem recitare: omnium mihi tabularum et litterarum fieri potestatem oportere: contra ille furiosus urgere.*" Quid autem quod Stephanus, cuius nemo adhuc mentionem fecit, dudum totum locum secundum fidem optimi libri sui, sicut apud nos extat, descriptum dederat, in eo uno a consilio aberrans, quod alterum *contra* non sustulit, quamvis id utriusque familiae auctoritate coarguatur. *Legis* pro vulg. *legum* scribendum esse e Lambini v. c. ad quem iam accedunt Leid. Guelff, Havn. coll. recte censuit Garatonius, quoniam ad illam unam legem pertinet, quam sese antea eiusdem rei causa recitasse dixerat orator. Nam quod ille furiosus Theomnastus clamaverat *leges* Rom. ad Syracusanos non pertinere, id dictum erat in universum, quo magis hominis amentia appareret. Esse autem legis *sanctionem* eam partem legis, in qua de poenis eorum qui contra fecerint statuitur, ostendit Hotomanus, et notum est.

facta non esset. Ille autem insanus, qui pro isto vehementissime contra me declamasset, postquam non impetravit, credo, ut in gratiam mecum rediret, libellum mihi dat, in quo istius furta Syracusana perscripta erant: quae ego iam antea ab aliis cognoram et acceperam.

67 Laudent te iam sane Mamertini, quoniam ex tota
150 provincia soli sunt, qui te salvum velint: ita tamen laudent, ut Heius, qui princeps legationis est, adsit: ita laudent, ut ad ea, quae rogati erunt, mihi parati sint respondere. Ac ne subito a me opprimantur, haec sum rogaturus: *Navem populo Romano debeantne?* fatebuntur: *praebuerintne praetore C. Verre?*

---

§. 149. *vehementiss. contra me]* Ordinem verborum mutavi secundum Lambinianum et codd. Lag. 29 Guelff. Havn. coll. Vulgo *contra me vehementissime.* Et extr. cap. *iam antea ab aliis* e Lambiniana et Guelff. dedi, pro vulg. *antea iam ab illis. Aliis* etiam Stephaniana. Sed miror Stephani veterem (Havn. coll.) Guelff. Leid. concordare in eo, *quod impetravisset* habent pro *impetravit*, quod non adducor ut verum arbitrer.

§. 150. *iam sane Mamertini, quoniam ex tota]* Sic Guelff. et Havn. coll. partim etiam Lag. 29 et Leid. Vulgo *sane iam Mam. qui ex tanta.* Turnebus in Advers. VIII, 12 ex vetere libro *quoniam ex tota* scribendum censuit, qui liber idem est ex quo Stephanianus editor id ipsum aliquot annis ante Turnebum restitui voluit, nec tamen perfecit, nam in editione vulgaris scriptura est. Lambinus quidem in annotatione secundum Turnebum *qui ex tota* se restituere scribit, eaque asseveratio ne quem in errorem inducat, ut me aliquando induxit, in Guelff. *quoniam* esse, sed per notas scriptum, confirmo. Sed cur tantum verborum in re levi? Grutero vero *tanta* sapidius videtur, Beckio gravius: quasi Sicilia terrae amplitudine cum reliquis provinciis certare possit. — *qui princeps legationis est]* Vulgo *Heius, qui eius princeps leg. est*, pessimo sono, ut facile appareat quae causa moverit Lambinum, ut *princeps eius legationis* scriberet. Sed fidem libri sui servavit Stephanianus editor, qui pronomen deleri voluit, fecimusque nos Guelff. secuti. Nimirum *Heius* quoque fere est *eius* dempta aspiratione. — *fatebuntur]* Havn. coll. *fatebantur*, Guelf. 1 *fateantur* Leid. *confitebuntur*, Guelf. 2 *confiteuntur.*

negabunt: *aedificarintne navem onerariam maximam publice, quam Verri dederunt?* negare non poterunt: *frumentum ab his sumpseritne C. Verres, quod populo Romano mitteret, sicuti superiores?* negabunt: *quid militum aut nautarum per triennium dederint?* nullum datum dicent. Fuisse Messanam omnium istius furtorum ac praedarum receptricem, negare non poterunt: permulta multis navibus illinc exportata: hanc navem denique maximam a Mamertinis datam, onustam cum isto profectam fatebuntur. Quamobrem 151
tibi habe sane istam laudationem Mamertinorum: Syracusanam quidem civitatem, ut abs te affecta est,

---

aedificarintne navem — quam Verri dederunt] Vulgo *aedificaverintne*, sed contractam formam, scriptori nostro maxime probatam, ambo Guelf. Sed Ernestius scribendum sibi putavit *dederint*, postulante, ut ait, Latinitate. Mihi non sic videtur, nam aedificandi consilium si Cicero exprimere voluisset, scripsisset, opinor, *quam Verri darent*, si coniunctam actionem, *eamque Verri dederint*. Intellige igitur *eam, quam Verri dederunt*, siquidem traditam esse constat, sed quaeritur num operis publice coactis. Tota ea res proximo libro c. 17. sqq. exponitur. — *Frumentum ab his sumpseritne C. Verres]* Sic Guelff. et Havn. coll. tantum quod in terminatione verbi mendosi sunt (*sumpserat* enim est), et Leidensis, quamquam ex eo nihil de praenomine addito constat. Vulgo *frumentumne ab his sumpserit Verres*. Apparet correctores olim de particula longius a principio remota dubitasse, sicut fuerunt nuper qui supra *navem pop. Rom. debeantne* non ferentes pro eo voluerint *debeant necne*. Illud vero non raro fit, ut unum alterumque vocabulum verbo, cui particula adiungi solet, praemittantur, velut in Vatin. 14 §. 34 *haec omnia sciasne publicis tabulis esse notata*. — *cum isto profectam]* Vulgo *cum isto praetore prof.* sed satis est *iste*, nec quisquam ignorat praetorem esse de provincia decedentem. Coarguunt autem Stephanianus vetus et edit. Lambiniana, Reg. Guelff. Antea *hanc navem denique* primum edidit Gruterus, sed ex auctoritate Lambiniani vet. cod. et reliquorum bonorum. Vulgares libri *hanc denique navem*.

§. 151. *laudationem Mamertinorum]* Sic Lambini v. c. Havn. coll. Leid. Guelff. Quod editur ex reliquis *Mamertinam* non est Latinum, ut nemo dixerit *urbs Mamertina*. Mox *Verria* bis codd. mss. omnes, edd. principes *Verreia*, inde ab Aldina vulgo *Verrea*, cf. ad c. 10, §. 24. Sed infra *Marcellia* non habent nisi optimi: ea inconstantia est.

ita in te esse animatam videmus: apud quos etiam Verria illa flagitiosa sublata sunt. Etenim minime conveniebat, ei deorum honores haberi, qui simulacra deorum abstulisset. Etiam hercule illud in Syracusanis merito reprehenderetur, si, cum diem festum ludorum de fastis suis sustulissent celeberrimum et sanctissimum, quod eo ipso die Syracusae a Marcello captae esse dicuntur, iidem diem festum Verris nomine agerent, cum iste a Syracusanis, quae ille calamitosus dies reliquerat, ademisset. At videte hominis impudentiam atque arrogantiam, iudices, qui non solum Verria haec turpia ac ridicula ex Heraclii pecunia constituerit, verum etiam Marcellia tolli imperarit, ut ei sacra facerent quotannis, cuius opera omnium annorum sacra deosque patrios amiserant; eius autem familiae dies festos tollerent, per quam ceteros quoque festos dies recuperarant.

---

§. 151. *abstulisset]* ex Stephaniano libro vet. ceterisque bonis est. Vulgo *sustulisset*. Ex iisdem *hercule*, cum editi vulgo *mehercule*, scriptorum plerique sed deterrimi *mehercle*. — *a Syracusanis — reliquerat, ademisset]* Vulgo *reliquerit*, quod vitium tam diu toleratum esse iure mirere. Animadvertit Garatonius veteris cod. ope correctum esse a Lambino, sed iam antea Hervagius sustulerat. Uterque tamen omisit quod eorundem librorum auctoritas postulabat ut restitueretur, *a Syracusanis* pro vulg. *Syracusanis*. Pertinet enim ad rationem verborum *auferendi* et *eripiendi*, quae eum praepositione non minus recte quam cum dativo construuntur. Vide ad I, 10 pr. Unus hoc notandum sibi putavit Stephanianus editor, qui cur de mendo *reliquerit* tacuerit, ea causa videtur fuisse, quod vet. cod., cuius Havn. est collatio, in verbis *calamitosus dies* desinit. Itaque Stephanus paulo post cum prioribus omnibus *haec ridicula* servavit, pro quo Lambinus recte dedit *ac ridicula*, quae correctio cum in textum repetitae edit. recepta esset, latuit Gruterum et reliquos. Alioquin facile puto futurum fuisse, ut *haec*, cum in omnibus alterius familiae codicibus legatur, patronos suos inveniret. Adeo haec omnia casu reguntur, nec ulli veterum editorum satis uni confidere potes. Restat ut quae supra descripta sunt sic in Guelff. et Havn. coll. legi confirmemus: Leidensis siletur.

ACTIONIS SECUNDAE
SIVE
ACCUSATIONIS IN C. VERREM
LIBER QUINTUS.
[DE SUPPLICIIS.]

ARGUMENTUM EDITORIS.

Quinto hoc accusationis libro Cicero, quod Verrem opinione rei militaris strenue administratae commendari defendique videbat, quae ad eam rem pertinent ita pertractat, ut et laudem omnem tollat, et ex eodem loco gravissima in illum crimina colligat.

Ac post prooemium (cap. 1) primum *de bello fugitivorum* exponit (a cap. 2—16), quod demonstrat nullum fuisse in Sicilia (cap. 2—4. §. 8.), et si quae suspiciones fuerint motuum servilium, ex iis Verri non imperatoriam laudem, sed turpissimam praedam natam esse. Nam Leonidae servos damnatos, itemque aliorum, accepto pretio, ab eo morte liberatos esse (cap. 4—7 §. 15), eoque nomine ab innocentibus dominis pecunias extortas, id quod Apollonii Panormitani exemplo (cap. 7—9) probare studet. Simul Verris vitam luxuriosam a militari maxime abhorrentem describit (cap. 10—13), et cum sua vita laboriosa et sollicita comparat (cap. 14. 15). Verrem denique ostendit ne occasione quidem in Italia adversus fugitivos rei gerendae usum esse, sed in ea re senatus iudicio inutilem bello declaratum esse (cap. 16).

Deinde agit *de bello praedonum* (cap. 17—52), in quo primam Verris culpam avaritiae hanc fuisse docet, quod et Mamertinis vacationem omnium munerum per triennium vendiderit (cap. 17—23), et ex re navali reliquarum civitatum quaestum ipse fecerit (cap. 24), alteram peculatus, quod praedam captae navis omnem domum suam averterit, piratis pepercerit (25—30), tertiam crudelitatis, quod cum sua ignavia classem Siculorum prodidisset, avaritiaque pessumdedisset, eius amissae culpam in

innocentes nauarchos transtulerit, eosque crudelissimo supplicio affecerit (cap. 31—52).

Tum *supplicia civium Romanorum* summis eloquentiae viribus persequitur: Verrem cives Rom. verberibus affecisse docet (cap. 53. 54.), alios in lautumias Syracusanas coniecisse et clam necandos curasse, quos Sertorianarum partium profugos diceret falso (cap. 55—60), Gavium vero etiam, municipem Consanum, qui illinc aufugisset, Messanae cruci affixisse (cap. 61—66).

Inde orsus epilogum iudices exhortatur ad severe iudicandum minaturque Hortensio et eius amicis (cap. 67—69), et suum consilium omnis persequendae improbitatis exponit (cap. 70. 71), deosque omnes implorat, uti scelera commissa inulta esse ne patiantur.

1 Nemini video dubium esse, iudices, quin aper-
1 tissime C. Verres in Sicilia sacra profanaque omnia et privatim et publice spoliarit, versatusque sit sine ulla non modo religione, verum etiam dissimulatione, in omni genere furandi atque praedandi. Sed quaedam mihi magnifica et praeclara defensio eius ostenditur, cui quemadmodum resistam, multo ante est mihi providendum. Ita enim causa constituitur, provinciam Siciliam virtute istius et vigilantia singulari,

§. 1. *verum etiam]* Naugerius adiecit *etiam* ex aliquo meliore codice, a deterioribus abest, Lagom. quidem 5. 6. 14. 27. 42. 45. 48, i. e. praeter 29 omnibus, Oxon. Huydec. — *defensio eius]* Sic Lambini v. c. et Guelf. ambo. Vulgo *eius def.* — *multo ante est mihi provid.]* Sic codd. Guelf. Vulgares *multo mihi ante est, iudices, provid.* Mutavit ordinem verborum Lambinus: *multo ante iud. mihi est prov.* Sed repetitores, cum veterem vellent revocare, *est* omiserunt. Animadvertit Ernestius et restituit, sed loco non suo. Sic omnia sunt perturbationis plena: sed apparet, quod nos ex optimis libris dedimus, idem Lambinum voluisse in marg. repetitae, quamquam si necesse videbitur allocutio iudicum, licebit eam post *mihi* addere. Vide ad II, 40 § 98 et III, 70 pr. — *virt. istius]* Sic Stephanus et Lamb. e codice, quod patet ex coll. Havn. et Guelff. Vulgo *eius*, nec quicquam interest.

dubiis formidolosisque temporibus, a fugitivis atque a belli periculis tutam esse servatam. Quid agam, 2
iudices? quo accusationis meae rationem conferam? quo me vertam? ad omnes enim meos impetus, quasi murus quidem, boni nomen imperatoris opponitur. Novi locum: video, ubi se iactaturus sit Hortensius. Belli pericula, tempora rei publicae, imperatorum penuriam commemorabit: tum deprecabitur a vobis, tum etiam pro suo iure contendet, ne patiamini, talem imperatorem populo Romano Siculorum testimoniis eripi; neve obteri laudem imperatoriam criminibus avaritiae velitis. Non possum dissimulare, iudi- 3
ces: timeo, ne C. Verres propter hanc eximiam virtutem in re militari omnia, quae fecit, impune fecerit. Venit enim mihi in mentem, in iudicio M'. Aquillii quantum auctoritatis, quantum momenti oratio M. Antonii habuisse existimata sit: qui, ut erat

§. 1. *tutam esse serv.]* Inutilis coniectura Faerni et Ursini *totam esse serv.* quamquam Beckius Drakenborchium ad Silium Ital. X, 312 de confusione eorum verborum agentem laudat. Sed neque *servare aliquid ab aliqua re* pro *defendere* dicimus, neque apto loco positum esset *totam*.

§. 2. *ubi se]* Item lusit Ernestius coniiciens fuisse *uti*, ac dubito etiam num poni possit pro quemadmodum sive quantopere extra similitudinem. Est igitur *quo in loco:* p. Flacco c. 16 *nec volitabo in hoc insolentius.* Quod ait *pro suo iure* refer eo quod Hortensius consul designatus est, qualem locum ipse Cicero admirabiliter tractat in orat. p. Murena c. 37 sq.

§. 3. *exim. virt.]* Sic ambo Guelf. et coll. Havn. cum edit. Lambini. Post *sed et fortis* Guelff. non probo: sed tamen *simul et* hac eadem §. omnes, et IV, 61 pr. — *M'. Aquillii* repetundarum ex Sicilia accusati a. 656 u. c. 98 a. Chr. a L. Fufio (aut Fusio: vide de Offic. II, 14. Brut. 62). De artificio suo ipsum Antonium exponentem lege lib. II de Orat. 47. Nam non innocentem illum fuisse, satis probare videtur constans fama de morte, qua decem annis post in Asia legatus a Mithridate rege affectus est, testibus Plinio hist. nat. XXXIII, 14 et Appiano in Mithrid. 21.

in dicendo non solum sapiens, sed etiam fortis, causa prope perorata, ipse arripuit M'. Aquillium, constituitque in conspectu omnium, tunicamque eius a pectore abscidit, ut cicatrices populus Romanus iudicesque aspicerent adverso corpore exceptas: simul et de illo vulnere, quod ille in capite ab hostium duce acceperat, multa dixit, eoque adduxit eos, qui erant iudicaturi, vehementer ut vererentur, ne, quem virum fortuna ex hostium telis eripuisset, cum sibi ipse non pepercisset, hic non ad populi Romani laudem, sed
4 ad iudicum crudelitatem videretur esse servatus. Eadem nunc ab illis defensionis ratio viaque temptatur: idem quaeritur. Sit fur, sit sacrilegus, sit flagitiorum omnium vitiorumque princeps: at est bonus imperator, at felix et ad dubia rei publicae tempora
2 reservandus. Non agam summo iure tecum: non dicam id, quod debeam forsitan obtinere, cum iudicium certa lege sit, non quid in re militari fortiter feceris, sed quemadmodum manus ab alienis pecuniis

---

§. 3. *exceptas]* Lag. 29 *acceptas*, imminuenda hominis virtute.

§. 4. *Eadem nunc]* Vulgo *haec eadem*, sed abest *haec* a bonis omnibus, duobus Guelf. Leid. Lag. 29 et edit. Lambini cum coll. Havn. — *at felix]* Sic iam olim Stephanus et Lambinus e cod. quod patet ex coll. Havn. et Leid. Guelf. ambobus, quorum tamen in recentiore est *at*. Vulgo legitur *et*. Utrum praestet, non admodum dubium videtur esse. Felicitatis laus per se quantum valeat constat ex Maniliana (cap. 16 §. 47), neque omittitur locus in Fonteiana c. 15: cumque eam rem verbis orator amplificet, non opus videbatur tertio *ac*, quo figura absolveretur.

certa lege sit] In edd. vett. et tota cohorte vulgarium codd. additur *constitutum*, quod Stephanus abiecit, Lambinus et Gruterus restituerunt, sed ambo tamen abesse ille a *v. c.* hic a Cuiaciano (dubium an ipsum illum Lambinianum dixerit) notarunt. Graevius nihil de reg. cod. addidit (quod poterat secundum Havn. coll.), sed verbum omisit, item Ernest. cum in Guelf. non invenisset: rectissime. Et causam addit Ernestius, *iudicium constitutum* potius de prima institutione generis totius per legem novam, quam de singulis iudiciis ex illa lege dici. *Esse* autem iudicium aliqua *lege* dicitur IV, 8.

abstinueris, abs te doceri oportere: non, inquam, sic agam, sed ita quaeram, quemadmodum te velle intelligo, *quae tua opera et quanta fuerit in bello.*

Quid dicis? an *bello fugitivorum* Siciliam virtute tua liberatam? Magna laus et honesta oratio: sed tamen quo bello? nos enim post illud bellum, quod M'. Aquillius confecit, sic accepimus, nullum in Sicilia fugitivorum bellum fuisse. At in Italia fuit. Fateor, et magnum quidem ac vehemens. Num igitur ex eo bello partem aliquam laudis appetere conaris? num tibi illius victoriae gloriam cum M. Crasso aut Cn. Pompeio communicatam putas? Non arbitror hoc etiam tuae deesse impudentiae, ut quicquam

---

§. 4. *fuerit in bello. Quid dicis?]* Interiicitur post *bello* in Guelf. 2 (et Havn. coll.) *r'*, in Guelf. 1 plene *romano*. Nescio quid ea nota sibi velit. *Dicis* scripsimus pro vulg. *dices* ex quattuor bonis, Leid. Havn. coll. Guelff. duobus.

§. 5. *et honesta oratio] Honestam* de specie verborum magnificam dici comparatis locis Terentii I, 1, 114 et Cic. de Off. II, 20 recte significat Hotom. Sed idem Hotom. cum in vet. msto non esse coniunctionem notasset, nescio an huic potius quam suo codici fidens Stephanus *et* omiserit: quem secuti sunt reliqui. Verum cum edd. vett. non modo Lagomars. omnes et Huyd., sed etiam Guelff. Leid. Havn. coll. servant. Mox *illud bellum* pro vulg. *id* cum Steph. Lamb. ambo Guelf. et Havn., et praestat, cum nondum de eo dictum sit, sicut ob eandem causam post *ex illo bello* Guelf. 1 non probaverim.

communicatam putas] Sic Guelff. Leid. Havn. Vulgo *communicandam.* At fingitur Verres iam gloriatus esse. Structura verborum eadem est quae in Divin. 4, §. 14 *crimina, quae cum his civitatibus C. Verri communicata sunt*, et apud Livium XXII, 27 *sibi communicatum cum illo, non ademptum, imperium esse.* De Pompeio societatem victoriae servilis adepto vide Plutarch. in Crasso c. 11, in Pompeio c. 21. — *tuae deesse]* Collocavimus verba sicut consensus amborum Guelf. et Havn. et Lamb. v. c. in marg. rep. postulat. Vulgo *deesse tuae.* Sententiam bene explicuisse puto Garatonium, quam Ernestius adeo implicatam putavit, ut scriberet sibi pro *deesse* legendum videri *esse.* Satis magna est, ait Cicero, impudentia tua, ad quam non puto fore ut accedat etiam hoc, ut eiusmodi quicquam dicas. Nam *hoc deest* alicui rei idem est atque hoc potest accedere tamquam cumulus. Cf. Sueton. in Ner. c. 45.

eiusmodi dicere audeas. Obstitisti videlicet, ne ex Italia transire in Siciliam fugitivorum copiae possent. Ubi? quando? qua ex parte? cum aut ratibus aut navibus conarentur accedere? Nos enim nihil unquam prorsus audivimus: et illud audivimus, M. Crassi, fortissimi viri, virtute consilioque factum, ne ratibus coniunctis freto fugitivi ad Messanam transire possent; a quo illi conatu non tantopere prohibendi fuissent, si ulla praesidia in Sicilia ad illorum adventum oppo-
6 sita putarentur. At cum esset in Italia bellum tam prope a Sicilia, tamen in Sicilia non fuit. Quid mirum? ne cum in Sicilia quidem fuit, eodem intervallo
3 pars eius belli in Italiam ulla pervasit. Etenim propinquitas locorum ad utram partem hoc loco profertur? utrum aditum facilem hostibus, an contagionem imitandi belli periculosam fuisse? Aditus omnis hominibus sine ulla facultate navium non modo dis-

---

§. 5. *quando]* Guelf. 1 Leid. *quomodo*, quae statim interrogatio repeteretur, *cum aut ratibus aut navibus* cet. Hoc enim ordine verborum Guelff. Lag. 29 Havn. coll. Vulgo *aut navibus aut ratibus.*

et illud audiv.] Malebat Ernestius *at:* sed *et* est pro *contra atque adeo*, cf. Goerenz. ad libr. II de Legg. c. 21. Paulo post *ulla praes. in Sicilia* Lambini v. c. Guelff.; vulgo *ulla in Sicilia praesidia.*

§. 6. *At cum esset]* Edd. vett. *at cum in Ital. bellum* cet. durissima omissione verbi. Itaque Hotom. *tum* ex cod. ms. (Lag. 42 de nostris) corrigendum censuit, cui paruit deinde Gruterus. Stephanus Lambinus Graevius e melioribus libris suis *esset* interiecerunt, quod item legitur in Guelf. ambobus, quamvis Ernestius ab altero utrumque verbum, et *cum* et *esset*, abesse dicat. Legitur autem in eo *ac tum esset in Italia* satis perspicue. — *propinq. locorum]* Stephanus primus adiecit *locorum*, Lamb. adiunxit veteris codicis auctoritatem, Graevius Regii, Ernestius, quamvis item in Guelf. 2 invenisset, Gruterianae lectioni fidelis contempsit, quoniam prope sequeretur *hoc loco.* Sed non puto eam rem in diversitate significationum plus valere quam consensum bonorum omnium: accedunt enim Guelf. 1 et Lag. 29 et silentium Leid. — *imit. belli]* Vulgo interponitur *eius*, quod omisimus cum Lamb. et codd. Leid. Guelff. Havn. coll.

iunctus, sed etiam clausus est: ut illis, quibus Siciliam propinquam fuisse dicis, facilius fuerit ad Oceanum pervenire, quam ad Peloridem accedere. Con- 7
tagio autem ista servilis belli cur abs te potius, quam ab iis omnibus, qui ceteras provincias obtinuerunt, praedicatur? An quod in Sicilia iam antea bella fugitivorum fuerunt? At ea ipsa causa est, cur ista provincia minimo in periculo sit et fuerit. Nam posteaquam illinc M'. Aquillius decessit, omnium instituta atque edicta praetorum fuerunt eiusmodi, ut ne quis cum telo servus esset. Vetus est quod dicam, et propter severitatem exempli nemini fortasse vestrum inauditum: L. Domitium praetorem in Sicilia, cum aper ingens allatus esset ad eum, admiratum requisisse, quis eum percussisset: cum audisset pastorem cuiusdam fuisse, eum ad se vocari iussisse: illum cu-

---

§. 6. *claus. est]* Sic Stephanus edidit, itemque Graev. e cod. regio, generalem demonstrationem aptiorem rei iudicans, quam *fuit*. Sectam suam non derelinquunt Guelff.

§. 7. *iis omn.]* Guelff. Havn. coll. *istis*. Vett. edd. pleraeque *his*. Mox *iam antea* dedimus ex Guelff. et Havn. coll. quod vulgo est *iam ante*. — *cur ista]* Sic Graevius e cod. Reg. Ernestius ex Guelf. 2 (item 1). Vulgares libri omnes *ipsa*. — *L. Domit. praet.]* Statim post decessum Aquillii et finitum bellum servile Siciliense, siquidem is est qui Cos. fuit a. 94 cum C. Coelio. Mox verborum ordinem constituimus ex Guelff. Vulgo *ad eum all. esset.*

iussisse] Edd. veteres et codices vulgares Huyd., Lagom. plerique omnes, *iussit*, primus *iussisse* secundum contextum verborum Hervagianus editor, a quo deinde reliqui non abierunt. Garatonius tamen codicis msti auctoritatem desiderans, si coniectura inventum esset, maluit retineri tempus finitum, quod inter infinita non raro poni contenderet. Verum quam dicendi rationem ille significavit, ea pertinet ad infinitivos, quos historicos appellamus (cf. Drkb. ad Liv. V, 47): h. l. vera nec ferenda negligentia esset. Confirmatur vero nunc vulgata scriptura praeter silentium ceterorum bonorum utriusque Guelf. testimonio. Ceterum Havn. coll. *vocari ad se*.

pide ad praetorem, quasi ad laudem atque praemium, accurrisse: quaesisse Domitium, qui tantam bestiam percussisset: illum respondisse, venabulo: statim deinde iussu praetoris in crucem esse sublatum. Durum hoc fortasse videatur: neque ego ullam in partem disputo: tantum intelligo, maluisse Domitium crudelem in animadvertendo, quam in praetermittendo dis-
4 solutum videri. Ergo his institutis provinciae iam
8 tum, cum bello sociorum tota Italia arderet, homo non acerrimus nec fortissimus, C. Norbanus, in summo otio fuit; perfacile enim sese Sicilia iam tuebatur, ut ne quod ex ipsa bellum posset existere. Etenim cum

---

§. 7. *atque praemium]* Edd. pr. *et ad.* Naug. Steph. Lamb. *atque ad*, Hervag. Grut. *atque.* Revocavit *atque ad* ex cod. Reg. Graevius, *et ad* Ernestius, falso Guelf. 2 usus, in quo est *atque ad.* Sed mihi tamen optimum videtur, omissa praepositione, *atque* solum ex Guelf. antiquiore scribere: Cf. ad Divin. 13. Mox *accucurrisse* Havn. coll. Cf. Ruddimanni Institut. edit. Stallbaum. Tom. I. p. 208. Sine varietate *accurrisse* de Off. III, 31, 7.

§. 8. *bello sociorum]* Sic codd. boni Leid. ambo Guelf. Havn. coll., ex editionibus una Stephaniana, ne Lambino quidem exemplum sequi auso. At nihil manifestius esse potest, quam non servile bellum sed Marsicum h. l. dici debere. Ait enim *iam tum* de tempore remoto, cum bellum fugitivorum, quod unum accepimus fuisse in Italia, et exortum sit et compositum dum Verres Siciliae praesidebat. Porro C. Norbanus dudum ante Verrem fuit, (nam proximos decessores constat fuisse C. Sacerdotem et Sex. Peducaeum,) estque sine dubio idem qui Trib. pl. a. 95 seditionem excitavit, propter quam maiestatis a Sulpicio Rufo accusatum, a M. Antonio defensum et liberatum tot locis Cicero in libro de oratore II tradit. Eius legitimum tempus praeturae incidit in annos 91. 90, quo tempore bellum in Italia cum sociis acerrime gestum est. Vides igitur clarissime nostrorum librorum fidem in dissensu reliquorum omnium comprobari: neque silebo idem inventum esse nuperrime a Madvigio Dano, cuius acutissimum iudicium magni facio.

iam tueb. ut ne quod ex] Vulgo (sine *iam*) *tueb. ne quod in*, etiam Lambinus, qui in codd. mss. esse *ut neque ex* annotavit, ex quo ipse rectissime *ut ne quod* scribendum coniecit. Hoc edidit Graevius ex Regio, et adiecit *iam*, sed omisit *ex*, quod non sane faciendum, quippe prorsus Latinum. Restituimus igitur bonorum librorum

nihil tam coniunctum sit, quam negotiatores nostri cum Siculis usu, re, ratione, concordia; et cum ipsi Siculi res suas ita constitutas habeant, ut his pacem expediat esse, imperium autem populi Romani sic diligant, ut id imminui aut commutari minime velint; cumque haec a servorum bello pericula et praetorum institutis et dominorum disciplina provisa sint: nullum est malum domesticum, quod ex ipsa provincia nasci possit.

Quid igitur? nulline motus in Sicilia servorum 9
Verre praetore, nullaene consensiones factae esse dicuntur? Nihil sane, quod ad senatum populumque Romanum pervenerit; nihil, quod iste publice Romam scripserit: et tamen coeptum esse in Sicilia moveri aliquot locis servitium suspicor. Id adeo non tam ex re, quam ex istius factis decretisque cognosco. Ac videte, quam non inimico animo sim acturus: ego ipse haec, quae iste quaerit, quae adhuc nunquam audistis, commemorabo et proferam. In Triocalino, 10

---

integram scripturam, ab Ernestio contemptam. — *a serv.]* Sic Guelff. Havn. coll. Lamb. pro vulg. *ab.*

§. 9. *Verre praet.]* Lamb. v. c. Guelff. Lag. 29 *praetore Verre.* Sed mox *publice Romam scripserit* iidem et Leid. et cod. Reg. cum Steph. Lamb. Vulgo *Romam publ. conscripserit*, quod defendens Ernest. etiam de uno dici tradit *conscribere.* Non intelligo, quid velit: sed *conscribere* cum sit maioris curae verbum, non est pro nuntiare litteris. — *quae iste quaerit]* Vulgo *ille* contra perpetuam oratoris consuetudinem. Recte Lambinus solus *iste.* Guelff. et Leid. *ipse*, mendose, opinor, ut fere in hisce vocabulis peccatur. Ceterum *quaerere* saepe esse i. q. frustra quaerere, indicat Forcellinus in lex. laudato Broukhus. ad Tibull. II, 3, 25.

§. 10. *Triocalino]* Oppidum Τριόκαλα Diodoro, Stephano Byz. Τρίκαλα sive Τρίκαλον, Silio XIV, 270 Triŏcala ob metri necessitatem. Itaque dubitari non potest, quin scriptura nominis *in Triochalino*, etsi plurimorum librorum, damnanda sit. Situm fuit inter Selinuntem et Heracleam.

quem locum fugitivi iam ante tenuerunt, Leonidae cuiusdam Siculi familia in suspicionem vocata est coniurationis. Res delata ad istum. Statim (ut par fuit) iussu eius homines, qui fuerant nominati, comprehensi sunt, adductique Lilybaeum: domino denuntiatum est: causa dicta damnati. Quid deinde? quid censetis? Furtum fortasse aut praedam expectatis aliquam. Nolite usquequaque idem quaerere. In metu belli furandi locus qui potest esse? etiam si qua fuit in hac re occasio, praetermissa est. Tum potuit a Leonida nummorum aliquid auferre, cum denuntiavit,

---

§. 10. *tenuerunt]* Ernestius correxerat *tenuerant*, nec dicit se dubitare, quin ita esse debeat. Codices contra eum faciunt, et videtur mihi propter hoc ipsum verbi tempus haec quidem indicare velle orator, non narrare. — *fuerant nomin.]* Vulgo *nominati erant.* Sed ordinem verborum invertunt omnes, quibus utor, libri mss.; boni praeterea cum Steph. Lamb. etiam *fuerant.* — *denuntiatum est]* Quod addebatur vulgo *ut adesset*, omisimus cum Graevio fide meliorum librorum, duorum Lambinianorum, Regii, amborum Guelf. haud dubie etiam Leid. qui cum Graeviana editione comparatus est. Graevium sequi noluerat Ernestius propterea quod mox in omnibus legeretur *cum denuntiavit ut adesset.* At ea ratio in ipsum converti potest. Nam posse absolute dici *denuntiare* alicui, nimirum ut in iudicio adsit, probat locus a Graevio allatus ad Attic. II, 22 pr. Quamquam, ne quid dissimulem, ea denuntiatio ad testimonium dicendum pertinet, hoc autem loco dominus, si vera est vulgata lectio, ipse causam dicit: ut non fuerit denuntiatio, sed in ius vocatio: item in Verr. II, 4 extr. Quintil. Inst. V, 7, 9 *duo genera sunt testium, aut voluntariorum, aut eorum, quibus in iudiciis publicis lege denuntiari solet.* Sed de hac re vide paulo post. In fine omisimus *sunt*, cum edit. Steph. et v. c. in marg. Lamb. (Havn. coll.) utroque Guelf. Facit enim ea res aliquid ad velocitatem orationis incisae. — *expectatis]* Guelff. Leid. Havn. coll. *spectatis.* Cf. ad. IV, 45 §. 101. Laudat locum Quintil. IX, 2, 22 sine hoc verbo. — *idem quaerere]* Codd. vulgares et edd. princ. *quidem*, quod cum, remoto mendo, deberet esse *idem*, Iuntinus editor a. 1534 *eadem* fecit, eaque scriptura facta est vulgata, a qua ne Steph. quidem et Lambinus discesserunt. Hic tamen *idem* esse in v. c. annotavit ad marginem rep., item Gruterus in Cuiaciano, recepitque in textum Graevius (e Regio). Esse etiam in Guelff. paene supervacuum est addere. — *locus qui]* Sic Lambinus secundum v. c. in marg. rep. Guelff. Havn. Vulgo *qui locus.*

ut adesset. Fuit nundinatio aliqua, et isti non nova,
ne causam diceret: etiam alter locus, ut absolveren-
tur. Damnatis quidem servis, quae praedandi potest
esse ratio? produci ad supplicium necesse est. Te-
stes enim sunt, qui in consilio fuerunt: testes publi-
cae tabulae: testis splendidissima civitas Lilybaetana:
testis honestissimus maximusque conventus civium
Romanorum. Fieri nihil potest: producendi sunt.
Itaque producuntur et ad palum alligantur. Etiam 11
nunc mihi expectare videmini, iudices, quid deinde
factum sit, quod iste nihil unquam fecit sine aliquo
quaestu atque praeda. Quid in eiusmodi re fieri po-
tuit? quod commodum est? Expectate facinus quam
vultis improbum: vincam tamen expectationem omnium.
Homines sceleris coniurationisque damnati, ad suppli-
cium traditi, ad palum alligati, repente, multis milibus
hominum inspectantibus, soluti sunt et Triocalino illi
domino redditi.

---

§. 10. *causam diceret]* Plurali numero *dicerent* Steph. Lamb. e *v. c.*, Regius Graevii, ambo Guelf., quod libenter reciperem, si auderem simul infra locum §. 14 violentius corrigere, ubi dominus trau. 'r dixisse causam, nimirum pro servis suis ἀπροσώποις. Tum non vererer magnopere ut concederes, *causam dicere* posse generaliter etiam eos dici, in quos quaeratur: quoniam res in litterula ne exprimi quidem solita versatur. Sed mox *posset* pro vulg. *potest* iisdem auctoribus (item Havn. coll. et Leid.) edidi. — *Fieri nihil potest]* Lambinus sic, cum vulgo absit *fieri*, e *v. c.*, non Stephanus, nisi quod is ex variis lectt. voluisse item videtur. Auctores adsunt Guelf. 1 et Havn. coll. (ex sil.), in Guelf. 2 *nihil fieri potest*. Omittendi verbi nulla ratio potest excogitari.

§. 11. *homines]* Sic Stephanus, cum vulgo esset *nomine sceleris* cet. Sed Lambinus delicias agens utrumque verbum melius afuturum putat, traxitque in sententiam suam Graevium, quamvis is ad cap. 25 vulgo notum esse dicat, *homines* libenter servos appellari. Quid verbis opus est? Quicquid bonorum librorum est, *homines* habent: neque convenit *nomine sceleris* condemnatos dici, quos fuisse noxios existimari velis. — *Triocalino]* Sic boni libri, nam error videtur esse quod Lambinus a v. c. et Graevius a Regio abesse *domino* ostendunt. Vulgo pro *Tricolino* est *Leonidae*. Sed nomen proprium neque

Quid hoc loco potes dicere, homo amentissime?
nisi id, quod ego non quaero, quod denique in re
tam nefaria, tametsi dubitari non potest, tamen, ne
si dubitetur quidem, quaeri oporteat: quid, aut quan-
tum, aut quomodo acceperis? Remitto tibi hoc to-
tum, atque ista te cura libero. Neque enim metuo,
ne hoc cuiquam persuadeatur, ut, ad quod facinus
nemo praeter te ulla pecunia adduci potuerit, id tu
gratis suscipere conatus sis. Verum de ista furandi
praedandique ratione nihil dico: de hac imperatoria
6 iam tua laude disputo. Quid ais, bone custos defen-
12 sorque provinciae? Tu, quos servos arma capere
ac bellum facere in Sicilia voluisse cognoras et de
consilii sententia iudicaras, hos ad supplicium iam
more maiorum traditos, ex media morte eripere ac
liberare ausus es? ut, quam damnatis crucem servis
fixeras, hanc indemnatis videlicet civibus Romanis
reservares? Perditae civitates, desperatis iam omni-
bus rebus, hos solent exitus exitiales habere, ut da-

---

cum pronomine neque cum adiuncto recte convenit. — *ne si dub. quidem]* Lambini editio pro *ne — quidem* habet *nec*, sola et haud dubie ex prava coniectura. Nam *nec* hac significatione nondum videtur esse Ciceronis, certe in orationibus. Nam Acad. I, 2 med. *quod bonorum quale sit, negat omnino Epicurus sine voluptatibus nec suspicari*, fero *nec*, quamvis Ernest. voluerit *vel*, item Topic. 4 § 23. Offendit in Catil. II, 4 extr. *non modo Romae, sed nec ullo in angulo totius Italiae*, verum in Catilinariis multo plura sunt, quae merito offendant.

§. 12. *traditos]* Adiicitur vulgo *et ad palum alligatos*, quae verba cum absint a Lambini vet. cod. duobus (sic enim est in margine repetita) Leid. Guelff. nec defendantur nisi silentio coll. Havn., nunc omisimus. Videntur enim e praegressis hic repetita.

crucem servis] Sic Guelf. 2 Lag. 29 et Havn. coll. Vulgo *servis crucem*. In Guelf. excidit *servis*. Sed mox *videlicet* addunt boni omnes, optime, et cum acerba significatione eorum, quae postea expositurus est. Miror, cur Lambinus Stephanum suum deseruerit, nec in margine quidem v. c. allegarit. Ceterum Guelff. *indamnatis*.

desp. iam omn.] *Iam* addi voluit e *v. c.* altera editione Lambinus, legiturque in Guelff. Havn. coll. Mox *eveniunt* Steph. Lamb.

mnati in integrum restituantur, vincti solvantur, exules reducantur, res iudicatae rescindantur. Quae cum accidunt, nemo est, quin intelligat, ruere illam rem publicam: haec ubi eveniunt, nemo est, qui ullam spem salutis reliquam esse arbitretur. Atque 13
haec sicubi facta sunt, facta sunt, ut homines populares aut nobiles supplicio aut exilio levarentur: at non ab his ipsis, qui iudicassent: at non statim; at non eorum facinorum damnati, quae ad vitam et ad fortunas omnium pertinerent. Hoc vero novum et eiusmodi est, ut magis propter reum, quam propter rem ipsam credibile videatur; ut homines servos, ut ipse, qui iudicarat, ut statim e medio supplicio dimiserit, ut eius facinoris damnatos servos, quod ad omnium liberorum caput et sanguinem pertineret. O 14
praeclarum imperatorem, nec iam cum M'. Aquillio, fortissimo viro, sed vero cum Paullis, Scipionibus, Mariis conferendum! Tantumne vidisse in metu pe-

---

Graevius, neque intelligas cur Ernestius, cum, quae coniectura hominum doctorum videri posset, auctoritate bonorum librorum confirmari vidisset, adeo tamen obloqui voluerit, ut potius totum membrum orationis a librariis additum putaret. Nam quod dicit *venire* nonnunquam esse pro *evenire*, laudatis ad eam rem interpretibus Livianis IX, 12, certe locum non habet nisi ubi de tempore futuro dicitur. De reliquo *eveniant* Guelff. Havn.

§. 13. *facta sunt]* Haec repetita verba nescio an in nullo codice legantur, certe nullus habet eorum, quorum varietates scripturae accuratius enotatae sunt. Primus adiecit editor Cratandrinae, ratione usus saepe necessario adhibita. Mox *aut nobiles* mutare nolui, quamvis in Guelff. Leid. Havn. *ac* legatur: nam genera quidem hominum distingui videntur debere, quamvis nobiles multi iidem populares fuerint. Lambinus *ut* scripsit solus et fortasse mendose. Sed quod idem primus ter dedit *at*, cum antea fuisset *ut*, optime fecit, et postulante contextu, quamquam etiam boni libri certe bis *ut* peccarunt. — *et ad fort. omnium]* Sic Stephanus et Lambinus e codice, ut fidem facit Havn. collatio. Guelf. 2 et Leid. *et ad omnium fortunas*, Guelf. 1 *et omnium fortunas*, sicut edidit Hervagius et ex repetita Lambiniana Gruterus et deinceps reliqui, cum olim fuisset *et fortunas omnium.*

riculoque provinciae! Cum servitiorum animos in Sicilia suspensos propter bellum Italiae fugitivorum videret: ne quis se commovere auderet, quantum terroris iniecit! Comprehendi iussit: quis non pertimescat? causam dicere dominos: quid servis tam formidolosum? *fecisse videri* pronuntiat: exortam videtur flammam paucorum dolore ac morte restinxisse. Quid deinde sequitur? Verbera atque ignes, et illa extrema ad supplicium damnatorum, metum ceterorum, cruciatus et crux. Hisce omnibus suppliciis sunt liberati. Quis dubitet, quin servorum animos summa formidine oppresserit, cum viderent ea facilitate praetorem, ut ab eo sceleris coniurationisque damnatorum vita, vel ipso carnifice internuntio, redimeretur?

7 15 Quid? hoc in Apolloniensi Aristodamo? quid?

---

§. 14. *causam dic. dominos]* Delevit *dominos* Lambinus, nimirum quia supra §. 10 *dicerent* cum Stephano scripserat: servos enim solos in crimen coniurationis initae vocatos esse, non dominum. Verum postea altera edit., aucta annotatione, in viam sese revocavit, dominum pro servis causam dixisse statuens, sed reliquit tamen inconstanter *dicerent.* Verum sunt in hoc ipso loco alia, quae me offendant. Quo pertinet enim plur. *dominos*, cum de uno Leonida dicatur? Et quae mutatio subiecti, *dominos*, et *fecisse videri* nimirum *servos?* Accedit illud *causam dicerent* de servis, et denuntiatio domino. Porro mox non *servis* boni libri, sed *servo* Steph. Guelff. Havn. exhibent. Quid multa? Videtur mihi textus olim interpretationibus corruptus esse, et utrumque verbum, et *dominos* et *servo*, de margine in orationem auctoris receptum esse. Quod si placuerit tibi, supra restituito *dicerent.* — Sed mox haud dubie *pronuntiat* pro vulg. *pronuntiavit* scribendum ex edit. Steph. Guelff. Havn. coll. qua re nonnihil ἐνάργεια demonstrationis augeri videtur. — *cruciatus]* Guelff. Havn. *et cruciatus.* Mox Ernestius coniecit pro *formidine* scribendum *formido.* Non displicet, sed tamen necessarium minime videtur.

sceleris — damnatorum] Primus Hervagius addito verbo *servorum sceleris* cet. et mansit usque ad Gruterum, qui Pall. ceterorumque vulgarium auctoritate sustulit. Non possum eius iudicium reprehendere, quamvis Lag. 29 Guelff. Havn. coll. servent.

in Leonte Imacharensi non idem fecisti? Quid? iste motus servorum bellique subita suspicio, utrum tibi tandem diligentiam custodiendae provinciae, an novam rationem improbissimi quaestus attulit? Halicyensis Eumenidae, nobilis hominis et honesti, magnae pecuniae villicus cum impulsu tuo insimulatus esset, HS $\overline{\text{LX}}$ a domino accepisti: quod nuper ipse iuratus docuit, quemadmodum gestum esset. Ab equite Romano C. Matrinio absente, cum is esset Romae, quod eius villicos pastoresque tibi in suspicionem venisse dixeras, HS $\overline{\text{DC}}$ abstulisti. Dixit hoc L. Flavius, qui tibi eam pecuniam numeravit, procurator C. Matrinii: dixit ipse C. Matrinius: dicet vir clarissimus

---

§. 15. *in Leonte Imach.]* Guelff. Leid. Havn. *Leonida acarensi*, reliqui *Leonte*, sed variant in adiuncto, Lag. 29 *Macharensi*, alii plures *Magarensi*, alii *Megarensi*. Editores vett. inter *Megarensi*, *Magarensi* dubitant: hoc Stephanus et Lambinus in editionibus, Lambinus in marg. *Acharensi*. Sed quid opus est tam multis? De hominis nomine testimonium habemus Prisciani p. 690 certissimum, esse *Leontem*, adiunctum scribitur apud Putschium *Macharensi*. Sed cum satis, credo, probatum sit a Cluverio in Sicilia vet. (cf. supra ad lib. III, 18) oppidum esse *Imachara*, recte videntur et ad h. l. Fulvius Ursinus et Garatonius coniecisse et Kreblius apud Priscianum e codd. edidisse *Imacharensi*. Nam de codice quidem vetere, in quo sic fuerit, Ursino non credo. — *magnae pec. vill.]* Eieci rursus quam Ernestius de coniectura addidit coniunctionem *et*. Mirum paene, quod simulat se nescire *magnae pecuniae villicus* quid sit, utrum dives an magno emptus, et neutrum aptum dicit servo, eique villico. At C. Marius apud Sallustium bell. Iug. cap. 85, 39 se dicit *non pluris pretii coquum quam villicum habere*, ubi cf. Cortium. Et quid agricolae carius prudenti villico esse possit? — *LX]* Adiecimus lineolam secundum Lag. 29, quae significaret milia ea esse: verbum expressit Lambinus. — *HS DC]* Facere non potui, quin eam pecuniae summam ponerem, quam consensus optimorum librorum postulat, Steph. (in var. lect.) Regii, utriusque Guelf. Verum enormem plane editiones veteres et codices vulgares. HS *centies*. *Centum* dedit Cratandrina, eaque adhuc propagata est summa, sed in libris mss. non est, nisi forte in Lag. 45.

Matrinius: dicet] Obsecuti sumus melioribus libris a quibus abest, quod vulgo additur, praenomen *C.* Sed quod in iisdem *dicet* abest, ad mendum referimus. Lag. 29 *dicit*.

Cn. Lentulus censor, qui Matrinii honoris causa, recenti negotio, ad te litteras misit mittendasque curavit.

16 Quid? de Apollonio, Diocli filio, Panhormitano, cui Gemino cognomen est, praeteriri potest? Ecquid hoc tota Sicilia clarius? ecquid indignius? ecquid manifestius proferri potest? Quem, ut Panhormum venit, ad se vocari et de tribunali citari iussit, concursu magno frequentiaque conventus. Homines statim loqui: mirabar, quod Apollonius, homo pecuniosus, tam-

---

§. 15. *Matr. honoris causa]* „Cur *honoris causa?* quomodo h. l. intelligi potest? Satis erat simpliciter dixisse *M. causa*, ut ne damnum faceret.“ Ern. Satis hoc quidem fuit, neque multum differt, quod Cic. maluit, nisi quod Matrinium elegantiore locutione videri voluit hominem honestum esse, cuius amicitia vel ipsi Lentulo cara fuerit. Sic Caesar bell. Gall. II, 15 *Caesar honoris Divitiaci atque Aeduorum causa sese eos in fidem recepturum et conservaturum dixit*, et Cicero pro Rosc. Amer. 35 acerbe irridens, *orat, ut honoris sui causa laboret* — quasi Germanice dicas *aus Achtung für ihn.* Convenit mihi cum Madvigio in epist. ad Orellium, quem vide, et adde de locis ab eo allatis Ciceronis epist. ad Dolabellam inter ep. ad Att. XV, 14, *si hoc honoris mei causa susceperis.*

§. 16. *Diocli]* Non miror Hervagianam, sed miror Stephanum (in var. lectt.) et utrumque Guelf. habere h. l. *Dioclis*. Gruterus cur *Dioclis* ediderit, cum vulgares codd. omnes alterum rariorem, sed Ciceronianam, formam habeant, non intelligo. — *manifestius]* Cuiacianus Gulielmi apud Grut. *confestius*, i. e. *confessius*. Lib. III, 56 *rem manifestam, confessam.* Nec tamen h. l. placet, neque alii ulli (ne Havn. quidem) consentiunt. — *quem ut]* Sic Stephanus in var. lect. et Guelff. Havn. coll. Vulgo *quem is uti.* Correxerat Ernestius *quem iste ut.* Sed subiectum, quod est Verres, non raro in orationibus, ubi ad eum omnia referuntur, omittitur. Illud tamen perite Ernestius, quod negat *uti* (non *ubi*, quod peccatum typographorum Beckium parum attentum in errorem duxit) temporis significationem habere. Parvum dictu, sed fefellit tamen tam diu homines eruditos.

mirabar] Sic Stephanus in var. lect. Regius, ambo Guelf., probavitque Garatonius rectissime, nam *mirari* (quod vulgo legitur) non tum demum debebant homines, neque verum erat *maneret*, cum iam non maneret integer. Sermo est hominum adstantium non sine imitatione moris vulgaris. Mox edd. omnes praeter Schützianam interpungunt post *excogitavit*, itemque Guelf. antiquior. Hoc movet me, et agnosco ali-

diu ab isto maneret integer: excogitavit: nescio quid attulit: profecto homo dives repente a Verre non sine causa citatur. Expectatio summa hominum, quidnam id esset: cum exanimatus subito ipse accurrit cum adolescente filio: nam pater grandis natu iam diu lecto tenebatur. Nominat iste servum, quem magistrum pe- 17
coris esse diceret, eum dicit coniurasse, et familias concitasse. Is omnino servus in familia non erat. Eum statim exhiberi iubet. Apollonius affirmare, se omnino nomine illo servum habere neminem. Iste hominem abripi a tribunali et in carcerem coniici iubet. Clamare ille, cum raperetur, nihil se miserum fecisse, nihil commisisse, pecuniam sibi esse in nominibus, numeratam in praesentia non habere. Haec cum maxime, summa hominum frequentia, testificaretur, ut quivis intelligere posset, eum, quod pecuniam non dedisset, idcirco illa tam acerba iniuria affici: cum maxime, ut dico, hoc de pecunia clamaret, in vin-

---

quid comicum. — *summa hominum]* Vulgo *omnium*, sed alterum Steph. in var. lect. Lambinus secundum v. c. Havn. coll. Guelff. nec satis causae cur sequi nolimus.

§. 17. *et familias]* Vulgo *et alias fam.* Sed omittunt *alias* boni omnes. Guelff. *citasse.* De verbo *dicerent* quod praecedit cf. Gramm. nostram §. 551. — *exhiberi] Exhibere* mendum est Gruterianae editionis a reliquis propagatum, donec Garatonius monuit. Mox, quemadmodum edidimus, *affirmare se omn. nom. illo servum*, Guelff. Havn. v. c. in marg. Lamb. unde recepit Gruterus in textum *affirmare*, cum olim fuisset *affirmat*, verborum ordinem immutatum reliquit hunc: *servum se omnino illo nomine.* Lag. 29, *se affirmat.* Item de marg. Lamb. Gruterus *clamare ille* recepit, cum et Stephanus et Lambinus et priores omnes ex vulgaribus codd. haberent *ille clamare.* Haec obtinuerunt, sed multo veriora, quae eandem auctoritatem haberent, locum adhuc non invenerunt.

in vincula] Vulgo *vincla*, sed sequor consensum Guelf. utriusque et Lag. 29. 48. edit. Steph. Alibi *vincla* servavi, ut inseq. §., III, 24 init. ubi diducta forma non extaret nisi in uno et altero libro: restitui etiam ut IV, 10 extr. prorsus in ea re codicum probatorum fidem secutus. Nam utramque huius verbi formam usurpatam fuisse etiam in prosa oratione, contra Drakenborchium, qui apud Livium in ea re ne optimorum

8 cula coniectus est. Videte constantiam praetoris, et
18 eius praetoris, qui in his rebus non ita defenda-
tur ut mediocris praetor, sed ita laudetur ut optimus
imperator. Cum servorum bellum metueretur, quo
supplicio dominos indemnatos afficiebat, hoc servos
damnatos liberabat: Apollonium, hominem locupletissi-
mum, qui, si fugitivi bellum in Sicilia facerent, am-
plissimas fortunas amitteret, belli fugitivorum nomine,
indicta causa, in vincla coniecit: servos, quos ipse
cum consilio belli faciendi causa consensisse iudica-
vit, eos sine consilii sententia, sua sponte, omni sup-
19 plicio liberavit. Quid? si aliquid ab Apollonio com-

---

quidem codicum consensui cessit, iam omnes, opinor consentiunt: et editur sic Tusc. II, 21, de Off. III, 5. Aliorum verborum, ut *circlum*, *periclum*, *gubernaclum* poetis esse relinquendas facile concedo: vid. Heusing. ad Cic. de Off. I, 35. Cortium ad Sallust Iug. 7. Quamquam etiam talia tuetur Garaton. ad or. in Vatin. c. 9.

§. 18. *qui in his rebus]* Primum annotandum, repetita verba *et eius praetoris* abesse a cod. Stephani Leid. Guelff. Havn. Sed omittendi causa in promptu est, et modus verborum, quae sequuntur, tale additamentum postulat. Nam quod Lambinus edidit *defenditur — laudatur*, de coniectura fecit, cum *defendatur* saltem in libris mss. praeter Lag. 42 omnibus legatur. Verum proxima olim sic ex codd. deterioribus edebantur: *qui in rebus non.* Hervagius adiecit *his*, sed solus: apud reliquos Victorianae editionis auctoritas plus valuit, in qua haud dubie de coniectura scriptum *qui nunc reus non* cet. Ac nemo annotavit, ne Lambinus quidem, aliter esse in libris mss. Quamquam nullam prorsus causam video, cur illorum scriptura, modo *his* ex melioribus Guelff. utroque, Havn., Lag. 29 addatur, contemni debeat.

hom. locupl.] Sic Lamb. e v. c. Havn. Guelff. Vulgo *loc. hominem.* — *cum cons.]* Boni codd. omnes *de consilio.* Liberum est suspicari cum Lambino, videri fuisse *de consilii sententia*, sed scribere tamen quis audebit?

§. 19. *si aliquid]* Vulgo *si ab Ap. aliquid*, nos sequimur Lambini v. c. Leid. Guelff. Havn. quibus vel quorum similibus iam credidit Naugerius, nisi coniectura usus est, illorum tamen suffragiis comprobata quod correxit *est* pro scriptura reliquorum librorum *esset.* Sentio enim *aliquid* cum vi quadam plene dici, quod sit certe, quamvis nesciatur quale sit. Vide ad I, 27 extr. quamquam ne hoc quidem

missum est, quamobrem iure in eum animadvertere-
tur, tamenne hanc rem sic agemus, ut crimini aut
invidiae reo putemus esse oportere, si quo de homine
severius iudicaverit? Non agam tam acerbe: non utar
ista accusatoria consuetudine, si quid est factum cle-
menter, ut dissolute factum criminer; si quid vindi-
catum est severe, ut ex eo crudelitatis invidiam col-
ligam. Non agam ista ratione; tua sequar iudicia;
tuam defendam auctoritatem, quoad tu voles: si-
mul ac tute coeperis tua iudicia rescindere, mihi suc-
censere desinito: meo enim iure contendam, eum, qui
suo iudicio damnatus sit, iuratorum iudicum senten-
tiis damnari oportere. Non defendam Apollonii cau- 20
sam, amici atque hospitis mei, ne tuum iudicium vi-
dear rescindere, nihil de hominis frugalitate, virtute,
diligentia dicam: praetermittam illud etiam, de quo
antea dixi, fortunas eius ita constitutas fuisse familia,
pecore, villis, pecuniis creditis, ut nemini minus ex-
pediret, ullum in Sicilia tumultum aut bellum com-
moveri: non dicam ne illud quidem, si maxime in
culpa fuerit Apollonius, tamen in hominem honestis-
simae civitatis honestissimum tam graviter animadverti,

---

nego, plenam nonnunquam eam vocem poni, ubi nulla insit vis, ut lib. II, 31 *si aliqua vi se eripuerit*, et V, 30 *si aliquam manum contra populum Rom. facere potuisset*, sed hoc tamen raro fit. Ernestius pro *aliud quid* positum putat, cuius rei hoc quidem loco non video causam idoneam. In fine huius sententiae miror neminem adhuc grammaticae rationi succurrere voluisse atque emendare quod vulgo legitur *iudicavit*, quamquam dudum Stephani et Lambini v. c. nunc etiam Guelff. Havn. coll. praebuerint *iudicaverit*. Lag. 29 *iudicaret*.

§. 19. *est severe]* boni codices. Vulgo *sev. est*. Guelf. 1 *iudicatum*. Ex iisdem et ipsa editione Lambini *damnatus* dedi pro vulg. *condemnatus*.

§. 20. *honest. civ. hon.]* Sic scripsimus praeeunte Lambino, non sine levi correctura, nam in bonis libris additur *maxime* post *honestissimae*, interpretandi opinor causa. Vulgo *honestissimum civitatis honestissimae*.

21 causa indicta, non oportuisse. Nullam in te invidiam ne ex illis quidem rebus concitabo, cum esset talis vir in carcere, in tenebris, in squalore, in sordibus, tyrannicis interdictis tuis, patri exacta aetate et adolescenti filio adeundi ad illum miserum potestatem nunquam esse factam. Etiam illud praeteribo, quotienscunque Panhormum veneris illo anno et sex mensibus, (nam tamdiu fuit Apollonius in carcere,) totiens te senatum Panhormitanum adisse supplicem cum magistratibus sacerdotibusque publicis orantem atque obsecrantem, ut aliquando ille miser atque innocens calamitate illa liberaretur. Relinquo haec omnia: quae si velim persequi, facile ostendam, tua crudelitate in alios omnes tibi aditus misericordiae iudicum iampri-
9 dem esse praeclusos. Omnia tibi ista concedam et
22 remittam. Praevideo enim, quid sit defensurus Hortensius: fatebitur, apud istum neque senectutem patris, neque adolescentiam filii, neque lacrimas utriusque plus valuisse, quam utilitatem salutemque provinciae: dicet, rem publicam administrari sine metu ac severitate non posse: quaeret, quamobrem fasces praetoribus praeferantur, cur secures datae, cur carcer aedificatus, cur tot supplicia sint in improbos

---

§. 21. *nullam in te inv.]* Vulgo *nullam invidiam in te.* Collocationem verborum, qua Cicero uti solet, restituimus ex v. c. Lamb. Havn. Guelff. Iidem paulo post *fuit Apoll. in carcere*, hoc ordine, cum vulgo *fuit in carc. Apollonius.* — *totiens te]* Reliquerunt vulgatam *ad te* Stephanus et Lambinus, quamquam non dubitandum, quin et ipsi a codd. suis abesse *ad* invenerint, ut abest a Guelff. Leid. Havn. coll. Ac videtur etiam *adire*, ubi ad preces pertinet, libentius cum simplici accusativo construi. — *relinquo]* Variatio temporum non insolita, ut nesciam quid deterruerit Steph. et Lambinum, quominus reciperent quod in suis libris atque omnibus bonis esset. Vulgo *relinquam.*

§. 22. *omnia tibi]* Sic omnes boni, etiam Lag. 29, pro vulg. *omnia igitur.* Unus Stephanianus (in var. lect.) non *tibi* substituit, sed omisit *igitur* simpliciter. Quod sequitur *praevideo* miror in libris mss. omnibus praeter Lag. 48 scribi *provideo*, sed nondum curat ut ista oratio ne noceat.

more maiorum constituta? Quae cum omnia graviter severeque dixerit; quaeram, cur hunc eundem Apollonium Verres idem, repente, nulla re nova allata, nulla defensione, sine causa de carcere emitti iusserit: tantumque in hoc crimine suspicionis esse affirmabo, ut iam ipsis iudicibus sine mea argumentatione coniecturam facere permittam, quod hoc genus praedandi, quam improbum, quam indignum, quamque ad magnitudinem quaestus immensum infinitumque esse videatur. Nam quae iste in Apollonio fecit, ea pri- 23
mum breviter cognoscite, quot et quanta sint; deinde haec expendite atque aestimate pecunia: reperietis, idcirco haec in uno homine pecunioso tot constituta, ut ceteris formidines similium incommodorum atque exempla periculorum proponerentur. Primum insimulatio est repentina capitalis atque invidiosi criminis: statuite, quanti hoc putetis, et quam multos redemisse: deinde crimen sine accusatore, sententia sine consilio, damnatio sine defensione: aestimate harum omnium rerum pretia, et cogitate, in his iniquitatibus unum haesisse Apollonium; ceteros profecto multos ex his incommodis pecunia se liberasse: postremo tenebrae, vincula, carcer, inclusum supplicium, a conspectu pa-

§. 22. *re nova]* Sic mutato ordine verborum Lambinus ex v. c. nec discrepant reliqui boni. Male vulgo *nulla nova re.*

§. 23. *proponerentur]* Stephanus et Lambinus *proponeret.* Habent sane Guelff. et Havn. coll. nec omnino damnandus hic ad Activum reditus post passivam constructionem, sed tamen mendi suspicio non aliena est. — *quam multos]* Correxit P. Manutius quod vulgo edebatur ex codd. non deterioribus modo, sed aliquot etiam bonis, *quam multo:* sed confirmat Guelf. 2 Lag. 29. — *omnium rerum]* Hoc ordine Guelff. Havn. — *a consp.]* Vulgo *atque a consp.* Sed cum statim *atque a communi luce,* ubi vulgo est *et comm.* omnium bonorum consensu scribendum sit, hoc loco *atque* utriusque Guelf. et Leid. auctoritate omittendum putavi. Steph. (in var. lect.) Leid. Havn. coll. *atque conspectu.* In forma *liberum* variant libri Guelff.: *liberorum* antiquior, *liberum* alter.

rentum ac liberum, denique a libero spiritu atque a
24 communi luce seclusum: haec vero, quae vel vita redimi recte possint, aestimare pecunia non queo. Haec omnia sero redemit Apollonius, iam maerore ac miseriis perditus; sed tamen ceteros docuit ante istius avaritiae scelerique occurrere: nisi vero existimatis, hominem pecuniosissimum sine causa quaestus electum ad tam incredibile crimen, aut sine eadem causa repente e carcere emissum, aut hoc praedandi genus ab isto in illo uno adhibitum et temptatum, et non per illum omnibus pecuniosis Siculis metum propositum et iniectum.

10 Cupio mihi ab illo, iudices, subiici, quoniam de
25 militari eius gloria dico, si quid forte praetereo. Nam mihi videor iam de omnibus rebus eius gestis dixisse, quae quidem ad belli fugitivorum suspicionem pertinerent: certe nihil sciens praetermisi. Habetis hominis consilia, diligentiam, vigilantiam, custodiam defensionemque provinciae. Summa illuc pertinet, ut sciatis, quoniam plura genera sunt imperatorum, ex quo genere iste sit, ne quis diutius in tanta penuria

---

§. 24. *possint]* uterque Guelf. Vulgo *possunt.* Optionem facile dabo, sed mihi tamen elegantior coniunctivus videtur.

scelerique] Sic Lambinus in marg. repet. et quattuor boni. Vulgo *ac sceleri.* — *sine causa quaestus]* Omnes boni omittunt, quod adiicitur, *sine aliqua causa.* Non possum reprehendere vulgatam, sed non video tamen, cur ipse imminuere voluerit orator eum quaestum, quem magnum fuisse doceat. Mox *electum* Ernestius dicit se dedisse Graevium secutum, neque nominat Stephanum, quem immerito contemnit. Sic igitur melior familia codicum: deterior et edd. vett. *iniectum*, unde Lambinus consilii nondum satis certus fecit *obiectum.* Denique *et temptatum* Guelff. Vulgo *ac.*

§. 25. *ab illo, iud.]* Ordinem et horum verborum et quae mox sequuntur constitui secundum consensum Guelff. Lag. 29 Havn. coll. item in duobus posterioribus etiam Lambinianae edit. et v. c. illius. Vulgo *iud. ab illo,* deinde *de omnibus iam,* tum *pertinerent suspicionem.* Postea pro vulgata *ne diutius — possitis* dedi *ne quis diutius —*

virorum fortium talem imperatorem ignorare possit. Non ad Q. Maximi sapientiam, neque ad illius superioris Africani in re gerunda celeritatem, neque ad huius, qui postea fuit, singulare consilium, neque ad Paulli rationem ac disciplinam, neque ad C. Marii vim atque virtutem, sed aliud genus imperatoris sane

---

possit ex Guelf. 1, quocum et alter et Regius Graevii consentit, nisi quod in his non *quis* sed *qui* legitur. Neque ego de his formis contendam: vide Ruhnk. ad Rutil. Lup. p. 201 et quos laudat, quamquam Drakenborchius quidem ad Liv. III, 17 minus apta immiscet. Sed video tamen, si in his quoque rebus libros mss. audire volumus, frequentius *quis* poni ubi pro substantivo est, nec sequitur littera *s*. Vide Benedictum ad Epist. III, 8 §. 24. Ceterum haec verba cum praegressis coniungenda putavi, nam quae sequitur cohortatio ad animos advertendos suam et propriam causam adiunctam habet, ut talis imperator diligenter in civitate retineatur. Ea enim sententia est, quam interpretes adhuc obscurarunt, dum *ad* mira quadam ratione a participio diremptum de comparatione instituenda explicant, et *imperatorem non ad Q. Maximi sapientiam* esse volunt imperatorem non similem nec comparandum cum Maximo. Tu coniunge: Cognoscite eum, qualis fuerit, non ut Maximum aliquem aut Scipionem aut Marium sed ut aliud quoddam novum genus imperatoris in civitate diligenter retineatis. Legitur autem vulgo *ad aliud genus imperatorum*, pro quo nos secundum Stephanum et codd. Reg. Guelf. 1, nihil mutata sententia, omisso *ad* dedimus *aliud genus imperatoris*, quoniam illud genus, cum uno C. Verre constituatur, aeque vere genus *imperatoris*, quam universe *imperatorum* vocari potest. Ernestius de coniectura se scripsisse dicit *ad aliud genus imperatorem*, i. e. ut ipse quidem explicat alius generis imperatorem, puta qui exigatur et examinetur *ad aliud genus:* sed sive hoc coniectura assecutus est, sive sumpsit ex Guelf. 2, in quo mendose *imperatorem* legitur, pro eo quod librarius videtur voluisse *imperatorum*, genus dicendi haud dubie a Ciceroniana perspicuitate abhorret. Multo autem violentius Lambinus locum tractavit, post *genus imperatorum* de coniectura addens *esse referendum saneque diligenter* cet. Nimirum sensit, quod alii fortiter tulerunt, illam loquendi rationem *cognoscere aliquem esse non ad alicuius sapientiam sed ad aliud genus hominum* tolerari non posse, neque tamen omnium simplicissimam construendorum verborum rationem repperit. Ceterum ex aliquo codice melioris familiae *custodiam* primi adiecerunt Hervag. et Victor. editor, *iste* Naugerius, cum abessent ea verba a superioribus edd. librisque mss. vulgaribus. *Gerunda* Gruterus ex v. c. Lambini recepit, *gerenda* priores edd. et codd. plerique, non tamen Guelff.

diligenter retinendum et conservandum, quaeso, co-
26 gnoscite. Itinerum primum laborem, qui vel maximus est in re militari, iudices, et in Sicilia maxime necessarius, accipite, quam facilem sibi iste et iucundum ratione consilioque reddiderit. Primum temporibus hibernis ad magnitudinem frigorum et tempestatum vim ac fluminum praeclarum hoc sibi remedium compararat. Urbem Syracusas elegerat; cuius hic situs atque haec natura esse loci coelique dicitur, ut nullus unquam dies tam magna ac turbulenta tempestate fuerit, quin aliquo tempore eius diei solem homines

---

§. 26. *et temp. vim]* Vulgo *et ad temp.*, sed omittitur praepositio in Lambini v. c. et Guelff. et editione Stephaniana. Tum pro eo, quod est *ac fluminum*, Hervag. *ac imbrium*, de coniectura puto. Sed eam complures repetiverunt, et Lambinus adiuvit correcto *atque*. Sed ea non opus est, cum hiberna flumina in terra montuosa maxime impedimento esse soleant iter facientibus. Conferri iubet Ernestius Sueton. in Caes. c. 57. Tum Lambinus *hoc sibi rem. compararat*, cum olim esset *sibi hoc rem. comparat*, ordinem verborum e v. c. (quibuscum nostri Guelff. faciunt), verbi tempus de coniectura constituens: recte hoc quidem loco, neque eum quisquam praeter Gruterum deseruit. Graevius etiam Franciani codicis auctoritatem adiunxit, quam vere, meum non est suspicari. Codd. certe nostri omnes *comparat.*

atque haec nat.] Repetitum alio genere praenomen abest a Guelf. 1 solo, itaque non tollo, quamquam per grammaticam licet, ut Act. I, 16 §. 49. Mox ambo cum Lamb. editione et Havn. coll. *ac turbulenta*, quod recepimus pro vulg. *turbulentaque.*

temp. eius diei] Ordinem verborum e libris melioribus restituit Lambinus, cum ante illum perturbatus hic fuisset: *temp. solem eius diei*, et paruerunt reliqui editores praeter unum Graevium. Sed quod vulgo legitur, *quin — viderent*, miror ne Ernestium quidem sensisse debere esse *viderint.* Temporum ratio aperta est, et accedit testimonium Leid. (neque enim aliter explico quod in Add. editionis Beckianae perturbate legitur) nunc etiam Guelff. Havn. Quod ad rem pertinet, opportune Hotomanus Senecae locum e consol. ad Marciam (cap. 17) laudat de commodis urbis Syracusarum: *tepidissima hiberna et nullum diem sine interventu solis.* Sed eodem tamen loco ille: *gravis et insalubris aestas hiberni coeli beneficia corrumpit*, ut mirere Verrem etiam summa aestate ibi constitisse, ad mare tamen in insula, non quibus urbis partibus olim et Rom. et Carthaginiensem exercitum aestiva pestilentia laborasse tradit Livius XXV, 26.

viderint. Hic ita vivebat iste bonus imperator hibernis mensibus, ut eum non facile non modo extra tectum, sed ne extra lectum quidem quisquam videret: ita diei brevitas conviviis, longitudo noctis stupris et
flagitiis conterebatur. Cum autem ver esse coeperat, 27
cuius initium iste non a Favonio neque ab aliquo astro notabat, sed, cum rosam viderat, tum incipere ver arbitrabatur; dabat se labori atque itineribus: in quibus eo usque se praebebat patientem atque impigrum, ut eum nemo unquam in equo sedentem viderit. Nam, ut mos fuit Bithyniae regibus, lectica 11

---

§. 26. *long. noctis]* Auctoritate utriusque Guelf. et Lambini v. c. inverti verborum ordinem, qui vulgo est *noctis longitudo*, nimirum accommodatus *diei brevitati.* Extr. §. boni libri omnes *continebatur*, mendose, nam tempus *conteritur*, i. e. consumitur, *continetur* nulla ratione.

§. 27. *ab aliquo astro]* Sic primus Naugerius de coniectura. Nam codd. mss. quorum certis testimoniis utimur, omnes *austro.* Sed quin vetus mendum recte sublatum sit, non dubitatur. Sola Ernestiana editio mendose *alio.* Quodnam vero illud sidus soleat esse Romanis, docet Varro de R. R. I, 28. *Dies primus est veris in Aquario, aestatis in Tauro, autumni in Leone, hiemis in Scorpione,* ubi vide Gesnerum alios locos laudantem. A Favonio ad aequinoctium vernum dies XL ibidem dicuntur esse. Tam mature cum Verres castra movere nollet, expectabat *rosam,* florem et novissimum inter vernos, teste Plinio XXI, 11, et iucunditati vivendi aptissimum, quippe Veneri sacrum. *Tum* illi ver incipiebat, sic enim ambo Guelf. et Havn coll. non *tunc,* ut vulgo. Opponuntur enim *cum — tum, nunc — tunc.* Cf. ad IV, 64.

eo usque] Vulgo *usque eo*, et solet sic fere, quantum scio, Cicero, cum alterum Livianum sit. Verum sequimur nos Lambini editionem et codd. Guelff. Havn. illam ipsam causam fuisse, cur ordo vocabulorum inverteretur, suspicati. In fine sensus vulgo est *viderent,* quod nescio an alicui magis grammaticum videatur. *Viderint* tamen libri meliores magno consensu, nostri Guelff. et Lag. 29 cum Leid. et Havn. collatione: itaque generaliter dictum accipe, quemadmodum in Bruto c. 88 est *Ardebat autem* (Hortensius) *cupiditate* (dicendi) *sic, ut in nullo unquam flagrantius studium viderim.* Atque haec ipsa forma generaliter dicendi mirum quantum pertinet ad expectationem cum risu decipiendam. Cf. ad I, 30 pr.

octophoro ferebatur, in qua pulvinus erat perlucidus Melitensis, rosa fartus: ipse autem coronam habebat unam in capite, alteram in collo, reticulumque ad nares sibi admovebat, tenuissimo lino, minutis maculis, plenum rosae. Sic confecto itinere, cum ad aliquod oppidum venerat, eadem lectica usque in cubiculum deferebatur. Eo veniebant Siculorum magistratus, veniebant equites Romani, id quod ex multis iuratis audistis: controversiae secreto deferebantur, paulo post palam decreta auferebantur. Deinde, ubi paulisper

---

§. 27. *octophoro]* Quae erat magnificentissima. Multa de lecticis habet Lipsius Elect. I c. 19. Sed ex uno Catulli carm. X satis intelligas, octophori usum ex Asia Romam fuisse traductum, et lecticarios quoque ex Bithynia peti solitos esse, ni forte Bithynorum vestitu tantum fuerint. — *perlucidus Melitensis]* Ante Lambinum vulgo edebatur *Melitensi rosa farctus.* Sed et ille et ante eum Hotomanus multis cum verbis Ericum Memmium patronum scilicet suum ex ingenio emendasse *Melitensis* scribunt laudantque. Quo studiosius videtur Gruterus vulgatam retinuisse. Atqui non emendatio illa est, sed omnium codicum scriptura praeter unum Lag. 42, quam Stephanianus quoque editor (in var. lect.) praescripserat. Melitenses vestes (Μελιτέα ὀθόνια) insigni subtilitate mollitiaque a Graecis Latinisque scriptoribus celebrantur, vide Cluverum Sicil. p. 436 et harum oratt. lib. II, 72: Melitensis rosa nulla est, et deberet esse *Milesia.* Ceterum *fartum* ut *artum* scribendum esse analogia docuit Conr. Schneiderus Elem. L. L. p. 449, codicum auctoritate Burmannus ad Petronium c. 69 (laudatus a Garatonio) et critici, quos appellat Harlesius in Cellariano indice Orthogr. Lat. s. v. *artus.* — *in collo]* Vide interpp. Hor. Serm. II, 3, 256. Böttigeri Sabin. p. 206. — *admovebat]* Secernuntur in hoc verbo codicum familiae. Nam *apponebat* Lagomars. omnes, Oxon. ψ, Huydecop. cum editionibus veteribus; *admovebat* primus dedit Stephanus e codice, deinde Lambinus praeter mss. libros etiam Nonii lexicographi auctoritate usus, neque posthac quisquam illos deseruit. Legitur item in Guelff. Interpolatorem facile deprehendis, cui non satis esset quod identidem Verres reticulum ad nares admoveret, nisi etiam nares quasi vinciret.

usque in cubic.] Deterior codd. familia et editiones vett. *ad: in* Hervagius primus, deinde Stephanus. Lambinus ad veterem scripturam rediit, sed mutasse videtur sententiam, siquidem in repetita in textu est *in*, nec quicquam ad marg. notatum. Sic evicit altera classis librorum, aucta sententiae acerbitate. — *veniebant eq.]* Repetitum hoc verbum omittitur in codicibus melioris familiae omnibus.

in cubiculo pretio, non aequitate, iura descripserat, Veneri iam et Libero reliquum tempus deberi arbitrabatur. Quo loco mihi non praetermittenda videtur 28
praeclari imperatoris egregia ac singularis diligentia. Nam scitote oppidum esse in Sicilia nullum ex iis oppidis, in quibus consistere praetores et conventum agere soleant, quo in oppido non isti ex aliqua familia non ignobili delecta ad libidinem mulier esset. Itaque nonnullae ex eo numero in convivium adhibebantur palam: si quae castiores erant, ad tempus veniebant, lucem conventumque vitabant. Erant autem convivia non illo silentio praetorum populi Rom. atque imperatorum, neque eo pudore, qui in magistratuum conviviis versari solet, sed cum maximo clamore atque convicio: nonnunquam etiam res ad pugnam atque ad manus vocabatur. Iste enim praetor severus ac diligens, qui populi Romani legibus nunquam paruisset, illis legibus, quae in poculis ponebantur, diligenter obtemperabat. Itaque erant exitus

---

§. 28. *opp. esse]* Sic verba collocantur in Guelff. Havn. coll. Vulgo *esse oppidum.* Mox *his* Lag. 29 Havn. *hiis* Guelff. — *consistere praet.]* Codices Lag. omnes et edd. vett. etiam Steph. Lamb. *praetores consistere:* Hervagiana et repetita Lamb. et ex ea ducta Gruteriana *consistere praetores*, et consentiunt libri Guelff. Havn. coll. Sed in his praeterea legitur *soleant* pro vulg. *solent* prorsus e consuetudine scriptoris, ubi ambitus rei accuratius definiendus est. Ceterum quae oppida illa fuerint si quaeris, puta, praeter Syracusas, Agrigentum, Lilybaeum, Panormum. Vide II, 26 §. 63.

praetorum p. R.] Edd. principes *p. R. praetorum* et sic plane Graevii Regius et Guelff., neque adducor ut aliter fuisse in libro Memmiano putem, quamvis Hotomanus in eo fuisse, sicut debet, *praetorum populi Romani* annotarit. Naugerius alteram notam omisit, cum deberet suo loco collocare: itaque usque ad Ernestium tantum *praetorum* scribebatur. Mox *ad pug. atque ad manus vocabatur.* Stephanianus in var. lect. et ceteri boni libri, etiam Lagom. 29, pro vulg. *ad manus atque ad pugnam veniebat.* Videtur utrumque probari posse, certe *vocabatur* nulla ratione inferius. — *diligenter obtemperabat]* Vulgo *illis diligenter legibus — obtemperabat*, sed sequi-

eiusmodi, ut alius inter manus e convivio tamquam e proelio auferretur, alius tamquam occisus relinqueretur, plerique fusi sine mente ac sine ullo sensu iacerent, ut quivis, cum aspexisset, non se praetoris convivium; sed ut Cannensem pugnam nequitiae vi-
12 dere arbitraretur. Cum vero aestas summa esse coe-
29 perat, quod tempus omnes semper Siciliae praetores in itineribus consumere consueverunt, propterea quod tum putant obeundam esse maxime provinciam, cum in areis frumenta sunt, quod et familiae congregantur, et magnitudo servitii perspicitur, et labor operis maxime offenditur, et frumenti copia commonet, tempus

---

mur Lambinum et Leid. et Havn. coll. postquam etiam Guelferbytanos conspirantes invenimus. — *plerique fusi]* Interponitur *ut* in codd. Guelff. et Regio, recepitque Graevius, male tamen explicans *tamquam*, cum abundanter repetitum excusare deberet, quemadmodum recte Garatonius annotavit. Mihi mendum videtur. *Fusos* dicit ebrios nec sui compotes: antea *inter manus* explica non, quemadmodum ex nostri sermonis comparatione fere fit, inter pugnam, dum reliqui etiamtum manus conserebant, sed *manibus* ministrorum, cum membra movere languida non possent. Laudavit Graevius in hanc rem Phaedri fab. V, 7, 10 ad quem locum cf. interpretes. — *ut quivis]* Vulgo *quivis ut*, quod non nego elegantius videri, sed parendum fuit consensui bonorum librorum, Lamb. Guelff. Havn. Repetitum *ut* in oppositione non ferens Lambinus delevit suo Marte, ac temere, nam sic de Orat. II, 61 extr. *Salsum hunc possum dicere, atque ita, non ut huiusmodi oratorem esse velim, sed ut mimum.* Cf. supra ad lib. II, 6 §. 17.

§. 29. *esse coeperat]* Omisimus *iam*, quod vulgo interponitur, auctoritate codd. Guelff. Havn. coll. et exemplo Lambini. Mox *omnes semper Siciliae praetores* codices Lagom. praeter 42 omnes et edd. vett. usque ad Hervag. et Victor. in quibus primum traiecto et perturbato ordine verborum *omnes Sic. semper praetores* legitur. Non potui non redire ad vett. editiones, quamvis relinquendi in ea re essent codices alibi probati. Sed ne alibi quidem a mendis immunes sunt. Lambinus in priore edit. *semper* omisit, in marg. repetitae post *praetores* collocari voluit. *Consuerunt* Lag. 29 et Havn. coll. *tunc putant* Guelferbytani. — *offenditur]* Edd. veteres nonnullae (Ascens. Iunt.) *ostenditur*, de coniectura: codicum plurimorum lectionem *offenditur* revocavit Naugerius, donec Hervagius melioris familiae libro usus *offendit* dedit, sed paucos invenit qui sequi vellent. Nam recte Lambinus, quamvis

anni non impedit: tum, inquam, cum concursant ce-
teri praetores, iste novo quodam ex genere imperator
pulcherrimo Syracusarum loco stativa sibi castra fa-
ciebat. Nam in ipso aditu atque ore portus, ubi pri- 30
mum ex alto sinus ab litore ad urbem inflectitur, ta-
bernacula carbaseis intenta velis collocabat. Huc ex
illa domo praetoria, quae regis Hieronis fuit, sic emi-
grabat, ut eum per illos dies nemo extra illum lo-
cum videre posset. In eum autem ipsum locum adi-

---

activa terminatio in optimis libris (etiam Guelff.) sit, nihil mutandum censuit, *offenditur* enim esse καταλαμβάνεται, deprehenditur: cum supervenimus aut hominibus praesertim inopinatis, aut rei cummaxime locum habenti. Est autem *labor operis*, cum fervet opus. De frequenti errore in terminationibus cf. ad lib. II, 12 fin. Ad eundem errorem huiuscemodi refero quod ab illis libris (Lamb. v. c. Guelff. Havn.) etiam *et*, quod sequitur, abest, quo carere non puto posse orationem.

§. 29. *ex genere]* Omittitur *ex* auctoritate certorum codd. a Steph. (in var. lectt.) et Graevio. Non imitor, quamvis absit item a Guelferbytanis. Alia res esset si pro *genere* esset *ratione.*

loco] Gruterus et Graevius et h. l. *luco* et post paulo bis *lucum*, quod haustum ex mendosis quibusdam edd. vett. Ernestius recte damnavit. Nihil addam nisi unum hoc, in nullo libro msto legi. Sed seq. §. *locum illum litoris* vulgares libri omnes *lucum*, nec facile credo Graevio de Franciano. Nam Lagomarsiniani praeter 29 omnes et Oxon. Huyd. cum editionibus veteribus concordant. Rectissime tamen Lambinus *locum* ex melioribus restituit, a quo Gruterum discessise non miror, Graevium miror, qui Regium suum cognovisset Lambinianae scripturae favere. Scite autem Garatonius non *lucum*, sed *nemus* potius illud appellandum fuisse annotat.

§. 30. *ubi primum]* Lambinus in annotatione libros veteres habere ait *ut primum*, seque (intellige de altera editione) probare, nam *ut* pro *ubi* saepe usurpari a bonis scriptoribus. De codd. verum dicit, nam sic etiam Guelff. et Havn. collatio: de usu scriptorum, si discesseris a paucissimis poetarum locis (Catulli duobus 11, 3 et 17, 10 quos laudat Forcellinus in lex.), contra est, neque enim agitur h. l. de *ut* et *ubi* in tempore significando promiscue usurpatis, qua de re cf. ad II, 20 §. 48. Sed ordinem verborum mutavimus secundum eosdem libros, qui fuit antea *ad urbem ab litore. — ut eum per illos]* Ut edidi, libri Guelff. Havn. Stephanus (in var. lectt.). Vulgo *ut per eos dies nemo istum extra* cet. Lambinus in editione *illos* e Stephaniana, *istum* e vulgari lectione servavit.

tus erat nemini, nisi qui aut socius aut minister libidinis esse posset. Huc omnes mulieres, quibuscum iste consuerat, conveniebant, quarum incredibile est quanta multitudo fuerit Syracusis: huc homines digni istius amicitia, digni vita illa conviviisque veniebant. Inter eiusmodi viros ac mulieres adulta aetate filius versabatur; ut eum, etiamsi natura a parentis similitudine abriperet, consuetudo tamen ac disciplina pa-
31 tris similem esse cogeret. Huc Tertia illa perducta per dolum atque insidias ab Rhodio tibicine, maximas in istius castris effecisse dicitur turbas, cum indigne pateretur uxor Cleomenis Syracusani, nobilis mulier, itemque uxor Aeschrionis, honesto loco nata, in conventum suum mimi Isidori filiam venisse. Iste autem Hannibal, qui in suis castris virtute putaret oportere, non genere certari, sic hanc Tertiam dilexit, ut eam
13 secum ex provincia deportaret. Ac per hos dies cum

---

§. 30. *quibuscum iste consuerat]* Codd. deteriores *quibus*, sed *consuerat* plerique omnes, pro quo vulgo *consueverat.*

patris similem] Sic libri mss. omnes, item vett. edd. usque ad Naugerium, quem reliqui secuti praeter Lambinum *patri* scripserunt. Cf. ad III, 68 extr.

§. 31. *Huc — ab]* Concisum dicendi genus coniunctis diversis locorum significationibus notavit Garatonius. Nam *ab* remotionis h. l. verbum est. Vide lib. III, 34 init. Mox vulgo *effecisse turbas dicitur* alio verborum ordine, et omittitur *uxor* post *itemque.* Nos secuti sumus libros mss. Guelff. Havn. coll., in addendo verbo etiam reliquos huius familiae libros et Hervagianam. — *Hannibal]* Animadvertit Hotomanus, alludere Ciceronem ad Ennii versus, laudatos in orat. p. Balbo c. 22 extr. „*Hostem qui feriet, erit mihi Carthaginiensis, Quisquis erit, cuiatis erit:* quod aptius videtur, quam Ruhnkenii opinio ad Velleium II, 18 Hannibalis nomine in universum significari insignem bellatorem aut callidum hominem. — *deportaret]* Sic voluit edere qui Stephanianae praefuit, edititque Lambinus ex melioribus, quem pessime reliquit Gruterus restituta vetere alterius generis librorum scriptura *exportaret.* Quam hoc ineptum esset, non fugit Graevium aut Ernestium.

per hos dies] Sic Guelff. Havn. Vulgo *eos.* Mox *talarique tunica* ex emendatione Naugerii vulgo scribi, nemo videtur satis certo cognovisse. Sed ita res sese habet: codd. mss. utriusque ordinis cum olim

iste cum pallio purpureo talarique tunica versaretur in conviviis muliebribus, non offendebantur homines: neque moleste ferebant, abesse a foro magistratum, non ius dici, non iudicia fieri, locum illum litoris percrepare totum mulierum vocibus cantuque symphoniae, in foro silentium esse summum causarum atque iuris: non ferebant homines moleste; non enim ius abesse videbatur a foro neque iudicia, sed vis et crudelitas et bonorum acerba et indigna direptio.

Hunc tu igitur imperatorem esse defendis, Hor- 32
tensi? huius furta, rapinas, cupiditatem, crudelitatem, superbiam, scelus, audaciam rerum gestarum magnitudine atque imperatoriis laudibus tegere conaris? Hic scilicet est metuendum, ne ad exitum defensionis tuae vetus illa Antoniana dicendi ratio atque auctoritas proferatur; ne excitetur Verres, ne denudetur a pe-

---

editis *parique* exhibent. Usus est autem Naugerius cap. 33 *cum pallio purpureo tunicaque talari*, neque ab eius iudicio discedo, quia purpuream fuisse tunicam sicut pallium recte negat Rubenius de re vestiaria lib. I c. 8. p. 53 cf. Garatonium ad Cluentianam c. 40. Certe ea res ad mollitiem non pertineret, cuius argumentum esse tunicam ad talos demissam satis constat (cf. Cic. in Catil. II, 10. Horatii Serm. I, 2, 25). Denique velim etiam scire, numcui rei *par* alia dici possit, propter eam solam causam, quod idem adiectivum utrique applicatur.

§. 31. *non offendebantur]* Additur vulgo *in eo*, quod omisimus cum Stephano et Lambino codicibusque Guelff. Leid. Havn. *Abesse foro* pro *a foro* Lag. 29 Havn. coll. Item post *abesse videbatur foro* plerique Lagom. Huydec. et editiones vett. ante Naugerium, qui praepositionem adiecit prorsus secundum consuetudinem auctoris. Ceterum *non ferebant homines moleste* repetitio est, et absolute capienda, aliter atque Ernestius interpunctione cum praegressis inde a verbis *locum illum litoris* cet. coniunxit. — *et indigna]* ambo Guelf. et Havn. coll. Vulgo *atque*.

§. 32. *Hunc tu igitur]* Sic vulgo, sed ante Hervag. aut Victor. eiusdem anni ex plerisque codd. vulgaribus (Lagom. praeter 42) *hunc igitur tu* scribebatur. Post *imperatoriis* Naugerius primus edidit, antea ex codd. utriusque familiae fere omnibus *imperatoris* erat: fiunt tamen auctores Lag. 29. 42.

ctore, ne cicatrices populus Romanus aspiciat, ex mu-
33 lierum morsu vestigia libidinis atque nequitiae. Dii faciant, ut rei militaris, ut belli mentionem facere audeas. Cognoscentur enim omnia istius aera illa vetera, ut non solum in imperio, verum etiam in stipendiis qualis fuerit, intelligatis. Renovabitur prima illa militia, cum iste e foro abduci, non, ut ipse praedicat, perduci solebat: aleatoris Placentini castra commemorabuntur, in quibus cum frequens fuisset, tamen aere dirutus est: multa eius in stipendiis damna pro-

---

§. 33. *aera illa vetera]* Intellige cum Hotomano et Graevio stipendia, quae Verres meruerit inter homines luxuriosos, nam *aera* militiae pretium sive mercedem vocari proprie, satis constat. Vide Forcellinum in lex. Minus apta Gesneri Ernestiique explicatio est de adolescentuli Verris aere alieno, de quo aliquanto post dicitur. Nam ne *abduci* quidem illum a creditoribus puta solitum esse, sed ab amatoribus, cum ipse prostaret, seque ultro libidinosis hominum oculis offerret. *Perductum* se esse praedicabat; quod explico cum Graevio eductum sive deductum in forum, ut publicis negotiis interesset, siquidem *perduci* saepe idem est quod duci, cum significatione loci in quo quis mansurus sit. Nam ut hoc quoque verbum ad turpitudinis rationem referamus, dicamusque *abduci* volentes accepto palam pretio, *perduci* invitos arte dolisque, sicut supra §. 31 Tertia *perducta* dicebatur, et Asconius, quem dicere solemus, ad lib. I, 12 *perductores* ait esse *etiam invitarum personarum, et in quibus stupra exercita legibus vindicantur*, (cf. etiam Horat. Serm. II, 5, 77) nimis improbum videtur, neque necesse est.

aere dirutus est] Guelff. Leid. *direptus* mendose. Festus: *Dirutum aere militem dicebant antiqui, cui stipendium ignominiae causa non erat datum: quod aes diruebatur in fiscum, non in militis sacculum.* Idem: *Resignatum aes dicitur militi, cum ob delictum aliquod iussu Tribuni in tabulas refertur: resignare enim antiqui pro scribere interdum ponebant.* Nonius cap. XII, nr. 53. *Aere diruti appellabantur milites, quibus propter ignominiam stipendium, id est merces menstrualis aut annua, quae esset in nummis aereis* (dudum enim argenteos sestertios accipiebant, cf. interpr. Taciti Ann. I, 17) *subtrahebantur. Varro de vita populi Rom. lib. II Stipendium appellabatur, quod aes militi semestre aut annuum dabatur: cui datum non sit propter ignominiam, aere dirutus esset.* Licet intelligi ea ignominia imprimis affici solitos, qui ex acie fugissent aut castra deseruissent: sed eandem deminutionem

ferentur, quae ab isto aetatis fructu dissoluta et compensata sunt. Iam vero cum in eiusmodi patientia 34
turpitudinis aliena, non sua satietate obduruisset: qui vir fuerit, quot praesidia, quam munita, pudoris et pudicitiae vi et audacia ceperit, quid me attinet dicere, aut coniungere cum istius flagitio cuiusquam praeterea dedecus? Non faciam, iudices: omnia vetera praetermittam: duo sola recentia sine cuiusquam infamia ponam, ex quibus coniecturam facere de omnibus possitis: unum illud, quod ita fuit illustre notumque omnibus, ut nemo tam rusticanus homo L. Lucullo et M. Cotta consulibus Romam ex ullo municipio vadimonii causa venerit, quin sciret, iura omnia praetoris urbani nutu atque arbitrio Chelidonis meretriculae gubernari: alterum, quod, cum paludatus exisset, votaque pro imperio suo communique re publica nuncupasset, noctu stupri causa lectica in urbem in-

---

pecuniae Verres cum sensisset, quod nimis frequens in istis castris aleatoriis esset, detrimentum resarsit pudicitia prodenda.

§. 34. *aut coniung.]* Steph. (in var. lect.) *ac*, item Guelff. et vet. cod. Lambini, neque ille tamen recepit, sed correxit *et*, quod postea inventum est in Leidensi. Nimirum videtur concursum illius litterae vitasse paulo superstitiosius, cf. ad Div. c. 21. Sed aliud est, quapropter ego neque *ac* neque *et* h. l. feram, quod sententia est negans, quandoquidem *quid attinet* figura dicitur pro *non attinet*.

et M. Cotta] Et primum comparet in Victor. et Hervag. edit. sed in libris mss. legitur omnibus. Quod eam ob causam annoto, quia Graevius sustulit, ne quis certa ratione factum putet. Nam verum utrumque est. — *praetoris urbani]* Solita confusio notarum *pr.* et *p. r.* et *r. p.* turbas h. l. dedit. Primum codices vulgares et editiones veteres ex iis ductae *iura omnia populi Rom.* exhibent, eiecto, cuius iam nullus usus esset, verbo *urbani.* Tum *communique pop. Rom.* pro *com. rep.* habent. Utrumque cum posset Lambinus e melioribus libris Memmiano et Cuiaciano (*duos* ipse *codd. mss.* dicit) corrigere, prius tantum, quia Hotom. suaserat, restituit, alterum cum Stephanus olim (tantum quod *reip.* habet in var. lect.) voluisset, posthac edidit Graevius. De *communi re publica* locos aliquot ex Cicerone collegit Gronov. Observat. I, 12.

troferri solitus est ad mulierem, nuptam uni, propositam omnibus, contra fas, contra auspicia, contra omnes divinas atque humanas religiones.

14 O dii immortales! Quid interest inter mentes
35 hominum et cogitationes? Ita mihi meam voluntatem spemque reliquae vitae vestra populique Romani existimatio comprobet, ut ego, quos adhuc mihi magistratus populus Romanus mandavit, sic eos accepi, ut me omnium officiorum obstringi religione arbitrarer. Ita quaestor sum factus, ut mihi illum honorem tum non solum datum, sed etiam creditum et commissum putarem: sic obtinui quaesturam in Sicilia provincia, ut omnium oculos in me coniectos esse arbitrarer; ut me quaesturamque meam quasi in aliquo terrarum orbis theatro versari existimarem: ut sem-

---

§. 35. *sic eos accepi]* Ernestius maluit *eos sic accepi*, idque nihil adiicens repetivit Beckius, Schützius etiam in textum recepit. Quasi vero pronomen abundanter positum non etiam removeatur paulum a principio: sicut, quod nunc inter manus est, Liv. XXIII, 25, *de exercitu Marcelli qui eorum ex fuga Cannensi essent, in Siciliam eos traduci placuit.* — *illum honorem]* Sic Guelff. Havn. Vulgo *honorem illum.* Ex iisdem et vet. cod. in marg. Lamb. mox *et* recepimus pro *ac*, quod, quamvis minime aspernemur ante *con*, nolumus tamen contra fidem probatissimorum librorum propagare longius. Ceterum Ernestius accurate sententiam explicat, ne quis Memmii coniecturam *non tam datum quam creditum* probare velit. Mihi Cicero nihil voluisse aliud videtur, quam verbis adauctis suam de gravitate muneris demandati opinionem significare: *damus* enim simpliciter, *credimus* quod grave putamus, *committimus* quod carum habemus.

in Sicilia prov.] Olim vulgo *in prov. Sicilia*, et sic codd. plerique. In repetitae Lambinianae textu aut omissum est consulto aut excidit *Sicilia*, de quo neque Gruterus neque Ernestius quaesiverunt: *in Sic. prov.* et Lambinus in cod. vet. invenit, et ego in Guelff., neque tanti videtur ab eorum auctoritate recedere. — *in me coniect. esse]* Vulgo *in me unum coni. arbitrarer*, altera librorum familia (Lamb. v. c. Havn. Guelff.) uno verbo plus, uno minus. Certe istud *unum* paulum arrogantius videbitur. — *terrarum orbis]* Vulgo *orbis terrae*, etiam Stephanus et Lambinus in edd. quamquam ille in var. lect. hic in annotatione *orbis terrarum* ex codd. se dedisse vel dare voluisse

per omnia, quae iucunda esse videntur, ea non modo his extraordinariis cupiditatibus, sed etiam ipsi naturae ac necessitati denegarem. Nunc sum designatus aedilis: 36
habeo rationem, quid a populo Romano acceperim: mihi ludos sanctissimos maxima cum cura et caerimonia Cereri, Libero Liberaeque faciendos, mihi Floram matrem populo plebique Romanae ludorum celebritate placandam, mihi ludos antiquissimos, qui primi Romani appellati sunt, cum dignitate maxima et religione

---

ostendunt. Verum hoc temere dictum videtur. In codd. enim ipsis, quos secuti sunt, *terrarum orbis* verisimile est fuisse, uti Graevius ex Regio edidit nosque in Guelferbytanis invenimus. Neque videtur quicquam interesse, utrum *orbis terrarum*, an *terrarum orbis* dicatur.

§. 35. *semper omnia]* Lambinus e cod. vet. Havn. Guelff. Vulgo *omnia semper.* Ex iisdem libris *ea* adiecimus, sed ex Guelff. solis ordinem verborum, qui vulgo est *videntur esse*, invertimus, id quod, si semel receperis *ea*, aures desiderant. Denique Guelff. *sed et ipsi.*

§. 36. *design. aedilis]* curulis, et prior quidem factus, vid. in Pisonem c. 1. Quod ad divisionem ludorum procurandorum valuisse puto. *Trinos ludos* in aedilitate se fecisse ait etiam p. Mur. 19, *Cereales* nimirum, circa medium Aprilem, *Floralia* extremo Aprili et ineunte Maio, *Romanos* mense Septembri: ipsos dies vide in Calendariis antiquis apud Orellium Inscript. Lat. Tom. II. ad fin. Relinquebantur igitur collegae imprimis Megalenses, sed, ut opinor, etiam alii velut Martiales et gladiatorii Quinquatruum, quorum de editore non constat. Plebeiis quidem aedilibus unos ludos plebeios relictos puto: a Schuberto, V. d. dissentio, qui in libro de Aedilibus praeter plebeios reliquorum ludorum communem fuisse utrorumque aedilium curam statuit, p. 185 sqq. — *cum cura et]* His duobis verbis augetur locus in melioribus omnibus: vulgo *cum caeremonia.* Tum *faciendos* bis Guelf. 1, Lambinus priore loco vetustam, altero vulgarem formam habet, Guelf 2 utroque vetustam. Dudum in eiusmodi rebus de constantia edendi desperavi, quae ne veteribus quidem illis videtur fuisse.

appellati sunt] Vulgo *sunt nominati.* Nos Stephanianum codicem (in var. lect.) Havn. Guelff. sequimur. Num quid intersit, quaeris? Exiguum, sed tamen aliquid. Si nominati sunt, quid amplius? Fortuitum est. Sed qui *appellantur*, iis data opera et significanter imponitur nomen. V. c. Antonius nominatur Antonius, sed eundem Spartacum *appellat* contumeliose Cicero Phil. XIII, 10. Et C. Laelius, cum ab aequalibus appellatus esset sapiens, fortasse etiam vocatus, poste-

Iovi, Iunoni Minervaeque esse faciundos, mihi sacrarum aedium procurationem, mihi totam urbem tuendam esse commissam: ob earum rerum laborem et sollicitudinem fructus illos datos, antiquiorem in senatu sententiae dicendae locum, togam praetextam, sellam curulem, ius imaginis ad memoriam posterita-
37 temque prodendae. Ex his ego rebus omnibus, iudi-

---

ris iam *nominatur* sic certo ac perpetuo cognomine. Augetur igitur ea ipsa re illorum ludorum gravitas, qui prae ceteris Romani et habiti et vocati sint. Cf. Livius I, 35 et Dionys. Halicarn. III, 68. Confundi autem illa verba a librariis, si hoc satis fuerit, vide ad II, 21 pr.

§. 36. *cum dign. max. et]* Sic Guelff. Havn. (neque dubito quin etiam reliqui huius generis, si hoc agere voluissent qui contulerunt). Vulgo *maxima cum dign. ac.* — *antiquiorem]* Nimirum qui magistratum gesserant, suis honoribus discreti et sedere solebant et sententias rogari. Quaestorios ante Tribunicios collocat Heineccius Antiq. iur. Rom. I, 2, 49, quo iure nescio: quin utrosque cum reliquis privatis sedisse arbitror, quoniam ne magistratus quidem proprie gesserant. Sed hoc nondum quisquam, quod sciam, definire conatus est, quo loco, qui cummaxime magistratum vel Tribunatum plebis vel Quaesturam gererent, videantur rogati esse, v. c. utrum praetores ante praetorios, aediles ante aedilicios, an quique praetores essent, quique fuissent, promiscue. Mihi quidem illud potius Romani moris videtur fuisse.

ius imaginis — prodendae] Codd. vulgares et edd. vett. *ius, imagines — prodendam*, atque Hotom. *ius* explicabat iurisdictionem, quam aedilibus fuisse de quibusdam rebus, quae ad securitatem publicam pertinerent, nemo ignorat. Acquievit etiam Lambinus, nam quod aliquando hariolatus erat de Memmiana coniect. *imagines ad mem. posteritati prodendam*, revocavit ipse. Atqui noverunt apud Nonium cap. IV. s. v. *prodere* legi *imaginis*, quod Lambinum in *vet. cod.*, quos totiens in partes vocat, non invenisse miror sane, cum legatur in Guelff. (nisi illud est, quod Lambinus eo codice usus est, in quo Havn. coll. notat fuisse a pr. manu *imaginis*, sed correctum *imagines*, cum Graevius tamen in Regio simpliciter, nec iniuria, dicat inventum *imaginis*). Atque sic debet esse, *ius imaginis*, ediditque Gruterus. Supererat *prodendam*, quod propter codd. omnium consensum, adversus I. Fr. Gronovii in Obss. I, 12 emendationem *prodendae*, negligenter Graevius, frustra Garatonius tuiti sunt. Vetus enim haud dubie mendum est. Nam cum nihil frequentius sit quam *prodere aliquid posteris*, sive *prodere ad memoriam posteritatis* (agnosces enim h. l. facile figuram ἓν διὰ δυοῖν), sicut in orat. pro Rabirio Post. c. 7. in

ces, ita mihi omnes deos propitios velim, etiamsi mihi iucundissimus est honos populi, tamen nequaquam capio tantum voluptatis, quantum et sollicitudinis et laboris, ut haec ipsa aedilitas, non quia necesse fuerit, alicui candidato data, sed, quia sic oportuerit, recte collocata, et iudicio populi in loco posita esse videatur.

Tu, cum esses praetor renuntiatus, quoquo modo 15
— mitto enim et praetereo, quid tum sit actum — 38
sed cum esses renuntiatus, ut dixi, non ipsa praeconis voce excitatus es, qui te totiens seniorum iunio-

---

simili sententia est: *delectat sella curulis — denique imago ipsa ad posteritatis memoriam prodita:* insolens et iners cumulus verborum hic esset *ad prodendam memoriam posteritatis*, ne quid dicam de coniunctione *imago ad mem. prodendam.* Neque adiuvat comparatio loci in Divin. 3 §. 9, quem vide a nobis expositum. Concedendum igitur Gronovio videtur, ac desistendum a perdita defensione.

§. 37. *ita mihi omnes deos]* In hac verborum continuatione complura constitui secundum auctoritatem meliorum librorum partim omnium, partim eorum, qui accuratius sunt cum editis collati, unum illud paulo gravius quod e codd. Guelff. Havn. et Stephan. edit. (in var. lect.) pro *ut, tametsi* sublato *ut*, dedi *etiamsi.* Ita obtestatio per parenthesin interiicitur; sicut aliis in locis fit. Praeterea vulgo *deos omnes*, et *tantum capio*, alio verborum ordine, et adiicitur *esse* post *propitios*, contra detrahitur *et* ante *sollicitudinis.* In eo Guelferbytani libri discrepant, quod antiquior in principio sententiae vulgarem ordinem verbb. *rebus omnibus* tuetur, alter cum Lambini v. c. et Havn. coll. invertit.

in loco] i. e. suo et idoneo, ut frequenter *locus* simpliciter dicitur. Neque tamen hoc tulerunt aliquot vett. editores, quorum qui Victorianam, quam vocamus, curavit *digno in loco* adiecit, quod indignum locum tenuit usque ad Gruterum, quamquam et Stephanianus editor deleri voluit (in var. lect.), et Lambinus abesse a libr. manuscr. (pluribus haud dubie: poterat etiam dicere omnibus) annotavit.

§. 38. *totiens]* Quotiens igitur? Minimum septies et nonagies, siquidem populi universi centuriae sunt centum nonaginta tres. Quarum equites Rom. habent duodeviginti, singulae tribus quinque, pariter divisas inter iuniores senioresque. Vocantur autem tribus per aetatem (vid. Livii lib. XXVI, 22) et per classes (cf. Cic. Philipp. II, 33): nimirum utravis aetas cum centurias duas semis habeat, sola prima classis ex iis unam centuriam habet, reliquae quattuor

rumque centuriis illo honore affici pronuntiavit, ut hoc putares, aliquam rei publicae partem tibi creditam? annum illum unum domo tibi carendum esse meretricis? Cum tibi sorte obtigisset, uti ius diceres, quantum negotii, quid oneris haberes, nunquam cogitasti? neque illud rationis habuisti, si forte expergefacere te posses, provinciam illam, quam tueri singulari sapientia atque integritate difficile esset, ad summam stultitiam nequitiamque venisse? Itaque non modo a domo tua Chelidonem in praetura excludere noluisti, sed in Chelidonis domum praeturam totam detulisti.
39 Secuta provincia est: in qua nunquam tibi venit in

---

vel quinque unam semis; totius igitur populi prima classis septuaginta centurias. Hinc illud est, quod Cicero docet de rep. II, 22, si ad primam classem adiungantur equites Rom. et una centuria fabrorum (de tribubus urbanis dempta, ut opinor), quibus undenonaginta centuriae fiunt, non opus esse ex reliquo populo nisi octo solis centuriis, ut tota vis populi conficiatur. Sunt enim septem et nonaginta centuriae, i. e. maior pars populi. I nunc et querere locum illum desperatum esse.

§. 38. *annum illum unum]* In ordine verborum secuti sumus Guelf. 1. Vulgo *annum tibi illum* cet. Idem ille liber cum Lambini v. c. et Havn. coll. *uti* pro vulg. *ut*, Guelf. 2. et Leid. omittunt: denique *provinciam illam* Guelf. 1. Vulgo *eam provinciam.* Ceterum *ius dicere* de praetoribus non pertinere nisi ad urbanum et peregrinum, et, si nihil adiiciatur amplius, ad illum solum, vide apud Ernestium in indice. — *a domo tua — excludere]* In hac lectione libri omnes consentiunt, Lambiniani, Reg. Leid. ambo Guelf. per partem etiam Lagom. 29, in quo est *excludere*, eamque Garatonius manifesta ratione commendavit hac, quod Chelidonem haud dubie non habitasse apud Verrem diceret. Nam vulgo *domo — extrudere* ex deteriore mss. genere editur. Sed mox convenit etiam in eo, quod vulgo legitur *praeturam tuam totam*, delere *tuam* iussu Stephaniani libri, Guelf. 1, Havn. Tacet Lambinus, sed etiam alterius Guelf. corruptela demonstrat, in quo omittatur *totam.*

§. 39. *nunquam tibi]* Sic Guelff. Havn. Vulgo *tibi nunquam.* Deinde *et secures* vulgo, nos *ac* ex iisdem illis et Stephaniano libro. Vides enim coniungi bina, et observabis *ac* in tali subdistinctione non temere poni. Cf. ad Divinat. 12, 39.

mentem, non tibi iccirco fasces ac secures, et tantam imperii vim tantamque ornamentorum omnium dignitatem datam, ut earum rerum vi et auctoritate omnia repagula pudoris officiique perfringeres, ut omnium bona praedam tuam duceres, ut nullius res tuta, nullius domus clausa, nullius vita septa, nullius pudicitia munita contra tuam cupiditatem et audaciam posset esse: in qua tu te ita gessisti, ut omnibus cum teneare rebus, ad bellum fugitivorum confugias; ex quo iam intelligis, non modo nullam tibi defensionem, sed maximam vim criminum exortam.

Nisi forte Italici fugitivorum belli reliquias atque illud Tempsanum incommodum proferes; ad quod re-

§. 39. *pudoris officiique]* Vulgo *iuris, pudoris et officii*, in quo debuit offendere aliquis diligentior. Sed verbum *iuris* abesse a duobus mss. notatur in margine Lambini, porro Guelff. et Havn. exhibent sicut praescriptum vides. Statim *tuam praedam* Guelf. 1. solus, neque contemno. — *ut nullius res]* Repetitum *ut*, cum varientur verba, sane quam opportunum, boni libri omnes, Stephanianus, Lambini v. c. Guelff. Leid. etiam Lag. 29 exhibent, commendavitque Garatonius.

omnibus cum] Sic inverso eleganter verborum iusto ordine Lambinus edidit, e codd. suis, ut nunc Guelf. ambo et Havn. coll. ostendunt. Sic IV, 50 init. *dies ille, quo ego Hennam* c u m *venissem*. Liv. XXII, 29 extr. *ad praetorium eius signa* c u m *tulerimus*. Cf. ad c. 31 §. 82. — *intelligis]* Sic Lamb. ex melioribus, cum olim ex altera classe librorum fuisset *intelliges*. Recepit contra morem suum Gruterus. Sed elegantior collocatio verborum *non modo nullam tibi* adhuc relicta erat soli Lambino, quamvis itidem Guelff. Lag. 29 Havn. (pro vulg. *non modo tibi nullam*) habeant. Item mox *Ital. fugit. belli* Lambinus et Guelff. cum Havn. Vulgo *Italici belli fugitivorum*.

Temps. incommodum] Apparet urbem occupatam fuisse a fugitivis: cuius nomen nunc male scribi video, cum olim recte scriberetur *Tempsa*. Lambini haec culpa est, qui sine *p* scribendum temere pronuntiavit. At Graece est Τέμψα, olim Τεμέση: sic liquido Strabo tradit lib. IV p. 255. Codices deteriores non variant, sed meliores turbant, *Temanum* Guelf. 1 et Havn. (quamquam Graevius *Temesanum* ait fuisse in Reg. sed non credo) post *thepsano*, *thepsa*, Guelf. 2 et Leid. *cenianum*, post *cepsano*, *cepsa*. Vides certe litteram multis nunc odiosam apparere. *Valentini* sunt incolae Vibonis Valentiae, olim Hipponiae, hodie Monte Leone. Cicero *municipium* di-

cens cum te peropportune fortuna attulisset, si quid
in te virtutis aut industriae habuisses, idem, qui sem-
16 per fueras, inventus es. Cum ad te Valentini venis-
40 sent, et pro his homo disertus ac nobilis, M. Marius,
loqueretur, ut negotium susciperes, ut, cum penes te
praetorium nomen esset, ad illam parvam manum ex-
tinguendam ducem te principemque praeberes: non
modo id refugisti, sed eo ipso tempore, cum esses
in litore, Tertia illa tua, quam tu tecum deportaras,
erat in omnium conspectu: ipsis autem Valentinis, ex
tam illustri nobilique municipio, tantis de rebus re-
sponsum nullum dedisti, cum esses cum tunica pulla
et pallio. Quid hunc proficiscentem, quid in ipsa
provincia fecisse existimatis, qui cum iam ex provin-
cia non ad triumphum, sed ad iudicium decederet, ne
illam quidem infamiam fugerit, quam sine ulla vo-

---

cit, cum coloniam fuisse Livius XXXV, 40 doceat. Sed illo quidem tempore parum interfuit. — *ad quod recens]* Lambini v. c. in marg. ambo Guelf. *id quod recens cum peropportune fortuna attulisset*, porro Guelff. *si quid in te virtutis aut* (sic edidit etiam Lambinus) *industriae habuisses. Attulisset* etiam Steph. (in var. lect.) et Havn. nec video quid impediat: *fortuna te affert ad*, nimirum ut et ipse gloriam nanciscare, et incommodo medeare. Nam *id* mendum esse, et *te* excidisse videtur: reliqua servo. Vulgo autem *ad quod rec. cum te peropp. fortuna obtulisset, si quid in te virtutis atque industr. fuisset.*

§. 40. *ac nobilis]* ambo Guelf. et Havn. coll. Vulgo *et nobilis.* Mox omnes boni *praetorium nomen*, vulgo plenius *praetorium imperium ac nomen*, non contra rem, sed vereor ne contra fidem.

quam tu tecum deportaras] Sic Steph. (in var. lect.) Lambini v. c. Reg. Guelff. Leid. (e silentio), sed edidit adhuc unus Graevius pro vulg. *quam tecum deportabas. Tu*, ait, non Docimus, cuius uxor videtur fuisse: et *deportare* initium cepit a discessu e Sicilia. Quamquam vulgatam ferrem, nisi omnis librorum meliorum auctoritas prohiberet. *In conspectu omnium* Guelf. 1 solus, sed placet.

proficiscentem] Ernestius „nempe ab urbe Roma. Respicit ad id, quod narravit c. 13 extr." Non credo, sed, rebus oratorie diductis, proficiscentem in ipsa provincia, ut respexerit potius ad §. 28.

luptate capiebat? O divina senatus frequentis in aede 41
Bellonae admurmuratio! Memoria tenetis, iudices, cum advesperasceret, et paulo ante esset de hoc Tempsano incommodo nuntiatum, cum inveniretur nemo, qui in illa loca cum imperio mitteretur, dixisse quendam, Verrem esse non longe a Tempsa. Quam valde universi admurmuraverunt, quam palam principes contradixerunt! Et his tot criminibus testimoniisque convictus in eorum tabella spem sibi aliquam proponit, quorum omnium palam, causa incognita, voce damnatus est?

Esto: nihil ex fugitivorum bello aut suspicione 17
belli laudis adeptus est, quod neque bellum eiusmodi, 42
neque belli periculum fuit in Sicilia, neque ab isto provisum est, ne quod esset: at vero contra bellum

---

§. 41. *dixisse quendam]* Cum quae sequuntur sic vulgo legantur, *quam valde universi admurmurarint, quam palam principes contradixerint*, Ernestius corrigendum censuit *dixissetque quidam*, recepitque Schützius, Beckius mira quadam ratione vulgatam defendit, Infinitivum pendere a *memoria tenetis*, et ad coniunctivos repetendum esse *meministis*, cum longe praestaret confusionem quandam constructionum fateri. Sed ea tamen negligentia in tam facili continuatione magnopere offendit. En vero aliud remedium multo et lenius et efficacius afferunt codd. Guelferbytani, in quibus Indicativus est *admurmuraverunt*, quo indicio usi si mox corrigamus *contradixerunt* pro — *int*, non puto verendum esse ne vim attulisse scriptori videamur. Lambini v. c. in margine et Havn. collatio *admurmuraverint* et *dixerint contra*, quod quamquam per se non contempserim (atque edidit Stephanus), tamen in hoc ipso verbo insolitum est.

Et his] Vulgo *et is*, sed *is* — *convictus* ferri nequit. *His* autem edidit iam Lambinus, et habent Guelf. 1 Leid. nonnulli etiam ex deterioribus. Guelf. 2 et Havn. *sed iis*. Deinde *tabella* omnes boni codices pro vulg. *tabellis*, editio adhuc nulla, quamquam, quod annotavit Madvigius, apte opponuntur *tabella* et *vox*. Tum *proponit* et Lamb. e libris suis, quibuscum Guelff. et Havn. coll. faciunt. Vulgo *ponit*, quod correctum videtur ab eo, qui, cum spem in aliqua re *proponere* insolens putaret, non attendit ad *sibi*, quod longe insolentius redundat in dictione *spem ponere*.

praedonum classem habuit ornatam, diligentiamque in eo singularem; itaque ab isto praeclare defensa provincia est. Sic de bello praedonum, sic de classe Siciliensi, iudices, dicam, ut hoc iam ante confirmem, in hoc uno genere omnes inesse culpas istius maximas, avaritiae, maiestatis, dementiae, libidinis, crudelitatis. Haec dum breviter expono, quaeso, ut fecistis adhuc, diligenter attendite.

43 Rem navalem primum ita dico esse administratam, non uti provincia defenderetur, sed uti classis nomine pecunia quaereretur. Superiorum praetorum consuetudo cum haec fuisset, ut naves civitatibus cer-

---

§. 42. *diligentiamque in eo]* Hotomanus perite censet subaudiendum esse verbum *adhibuit*, neque enim se meminisse legere *habere diligentiam*. Neque illud difficile est e simplici sumere compositum. Sic de Amic. 24 *omnis igitur hac in re habenda ratio et diligentia est:* nam quod Ernestius laudat e lib. I in Verr. 6 *vim in inquirendo tantam habui*, nihil ad hanc rem pertinet. Reprehendendus autem Lambinus, qui lecta Hotomaniana nota ex uno libro msto se *adhibuit* in textum recepisse dicit. Quod unus fuerit, non movet me, sed nullum fuisse persuadent tot tamque diversi inter se libri veteres, quorum nullus ne vestigium quidem illius scripturae prodit. Repetitores tamen Lambiniani, obliti consilii, propagarunt, itaque ad Gruterum imprudentem transmiserunt. — *ab isto praeclare]* Vulgo *isto praetore*. Steph. et Lambinus ediderunt *ab isto praetore praeclare*, et legi sic in vet. cod. in margine repetitae Lambinianae annotatur. Graevius in Regio se invenisse tradit *ab isto defensa*, ut et *praetore* et *praeclare* absit. Sed neque Lambino neque Graevio hoc loco credimus propter consensum Havn. collationis cum Guelff. nostris, adde etiam cum Leidensi, si recte existimamus errorem aliquem in Beckianis Additamentis esse, et pro *H* (uydecop.) legendum esse *L*. Quicquid est, satis est *ab isto*, neque *praetore* egemus, neque *praeclare* abesse potest.

maiestatis, dementiae] Hotomanus olim coniecerat *maiestatis deminutae*, quod cupide arripuit Lambinus. Temere factum abunde Graevius docuit: ipse tamen denuo dubitavit, numquid vitii in verbo *dementiae* esset. Ne hoc quidem probabile, cum tot locis orator ostendat, summam improbitatem in Verre cum singulari stultitia coniunctam fuisse. Et quod ad hoc genus criminum pertinet, comparari iussit Ferratius cap. 29. 30. 39. 40. 44. 46.

§. 43. *sed uti]* Sic Guelff. Lag. 29 Havn. Vulgo *ut*.

tusque numerus nautarum militumque imperaretur, maximae et locupletissimae civitati Mamertinae nihil horum imperavisti. Ob hanc rem quid tibi Mamertini clam dederint pecuniae, post, si videbitur, ex ipsorum litteris testibusque quaeremus. Navem vero cybaeam 44
maximam, triremis instar, pulcherrimam atque ornatissimam, palam aedificatam sumptu publico, sciente tota Sicilia, per magistratumque Mamertinum tibi datam donatamque esse dico. Haec navis, onusta praeda Siciliensi, cum ipsa quoque esset ex praeda, simul cum ipse decederet, appulsa Veliam est, cum pluri-

---

§. 43. *Ob hanc rem — post, si videbitur]* Sic boni omnes, quamquam Graevius Regii sui mentionem facere noluit. Immo quaerit etiam, quid in vulgata scriptura *ob eam rem* et *post videbitur: ex* incommodi insit. Inest vero, praeterquam quod oratio male dirimitur, hoc, quod orator postea ea de re non dicit. Nec dicere voluit, quamobrem condicionem addidit, *si videbitur*: ut deprehensus excusatione uti posset, sibi visum non esse. Quod sequitur *testibusque* ex Guelff. Lag. 29. Havn. coll. dedimus. Vulgo *et testibus*, quasi huc quoque referenda sint et praepositio et pronomen.

§. 44. *ornatissimam]* Mirum quod in Regio et Guelf. 1 repetitur *cybaeam*. Guelf. 2, reliquis omissis, *navem vero cibaeam palam* cet. sed et hic et Guelf. 1 et Havn. coll. post verba *sumptu publico* adiiciunt *tuo nomine publice*, quae omnia de margine verisimile est accessisse. Ceterum de ipso verbo *cybaea* vide supra ad IV, 8.

sciente tota Sicilia] Immerito Ernestius mediam vocem, quam Steph. Lamb. Graevius e codd. suis adiecerant, eiecit denuo, quamvis in Guelf. suo (adde etiam altero antiquiore,) esset. At mox solius libri huius auctoritate fretus *per magistratumque Mamertinum* multo audacius scripsit, cum vulgo atque adeo in Stephaniana et Lambiniana esset *per magistratum senatumque Mam.* Sed rectissime tamen ille, neque Guelf. 2 solus est, sed accedit antiquior et Leid. et Havn. collatio. Ex hac quidem apparet, Graevium negligentiae nomine accusandum, quod *senatumque* abesse tradidit a Regio, cum restaret *que*. Iam proba sunt omnia; neque enim Franciani scripturam *magistratus* moror. Senatus populusque Mamertinus dedit *per* magistratum suum, quem unum habebant, sicut Garatonius docuit ad III, 38 unum fuisse Sicyone lib. I, 17, Mileti I, 34, Centuripis II, 67, item unum Catinae et Tyndaride IV, 23.

cum ipse decederet] *Ipse* dedimus pro vulgata *iste* ex Guelff. et Havn. tum ex iisdem et Stephani vetere et Leid. *quas iste Romam*

mis rebus, et iis, quas iste Romam mittere cum ce-
teris furtis noluit, quod erant carissimae, maximeque
eum delectabant. Eam navem nuper egomet vidi Ve-
liae, multique alii viderunt, pulcherrimam atque or-
natissimam, iudices. Quae quidem omnibus, qui eam
aspexerant, prospectare iam exilium atque explorare
18 fugam domini videbatur. Quid mihi hoc loco respon-
45 debis? nisi forte id, quod, tametsi probari nullo modo
potest, tamen dici quidem in iudicio de pecuniis re-
petundis necesse est, de tua pecunia aedificatam esse
navem. Aude hoc saltem dicere, quod necesse est.
Noli metuere, Hortensi, ne quaeram, qui licuerit ae-
dificare navem senatori. Antiquae sunt istae leges,
et mortuae, quemadmodum tu soles dicere, quae ve-
tant. Fuit ista res publica quondam, fuit ista seve-

---

mittere pro eo, quod in reliquis est, *quas ante Romam mittere*, quandoquidem navem illam cum furtis provinciae ne pervenisse quidem unquam Romam contextus docet. — *pulch. atque ornat.]* Haec verba Ernestius temere h. l. e superioribus repetita ratus uncis includenda censuit: Schützius prorsus sustulit. Sed quo tum pertinere *iudicum* appellationem dicemus?

§. 45. *aedific. esse navem]* Olim fuit ex codicibus vulgaribus (etiam Lag. 29) *de tua pecunia constare aedificatam esse eam navem.* In Stephaniana omittebatur *constare*, ac statim omnes item abesse a melioribus annotarunt, Lambinus ab omnibus v. c. Gruterus a Cuiaciano Gulielmi, Graevius a Regio, Ernestius a Guelf. 2. Sed hoc non animadverterunt, Stephanianum emendatorem etiam *eam* delendum censuisse in varietate lectionis; quod non minus auctoritate bonorum librorum factum esse ostendunt ambo Guelf. et Havn. Item recentiores formam *navim* sibi obtrudere a repetitoribus Lambini passi sunt, quam neque editiones antiquiores, neque libri mss. nostri habent; neque omnino veteres scriptores videntur probasse: correximus quidem apud Quint. Inst. IV, 2, 41. Antea Guelf. 1 *tametsi nullo modo probari potest*, mutato verborum ordine. — *istae leges]* Intelligit legem Claudiam, de qua vide Livium XXI, 63 — *ne quis senator quive senatoris pater fuisset, maritimam navem, quae plus quam trecentarum amphorarum esset, haberet.* Cf. Cuiacium in Observatt. VI, 38.

ista res publ.] Edd. veteres cum turba vulgarium codicum *ista responsio*. Victoriana *reprehensio*, quod est in Lag. 14. Hoc propa-

ritas in iudiciis, ut istam rem accusator in magnis criminibus obiiciendam putaret. Quid enim tibi navi? qui si quo publice proficisceris, praesidii et vecturae causa sumptu publico navigia praebentur, privatim autem nec proficisci quoquam potes, nec arcessere res transmarinas ex iis locis, in quibus te habere nihil
licet: deinde cur quicquam contra leges parasti? Va- 46

---

gatum est per Manutianam, Stephanianam, Lambinianam, neque videtur quisquam magnopere attendisse, in Hervagiana iam scriptum fuisse, et Stephanianum emendatorem iussisse *ista respublica*. Lambinus in duobus libris mss. ait esse *resp. rentio*, unde et ipse et Memmius pericula coniecturarum ducunt. Quibus nihil opus esse Gruterus, prolata Cuiaciani libri scriptura *res publica*, docuit, laetatus haud dubie negligentia Lambini sibi partes defendendae melioris lectionis obvenisse. Quid plura? Guelff. et Havn. et (fortasse) Leid. suffragantur.

§. 45. *Quid enim tibi navi?]* Vulgo *quid enim tibi nave opus fuit*, sed omittunt *opus fuit* boni omnes, porro iidem *navi*, praeter Cuiacianum, in quo Gruterus, nescio quam vere, scribit esse *navim*, et Guelferbytanum 2, in quo est *narram*, et Leidensem, in quo traditur inveniri *narravi*. Iam duplex ostenditur ratio explicandi, ut aut elliptice dictum statuas *quid tibi navi?* pro *quid tibi opus est navi?* aut *navem* scribas, quod referas ad ea quae sequuntur, *deinde cur quicquam contra leges parasti?* Mihi explorata librorum auctoritate, illud praestare visum est, quamquam dicendi rationem exemplorum similitudine comprobare nequeo. Graevius corrigendum censuit. *Quo enim tibi navim?* quemadmodum *quo mihi* saepius diceretur, cf. Gramm. nostr. §. 770. At non *quo tibi?* Et si semel accusativum verum putas, non adeo difficile videtur eum cogitato verbo *parasti* explicare. In sequentibus vides me quater praesentia dedisse, pro quibus bis vulgo imperfecta leguntur, *proficiscereris* et *praeberentur*, bis deinde ab Ernestio coniectura effecta *posses* et *liceret*, cum libri omnes et *potes* et *licet* haberent. Mihi *proficiscereris* ipsa forma displicebat, et exhibent *proficisceris* Lag. 27. 29. Guelf. 2. *praebentur* Lag. 29. Omisi etiam *et*, quod vulgo legitur ante *praesidii*, auctoritate utriusque Guelferbytani. Ceterum *qui si quo proficisceris* satis commode coniungi possunt, ut non opus sit cum Lambino corrigere *cui*. Solent haud dubie illi casus a librariis permutari, sed cum dativo multo etiam durius coiret insequens verbum *potes*, quam nunc ex nominativo repetitur dativus ad verbum *praebentur*.

te habere nihil licet] Sic Lambini codices Guelff. Havn. quam scripturam non fuit cur Lambinus mendosiorem etiam diceret vulgata,

leret hoc crimen in illa vetere severitate ac dignitate rei publicae. Nunc non modo te hoc crimine non arguo, sed ne illa quidem communi vituperatione reprehendo: tu tibi hoc nunquam turpe, nunquam criminosum, nunquam invidiosum fore putasti, celeber-

---

tibi habere mercari nihil licet. Nam *licet*, subintellecto dativo (vide Dukeri accuratissimam notam ad Liv. XXXXII, 36, quam excerpsit Ruhnkenius dictat. ad Terent. p. 156) construi cum accusativo et infinitivo nemo hodie nescit, neque enim res vertitur in duobus illis locis Ciceronis de Officiis I, 26 et II, 19, quos Forcellinus in lex. subdubitans laudat, sed sunt alii quam multi: sicut huius libri cap. 32, *hodie Syracusanum in ea parte habitare non licet*, et cap. 59 *sed non licet me isto tanto bono uti.* Epist. VII, 1, 16 *neque nos lepore tuo, neque te (si quis est in me) meo frui liceret*, quem locum Madvigii diligentiae debeo. Porro autem *mercari* ne in edd. quidem principibus legitur, additum est primum a Naugerio, ex codicibus, sed deterioris ordinis. Tamen Lambinus in editione *habere* delevit, servavit *mercari*, in annotatione autem ad repet. edit. sublato *mercari* pro *habere* emendare se scribit *emere*. His opinor nihil opus esse, si statuamus vetere lege omnino interdictum esse senatoribus, ne quem fundum extra Italiam haberent. Intelligo quid postulem, verum non sine causa magnum illud certamen videtur fuisse, quod Livius ostendit lib. XXI, 63, neque alia causa vetandi ne senatores onerarias naves haberent, donec amplificato et confirmato imperio illa pars legis in desuetudinem venit.

§. 46. *vetere]* ambo Guelf. Lag. 29. Havn. Vulgo *veteri*, quam formam in omnibus his orationibus non inveniri notavi ad Divin. c. 2.

tu tibi hoc] Praemittitur in vulgaribus libris *postremo*, diremptum a praegressis maiore interpunctione. Hoc verbum omittunt codices meliores, Lambini duo, Guelff. Leid. Havn., immo non legitur in edd. vetustis ante Aldinam, in Iunt. post *hoc* ponitur. Abiiciendam esse ratio docet, nam haec ipsa est reprehensio illa communis: neque Garatonius satis defendit laudato loco Terentiano Phorm. II, 1, 71, ex alio prorsus genere. Ceterum colon *nunquam turpe* accessit primum in Stephaniana, et reliquos latuit feliciter, unde esset, nam metuo ne damnaturi fuerint, si non legi in vulgaribus comperissent. Iam primum tamen Veneta 1483 pro eo *nunquam tempore.* Mox Stephanianus corrector inepte, sed pro fide sua erga vet. cod., quem secutus est, voluit *aedificare* sicut praeter coll. Havn. etiam in Guelff. peccatur: talibus enim mendis nihil frequentius. Sed *eo*, si placuerit, tollito eorundem codd. auctoritate.

rimo loco palam tibi aedificari onerariam navem in ea provincia, quam tu cum imperio obtinebas? Quid eos loqui, qui videbant: quid existimare eos, qui audiebant, arbitrabare? inanem te navem esse illam in Italiam deducturum? naviculariam, cum Romam venisses, esse facturum? Ne illud quidem quisquam poterat suspicari, te in Italia maritimum habere fundum, et ad fructus deportandos onerariam navem comparare. Eiusmodi voluisti de te sermonem esse omnium, palam ut loquerentur, te illam navem parare, quae praedam ex Sicilia deportaret, et ad ea furta, quae reliquisses, commearet? Verum haec omnia, si doces, 47
navem de tua pecunia aedificatam, remitto atque concedo. Sed hoc, homo amentissime, non intelligis priore actione ab istis ipsis Mamertinis, tuis laudatoribus, esse sublatum? Nam dixit Heius, princeps istius

---

§. 46. *esse illam]* Sic nescio unde nacti olim editi ante Naugerium, qui praepositionem sustulit. Denuo adiecit Stephanus et firmant libri meliores. Lambinus tamen negligenter ordinem verborum invertit. Mox *te* vulgo adiicitur post *naviculariam*: abiecerat Stephanus (et Lamb.) pro fide melioribus debita. Male autem Graevius Hotomanum sibi reprehendendum sumpsit, quod *naviculariam facere* explicasset artem nauticam exercere. Ipse enim putat esse navibus aut aedificandis aut vendendis quaestum facere. Quasi non re vera navicularius is sit, qui aut navem aliis locat, aut merces eo quo alii iusserint vehit.

te in Italia] Ordinem verborum restitui ex Lambini v. c. Havn. coll. utroque Guelf. Vulgo *te habere in Italia marit. fundum.* Ex iisdem mox *voluisti de te* pro vulg. *de te voluisti.* Tum vulgo *et quae ad ea furta*, quasi duae sint naves. Nos omisimus *quae* auctoritate bonorum librorum.

§. 47. *istis ipsis Mam.]* Sic Stephanus, Lambinus ex melioribus codd. Vulgo *ipsis istis tuis Mam. laudatoribus.* Quid opus est pluribus? Omnes libri veteres usque ad repetitam Lambinianam habent certe *istis ipsis.* — *Heius, princeps]* Interponitur vulgo *princeps civitatis.* Lambinus servavit, sed Stephanianus editor eiici voluerat, codicum auctoritati cedens. Neque nos ei non obtemperare debuimus in re ancipiti. Item paulo post hi codices *factam* pro vulg. *aedificatam.*

legationis, quae ad tuam laudationem missa est, navem tibi operis publicis Mamertinorum esse factam, eique faciendae senatorem Mamertinum publice praefuisse. Reliqua est materies. Hanc Rheginis, ut ipsi dicunt, (tametsi tu negare non potes,) publice, quod
19 Mamertini materiem non habent, imperavisti. Si et ex quo fit navis, et qui faciunt, imperio tibi tuo, non pretio, praesto fuerunt; ubi tandem istud latet, quod
48 tu de tua pecunia dicis impensum? At Mamertini in tabulis nihil habent. Primum video, potuisse fieri, ut ex aerario nihil darent. Etenim vel Capitolium, sicut apud maiores nostros factum est, publice coactis fabris operisque imperatis, gratis exaedificari atque effici potuit: deinde perspicio, (id quod ostendam, cum

---

§. 47. *materiem]* Sic primum vidi in Manutiana. Superiores et codd. vulgares *materies*, Lag. 29 *materiam*. Sed vereor ut recte Guelf. 2 id verbum omittat.

imper. tibi tuo] Lambini v. c. Leid. Guelff. etiam Huydec. *imperio tibi non tuo pretio*. Displicet, nam *pretio* nunquam me legere memini cum pronomine. Mox *istuc* vulgo, sed Havn. et Guelf. 1 *istud*, alter *illud*. Itaque *istud* certe dedimus. Cf. ad Divin. 9 §. 27.

§. 48. *gratis exaedificari]* Verbum *gratis* diversis locis in edd. circumducitur, sed unum habet verum, quo Stephanus et Lambinus libris suis obsecuti posuerunt. Vulgares et Gruterus cum Ernestio *publice gratis*, Hervagius omisit, sed paucos invenit imitatores. Guelf. 1 *edificari*. Ceterum de *Capitolio* operis e plebe coactis aedificato vide Livii I, 56. — *deinde perspicio]* Plurimorum codd. scriptura haec est *deinde id quod perspicio et quod ostendam*, et edebatur donec Hotomanus e vetere, ut ait, sed incertissimae fidei libro protulit *deinde id quoque perspicio*, *quod et ostendam*. Recepit Lambinus addito suo *et ita v. c.* sed noli putare istud testimonium huc pertinere. Verum haesit tamen in Gruteriana *quod et*, in quo maxime aliquis Ciceronianus offenderit, et facta est vulgata lectio, quam dicimus, haec: *deinde id quod perspicio quod et ostendam* rel. Scilicet *video* — *id quod perspicio*. Sane multo mallem Hotomanianum illud inventum *quoque*. Verum a Guelf. antiquiore abest *id quod*, ac videtur esse ipsum illud *et quod*, ut sic mihi quidem scribendum videatur: *deinde perspicio (id quod ostendam, cum ipsos produxero, ex ipsorum*

ipsos produxero, ex ipsorum litteris,) multas pecunias isti erogatas in operum locationes falsas atque inanes esse perscriptas. Nam illud minime mirum est, Mamertinos, a quo summum beneficium acceperant, quem sibi amiciorem esse quam populo Romano cognoverant, eius capiti litteris suis pepercisse. Sed si argumento est, Mamertinos tibi pecuniam non dedisse, quia scriptum non habent: sit argumento, tibi stare gratis navem, quia, quid emeris, aut quid locaveris, scriptum proferre non potes.

At enim iccirco navem Mamertinis non imperasti, quod sunt foederati. Dii approbent: habemus hominem in fetialium manibus educatum; unum praeter ceteros in publicis religionibus foederum sanctum ac diligentem: omnes, qui ante te fuerunt, praetores dedantur Mamertinis, quod iis navem contra pactionem foederis imperarint. Sed tamen tu, sancte homo ac religiose, cur Tauromenitanis item foederatis navem 49

---

litteris). Nam sic libri Guelff. et Lambini v. c. Vulgo *istos* et *ipsorum ex litteris.* — *Nam illud]* Steph. (in var. lectt.) et codices melioris familiae *iam*, recepitque Graevius. Non possum probare: videretur enim aliud secuturum, quod nullum est.

§. 48. *sibi amiciorem esse]* Ordinem verborum constitui ex Guelff. et Havn. Vulgo *esse* post *Romano* removetur. Ceterum deteriores codices (Lagom. VIII praeter 42) frequentissimo errore *amiciciorem.* — *tibi pecuniam]* Vulgo *pecunias tibi*: nos Stephanum (nisi quod *pecuniam tibi* habet) et Lambinum cum Guelff. et Havn. sequimur. — *tibi stare gratis]* Sic ambo Guelf. et Leidensis; Steph. (in var. lect.) et cod. Regius alio tantum verborum ordine *tibi gratis stare.* Sed quod vulgo editur ex deterioribus *tibi gratis constare navem* Latinitatis causa nostrae scripturae multum cedere debet, quamquam etiam *constare* sic dicitur, sed *stare* optima aetate usitatius.

§. 49. *in fetialium manibus]* Lambinus ait alios voluisse *moribus*, sed se dissentire. Recte, haud dubie. Nam *manus* in eiusmodi locutionibus curam et studium significant. — *ac diligent.]* Sic Lambinus in margine repet. edit. et Havn. collatio codicesque Guelff. et Lag. 29. Vulgo *et.* — *fuerunt, praetores]* Sic Lambini v. c. Havn. Guelff. et praestat vulgatae *omnes, qui ante te praetores fuerunt.*

imperasti? An hoc probabis, in aequa causa populorum sine pretio varium ius et disparem condicionem
50 fuisse? Quid? si eiusmodi esse haec duo foedera duorum populorum, iudices, doceo, ut Tauromenitanis nominatim cautum et exceptum sit foedere, *ne navem dare debeant:* Mamertinis in ipso foedere sanctum atque praescriptum sit, *ut navem dare necesse sit*; istum autem contra foedus et Tauromenitanis imperasse, et Mamertinis remisisse? numquid dubium poterit esse, quin, Verre praetore, plus Mamertinis cybaea, quam Tauromenitanis foedus opitulatum sit?
20 Recitentur foedera. Isto igitur tuo, quemadmodum ipse praedicas, beneficio; ut res indicat, pretio atque mercede, minuisti maiestatem rei publicae, minuisti auxilia populi Romani, minuisti copias maiorum virtute ac sapientia comparatas: sustulisti ius imperii, condicionem sociorum, memoriam foederis. Qui ex foedere ipso navem vel usque ad Oceanum, si imperassemus, sumptu periculoque suo, armatam atque ornatam mittere debuerunt: hi, ne in freto ante sua tecta et domos navigarent, ne sua moenia portusque defenderent, pretio abs te ius foederis et imperii con-

---

§. 50. *Mamertinis—praescriptum]* Ernestius verbum *Mamertinis* a proximis interpunctione dirimendum et cum *necesse sit* coniungendum putavit, alioquin pro vulgata *perscriptum* corrigendum esse *praescriptum.* Sed hoc ipsum codd. Lagomars. plerique omnes et Stephanus (in varietate lectionis) cum Havn. collatione. Quamquam dubitandum non est, posse dativum *Mamertinis* relationis cuiusdam vi, qua saepissime ponitur, etiam cum *perscriptum* coniungi, tamen post verbum tam efficax, quale est *sanctum,* vulgare atque iners sequi *perscriptum* non convenit. Mox vulgo *uti*, nos *ut* ex Lambini v. c. Havn. Guelff. — *numquid]* Vulgo *num cui.* Alterum ambo Guelf. Leid. Havn. coll. et videtur interpolatores utpote paulo a vulgari dicendi ratione remotius pupugisse. — *foedera]* Adiecit Lambinus, servaruntque repetitores et reliqui titulum MAMERTINORUM ET TAUROMINITANORUM CUM POPULO ROM. FOEDERA, quem, quia in nullo libro ms. legitur, abiecimus.

dicionem redemerunt. Quid censetis in hoc foedere 51
faciundo voluisse Mamertinos impendere laboris, operae, pecuniae, ne haec biremis adscriberetur, si id ullo modo possent a nostris maioribus impetrare? Nam, cum hoc munus imponebatur tam grave civitati, inerat, nescio quo modo, in illo foedere societatis quasi quaedam nota servitutis. Quod tum recentibus suis officiis, integra re, nullis populi Romani difficultatibus, a maioribus nostris foedere assequi non potuerunt: id nunc, nullo officio suo, tot annis post, iure imperii nostri quotannis usurpatum, ac semper retentum, summa in difficultate navium, a C. Verre pretio assecuti sunt. Ac non hoc solum assecuti, ne na- 52

---

§. 50. *redemerunt]* Vulgo *emerunt*, sed *redemerunt* longe significantius, i. e. liberarunt se ab illis oneribus. Sed hoc quamvis Stephanus et Lambinus e cod. vet. se edidisse testati essent, Graeviusque in Regio invenisset, nemo recipere ausus est, priusquam Garatonius enixe commendaret. Legitur etiam in reliquis bonis omnibus.

§. 51. *imponebatur]* Sic edidit Stephanus, secutusque est Lambinus, in duobus libris mss. (nos adiicimus ceteros huius ordinis) esse testans. Reliqui deteriorum codd. scripturam *imperaretur* retinuerunt: quamquam omnibus momentis, si accurate rem expendere volueris, altera illa praestat. — *nullo officio suo]* Optimi libri Guelff. Havn. Leid. omittunt, quod vulgo adiicitur, *nullo novo officio.* Non possum reprehendere *novo,* nam id sane intelligitur, sed acerbius videtur praetermittere mentionem veterum officiorum. Mox *usurpatum* et *retentum* Gruterus a repetitoribus Lambinianis acceptum propagavit, haud dubie non attendens, in illis codd., quorum auctoritatem alias tueri solet, et edd. vett. esse *usurpato* — *retento.* Alterum Hervagius edidit, quem bonis libris usum saepe videmus, et Stephanus, sed Lambinus non recepit: quamquam in reliquis melioris familiae libris (non tamen in Lag. 29) legitur.

§. 52. *ac non hoc solum assec.]* Edd. veteres *at non hoc solum assecuti.* Primus Lambinus mutare coepit, ediditque *at hoc solum sunt assecuti,* de coniectura, quantum intelligo, et bis quidem, quod et *sunt* adiecit, et *non* delevit. Sed quod negationem sustulit, recte fecit, si aliam medicinam non invenisset. Nam cum *at* quasi a parte Verris dicatur, excusationem, non novam accusationem afferre debet. Itaque et repetitores Lambinianam scripturam in textum receperunt, et

vem darent. Ecquem nautam, ecquem militem, qui aut in classe, aut in praesidio esset, te praetore, per triennium Mamertini dederunt?

21 Denique cum ex senatus consulto, itemque ex lege Terentia et Cassia frumentum aequabiliter emi ab omnibus Siciliae civitatibus oporteret: id quoque munus leve atque commune Mamertinis remisisti. Dices, frumentum Mamertinos non debere. Quomodo non debere? an, ut ne venderent? non enim erat hoc genus frumenti ex eo genere, quod exigeretur, sed ex eo, quod emeretur. Te igitur auctore et interprete, ne foro quidem et commeatu Mamertini iuvare popu-
53 lum Romanum debuerunt. Quae tandem civitas fuit, quae deberet? Qui publicos agros arant, certum est, quid e lege censoria debeant: cur his quicquam prae-

---

Gruterus (nisi temere fecit) cum reliquis servavit: unus Graevius discessit, qui cum *at non hoc solum sunt assecuti* contra Latinitatem scripsisset, hoc sese Victorii auctoritate fecisse dixit, quod verum non est: nam *sunt* in nullo libro edito ante Lambinum, nec in scripto quidem legitur nisi forte in Lag. 45, qui *assecuti sunt* habet. Quid igitur? Lambini coniecturam veram putabimus, et recipiemus? Necesse esset, nisi levior medicina vulgaris lectionis a Guelf. 2 et Havn. demonstraretur, ut *ac* pro *at* scriberetur. Iam haec verba coniungenda sunt cum proximis *assecuti sunt* — *ac non hoc solum assecuti:* immo ne nautam quidem aut militem ullum dederunt, quod mutata orationis forma per interrogationem expressit.

§. 52. *sed ex eo, quod]* Repetita praepositio accessit in Hervagiana et Victoriana, et abest a codd. vulgaribus, Lagomarsinianis quidem praeter 42 et 29. — *iuvare pop. Rom.]* Hoc ordine Lag. 29 et ambo Guelferbytani et v. c. in marg. Lambini. Vulgo *pop. Rom. iuvare.*

§. 53. *e lege cens. debeant]* Omisi *dare*, quod vulgo adiicitur, auctoritate bonorum librorum inde a Stephano omnium, nam quod Ernestius in Guelf. 2 tradit esse *darent*, falsum est, et pertinet ad locum aliquanto post sequentem. Sed utrum *lege censoria* scribatur, sicut in Guelf. 1 est, et Graevius in Regio legi tradit, an *e lege censoria*, quod Lambini v. c. in margine repetitae et Havn. collatio habet, incertum est. Cf. ad IV, 63. Tertium habent Guelf. 2 Leid. Steph. (in variet. lect.) mendose *a lege.* Vulgo autem editi ex deteriore familia *ex lege.* Nos igitur *e lege.*

terea ex alio genere imperasti? Quid decumani? num quid praeter singulas decumas ex lege Hieronica debent? cur his quoque statuisti, quantum ex hoc genere frumenti empti darent? Quid immunes? hi certe nihil debent. At eis non modo imperasti, verum etiam, quo plus darent, quam poterant, haec sexagena milia modium, quae Mamertinis remiseras, addidisti. Neque hoc dico, ceteris non recte imperatum: sed Mamertinis, qui erant in eadem causa, et quibus superiores omnes item ut ceteris imperarant, pecuniamque ex senatus consulto et ex lege dissolverant, his dico non recte remissum. Et, ut hoc beneficium, quemadmodum dicitur, trabali clavo figeret, cum consilio causam

---

§. 53. *imperasti]* Sic Lag. 29 Guelf. 1. Vulgo *imperavisti.* — *Quid immunes?]* Sic voluit Lambinus in marg. repetitae editionis e cod. vet. Ceteri boni Regius (Havn.) Guelff. cum exiguis varietatibus eodem tamen pertinent. Singulariter Guelf. 1 *Quid imme non loci hii.* Vulgo *qui sunt immunes, ii.* De pronominum formis *iis*, *his*, *eis* nihil h. l. certum est e libris mss. nisi extremo loco, quo solo Gruterus contra priorum editorum exempla *his* dedit *(at his non modo imp.)*, melioris familiae libros constanter *eis* exhibere. Antea edd. vulg. ubique *ii*, *iis*, codices aut *hii*, *hiis* (quemadmodum Guelff.) aut *hi*, *his*, ut deteriores fere Lagomarsiniani et Havn. coll. Quae cum ita sint, ego *hi*, *his* scripsi, excepto ultimo loco, ubi iam praecesserat demonstrativum. — *imperatum: sed]* Sic melior familia codicum, Steph. in variet. lect. Lambini v. c. ceteri. Vulgo *imperatum esse: Mamertinis.* Mox *et quibus* omnes libri et scripti et editi ante repetitam Lambinianam: in hac prima excidit coniunctio, neque animadvertit Gruterus aut reliqui.

superiores omnes] Additur vulgo *praetores*, quod cum absit a melioribus libris et facile intelligatur, omisimus. In iis quae sequuntur *imperarant*, *pecuniamque — dissolverant*, peccant aliquot boni libri *imperarent* et *pecuniam qui*, frequentissimo mendo, neque dignum erat quod annotaremus, ni Stephanus, pro admirabili eius fide in sequendis codicis sui potissimum vitiis, edidisset *imperarant pecuniam: qui*, secutusque esset temere Lambinus. Nihil enim absurdius.

trabali clavo] De eo quod immotum certumque est. Sic Horatius Carm. I, 35, 18 *Necessitas clavos trabales et cuneos manu gestans*, et alio loco III, 24, 5 ποιητικώτερον *adamantinos* illi deae *clavos* tribuit.

Mamertinorum cognoscit, et de consilii sententia Ma-
54 mertinis se frumentum non imperare pronuntiat. Audite decretum mercenarii praetoris ex ipsius commentario, et cognoscite, quanta in scribendo gravitas, quanta in constituendo iure sit auctoritas. Recita commentarium. D. C. S. *Libenter* ait *se facere:* itaque perscribit. Quid, si hoc verbo non esses usus, *libenter?* nos videlicet invitum te quaestum facere putaremus? Ac *de consilii sententia.* Praeclarum recitari consilium, iudices, audistis. Utrum vobis consilium tandem praetoris recitari videbatur, cum audiebatis nomina, an
55 praedonis improbissimi societas atque comitatus? En foederum interpretes, societatis pactores, religionis auctores. Nunquam in Sicilia frumentum publice est

---

§. 54. *et cognoscite]* Excidit coniunctio typographorum errore in Gruteriana editione, quaeque secutae sunt eam. Mox verba *quanta in scrib. gravitas* primum in Hervagiana et Victoriana accesserunt ex aliquo codice melioris familiae, nam a vulgaribus omnibus absunt, Lagom. VIII. Oxon. Huydec.

Recita commentarium] Lambinus *Recita decretum ex commentario*, et insuper de more suo et Hotomani sententia adiecit DECRETUM EX COMMENTARIO, quod, quia servatum fuit in repetita eius editione, etiam nunc loco suo fruitur. Pro eis verbis in codd. vulgaribus et editionibus vetustis legitur *R. C.* quod in Hervag. corrigitur *R. D.* i. e. auctore Garatonio *rerum decretarum*, quamquam ea nota in collectione Putschiana non invenitur. Iuntinus editor, qui existimatur vulgo esse Victorius, omisit, cuius exemplum reliqui secuti sunt. Verum Guelf. 1 et Havn. collatio non *R. C.*, sed *C. S.* pingunt, neque Guelf. 2 discedit nisi circumducto sigma, ut videatur esse Graecum ϱ. Quid multa? Adde *D*, et habebis *de consilii sententia*, cuius formulae sollemnis notam eam esse tradit Brissonius in celebri opere pag. 534, rectius, opinor, quam scribitur apud Putsch. pag. 1594 D. C. S. significare *de consulis sententia.* Ceterum in explicatione Ciceronis *ac* non puto pertinere ad decretum, sed ab oratore coniungendi causa addi: contra ac vulgo litterarum formis indicatur. — *consil. tandem pr. recitari]* Vulgo alio ordine *consilium recitari tandem praetoris*, Lagomars. plerique *recitari cons. tandem praetoris.* Lambinus *vobis tandem cons. rec. praetori*, sed in marg. repetitae ad nostrum ordinem se confert cum commemoratione *v. c.*

emptum, quin Mamertinis pro portione imperaretur, antequam hoc delectum praeclarumque consilium iste dedit, ut ab his nummos acciperet, ac sui similis esset. Itaque tantum valuit istius decreti auctoritas, quantum debuit eius hominis, qui, a quibus frumentum emere debuisset, iis decretum vendidisset. Nam statim L. Metellus, ut isti successit, ex C. Sacerdotis et ex Sex. Peducaei instituto ac litteris frumentum Mamertinis imperavit. Tum illi intellexerunt, se id, quod 22
a malo auctore emissent, diutius obtinere non posse. 56
Age porro, tu, qui tam religiosum existimari te voluisti interpretem foederum, cur Tauromenitanis, cur Netinis frumentum imperasti? quarum civitatum utraque foederata est. At Netini quidem sibi non defuerunt: ac simul pronuntiasti, libenter te Mamertinis remittere: te adierunt: et eandem suam causam foe-

---

§. 55. *et ex Sex. Ped.]* Adiecimus nunc praepositionem auctoritate Guelff. et coll. Havniensis.

§. 56. *tam relig. exist. te]* Verborum ordo est ex Lambini vet. cod. Havn. utroque Guelferbytano. Vulgo *te tam religiosum existimari voluisti.* Sed ex uno optimo Guelf. recepi quod sequitur, quodque vulgo est *cur Tauromenitanis frumentum, cur Netinis imperasti?*

At Netini quidem] Vulgo *Ac Netini quidem sibi non defuerunt: nam simulac pronuntiasti*, in quo non offenderem, quamvis pro *ac — quidem* vellem aliquid oppositionis adversus imperata Verris esse. Verum posset ad id referri, quod eam civitatem foederatam dixerat: eam fuisse causam, cur ius suum persequerentur. Sed mox pro *nam* codd. Guelff. et Havn. collatio *ac*, quod Stephanus quoque in libro suo videtur invenisse, quoniam omisit simpliciter *nam.* Quodsi altero loco *ac* verum est, priore ferri nequit; itaque ex Guelf. 1 *at* recepi. Iam liquent omnia, et interpolatio apparet, cum *simul* pro *simulatque* dici apud Ciceronem paulo insolentius videretur. — *Mam. remittere]* Amplius non opus est, nam quid remiserit facile intelligitur. At vulgo *quiddam* interponitur, nulla sane auctoritate, nisi quam quis velit eius ingenio tribuere, qui Lambinianae repetendae editioni praefuit. Nam veteres edd. ex codicibus deterioribus habent *quidem*, Stephanus et Lambinus secundum meliores omiserunt, repetita Lambiniana illud in textu habet, ex eaque Gruterus secure propagavit.

deris esse docuerunt. Tu aliter decernere eadem in causa non potuisti. Pronuntias, Netinos frumentum dare non debere: et ab his tamen exigis. Cedo mihi eiusdem praetoris litteras et rerum decretarum et frumenti imperati. LITTERAE RERUM DECRETARUM. Quid potius in hac tanta et tam turpi inconstantia suspicari possumus, iudices, quam id, quod necesse est, aut isti a Netinis pecuniam, cum posceret, non da-

---

§. 56. *eadem in causa]* Sic Guelff. et Havn. collatio. Vulgo *in eadem.* — *non debere]* Sic boni omnes inde a Stephano. Vulgo *non oportere.* Etiam antea *debere* in hac re, neque quicquam aptius.

et frumenti imperati] Adiicitur ad haec in deterioribus codicibus *et rerum decretarum tritici empti*, et sic prorsus absurde edd. veteres et P. Manutius atque adeo repetita Lambiniana. Solus Hervagius sensum aliquem effecit deleto *et* ante *frum. imp.* sic: *litteras rerum decretarum frumenti imp. et rerum decretarum tritici empti*, sed reliqui potius Iuntinum exemplar a. 1534 sequi maluerunt. Primus Stephanus repetita verba *et rerum decretarum* sustulit, secutusque eum est Lambinus et, quod mirere, Gruterus cum reliquis. Atqui triticum emptum hac quidem in re nihil differt a frumento imperato: nam, quod interest, ad eos pertinet, qui agros decumanos possident, cf. lib. III, 70, quoniam hi frumentum emendum bis dare debebant, unum alterarum decumarum, quod proprie vocabatur *emptum*, alterum aequabiliter inter omnes civitates distributum, quod proprie *imperatum* erat: harum civitatum unum tantum munus erat frumenti dandi, quod utroque nomine et emptum et imperatum vocatur in tota hac narratione. Ac mihi quidem istud totum additamentum *rerum decretarum tritici empti* tituli loco olim fuisse in illis codicibus videtur; nisi *tritici empti* interpretandi causa adiectum esse malis. Abest enim a libris melioribus, ambobus Guelf. et Regio (Havn.), sed legitur etiam in his post *imperati* in Guelff. *eum decretaturum*, in Havn. coll. *eum decretarum*, quod sine dubio esse debebat *rerum decretarum.* Itaque ex his novum titulum confeci LITTERAE RERUM DECRETARUM, quem si lectores omittere satius putant, facile concedo delendum. Quem vero titulum adiecit Lambinus plenissimum: LITTERAE PRAETORIS RERUM DECRETARUM, FRUMENTI IMPERATI ET TRITICI EMPTI (sic enim ipse, non ut ex repetita edit. in Gruterianam venit ET FRUMENTI EMPTI) is totus illius ingenio natus est.

et tam turpi] ex codd. nostris. Vulgo *ac.* — *aut isti]* *Isti* primum vidi in Manutiana, ex coniectura aut ex aliquo meliore libro msto. Nam turba deteriorum *istam.* Sed *bene se* hoc ordine Hervag. et Victoriana. Antiquiores ex iisdem illis vulgaribus *se bene.*

tam: aut id esse actum, ut intelligerent Mamertini, bene se apud istum tam multa pretia ac munera collocasse, cum idem alii iuris ex eadem causa non obtinerent?

Hic mihi etiam audebit mentionem facere Mamer- 57 tinae laudationis? in qua quam multa sint vulnera, quis est vestrum, iudices, quin intelligat? Primum, ut in iudiciis, qui decem laudatores dare non potest, honestius est ei, nullum dare, quam illum quasi legitimum numerum consuetudinis non explere. Tot in Sicilia civitates sunt, quibus tu per triennium praefuisti: arguunt ceterae: paucae et parvae et metu repressae silent: una laudat. Hoc quid est, nisi intelligere, quid habeat utilitatis vera laudatio; sed tamen ita provinciae praefuisse, ut hac utilitate necessario sit carendum? Deinde, quod alio loco antea dixi, 58 quae est ista tandem laudatio, cuius laudationis legati

---

§. 57. *ut in iudiciis]* Sic mss. omnes et editiones veteres, donec Hotomanus *ut* tanquam supervacuum delendum censuit invenitque executores sententiae P. Manutium (in posteriore edit.), Gruterum, alios. Tuetur particulam vetusta sane auctoritas Prisciani lib. XVIII pag. 1195 Putsch. sed eius explicatio, dum Graecum sermonem cum Romano comparat, perversa est: putat enim *ut* esse ὅτι, *quod*, ad Indicativum modum in hoc loco parum attendit. Tu *ut* dictum puta pro *sicut*, et orationem abruptam, ita fere explendam: sic tibi in causa repetundarum, cum non plus una civitate invenire posses, quae te laudaret, multo honestius fuit cet. *In iudiciis* sic audi quasi esset „in reliquis iudiciis", vulgaribus, qualia frequentissime fiunt. Mox Guelf. 1 *consuetudinis numerum.* — *et metu repressae]* Restituit *et* ex Guelff. Leid. Havn. collatione: reliqui tollunt. — *sed tamen ita pr. praefuisse]* Sic Stephanus et Lambinus et Gruterus et postea vulgo: priores ex deteriore codd. familia *sed tamen ita, Verres, provinciae praefuisti.* Quod ut pulchrius conveniret in Victoriana adiectum etiam est *tibi* ante *sit carendum*, mansitque per aliquot decennia. Guelf. 1 *sed ita tamen,* 2 *sed ita* omisso *tamen.*

§. 58. *Deinde quod]* Vulgo interponitur *id*, quod cum absit a bonis nostris omnibus et aliquot etiam ex numero deteriorum (Lag. 42 Huydec.) delevi. Statim vulgo *ante*, nos *antea* ex Guelff. Leid. Havn.

principes et publice tibi navem aedificatam, et privatim se ipsos abs te spoliatos expilatosque esse dixerunt? Postremo quid aliud isti faciunt, cum te soli ex Sicilia laudant, nisi testimonio nobis sunt, omnia te sibi esse largitum, quae tu rei publicae nostrae detraxeris? Quae colonia est in Italia tam bono iure, quod tam immune municipium, quod per hosce annos tam commoda vacatione omnium rerum sit usum, quam Mamertina civitas per triennium? Soli, ex foedere quod debuerunt, non dederunt: soli, isto praetore, omnium rerum immunes fuerunt: soli in istius imperio ea condicione vixerunt, ut populo Romano nihil darent, Verri nihil negarent.

23 Verum, ut ad classem, quo ex loco sum digres-
59 sus, revertar: accepisti a Mamertinis navem contra leges; remisisti contra foedera: ita in una civitate bis

---

§. 58. *expilatosque]* Mirum, Stephanum edidisse *expoliatosque*, sed secutus est codices bonos, quamquam hoc in verbo mendosos. Hoc illud est, quod supra dixi, Stephanum in mendis repraesentandis diligentissimum fuisse, cum aliae optimae lectiones saepe in varietate lectionis ad calcem voluminis adiecta lateant. Guelf. 1 omittit *esse*. — *omnia te]* In deterioribus codd. (Lagom. VIII Huyd.) non legitur *te*, nec in editis olim, ne in Hervagiana quidem. Addidit Iuntinus editor 1534, sed loco non suo *te omnia*. — *rei p. nostrae]* Sic Guelf. antiquior. Vulgo *de rep. nostra*, sed abest *de* a Regio et Guelf. 2, dativum etiam consuetudini dicendi aptiorem censeo.

vacat. omnium rerum] Falsa elegantia vulgo *vacatione sit usum omnium rerum:* nos consensum codicum meliorum secuti sumus. — *vixerunt]* Vulgo *ea conditione vitae fuerunt*, sed *vixerunt* Stephanus et Lambinus ex codicibus suis, quibuscum Reg. Guelff. Leid. Lag. 29 faciunt. Extr. cap. *negarent* Lambini v. c. Guelff. Havn. Vulgo editur *nihil denegarent*, fortiore verbo, sed ob hanc ipsam, opinor, causam minus apto.

§. 59. *digressus]* Sola edit. Lambiniana *degressus* ex perpetuo illius more. Cf. ad. III, 69 extr. Sed mox *leges* Lambinus eumque secuti Graevius et Ernestius, secundum meliorem codicum familiam. Deteriores (etiam Lag. 29) *legem*. Universe dicit, sicut *foedera*, quod unum fuit.

improbus fuisti, cum et remisisti quod non oportebat, et accepisti quod non licebat. Exigere te oportuit navem, quae contra praedones, non quae cum praeda navigaret; quae defenderet, ne provincia spoliaretur, non quae spolia provinciae portaret. Mamertini tibi et urbem, quo furta undique deportares, et navem, in qua exportares, praebuerunt. Illud tibi oppidum receptaculum praedae fuit: illi homines testes custodesque furtorum: illi tibi et locum furtis et furtorum vehiculum comparaverunt. Itaque ne tum quidem, cum classem avaritia ac nequitia tua perdidisti, Mamertinis navem imperare ausus es: quo tempore in tanta inopia navium tantaque calamitate provinciae, etiamsi precario essent rogandi, tamen ab iis impetraretur. Re-

---

§. 59. *non quae spol. provinciae]* Vulgo *non quae nova provinciae spolia portaret*, sed *nova* omisit iam olim Hervagius, cuius auctoritatem, ut in tot aliis locis, haud dubie secuti essent reliqui, si Iuntinus editor 1534 primus esset secutus. Nunc quamvis Stephanus, Lambinus, Graevius iussu librorum suorum sustulissent, servavit tamen Gruterus vulgatae lectionis patronus et auctor. Id autem verbum h. l. prorsus ineptum est, et, ni consulto interpositum, fortasse natum est ex praegressis *non quae*. Nos autem cum librorum integriorum scripturam restitueremus, restituimus etiam ordinem verborum, qui in illis est. — *deportares]* Sic Stephanus et Lambinus e suis et melioribus nostris, recepitque Gruterus contra institutum suum, sed Cuiaciani libri causa. Reliqui enim libri simplex *portares*, quo destrueretur oppositionis concinnitas. Sed mox *in* adiecimus nos ex ambobus Guelf. et Havn. collatione. Eadem Havn. coll. *praebuere*. — *Mam. navem imperare]* Gruterus *navem Mam. imperasse*, quod servarunt reliqui, donec Garatonius ostendit ineptum tempus Infinitivi typographorum errori, non consilio editoris, deberi. Sed ordo quoque verborum consensu librorum optimorum mutandus nobis fuit. — *precario ess. rogandi]* Rei augendae causa adiecit, propemodum ut Plautus in Amphitr. prol. 24 *petere me precario a vobis iussit, leniter, dictis bonis*, contraque Terentius Heaut. III, 1, 37 et Nepos Themist. 4 *cogere ingratiis*, ipseque Cicero pro Quint. 14 *extorquendum est invito atque ingratiis*. Cf. Heinrichium ad Cic. fragm. p. Tullio, 2. Itaque non erat quod Ernestius spurium verbum ratus uncis coerceret. Quin Garatonius ex Digest. de acquir. poss. lege 21 §. 3, itemque leg. 36, laudat *qui alienam rem precario rogavit*. Quod sequitur *ab iis* (vulgo *his*) *impetraretur*

primebat enim tibi et imperandi vim et rogandi conatum praeclara illa, non populo Romano reddita biremis, sed praetori donata cybaea. Ea fuit merces imperii, auxilii, iuris, consuetudinis, foederis.

60 Habetis unius civitatis firmum auxilium amissum ac venditum pretio: cognoscite nunc novam praedandi
24 rationem, ab hoc primum excogitatam. Sumptum omnem in classem frumento, stipendio, ceterisque rebus suo quaeque nauarcho civitas semper dare solebat. Is neque ut accusaretur a nautis committere audebat, et civibus suis rationes ferre debebat: et in omni illo negotio non modo labore, sed etiam periculo suo versabatur. Erat hoc, ut dico, factitatum semper, nec solum in Sicilia, sed in omnibus provinciis; etiam in sociorum et Latinorum stipendio ac

---

dictum puto pro *esset impetranda.* — *fuit — auxilii]* Codd. vulgares *tui — auxilium.* Correxit ex aliquo meliorum Hervagius, sed Victor. cum *fuit* et ipse emendaret, *auxilium* tamen servavit, quocirca paulo diutius usque ad Lambinum et eius repetitores, hoc loco quam solebant sapientiores, vulgo mansit.

§. 60. *Suo quaeque nauarcho]* Hoc elegantiore ordine verborum Lambinus e v. c. in marg. repetitae voluit, et accedunt ambo Guelf. cum Havn. collatione. Vulgo *nauarcho suo quaeque.* — *rationes ferre]* Sic Regius et Guelff. Vulgo *rationem referre.* Graevius *rationes referre*, Ernestius *rationem reddere* malle se aiunt, hic tamen veram esse suspicatur codicum nostrorum scripturam, sicut Epist. V, 20 *relictas rationes pro latis haberem* mss. vulgo legatur, pro quo ipse tamen Ernestius huius loci oblitus correxit *relatis.* — *et in omni illo]* Vulgo *in illo omni*, sine *et*, quod Stephanus et Lambinus addiderunt, et ratio postulat. Verum Guelf. antiquior ordinem quoque verborum commutat, neque ad deterius, opinor.

sociorum et Latinorum] Graviter lapsus est Ernestius secumque in errorem traxit recentiores, quod, cum hic rursus *socios* commemorari vidisset post *provincias*, quae sociorum et ipsae essent, unum tantum eorum genus reliquum putavit, *socios Latinos*, itaque coniunctionem contra fidem librorum omnium delevit. Verum orator, de re antiqua dicens, etiam formula dicendi antiqua usus est, *socios et Latinos* appellans, qui in Italia erant foederati populi aut Latini, qui lege Iulia et reliquis illo tempore latis omnes civitatem Rom. et ius legionariae

sumptu, tum cum illorum auxiliis uti solebamus. Verres post imperium constitutum primus imperavit, ut ea pecunia omnis a civitatibus sibi adnumeraretur, ut is eam pecuniam tractaret, quem ipse praefecisset. Cui potest esse dubium, quamobrem et omnium con- 61
suetudinem veterem primus immutaris, et tantam utilitatem per alios tractandae pecuniae neglexeris, et tantam difficultatem cum crimine, molestiam cum suspicione susceperis? Deinde alii quaestus instituuntur, ex uno genere navali, videte quam multi: accipere a civitatibus pecuniam, ne nautas darent: pretio certo missos facere nautas: missorum omne stipendium lucrari; reliquis, quod deberet, non dare. Haec omnia ex civitatum testimoniis cognoscite. Recita testimonia civitatum. Huncine hominem! hancine impudentiam,
62

militiae adepti sunt. Sic totiens Livius *socios ac nomen Latinum* coniungit, ubi de conscribendis exercitibus agit, in quibus provincialibus aut nullus erat locus, aut inter auxiliares. Vide nonnullos locos tironum causa a Drakenborch. demonstratos ad Livii libr. XLI, 8 §. 9, et ipse Cicero lege Iulia civitatem ait *sociis et Latinis* datam esse pro Balbo c. 8, quos locos Madvigius in epist. ad Orell. p. 111 adhibuit ad refellendam Ernestii coniecturam. Nam hoc quidem nimium negligenter ab Ernestio positum est, socios in Italia non fuisse nisi Latinos. Quid igitur? Marsosne, Picentes, Pelignos, Lucanos, Samnites, alios, Latinos putavit et Latino nomini accenseri? At hoc non pertinebat nisi ad vetus novumque Latium et colonias, reliqui omnes sociorum nomine, generali quidem, sed in hac re proprio appellabantur.

§. 60. *is eam pecuniam]* Omissum est pronomen in repetita Lambiniana, incertam ob causam, si ulla est. In libris mss. legitur omnibus. Tamen Gruterus vulgatam lectionem falso ratus propagavit. Mox *quem ipse praefecisset* vulgo, a Guelf. 1 abest *ipse*, nec desideratur item solus omittit *et* ante *omnem*, ne hoc quidem male.

§. 61. *pecuniam]* Sic boni omnes inde a Stephano. Vulgo *pecunias*, quod dubito num de incerta pecunia dicatur. Cf. ad I, 4 § 10, III, 75 pr. In fine cap. rursus titulum adiecit Lambinus de suo TESTIMONIA CIVITATUM.

§. 62. *Huncine hominem]* De rationibus diversae scripturae *huncce* aut *hunce* disseruit Conr. Schneiderus in Elem. L. L. p. 403 sqq. Hoc loco libri mss. quantum cognovi omnes simplicem litteram habent, neque editorum ullus ante repetitam Lambinianam. Sed scripsimus extremo

indices! hanc audaciam! civitatibus pro numero militum pecuniarum summas describere; certum pretium, sexcenos nummos, nautarum missionis constituere; quos qui dederat, commeatum totius aestatis abstulerat, iste, quod eius nautae nomine pro stipendio frumentoque acceperat, lucrabatur. Ita quaestus duplex unius missionis fiebat. Atque haec homo amentissimus in tanto praedonum impetu tantoque periculo pro-

---

loco *hanc audaciam* pro *hancine* iussu librorum meliorum Stephaniani (ex var. lect.) utriusque Guelff. Leid. Havn. Neque impedit quicquam. Nam sic c. 60 §. 157 *haecine — haec* et cf. ad IV, 56 extr.

§. 62. *certum pretium sexcenos]* Libri vulgares *certo pretio sexcentos*. Stephanus et Lambinus *certum pretium sexcentenos;* et cum in accusativo casu concinant meliores omnes, in forma numeralis distributivi dissentiunt. Nam Guelf. 1 *sexcentenos* tuetur, alter et Cuiacianus apud Gruterum (et Havn. coll.) *sexcenos* exhibent, qua de scribendi ratione cf. Schneiderum Elem. L. L. p. 353. Breviorem formam cum Ernestio praetuli longiori, quam etsi Priscianus p. 1353 Putsch. alteri parem ponit, nusquam tamen apud auctores satis tutam esse docuit Drakenborchius ad Livii libr. XLV, 16, 3. Tum *missione* libri deteriores, retinuitque cum Stephano Lambinus, quod grammatice construi non potest. Itaque Hotomanus *missioni* scribendum censuit, quod Gruterus auctore P. Manutio (1559) recepit, ceterique libentius etiam servarunt, quod firmari hoc quoque Cuiaciano putarunt. Sed Guelf. 2 Leid. Havn. *missiones*, Guelf. 1 *missionis*. Hoc verum est.

quod eius nautae] Sic Stephaniana editio et codices boni omnes. Qua cognita scriptura, sane mirari subit, cur vulgatae *quod et nautae* et Lambinus et Ernestius alia quaedam praesidia quaesiverint, quibus neutiquam opus est. Neque recte annotatum puto a Grutero, a Cuiaciano libro simpliciter abesse *et*. Verum idem Ernestius mox *ita* dedit cum Graevio pro vulg. *itaque* ex Regio et Franciano (?). Accedunt Lambini v. c. et Guelff. Reliqui omnes *itaque*. Recipiendum vero etiam *missionis* pro vulg. *missione* ex Guelff. Leid. Havn. Ceterum, quod ad interpretationem loci pertinet, quid Verres lucratus sit, patet: ille nauta commeatum abstulit, i. e. facultatem domum eundi sive domi manendi, qua significatione cum verbum saepissime legatur, mirere viros olim doctissimos, Manutium et Ferratium, in eo haesisse, et corrupta sententia victum militarem interpretatos esse. — *tantoque periculo]* Guelf. 1 *tanto*, Lambini v. c. *tanto in*, Havn. coll. *tanto a*, quibus varietatibus aliquid auctoritatis accedit illi scripturae. Et reciperem, nisi Guelf. 2 vulgatam tueretur.

vinciae sic palam faciebat, ut et ipsi praedones scirent, et tota provincia testis esset.

Cum propter istius hanc avaritiam nomine classis esset in Sicilia, re quidem vera naves inanes, quae praedam praetori, non quae praedonibus metum afferrent: tamen, cum P. Caesetius et P. Tadius decem navibus suis semiplenis navigarent, navem quandam piratarum, praeda refertam, non ceperunt, sed abduxerunt, onere suo plane captam atque depressam. Erat ea navis plena iuventutis formosissimae, plena argenti facti atque signati, multa cum stragula veste. Haec una navis a classe nostra non capta est, sed inventa ad Megaridem: qui locus est non longe a Syracusis. Quod ubi isti nuntiatum est, tametsi in acta cum mulierculis iacebat ebrius, erexit se tamen, et statim quaestori legatoque suo custodes misit complures, ut omnia sibi integra quam primum exhiberentur. Appellitur navis Syracusas: expectatur ab omnibus supplicium. Iste, quasi praeda sibi advecta, non prae-

63 (margin, beside "Cum propter istius…"); 64 (margin, beside "Appellitur…")

---

§. 63. *hanc avaritiam]* Vulgo interponitur *tantam*, quod unde in textum venerit, ignoro, cum ab utriusque familiae codicibus mss. absit. Est tamen iam in Ascensiana et Iuntina. — *navibus suis]* Sic Stephanianus liber et Guelff. et Havn. collatio. Vulgo *navibus his*, neque sane quicquam interest. Sed *suis* pertinet ad mutatum postea imperium cap. 32. — *in acta]* Sic codices meliores, restituitque quamquam dubitans et quasi delicias agens Lambinus. Vulgares *noctu*, crassa haud dubie Minerva.

§. 64. *exp. ab omn. supplicium]* Additur in libris vulgaribus *sumi de captivis putatur*, quibus verbis nimirum illud, quod est *expectatur*, circumscribendum enarratori visum est. Sed ut lateret, in editis olim interpungebatur post *omnibus*, quasi quae navis iam appulisset, adhuc expectaretur. Lambinus quamvis verba ista a codd. suis (Memmianis) abesse invenisset, tamen in textu nihil mutavit, in notis anquirit quid videatur verum esse. Ernestius abiectis reliquis, servavit *de captivis*. Sed ne hoc quidem latet, quorum supplicium expectatum fuerit, neque quicquam tutius, quam resecare totam laciniam, id quod Lambinus videtur in altera editione facere voluisse.

donibus captis, si qui senes aut deformes erant, eos in hostium numero ducit: qui aliquid formae, aetatis, artificiique habebant, abducit omnes; nonnullos scribis, filio, cohortique distribuit; symphoniacos sex cuidam amico suo Romam muneri misit. Nox illa tota in exinaniunda navi consumitur. Archipiratam ipsum videt nemo, de quo supplicium sumi oportuit: hodieque omnes sic habent, (quid eius sit, vos coniectura assequi debetis,) istum clam a piratis ob hunc archi-
26 piratam pecuniam accepisse. Coniectura est. Iudex
65

§. 64. *aut deformes]* Guelf. 1 et Havn. collatio *ac*, Guelf. 2 tuetur *aut*, quod mihi quoque verum videtur, diversitatis causa. — *scribis. filio]* Interiicitur vulgo *suis*, quod nunc, quoniam abesse etiam a Guelff. vidimus, sicut abest ab edd. Steph. et Lambini et coll. Havn., sustulimus. Sed in eo dissensus est bonorum librorum, quod Guelff. et Leid. cum Hervag., Stephan., Lambin. *symphoniacos sex* habent, Regius cum editt. vetustis *homines* interponit. Et defendit Graevius, *homines* pro servis dici. Concedo: at h. l. cum de servis dudum dicatur, additamento non opus est. — *in exanin.]* Addidimus *in* fido codd. Guelff. et Havn. Potest quidem Latine utroque modo dici, et Livius semper simplici ablativo utitur (cf. locos a Drakenborchio ad lib. XXIX, 33 extr. laudatos), sed Cicero tamen *in* adeo frequentius addit, ut nullum exemplum alterius constructionis afferatur a Nizolio praeterquam ex prooem. Timaei: *ac primum quidem tempus salutationibus, reliquum percunctatione consumpsimus.* Ceterum *exinanienda* omnes ante Gruterum et codices plerique. Illi tamen tres vel mendosis notis suis (Guelf 1 *in exaianda*, 2 *in exannudu*) alterum volunt.
sic habent] Sic Stephanus et Graevius e codicibus suis, quibus accedunt ambo Guelff. et Parisini omnes, si Lallemando fidem habes. Sed abunde res ipsa testatur. Nam *habent persuasum*, quod vulgo legitur, quamvis hodie certatim utantur, qui Latine scribunt, auctoritatis incertae est: Suetonius in Nerone 29 et Columella XII, 1, 5 *persuasissimum habere*, et Caesar de bell. Gall. III, 2 *sibi persuasum habebant.* Cicero non sic, sed *persuasum mihi est.* Verum *sic habere* pro existimare et in epistolis frequens est, nec ab oratione alienum, id quod probat locus p. Coel. 2. Iam vide, numquid clarius interpolationem ostendere videatur. Mox vulgo *coniectura quoque*, sed abest hoc verbum a codicibus Stephani, Lambini, Leid. Havn. utroque Guelferbytano, nec fuit adhuc quicquam praeter coniecturam.

§. 65. *coniectura est]* I. e. fateor coniecturam esse, sed bonum iudicem etiam coniectura moveri convenit. Vulgo *coniectura bona*

esse bonus nemo potest, qui suspicione certa non
movetur. Hominem nostis; consuetudinem omnium
tenetis, qui ducem praedonum aut hostium ceperit,
quam libenter eum palam ante oculos omnium esse
patiatur. Hominem in tanto conventu Syracusis vidi
neminem, iudices, qui archipiratam captum sese vi-
disse diceret; cum omnes, ut mos est, ut solet fieri,
concurrerent, quaererent, videre cuperent. Quid ac-
cidit, cur tantopere iste homo occultaretur, ut eum
ne casu quidem quisquam aspicere posset? Homines
maritimi Syracusis, qui saepe istius ducis nomen au-
dissent, saepe timuissent, cum eius cruciatu atque
supplicio pascere oculos animumque exsaturare vel-
lent: potestas aspiciendi nemini facta est. Unus plu- 66
res praedonum duces vivos cepit P. Servilius, quam

---

est, sed interpolatio convincitur fide codicis Stephaniani, Regii, utriusque Guelf. Lagom. 29. Lambinus auctoritate Hotomani deterritus videtur, quominus suos codices sequeretur nec laudaret quidem. Iidem libri praeter Lag. 29 mox *que* tollunt, quod vulgo adiicitur ad *consuetudinem.*

§. 65. *sese vidisse diceret]* Lambini v. c. Havn. Guelff. *esse vidisse diceret.* Hoc leviter emendavimus. Vulgo *vid. se diceret.* — *Homines maritimi]* Sic iam Hervagiana et Victoriana ex aliquo integriore libro. Opponuntur Syracusani et postea §. 69 Lilybaetani, item maritimi, *mediterraneis*, quales sunt Centuripini postea §. 70. Edd. vetustae cum tota coborte vulgarium codicum *homines Mamertini*, quod mendum audaciam provocavit eius, qui Ursinianum codicem (Lag. 5) scripsit, ut suppleret *erant homines Mamertini Syracusis.* Itidem deinceps vulgo *cum eum saepe timuissent*, sed verba notata recte omittentur cum Stephano et Lambino librisque Guelferbytanis et coll. Havniensi. Turbant enim constructionem, cumulatisque incisionibus faciunt anacoluthon quoddam, quod nunc nullum est. Videntur autem ab eo adiecta, qui nollet etiam nomen timeri.

§. 66. *P. Servilius]* vide de eo ad III, 90 §. 211. Ille spectaculum dicitur praebuisse vulgo *vinctorum captorumque hostium.* Ὑστερολογία est vix ferenda, neque comparanda illi, cuius exempla collegimus ad Divin. 2, 6. *Vinctus constrictusque* frequens est, sed *capto hosti* non praecedit nisi *victus.* Atque sic Lambini v. c. et ambo Guelf. Ex iisdem etiam mox ordinem verborum constituimus *fiebant undique*, qui vulgo est *und. fiebant.* Sed Lambini v. c. et Guelff. *fiebat*, quod,

omnes antea. Ecquando igitur isto fructu quisquam caruit, ut videre piratam captum non liceret? At contra, quacumque iter fecit, hoc iucundissimum spectaculum omnibus victorum captorumque hostium praebebat. Itaque ei concursus fiebant undique, ut non modo ex his oppidis, qua ducebantur, sed etiam ex finitimis visendi causa convenirent. Ipse autem triumphus quamobrem omnium triumphorum gratissimus populo Romano fuit et iucundissimus? Quia nihil est victoria dulcius, nullum est autem testimonium victoriae certius, quam, quos saepe metueris, eos te vinctos ad
67 supplicium duci videre. Hoc tu quamobrem non fecisti? quamobrem ita pirata iste occultatus est, quasi eum aspici nefas esset? quamobrem supplicium non sumpsisti? quam ob causam hominem reservasti? ecquem scis in Sicilia antea captum archipiratam, qui non securi percussus sit? unum cedo auctorem tui facti: unius profer exemplum. Vivum tu archipiratam servabas: quam ob rem? per triumphum, credo, quem

---

etiamsi dativum feras, tamen cum varietate itinerum minus videtur convenire. Sed omnes boni *et iucund.* pro vulg. *atque.*

§. 67. *pirata iste occultatus — aspici]* Sic edidit Lambinus et ante eum Stephan. partim edidit partim edi voluit e codd. quibuscum Havn. collatio et Guelff. faciunt. Vulgo *iste pirata celatus est — aspicere. Celari* pro abscondi, occultari non est Ciceronis, et minime omnium de hominibus, apud quem qui *celatur* illi aliquid reticetur, non ipse occultatur. — *ecquem scis]* Sic Lambini v. c. Guelff. Lag. 29 Regius. Vulgo *audisti.* — *quam ob rem? per triumphum]* Vulgo *servabas, quem per triumphum, credo, quem ante currum tuum duceres,* quasi diversum sit per triumphum et ante currum duci. Quanto alacrius Guelf. 1, cuius scripturam secuti sumus? Havn. coll. pro *quam ob rem?* habet *quo*, quod merito vulgatae praefert Madvigius, sic enim p. Sext. 13 *Quid hoc homine facias, aut quo civem importunum aut potius hostem tam sceleratum reserves?* Sed sic simpliciter, ut hoc loco, praestat Guelf. lectio. Mox vulgo *erat iam reliquum*, et *ut*, et *navalis tibi:* nos in his rebus codices Guelff. et alios eiusdem ordinis secuti sumus, quamquam *tibi* quidem quo loco posuimus, unus Guelf. 1, alter post *reliquum.*

ante currum tuum duceres. Neque enim quicquam tibi erat reliquum, nisi uti, classe populi Romani pulcherrima amissa, provinciaque lacerata, triumphus tibi navalis decerneretur.

Age porro, custodiri ducem praedonum novo 27
more, quam securi feriri omnium exemplo magis pla- 68
cuit. Quae sunt istae custodiae? apud quos homines? quemadmodum est asservatus? Lautumias Syracusanas omnes audistis: plerique nostis. Opus est ingens, magnificum, regum ac tyrannorum: totum est e saxo in mirandam altitudinem depresso et multorum operis penitus exciso: nihil tam clausum ad exitum, nihil tam septum undique, nihil tam tutum ad custodiam nec fieri, nec cogitari potest. In has lautumias, si qui publice custodiendi sunt, etiam ex ceteris oppidis Siciliae deduci imperantur. Eo quod multos captivos 69
cives Romanos coniecerat, et quod eodem ceteros pi-

---

§. 68. *regum ac tyrann.]* Videtur igitur Cicero illas lautumias non lapicidinas, sed proprie atque ab initio fuisse carcerem existimasse. *e saxo]* Sic Lambini v. c. Vulgo durius *ex saxo.* Guelff. et Havn. coll. *a.* Mox *depresso* et *exciso* primi dederunt qui Hervag. et Victor. editionibus praefuerunt ex aliquo meliore: nam libri vulgares *depressum* et *excisum.* Sed reliquerunt *exitus* et *custodias,* pro quibus singularis numerus est in mss. libris alterius classis. Quin hoc melius sit, certe *custodiam*, dubitari nequit, cum *custodiae* sint aut custodes aut carcer, non custodiendi ratio. Sed concinnitas postulat etiam *exitum*, neque hic singulorum est, sed in universum. In Stephaniana cum legatur in textu *custodiam*, mansit n appendice *exitum*, qualem dissensum eruditi editoris cum typographo nimium saepe notavimus: haec videtur causa esse cur etiam in Lambiniana *exitus* relictum sit. Sed in margine repet. notavit in v. c. esse *exitum.*

§. 69. *Eo quod — et quod]* In Stephaniano cod. et Havn. coll. et ambobus Guelferbytanis non est *et*; itaque nescio an ex Guelf. 1 pro *eo quod* scribendum sit *eoque*, et cum praegressis coniungendum. Tum nova inciperet periodus a *Quod.* Sed Guelf. 1 etiam *quo eodem*, itaque in tali varietate nolui corrigere. Sed *condi* pro eo, quod vulgo editur, *contrudi*, Steph. Lamb. Havn. Guelf. 1, alter cum Leid. *concedi*, deteriores fere *contradi.*

ratas condi imperarat; intellexit, si hunc subditivum
archipiratam in eandem custodiam dedisset, fore, ut
a multis in lautumiis verus ille dux quaereretur. Ita-
que hominem huic optimae tutissimaeque custodiae
non audet committere: denique Syracusas totas timet:
amandat hominem — quo? Lilybaeum fortasse. Video;
tamen homines maritimos non plane reformidat. Mi-
nime, iudices, Panhormum igitur? Audio: quamquam
Syracusis, quoniam in Syracusano captus erat, maxime,
si minus supplicio affici, at custodiri oportebat. Ne
70 Panhormum quidem. Quo igitur? quo putatis? Ad
homines a piratarum metu et suspicione alienissimos:

---

§. 69. *subditivum archip.]* Vulgo *subdititium* (— *cium* ante Hervag.): adhuc solus Regius *subditivum*, et aequiparat Garatonius: *subditivum* hominem dicere Plautum Amphitr. I, 2, 35 et II, 2, 198, eundemque *subditicium* in Pseud. II, 4, 62. Eandem varietatem esse apud Suetonium in Ner., 7 ubi videndos Burmannum et Oudendorpium, qui cum Casaubono praetulerit *subditivum* ex multis et optimis mss. Apud Quintil. I, 4, 3 non amplius legentur *subdititii* libri, sed *subditi*. Cf. de simili varietate formarum *insitivus* et *insiticius* Gesnerum ad Plinii Epist. IV, 3. Hoc autem loco etiam deteriores libros omnes video ad *subditivum* tendere, nam hi aut *subdituum* plerique, aut *subditum*, sed *subditivum* recte ambo Guelf. et Lagomars. 29 et 42. Apud Ciceronem, cum et alibi verbum legatur, ne hoc quidem sine vi, Caecilii fabulam fuisse inscriptam *subditivus*, teste Gellio XV, 9. Deinde vulgo *illis in laut.* quod est a Naugerio, nam libri mss. ex quibus vetustae editiones sunt descriptae, *ille:* sed id verbum rectius omittemus cum Guelff. Lag. 29. Verum quod Graevius a Regio codice omnia haec abesse tradit, nec legi in illo nisi *a multis ille dux*, omittendum videtur, cum dissentiant reliqui boni libri, atque ipsa collatio Havn. quam descripsit Madvigius.

§. 70. *Quo igitur]* Servavit Lambinus vulgarium codd. et edd. scripturam *quid igitur* in editione, sed in margine repetitae sese correxit, et *quo* vult secundum suum (vel suos) v. c. et reliquos bonos omnes. Comparat Madvigius c. 5 *quid deinde? quid censetis?* Ceterum quamvis Centuripini mediterranei fuerint, tamen a maris usu non alienos fuisse Centuripina quadriremis infra c. 33 declarat. Sed de toto hoc crimine vix intelligo, cur tantum verborum fecerit Cicero, nisi hoc est, quod aegre ferebat Verrem satis manifesto sese producto archipirata expedisse visum esse.

a navigando rebusque maritimis remotissimos, ad Centuripinos, homines maxime mediterraneos, summos aratores; qui nomen nunquam timuissent maritimi praedonis, unum, te praetore, horruissent Apronium, terrestrem archipiratam. Et, ut quivis facile perspiceret, id ab isto actum esse, ut ille suppositus facile et libenter se illum, qui non erat, esse simularet: imperat Centuripinis, ut is victu ceterisque rebus quam liberalissime commodissimeque adhiberetur.

Interea Syracusani, homines periti et humani, qui 28
non modo ea, quae perspicua essent, videre, verum 71
etiam occulta suspicari possent, habebant rationem omnes cotidie piratarum, qui securi ferirentur: quam multos esse oporteret, ex ipso navigio, quod erat captum, et ex remorum numero coniiciebant. Iste, quod omnes, qui artificii aliquid habuerant aut formae, abduxerat, reliquos si, ut consuetudo est, universos ad palum alligasset, clamorem populi fore suspicabatur, cum tanto plures abducti essent, quam relicti. Pro-

---

§. 70. *adhiberetur]* pro fide sua Stephanianus editor voluit, et legitur in codd. melioribus. Corruptionum gradus cognoscis ex Lag. 29, in quo est *haberetur*, tum in vulgaribus, qui *habeatur* exhibent. Sed illud cur ne Lambinus quidem recipiendum putarit ea causa fuit, quod *adhibere* non sic poni posse opinarentur. In epist. ad Att. X, 12 *Quintum filium severius adhibebo* negat se ferre posse Graevius, esse enim *adhibere* uti consilio alicuius, consulere aliquem: quamquam et illo loco certissimum est, et ad Qu. fr. I, 1, 5 (13) *adhibere liberaliter* eodem modo pro tractare, agere cum aliquo dicitur.

§. 71. *captum, et ex remorum]* Sic Stephanus et Lambinus e vet. cod., post illos Graevius et Ernestius e Regio et Guelf. 2; ad quos nunc accedunt Guelf. 1 et Lag. 29. Vulgares libri *quod erat factum sex remorum numero*, quam scripturam nescio utrum codicis olim vitiositate an correctoris stultitia natam dicam. Sed videtur utraque re conflata esse, nam *factum* habet etiam Lag. 29. Mox vulgo *removerat atque abduxerat*, sed priora duo verba omittunt ambo Guelferbytani et Havn. collatio. — *tanto plures]* Hotomano, cum de usu verbi *tanto* dubitaret et *altero tanto* mallet, mirum quam cito suppetias tulerit Fulvius Ursinus in vet. libro illud ipsum esse annotans. Credant alii.

pter hanc causam, cum instituisset alios alio tempore producere: tamen in tanto conventu nemo erat, qui non rationem numerumque haberet, et reliquos non desideraret solum, sed etiam posceret et flagitaret.
72 Cum magnus numerus deesset, tum iste homo nefarius in eorum locum, quos domum suam de piratis abduxerat, substituere et supponere coepit cives Romanos, quos in carcerem antea coniecerat: quorum alios Sertorianos milites fuisse insimulabat, et ex Hispania fugientes ad Siciliam appulsos esse dicebat: alios, qui a praedonibus erant capti, cum mercaturas facerent, aut aliquam ob causam navigarent, sua vo-

---

Sed Hotomanianam dubitationem solvit Garatonius, Drakenborchium, ad Livii libr. II, 20 laudans, *tanto* cum comparativo etiam absolute, non subsequente *quanto* plus aliquid fuerit, nimirum cum admiratione quadam pro *multo* allatis exemplis poni docentem. Idem fit in verbo *tam*, ut subintellecta comparatione simpliciter augere videatur.

§. 71. *nemo erat, qui non]* Vulgo *quin*, etiam Vaticanus rescriptus, ut coniicio ex silentio, cuius fragmenta Ang. Maius, nunquam sine testificatione grati animi appellandus, Romae anno 1828 edidit, quem librum doleo nunc demum in has oras allatum esse, cum typographus in extrema Verrinarum parte versatur. Sed dedi *qui non* consensum Guelferbytanorum secutus, eorum librorum fidem, ubi conspirant, reliquorum silentio praeferens. Nec ulla est elegantia in *quin*, frequentius adeo Cicero *qui non*. Extrema verba *et flagitaret* omittit Vatic. rescriptus.

§. 72. *cum magnus]* Vulgo *maximus*, sed sufficere puto *magnum* fuisse, quod edidit Lambinus et habent Guelff. Leid. Havn. coll. Vatic. Hic Vat. deinceps *C. R. quos cervos in carcerem* rel., et *quorum alteros*, et *insimulat*, quae ego quidem menda librarii esse puto, A. Maius in ordinem recepit, postquam pro *cervis* substituit *certos*.

aliquam ob causam] Nemo nunc audiet Hotomanum e vetere, ut ait, quem nullum esse putarem, nisi Garatonius Iannoctianum, sed nullius auctoritatis librum, laudaret, addendum esse *aliam* existimantem. Nam *aliquis* saepissime est pro *alius quis:* vide Goerenzium ad Academ. II, 10, qui quinquaginta amplius locos huius generis e Cicerone se collegisse tradit: et facile credo: quamquam hoc non eo pertinere debet, ut existimetur *aliquis alius* Latine dici non posse. Quin sic optimi codices habent in Divin. c. 6 extr. et *aliquid aliud* est in epist. ad Att. III, 10. Olim tamen Hotomani auctoritas apud Lambinum et Gru-

luntate cum piratis fuisse arguebat. Itaque alii cives Romani, ne cognoscerentur, capitibus obvolutis e carcere ad palum atque ad necem rapiebantur: alii, cum a multis civibus Romanis cognoscerentur, ab omnibus defenderentur, securi feriebantur. Quorum ego de acerbissima morte crudelissimoque cruciatu dicam, cum eum locum tractare coepero: et ita dicam, ut, si me in ea querimonia, quam sum habiturus de istius cru-

---

terum veritate potentior fuit. Vat. mendose omisso *aut: alios quam ob causam*, quod Maius frustra insumpta opera tueri conatur, nobis ad hanc rem utile est, ut vulgarem ordinem verborum contra Guelf. 1 tueamur, ex quo in minore editione nostra dederamus *ob aliquam causam.* Nec quae sequuntur in Vat. sine mendo sunt: *Itaque cum aliis C. R. ne cognoscerentur, involutis e carcere capitibus ad palum* rel. quapropter nolui, quod tuto fieri posset, *involutis* scribere pro *obvolutis.*

§. 72. *a multis civ. Rom. cognoscerentur]* Sic libri integriores et nonnulli etiam deteriorum, ex quibus editiones principes ductae sunt. Naugerius primus dedit *recognoscerentur*, et servatum est a ceteris praeter Stephanum et Lambinum. Cum *cognoscerentur* modo fuisset, h. l. videri poterit alicui altero verbo opus esse, sed noli errare, *recognoscere* eam significationem, quam expetunt, non habet, neque a significatione repetitionis recedit, et eius rei, quae, cum iam cognita sit, denuo inspicitur, consideratur, examinatur. Sic *cognoscere* et *recognoscere* Act. I c. 5 extr. differunt, sic Philipp. VI, 5 extr. *personas quasdam recognosci* dicit utile esse, ut sciant quos habituri sint hostes: sic alibi. Sed illud ipsum, agnoscere eam rem esse, quae velit aut quae dicatur esse, non solum apud Ciceronem, sed etiam ceteros optimae Latinitatis auctores, *cognoscere* est, id quod olim Nonius Marcellus cap. IV nr. 109 p. 540 Gothofr. operae pretium putavit annotare. Vide Bremium ad lib. II de Fin. c. 25 et cf. quae Cortius ad Cic. epist. XI, 22, laudatus a Goerenzio ad Acad. II, 1, de discrimine verborum executus est. Est enim prorsus nostrum *erkennen.* Cf. V, 65 extr. Proxime vero ad h. l. accedit alter c. 59 extr. *cum amplius centum cives Rom. haberet ex conventu Syracusano, qui eum non solum cognoscerent, sed etiam lacrimantes defenderent:* atque hi homines non *recognitores*, sed *cognitores* appellantur lib. I, 5 et V, 65. Agnosces igitur manum correctoris, veterem sermonem ad usum postremi corrumpentis. Ceterum in istis civibus Rom. Verri hanc fuisse excusationem puto, quod socii ex Italia essent, beneficio legis propterea exclusi, quod arma et cepissent contra populum Romanum, neque ante diem posuissent.

delitate et de civium Romanorum indignissima morte, non modo vires, verum etiam vita deficiat, id mihi
73 praeclarum et iucundum putem. Haec igitur est gesta res, haec victoria praeclara: myoparone piratico capto, dux liberatus, symphoniaci Romam missi: formosi homines et adolescentes et artifices domum abducti: in eorum locum et ad eorum numerum cives Romani hostilem in modum cruciati et necati: omnis vestis ablata: omne aurum et argentum ablatum et aversum.

29 At quemadmodum ipse se induit priore actione! Qui tot dies tacuisset, repente in M. Annii, hominis splendidissimi, testimonio, cum is civem Romanum dixisset, archipiratam negasset securi esse percussum, exiluit: conscientia sceleris et furore ex maleficiis concepto excitatus dixit, se, quod sciret, sibi crimini da-

---

§. 73. *et necati]* Abesse haec verba a duobus vet. cod. notavit Lambinus in margine repetitae editionis: absunt item a Guelff. Leid. et Havn. collatione.

ipse se induit] Sic Lambini v. c. Guelff. Havn. Vulgo *ipse sese* cumulatim; et correximus IV, 40 extr. Epist. V, 12, 8 *ipsi de sese scribant.* — *civem Rom. dixisset, archipiratam]* Sic olim Stephanus et Lambinus e codd. suis, cum ceteris bonis, ac restituerunt deinde Graevius et Ernestius. Gruterus veteres sordes secure servarat, *cives Romanos dix. et archipiratam.* At ne codices quidem deteriores *cives*, sed *ci.*, primus Naugerius notam explicans corrupit. Sed hoc idem Naugerius recte fecit, quod priorum editionum vitium ex vulgaribus illud quidem codicibus ductum *exilivit* sustulit scripsitque *exiluit.* Nihil enim verius quam quod Diomedes pag. 371 Putsch. tradit, *plerosque veterum* (eos dicit, quorum sermonem imitamur) dixisse non *salii*, sed *salui*: cum Priscianus p. 905 bis minus recte doceat, et *salivi* esse, quae forma vix usquam invenitur, et *salui, salii* in verbo simplici et compositis promiscue. Collegit quidem Ruddimannus in Institution. Tom. I p. 256 edit. Stallbaumii largissime utriusque formae exempla, sed qui illius copiis utuntur, magnopere velim ipsas editiones notasque criticas inspiciant. Certe qui loci ex Curtii libris afferuntur, omnes sunt a me partim omnium partim integerrimorum codicum auctoritate correcti. Id quod etiam ad plerosque alios pertinet. Cf. Santenium ad Propertium IV, 5, 52.

tum iri, pecuniam accepisse, neque de vero archipirata sumpsisse supplicium, ideo se securi non percussisse: domi esse apud sese archipiratas dixit duos. O clementiam populi Romani, seu potius patientiam 74
miram ac singularem! Civem Romanum securi esse percussum, M. Annius, eques Romanus, dicit: taces: archipiratam negat: fateris. Fit gemitus omnium et clamor: cum tamen a praesenti supplicio tuo continuit populus Romanus se et repressit, et salutis suae rationem iudicum severitati reservavit. Quid? sciebas tibi crimini datum iri? Quamobrem sciebas? quamobrem etiam suspicabare? Inimicum habebas neminem: si haberes, tamen non ita vixeras, ut metum iudicii propositum habere deberes. An te, id quod fieri solet, conscientia timidum suspiciosumque facie-

---

§. 73. *ideo se securi]* Addidimus *se* fidem codicum Guelff. et Havn. collationis secuti: neque ineleganter videtur compluribus interiectis repeti pronomen.

§. 74. *securi esse percuss.]* Guelf. 1 *esse percussum securi*, etiam infra §. 79 solus Guelf. 1 *percussus esset securi*, quod non displicet, quamquam in ea dictione certus iam videtur esse ordo verborum. Tum praenomen homini reddidimus *M.* cum Stephano et Lambino: delevimus verba *in eo*, quae vulgo interponuntur, *fit in eo gemitus*, exemplo Lambini et Graevii, utrumque codicum Guelff. aliorumque bonorum auctoritate. — *continuit p. R. se]* Hoc verborum ordine Guelff. et Havniensis, Lambinus *continuit se p. R.* Vulgo *se cont. pop. Rom.* Mox *salutis suae* Graevius e Regio, Ernestius e Guelf. 2 (etiam 1.) rectissime pro vulg. *tuae*. Nihil manifestius esse potest. Scilicet populus saluti Verris consultum voluit: suam salutem omnes in eo versari arbitrantur, ut nomen civis Rom. exemptum sit verberibus, exemptum securi. Vide infra cap. 67 §. 172. Nescio quid ultra desideret Ernestius, nisi hoc est quod vulgatam lectionem, i. e. ipsi sacrosanctam, vinci novicia, moleste fert. Nam ni hoc esset, innumeris locis auctori lucem reddere potuisset. — *Quid? sciebas]* Vulgo *qui sciebas*, quod ab eo, quod sequitur, *quamobrem sciebas*, aut nihil aut parum differret. Verum ambo Guelferbytani Leid. Havn. *quid*, et Guelferbytanus antiquior etiam cum interpunctione: iam omnia perspicue dirimuntur. Ad ea quae sequuntur *non ita vixeras*, intelligo, ut ipso quidem ais, ut videri vis.

bat? Qui igitur, cum esses cum imperio, iam tum iudicium et crimen horrueris: is cum tot testibus ar-
75 guare, potes de damnatione dubitare? Verum si cri-

---

§. 74. *Qui igitur — horrueris: is]* Complura in hac sententia mutavimus, quorum ratio reddenda est. Primum *qui* dudum vulgatur, sed in plerisque deteriorum codicum (Lag. VII praeter 45, Huydec Oxon.) et edd. vetustis legitur *quid:* sed correxerat iam Naugerius, neque cur Stephanus revocaret, ulla ratio fuit. Tum discrepant editiones: Hervagiana, Stephaniana, Lambiniana *cum esses cum imperio*, vetustissimae cum Victoriana et codicibus vulgaribus *in imperio*, et fecit convenienter proposito suo Ernestius, ut eam scripturam revocaret, a qua Gruterus non discesserat nisi per imprudentiam et deceptus a repetitoribus Lambinianis. Nos autem itidem propositum nostrum servantes *cum imperio*, sicut libri nostri postulant, dedimus. Neque tamen non rationem quoque sequimur, quod *esse cum imperio*, ut a recentiorum dicendi ratione remotius, ita veteribus magis in usu fuit, quod fatetur Burmannus, qui *in imperio* collectis aliquot locis apud Suetonium Caes. c. 25 recte defendit. Longius patet *cum imperio* quam *in imperio:* nam *cum imperio* est, quamdiu Romam nondum revertit votaque Iovi solvit, *in imperio* idem fere est atque in provincia. Itaque hoc quidem loco utrumque dici potuit. Denique vulgo nunc editur *horrebas: reus*, neque e Lagom. codicibus quicquam diversi enotatum est. Sed vereor tamen, ne quid etiam in vulgaribus codicibus moveatur, quoniam Huydecoperanus et Oxoniensis et editiones vetustae *horrebas hic* habent, Naugerius *horrebas is*, demum Victor. et Hervagiana simul *horrebas reus.* In integrioribus codicibus *reus* non legitur, neque aliud tamen verbum eius loco: pro *horrebas* Lambini v c. *horreres*, Havn. coll. *horreris*, similiter Leidensis, sed perspicue Guelferbytani ambo *horrueris*, quod omnium optime cum reliqua constructione convenit. Nondum tamen mihi satisfacit, auresque desiderant aut *nunc*, aut, quod olim Naugerius sive coniectura assecutus est, sive e codice msto sumpsit, *is.* Atque hoc dudum ego, cum editione Aldina nondum uterer, Ciceronianae orationis consuetudine motus suspicatus eram, nam *qui — is* oratorie sic solent componi tam frequenter, ut velut lex quaedam elegantiae haberi possit, et tironibus exemplorum copia commendetur a Tursellino s. v. *is* nr. 8. Hoc autem loco, cum praecesserit illa verbi terminatio, velut in oculos incurrere videtur emendatio. Denique *arguare* non solum Guelff. et Leidensis, sed etiam cum editionibus vetustis, quantum intelligo, codices deteriores, pauci *arguere.* Quod nunc editur, *coarguare* Naugerius dedit de coniectura, non improbabili illa quidem, sed tamen non necessaria.

men hoc metuebas, ne quis suppositum abs te esse diceret, qui pro archipirata securi feriretur: utrum tandem tibi ad defensionem firmius fore putasti, in iudicio, coactu atque efflagitatu meo, producere ad ignotos tanto post eum, quem archipiratam esse diceres; an recenti re, Syracusis, apud notos, inspectante Sicilia paene tota, securi ferire? Vide, quid intersit, utrum faciendum fuerit. In illo reprehensio nulla esse potuit: hic defensio nulla est. Itaque illud semper omnes fecerunt: hoc quis ante te, quis praeter te fecerit, quaero. Piratam vivum tenuisti. Quem ad finem? Dum cum imperio fuisti. Quam ob causam? quo exemplo? cur tamdiu? cur, inquam, civibus Romanis, quos piratae ceperant, securi statim percussis, ipsis piratis lucis usuram tam diuturnam dedisti? Verum 76
esto: sit tibi illud liberum omne tempus, quoad cum imperio fuisti: etiamne privatus? etiamne reus? etiamne paene damnatus, hostium duces privata in domo retinuisti? Unum, alterum mensem, prope annum denique, domi tuae piratae, a quo tempore capti sunt, quoad per me licitum est, fuerunt; hoc est quoad per M'. Glabrionem licitum est, qui, postulante me, pro-

---

§. 75. *suppos. abs te]* Hoc ordine verba collocantur in Lambiniana et codicibus Guelff. et Havn. coll. Vulgo *abs te suppositum.* — *semper omnes]* Guelf. 1 *homines semper*, Guelf. 2 et Havn. coll. *semper homines.* — *Quam ob causam]* Quod vulgo praemittitur *Quam ob rem?* omisit Lambinus, quia deest in bonis libris, Regio et Guelferbytanis.

§. 76. *quoad]* scripsimus cum Stephano, Lambino, Graevio in maximo codicum bonorum consensu. Vulgo *quod.* Cf. Garatonii notam ad Philipp. V, 13 recte iudicantis, *quod*, si ad *tempus* referatur, posse servari, sed praestare *quoad.* Sed in Bruto c. 27 *quod vita suppeditavit*, neque corrigendum est, neque barbare per *quoad* explicandum, cum sit „*quia* longior ei vita contigit." — *a quo tempore]* noli coniungere cum praegressis temporis significationibus: nam plus integro anno efficeretur; sed repetitur res et augetur, dum per omne captivitatis tempus apud Verrem fuisse piratae dicuntur. — *per M'. Glabrionem]* Vulgo plenius *M'. Acilium Glabrionem*, sed nomen gentile omittitur in Guelff. neque opus est, non plus quam Act. I, 2.

30 duci atque in carcerem condi imperavit. Quod est huiusce rei ius? quae consuetudo? quod exemplum? Hostem acerrimum atque infestissimum populi Romani, seu potius communem hostem gentium nationumque omnium, quisquam omnium mortalium privatus intra
77 moenia domi suae retinere poterit? Quid? si pridie, quam a me tu coactus es confiteri, civibus Romanis securi percussis, praedonum ducem vivere, habitare apud te: si, inquam, pridie domo tua profugisset, si aliquam manum contra populum Romanum facere potuisset: quid diceres? *Apud me habitavit: mecum fuit: ego illum ad iudicium meum, quo facilius crimen inimicorum diluere possem, vivum atque incolumem reservavi.* Itane vero? tu tua pericula communi periculo defendes? tu supplicia, quae debentur hostibus victis, ad tuum, non ad rei publicae tempus conferes? populi Romani hostis privati hominis custodiis asservabitur? At etiam qui triumphant, eoque diutius vivos hostium duces reservant, ut, his per triumphum

---

§. 76. *infestissimum populi Rom.]* Guelf. 1 *p° r°*, sed 2 tantum *p. R.* Et praestat genitivus propter sequentia. Verba *quisquam omnium* in codice Stephaniano et Regio et Guelff. non leguntur, vitiose, opinor, propter eiusdem verbi vicinitatem. Ceterum *intra moenia* nihil aliud est nisi in urbe, Romae.

§. 77. *Quid si pridie]* Sic primum Hervag. et Victoriana. Antea ex deterioribus (Lag. VIII Oxon.) *qui* edebatur. Guelff. Leid. Havn. h. l. mendose *postridie.* Mox vulgo *vivere, apud te habitare.* Nostra verborum collocatione, quae est ex Guelff. Lag. 29. v. c. Lambini Havn. collatione, sententia etiam acerbior videtur fieri. — *ad rei p. tempus]* Sic Stephaniana, Lambiniana, codices boni omnes. Quod vulgo editur *ad populi Rom. tempus* cum vel ea re displicere debeat, quod idem verbum statim repetitur, tum per se insolens est, et nescio an nusquam apud Ciceronem legatur, cum *rei p. tempora* sexcenties. — *privati hominis]* Vulgo *privatis custodiis,* illud nunc dedimus ex Stephaniano libro et Leid. Guelff. Lag. 29, a quorum consensu miramur abesse Havn. collationem. — *eoque diutius — reservant] Eoque* (i. e. eamque ob causam) primus dedit Naugerius, cum antea esset *eo quoque,* sed certissimum est plurimorum et optimorum (Guelff.) codicum auctoritate.

ductis, pulcherrimum spectaculum fructumque victoriae populus Romanus percipere possit: tamen, cum de foro in Capitolium currum flectere incipiunt, illos duci in carcerem iubent: idemque dies et victoribus imperii, et victis vitae finem facit. Et nunc cuiquam 78

Quod cum recte defendisset Ernestius contra Graevium, qui deleta coniunctione totius sententiae formam turbasset, in eo tamen nimis sollicitus videtur fuisse, quod etiam *reservant* optimorum librorum Lambini, Graevii, nostrorum scripturam, pro qua vulgo legitur *servant*, contra Latinitatem putavit. Ait enim *vivos* tum abesse debere. Quod vix puto eo pertinere, quod vellet negare *reservare* etiam cum Adiectivo dici, nam cum alibi apud Ciceronem *integrum* alicui aliquid *reservare* legitur (Epist. XIII, 4), tum hac ipsa § ante paucos versus *vivum reservare*. Et quidni dicatur? cum *reservare* a *servare* nulla re magis differat, quam certi cuiusdam finis et consilii significatione, ad quod servetur aliquid. Cf. de eadem codd. varietate Quint. Inst. VI, 1, 10. Sed fortasse adiecto insuper Adverbio *diutius* offendit, cum *illud* iam inesse videretur in *reservando*. Verum quid hariolamur? Fuit omnino Ernestius, prout animus ferebat, inconstantior in probando et improbando, sed semper paratus ad tuendam lectionem vulgatam, si quis alius reprehendisset.

§. 77. *in carcerem iubent]* Iosephus Bell. Iud. VII, 5 §. 6 Ἦν δὲ τῆς πομπῆς (Vespasiani et Titi Imperatt.) τὸ τέλος ἐπὶ τὸν νεὼν τοῦ Καπετωλίου Διός, ἐφ᾽ ὃν ἐλθόντες ἔστησαν· ἦν γὰρ παλαιὸν πάτριον περιμένειν, μέχρις ἂν τὸν τοῦ στρατηγοῦ τῶν πολεμίων θάνατον ἀπαγγείλῃ τις. Σίμων οὗτος ἦν, τότε πεπομπευκὼς ἐν τοῖς αἰχμαλώτοις, βρόχῳ δὲ περιβληθεὶς εἰς τὸν ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς ἐσύρετο τόπον rel. Cf. etiam Plutarchum in Mario c. 12 de Iugurtha narrantem.

§. 78. *Et nunc cuiq.]* Codd. vulgares et editiones vetustae *et non credo esse dubium*. Naugerius *nunc* dedit, quemadmodum ex deterioribus unus habet Lag. 42: idque mansit usque dum Rob. Stephanus, sive quis alius fuit, adiecto e codicibus melioris familiae *cuiquam*, simul tamen coniectura usus *Est nunc, credo, cuiquam dubium* scripsit. Item hoc expresserunt Car. Stephanus et Lambinus, quamquam illius corrector in varietate lectionis voluit, Lambinusque in vet. cod. esse annotavit, *Et nunc cuiquam credo esse dubium.* Sic cum etiam reliqui boni exhibeant, ediderunt tandem Gruterus, Graevius, Ernestius. Sed denuo de Infinitivo dubitare coepit Ernestius, cum Indicativum in hac constructione legitimum esse diceret. Neque nego; sed ne nimium illi quasi legi confidas, cf. pro Archia c. 5 *Rheginos credo, aut Locrenses — quod scenicis artificibus largiri solebant, id huic — noluisse.* Quod superest, apodosin intellige hanc: nisi grandem pecuniam acce-

credo esse dubium, quin tu id commissurus non fueris, praesertim cum statuisses, ut ais, tibi causam esse dicendam, ut ille archipirata non potius securi feriretur, quam, quod erat ante oculos positum, tuo periculo viveret. Si enim esset mortuus, tu, qui crimen ais te metuisse, quaero, cui probares? cum constaret, istum Syracusis a nullo visum esse archipiratam, ab omnibus desideratum; cum dubitaret nemo, quin abs te pecunia liberatus esset; cum vulgo loquerentur, suppositum in eius locum, quem pro illo probare velles; cum tu te fassus esses id crimen tanto ante metuisse: si eum diceres esse mortuum, quis te audiret? Nunc, cum vivum nescio quem istum producis, tantum te

---

pisses, seu potius nisi accepta pecunia verum ducem liberasses, et alium vilem substituisses: quae quia verbis non exprimitur, eam ob causam non *commisisses*, sed *commissurus fuisti* dicit. — *a nullo]* Sic Guelff. Vulgo *ab*.

§. 78. *tu te fassus esses id]* Vulgo *tute fass. esses, te id crimen* cet. Bonorum librorum consensus, Steph. (in var. lect.) Lambini v. c. Havn. amborum Guelferbytanorum, alterum *te* omitti iubet. Itaque diiunximus *tu te*. Ceterum haec membra *cum constaret, cum dubitaret nemo* cet. sic interposita sunt binis interrogationibus, ut, ad quam proprie pertineant, dubium relinquatur. — *istum producis, tantum te derideri vides]* Sic locus sanatus est, neque quicquam sententia clarius: nunc nihil aliud nisi derideris, sed si aufugisset ille et ad socios redisset, gravissimam culpam subires. Sed vulgo et mendositate codicum et coniecturis editorum corruptus legitur, *cum vivum istum nescio quem produces, tamenne id credi voles?* Priora sic leguntur in codd. vulgaribus: nos ordinem verbb. ex Guelff. et Havniensi collatione, *producis* ex iisdem et Lambini duobus, quos in nota commemorat, dedimus. Sed extrema e coniectura P. Manutii sunt, sive alicuius antiquioris: certe iam leguntur in Aldina 1540, neque Hotomano auctori tribui debent duodecim annis posteriori: in prioribus edd. ut Victoriana (1534) et codicibus mss. omnibus praeter Guelf. 1 legitur *tamen te derideri vides*. Quod cum facili coniectura, animadversa frequentissima commutatione, verborum *tamen* et *tantum*, emendari posset, hominum doctorum acumen ad alia omnia aberravit. Sed tollitur hoc ipsum mendum integritate illius libri Guelferbytani.

derideri vides: quid, si aufugisset, si vincla rupisset 79
ita, ut Nico ille, nobilissimus pirata, fecit, quem P. Servilius, qua felicitate ceperat, eadem recuperavit: quid diceres? Verum hoc erat: si ille semel verus pirata securi percussus esset, pecuniam illam non haberes: si hic falsus esset mortuus aut profugisset, non esset difficile alium in suppositi locum supponere. Plura dixi, quam volui, de illo archipirata: et tamen ea, quae certissima sunt huius criminis argumenta, praetermisi. Volo enim esse totum mihi crimen hoc integrum. Est certus locus, certa lex, certum tribunal, quo hoc reservetur.

Hac tanta praeda auctus, mancipiis, argento, veste 31
locupletatus, nihilo diligentior ad classem ornandam, 80
milites revocandos alendosque esse coepit: cum ea res non solum provinciae saluti, verum etiam ipsi praedae posset esse. Nam aestate summa, quo tempore ceteri praetores obire provinciam et concursare consuerunt, aut etiam in tanto praedonum metu et pe-

§. 79. *si aufugisset, si]* Guelff. et Leid. (silet coll. Havn.) *si aut fugisset aut si.* Sed *fugere* et *vincla rumpere*, quamvis aliquod discrimen intersit, sic opponi vix credibile videtur. *Nico* ab editore Cratandrino coniectura inventus est, codd. (etiam coll. Havn.) *in eo.* — *verus pirata]* Sic Guelff. Leid. Lag. 29 Havn. Vulgo *archipirata.* Item e Guelff. ordo verborum factus hic, *esse totum mihi*, cum vulgo sit *volo enim mihi totum esse.* Havn. *volo esse enim totum mihi.* Ceterum cf. lib. I, 5 de maiestatis iudicio, quod minatur, in quo tamen vereor, ne, nisi certiora argumenta de archipirata pecunia liberato afferret, causa cecidisset. Nam adhuc quidem nihil constare puto, nisi domi suae a Verre illum habitum esse, postquam provincia decesserit: reliqua turba verborum animi aegritudinem testatur, quod Verres producto homine sese defenderit.

§. 80. *posset esse]* Sic boni, nisi quod nonnulli mendose *possit.* Vulgo *esse posset.* Vat. sic redorditur: — *dio* (Maius coniecit *praesidio* pro eo quod apud nos est *saluti*) *verum etiam praeda poss. esse.* — *concursare consuerunt]* Contracta forma et hic et paulo post Guelff. Havn. Lag. 29. Vat. Vulgo *consueverunt*, *consueverat.* Cf. ad lib. III, 21. Sed coniecit Lambinus in marg. repetitae editionis *cir-*

riculo ipsi navigare: eo tempore ad luxuriam libidinesque suas domo sua regia [quae regis Hieronis fuit, qua praetores uti solent,] contentus non fuit: tabernacula, quemadmodum consuerat temporibus aestivis, quod antea demonstravi, carbaseis intenta velis, collocari iussit in litore: quod est litus in Insula Syracusis post Arethusae fontem, propter ipsum introitum atque ostium portus, amoeno sane et ab arbitris re-
81 moto loco. Hic dies aestivos praetor populi Rom., custos defensorque provinciae, sic vixit, ut muliebria cotidie convivia essent, vir accumberet nemo praeter ipsum et praetextatum filium: (etsi recte sine exce-

---

cumcursare) offensus, opinor, praepositione *con*, quod non esset alius, cum quo communicatum fuerit Verri. Verum sic supra legimus cap. 12, *cum concursant praetores*, et recte Graevius etiam *concurrere* dictum animadvertit p. Quint. 16 §. 53; ut nihil nisi augere reique studium significare videatur. — *luxuriam]* Graevius e cod. Regio *luxuriem* scripsit, eiusque auctoritatem et ipse in minore edit. secutus eram. Nunc, quoniam ad reliquos codices Vaticanus rescriptus accedit, Ciceronis dicendi usum tueor, apud quem in nominativo casu *luxuries*, in obliquis *luxuriae*, *luxuriam*, *luxuriā* longe praevalent. *Luxurie* tamen in Verr. III, 68 est, et variatur II, 3 extr. — *quae regis — solent]* Haec eadem verba leguntur aptiore loco in descriptione urbis Syracusarum lib. IV, 53, neque non possum Ernestii probare iudicium, ab hoc loco cancellis ea segregantis. Sufficit enim abunde significatio, quae inest in verbis *sua* et *regia*. Mox *iam* delevi, quod vulgo adiicitur ad *antea*, auctoritate bonorum librorum omnium.

§. 81. *dies aestivos]* Mirum quo modo natum sit, quod ex deterioribus libris vulgo adiicitur, *sexaginta*. Nam ne ratio quidem constat, cum *nonaginta* potius sint. Itaque cum absit numerus a melioribus libris omnibus, sublatus est a nobis. En vero Vaticanus aliud supplementum habet (nec enim aliter iudico) *iam continuos*. Respexitne qui illud adiecit ad c. 36 *tot dies continuos*, quo loco A. Maius ad huius defensionem utitur? Tum *praetor pop. Rom.* vulgo legitur, sed absunt genitivi a melioribus libris iisdem illis (nisi quod Lambinus nihil annotat). Eam ob causam delevi in minore editione invitus, nam augetur prorsus opportune rei indignitas: nunc restituo, quia Vatic. dum scribitur PROPR. mendi originem demonstrat. Post Vat. *accubaret*.

etsi] pro vulg. *tametsi* ut scriberemus, quamquam nihil a vulgata diversum e Vat. profertur, librorum nostrorum (Guelff. Leid. Lamb. v. c.

ptione dixeram, virum, cum isti essent, neminem fuisse;) nonnunquam etiam libertus Timarchides adhibebatur; mulieres autem nuptae nobiles, praeter unam mimi Isidori filiam, quam iste propter amorem ab Rhodio tibicine abduxerat, Pipa quaedam, uxor Aeschrionis Syracusani: de qua muliere plurimi versus, qui in istius cupiditatem facti sunt, tota Sicilia percelebrantur. Erat Nice, facie eximia, ut praedicatur, uxor 82
Cleomenis Syracusani. Hanc Cleomenes vir amabat: verumtamen huius libidini adversari nec poterat, nec audebat: et simul ab isto donis beneficiisque multis devinciebatur. Illo autem tempore iste, tametsi ea est hominis impudentia, quam nostis, ipse tamen cum vir esset Syracusis, uxorem eius parum poterat animo

---

Havn. coll.) auctoritate dedimus. Nam cum in hac corrigendi semetipsum ratione maxime proprium sit *quamquam*, pro eo nihilo minus et *tametsi* et *etsi* ponuntur. Exempla laudare supersedeo praeter unum, quod apud Tursellinum non recte indicatur, ad Att. IX, 10, *Do, do poenas temeritatis meae. Etsi quae fuit illa temeritas? quid feci non consideratissime?* De *tametsi* cf. ad lib. I, 2 §. 6.

§. 81. *Pipa quaedam]* Sic codices propemodum omnes et editiones veteres ante Aldinam, sicut supra quoque lib. III, 33. Vulgo autem *Pippa*. Ad constructionem verborum e praegressis subintellige *adhibebantur*, vel tantum *erant*, ne, sublata maiore distinctione post *adhibebantur*, ante *Pipae* nomen cum Schützio addendum existimes *erat*. De *Tertia* autem ab istis nobilibus contempta vide V, 12 extr.

§. 82. *Erat Nice]* Non potui diutius servare Lambinianam lectionem *Erat et Nice*, quamquam Gruterus eam propagavit nec postea quisquam movit. Nam *et* in nullo libro ms. est, et videtur a Lambino adiuvandae et continuandae constructionis verborum causa adiectum. Sed sive eam ipse Cicero interrupit, sive mendum latet, interim restitui scripturam codicum. Mihi enim emendandum videtur *et Stratonice*, qua ratione duo nomina recte conveniant. — *benef. multis]* Sic Lambini v. c. et reliqui boni cum Vaticano. Vulgo *plurimis*. — *ipse tamen cum vir esset]* Mirum, in editionibus post P. Manutium omnibus interpungi post *tamen*, qua re tamquam dedita opera *ipse vir* dirimitur, in quo coniungendo omnis sententiae vis est, et constructionis ratio nititur. Sed nimium saepe interpungendo, non rationem sed consuetudinem sequentes, quae coniuncta sunt, dirimere solemus, sicut vulgo fit in hac eadem particula Act. I, 14 §. 41; lib. I, 1 §. 2.

soluto ac libero tot in acta dies secum habere. Itaque excogitat rem singularem: naves, quibus legatus praefuerat, Cleomeni tradit; classi populi Romani Cleomenem Syracusanum praeesse iubet atque imperare. Hoc eo facit, ut ille non solum abesset a domo, dum navigaret, sed etiam libenter cum magno honore beneficioque abesset; ipse autem, remoto atque ablegato viro, non liberius, quam antea, (quis enim unquam istius libidini obstitit?) sed paulo solutiore tamen animo secum illam haberet, si non tamquam vi-
83 rum, sed tamquam aemulum removisset. Accipit naves sociorum atque amicorum Cleomenes Syracusanus.
32 Quid primum aut accusem aut querar? Siculone homini legati, quaestoris, praetoris denique potestatem,

---

§. 82. *atque imperare]* Sic Stephaniana editio, et corrigi voluit Lambinus in annotatione e duobus, ut ait, libris veteribus, cum vulgatam *imperat* ipse in textu reliquisset. Indignitas rei augetur, sed *iubet atque imperat* de Verre dicta nihil ad sententiam novi afferrent. Itaque etiam Ernestius, patrocinio vulgatae lectionis omisso, Guelf. 2 secutus est. — *dum navigaret]* Sic Guelf. 1, nec multum discedit alter, in quo est *tum dum*, sed cum a reliquis bonis relinqui viderentur, nolui vulgatam *tum cum* mutare. Nunc Vaticanus illorum auctoritatem confirmat: sed statim *sed et* Guelff. soli. Cf. ad c. 1 §. 3. — *quam antea]* Sic Guelferbytani et Havn. collatio: vulgo (etiam Mai.) *ante*. Tum *obstitisset paulo* Vat. pro vulg. *obstitit, sed paulo* mendose, opinor. Tum Madvigius in epist. ad Orell. p. 115 recte annotavit, e Steph. vet. et coll. Havn. *sed tamquam aemulum* scribendum esse pro vulg. *at tamquam aemulum*. Nimirum opponuntur *non — sed, si non — at*; v. c. si haec sententia esset, *ut eam secum haberet, si non tamquam uxorem, at tamquam amicam*. Verum h. l. *si* pertinet ad *removisset*, et oppositio fit haec: *non virum, sed aemulum*. Etiam in Guelff. denuo inspectis *sed* repperi. Nec multum me movet quod Maius *at* servavit, fieri enim potest ut litterae evanuerint, aut idem mendum in Vat. quod in vulgaribus sit.

§. 83. *naves sociorum]* Sic et ratio et auctoritas bonorum librorum (et edd. Stephani et Lambini) postulant pro vulgato *navem*. Mirum, qui tam ineptum vitium tam diu ferri potuerit. — *aut querar]* Adiicitur vulgo allocutio *iudices*, et libenter servarem. Sed abest a Stephaniano vet. (Havn. coll.) Guelff. Vat.

honorem, auctoritatem dari? Si te impediebat ista conviviorum mulierumque occupatio, ubi quaestores? ubi legati? ubi ternis denariis aestimatum frumentum? ubi muli? ubi tabernacula? ubi tot tantaque ornamenta magistratibus et legatis a senatu populoque Romano permissa et data? denique ubi praefecti, ubi tribuni tui? Si civis Romanus dignus isto negotio nemo fuit; quid civitates, quae in amicitia fideque populi Romani perpetuo manserant? ubi Segestana? ubi Centuripina civitas? quae cum officiis, fide, vetustate, tum etiam cognatione populi Romani nomen attingunt. O dii immortales! Quid? si harum ipsarum civitatum mili- 84
tibus, navibus, nauarchis Syracusanus Cleomenes iussus est imperare? nonne omnis honos ab isto digni-

---

§. 83. *ubi ternis denariis cet.]* Verba haec inter commemorationem quaestorum legatorumque et praefectorum tribunorumque interiecta adeo offenderunt Ernestium, ut abiici mallet et cancellis circumscriberet. Mihi pertinere videntur ad discrimen, quod inter illos Senatus populique iudicio delectos, et inter militares homines praetoris imperio subiectos intercedit. Illis utensilia et reliqua commoda Senatus consulto tribuebantur, his cum ceteris militibus. Quaestores magistratus erant, legati *populi Romani* appellabantur, et a Senatu praetoribus adiutores rerum gerendarum dabantur, omnibusque rebus ad eam rem necessariis instruebantur. His igitur prae ceteris, si ipse praetor impediretur, res militaris administranda fuit, (verbo tangam, in Vatic. male excidisse verba *ubi legati?*) si ne hi quidem essent, militum duces fuerunt: *ubi praefecti, ubi tribuni tui?* Sic enim Lambini v. c. in margine repet. editionis et Guelff. ediditque Graevius (e Regio). Vulgo *et.* Ceterum de interrogandi forma sive formula cf. Garatonium ad Milonianam c. 34 extr. et adde infra c. 40 §. 104. — *quae cum officiis]* Sic meliores aliquot: vulgo *tum*, sed oratio ad cognationis Segestanorum cum populo Rom. commemorationem tendit. Mox pro eo, quod est *populi Rom. navem*, Stephanus et Lambinus ediderunt, legiturque in Guelff. et Havn. collatione *populum Romanum.* Maius tamen nihil a vulg. diversum e Vat. profert: ac videtur mihi *nomen attingunt* hoc significare, mereri illos populos, qui paene Romani vocentur, ad quos proxime fide et cognatione accedant.

§. 84. *nonne omnis]* Sic unus Guelf. 1, fateor, sed tamen in apodosi vix aliter videtur esse posse. Vulgo *non.* Cf. similes emendatio-

tatis, aequitatis, officiique sublatus est? Ecquod in Sicilia bellum gessimus, quin Centuripinis sociis, Syracusanis hostibus uteremur? Atque haec ego ad memoriam vetustatis, non ad contumeliam civitatis referri volo. Itaque ille vir clarissimus summusque imperator, M. Marcellus, cuius virtute captae, misericordia conservatae sunt Syracusae, habitare in ea parte urbis, quae insula est, Syracusanorum neminem voluit. Hodie, inquam, in ea parte Syracusanum habitare non licet. Est enim locus, quem vel pauci possent defendere. Committere igitur eum non fidelissimis hominibus noluit: simul quod ab illa parte urbis navibus aditus ex alto est. Quamobrem qui nostros exercitus saepe excluserant, iis claustra loci committenda non existimavit. Vide, quid intersit inter
85 mittenda non existimavit. Vide, quid intersit inter tuam libidinem maiorumque auctoritatem; inter amo-

---

nes nostras secundum optimos libros institutas lib. II, 59 §. 145 et III, 52 §. 121. — *Atque haec ego]* Vulgo *atque haec omnia*, etiam Stephaniana, quamquam qui eam adornavit voluit *omnia* tolli. Verum *ego* edidit e v. c. Lambinus, atque invenimus Graevius in Regio, ego in Guelff. Quae enim *omnia?* Vat. *atque ego haec.*

§. 84. *quae insula est]* Sic IV, 53 et V, 38 insula pars urbis totius est. Vat. *quae in insula est.* Etiam post *Syracusanorum* dedimus pro vulg. *Syracusanum* secundum Lambini vet. cod. et Havn. coll. et Guelff., et ordinem verborum, qui fuit *Syrac. in ea parte*, secundum Guelff. immutavimus, contra quod Maius vulgatam servans auctoritate Vaticani usus videtur. Lag. 29 *Syr. habitare in ea parte*, quae varietates non incredibilem faciunt Beckii suspicionem, totum comma, quippe quo ordo narrandi interrumpatur, censentis ab interpolatoribus adiectum esse. — *possent]* Codd. deteriores et edd. antiquae *possunt*, meliores *possent*, atque sic ediderunt Stephanus, Lambinus, Graevius. Ernestius tamen *possint* correxit, secutique eum sunt recentiores, pendere enim ex *est*. At continet hypothesin: „si semel cepissent"; facitque ea exceptionem a perpetua temporum, quae dicitur, consecutione. Etiam Maius *possent* edidit. Deinde Vat. habet *non ante fideliss.* (vere quidem *anto* aut *antc*) et omittit *quod* post *simul*.

§. 85. *inter tuam libidinem]* Nihil hoc aliud esse ait Ernestius quam quod sequatur *inter amorem* cet. Verum est, ῥητορικῶς, at *li-*

rem furoremque tuum et illorum consilium atque prudentiam. Illi aditum litoris Syracusanis ademerunt: tu imperium maritimum concessisti. Illi habitare in eo loco Syracusanum, qua naves accedere possent, noluerunt, tu classi et navibus Syracusanum praeesse voluisti. Quibus illi urbis suae partem ademerunt, iis tu nostri imperii partem dedisti: et, quorum sociorum opera Syracusani nobis dicto audientes sunt, eos Syracusanis dicto audientes esse iussisti.

Egreditur in Centuripina quadriremi Cleomenes 33
e portu: sequitur Segestana navis, Tyndaritana, Her- 86
bitensis, Heracliensis, Apolloniensis, Haluntina: prae-

---

bidinem tamen noluerim de amoris impetu explicare, sed de condicione Siculorum civitatum prouti libebat, non iure constitutum erat, mutanda. Atque eam quoque esse libidinem, quis ignorat?

§. 85. *imper. marit.]* Omnis vis est in verbo *imperium*, itaque recte priore loco ponitur in melioribus. Vulgo *marit. imper.* Havn. *maritumum.* Post *qua* edidit Lambinus pro vulg. *quo* e codicibus, ut ostendit consensus Havn. collationis et Guelff. Alioquin perinde puto. Sed miror veteres editores usque ad Hotomanum tulisse deteriorem librorum scripturam *habitari in eo loco Syracusanum*, aperte mendosam in terminatione verbi. Neque tamen ex illius emendatione, sed e libro suo edidisse Stephanus censendus est *habitare* eumque statim imitatus est P. Manutius in edit. a. 1559. — *Syracusanis]* Lambini v. c. in margine et Havn. coll. *Syracusano*, bene mehercle, sed tamen illud ad eandem rem redit, quandoquidem supra quoque *concessisti imperium* non uni, sed omnibus Syracusanis dixit.

§. 86. *in Centuripina]* Sic adiecta praepositione Stephanus et Lambinus ediderunt, annotavitque Gruterus esse in Cuiaciano, (addo ego duos Guelff. quattuor Parisinos de quinque,) neque ineptum videri. Cur igitur nec ipse nec reliqui receperunt? Nam sic etiam infra c. 44 §. 116 *Phalacrum Centuripinum dixeram exceptum esse a Cleomene, quod in eius quadriremi Cleomenes vectus esset.* Nimirum totius classis praefectus cum esset, unam elegerat navem, quae praetoria esset, non qua, sed in qua proprie veheretur. — *Apolloniensis]* Deest *Apollonia* in catalogo Pliniano, neque eius fit mentio apud Ciceronem, nisi III, 43, ex quo loco et commemorationibus Graecorum intelligas, fuisse eam supra *Haluntium* et prope *Enggyium* (sive illud Latine *Engyium* vocare vis) mediterraneam.

clara classis in speciem, sed inops et infirma propter dimissionem propugnatorum atque remigum. Tamdiu in imperio suo classem iste praetor diligens vidit, quamdiu convivium eius flagitiosissimum praetervecta est: ipse autem, qui visus multis diebus non esset, tum se tamen in conspectum nautis paulisper dedit. Stetit soleatus praetor populi Romani cum pallio purpureo tunicaque talari, muliercula nixus, in litore. Iam hoc istum vestitu Siculi civesque Romani per-
87 multi saepe viderunt. Posteaquam paulum provecta classis est, et Pachynum quinto die denique appulsa: nautae coacti fame radices palmarum agrestium, qua-

---

§. 86. *Stetit soleatus]* Loci ἐνάργειαν, quam evidentiam interpretatur, laudat et explicat Quintilianus Instit. VIII, 3, 64. Ceterum quod *soleatus* ille fuit, non *calceatus*, lege A. Gellium XIII, c. 21, ut memineris, indecorum fuisse veteribus Romanis, soleis tantum vel crepidis vel Gallicis incedere, quibus omnibus plantarum calces tantum infimae tegerentur, cetera prope nuda et teretibus habenis vincta essent. — *Iam hoc istum]* Omisimus *ipso*, quod vulgo additur post *hoc*, auctoritate Guelf. utriusque et quattuor Parisinorum, quorum unus (7774 A.) in Havniensi collatione excerptus videtur. Sed Ernestius corrigi etiam voluit *nam*, cum intelligere se negaret, quid illud esset. Equidem *iam* iniectam illius vestitus mentionem persequi dixerim, quasi dicas „quod ad hanc quidem rem pertinet."

§. 87. *appulsa]* Abiecimus *est*, quod vulgo additur, secundum edd. Stephani ac Lambini et ambos Guelf. et quattuor Pariss. (cum coll. Havn.) Ex iisdem libris mss. et Lambini v. c. *coacti fame* dedimus, quod vulgo est *fame coacti*.

radices palmarum] Offenderant me olim *radices*, ac putaveram *spadices* legendum esse, quoniam, Gellio auctore III, 9 extr. *palmae termes ex arbore cum fructu avulsus spadix dicitur.* Verum botanice me docuit, esse haud dubie radices eius arboris, quae *Chamaerops humilis* apud Linnaeum vocatur, (cf. Persoon Synopsis plantarum P. 1 p. 400, Cavanilles Icones plant. p. 2 t. 115) quae arbor in meridionalibus Europae partibus nascens, plerumque non excedit altitudinem unius aut duorum cubitorum, cuius radices et inferior pars caudicis sub terra recondita, cortice deterso, esui sunt. Infra § 99 *stirpes* vocat. Iisdem alebantur Macedones terrestri itinere ex India per incultas regiones revertentes, apud Curtium IX, 40 *radices palmarum (namque sola ea arbor gignitur) ubique rimantes.*

rum erat in illis locis, sicut in magna parte Siciliae, multitudo, colligebant, et his miseri perditique alebantur. Cleomenes autem, qui alterum se Verrem cum luxuria ac nequitia, tum etiam imperio, putaret: similiter totos dies in litore, tabernaculo posito, per-
potabat. Ecce autem repente, ebrio Cleomene, esu- 34
rientibus ceteris, nuntiatur naves esse piratarum in portu Odysseae: nam ita is locus nominatur: nostra autem classis erat in portu Pachyni. Cleomenes autem, quod erat terrestre praesidium non re, sed nomine, speravit, iis militibus, quos ex eo loco deduxisset, explere se numerum nautarum et remigum posse. Reperta est eadem istius hominis avarissimi ratio in

---

§. 87. *in illis]* Guelf. 1 *in eis:* mox ambo Guelf. cum quattuor Parisinis *sicuti in.* Vereor hiatum, cuius simile exemplum non habeo. — *cum lux. ac]* *Cum* primus Naugerius in Aldina dedit, antea e deterrimis Lag. VII. Huyd. *tum.* Schützius *tum* revocavit, tacite, ut nescias num secutus sit rationem aliquam, quae sane est. Sed quod illud ipsum *imperium* putabat, acerbius de industria factum videtur. Sed nos ex optimis et edit. Lambiniana scripsimus etiam *ac* pro vulgato *atque.*

naves esse piratarum] Hic ordo verborum est in Guelff. et tribus Parisinis, in uno 7774 A, ut in Havn. collatione, *piratarum navis esse.* Vulgo *pir. naves esse.* Sed *navis* etiam in Guelf. 1 et illis tribus Parisinis est, quam unam navem explicare nolim, cum quattuor postea commemorentur. Tum *in portu Odysseae* scribendum docuit Phil. Cluverius in Sicilia antiqua p. 189. Esse enim Ὀδύσσειαν ἄκραν apud Ptolemaeum extremum in meridionali latere insulae proximumque Pachyno, cuius portus dicitur, sicut *Pachyni* antea. Etiam libri mss. hoc volunt: nam *Edissae*, quod in editis est, unus Lagom. 14, ceteri cum Pariss. quinque *Edisseae*, *Odisseae*, *Odissae*, *Odyseae*, *Odissae.* Havniensis coll. et Paris. 7774 A *Odyssae.* Alius est portus Ulixis, a Catana Messanam versus naviganti.

quod erat terrestre] Hotomanus coniectura ductus adiiciendum censuit *ibi*, et adiecit Lambinus e cod. ms. ut ait, sed vereor ne verum non dixerit. In nostrorum enim codicum nullo est. Neque opus est, si ipsum Pachynum castellum et praesidium militare sit. Mox *speravit* omnes boni codices (quattuor etiam Parisini), editi contra eodem consensu *sperabat*, neque aliter possemus, nisi *sperare* esset etiam *spem capere.* Pro *iis* quattuor Paris. (et Havn. coll.) *his*, Guelff. *hiis.*

praesidiis, quae in classibus: nam erant perpauci re-
88 liqui, ceteri dimissi. Princeps Cleomenes in quadriremi Centuripina malum erigi, vela fieri, praecidi ancoras imperavit: et simul, ut se ceteri sequerentur, signum dari iussit. Haec Centuripina navis erat incredibili celeritate velis: nam scire isto praetore nemo poterat, quid quaeque navis remis facere posset; etsi in hac quadriremi, propter honorem et gratiam Cleomenis, minime multi remiges et milites deerant. Evolarat iam e conspectu fere fugiens quadriremis, cum etiamtum ceterae naves uno in loco moliebantur. Erat
89 animus in reliquis. Quamquam erant pauci, quoquo modo res se habebat, pugnare tamen se velle clamabant: et, quod reliquum vitae viriumque fames fecerat, id ferro potissimum reddere volebant. Quodsi Cleomenes non tanto ante fugisset, aliqua tamen ad

---

§. 87. *ceteri dimissi]* Sic ambo Guelferbytani et Parisini tres (cum Havn. coll.) et flagitat sermonis Latini ratio. Vulgo *ceterique.*

§. 88. *remis facere posset]* Delendum *facere* censuit Lambinus, quia glossam oleret. Nihil minus, aiunt reliqui, nec ipse credo; sed vellem tamen exemplum eius significationis haberemus. Videtur nauticum esse. Quamquam *facere* pro perficere non infrequens est: hic est autem *facere posse* pro valere. — *cum etiamtum]* Vulgo *etiam tunc*, sed *tum* Guelff. et Parisini quattuor, unus (B) cum deteriore turba *nunc.* Pro *cum* Guelff. 2 et Paris. tres (cum Havn.) *qui*, unus *quin*, Guelf. 1 *qn.* Mox *uno in loco* Stephaniana et Lambiniana editio, codices duo Guelff. (sed 1 *in uno loco*) quattuor Parisini, Leidensis. Vulgo *suo in loco.*

§. 89. *res se habebat]* Sic boni libri omnes, (quamquam Lag. 29 et Paris. C *sese*) vulgo *sese res.* Legitima quasi positio, nisi quae alia vox accedat, est *res se habet*, etiam de Orat. I, 24 §. 114 sic in Erfurt. codice est. Tum unus Guelf. 1 *pugnare se tamen*, non male, sed solus. Ceterum hoc ipsum, quod non statim signum fugae secuti essent, videtur posthac reliquis nauarchis crimini datum esse.

Quodsi Cleom. non] Lambinus edidit *quodnisi Cl. tanto ante fugisset*, e vet. cod. ut ait. Sed non prorsus ita res se habet. Nam ambo Guelff. et Parisini duo, qui extremas tantum has duas orationes continent, ad quorum unum Havniensis collatio pertinere videtur, nihil nisi omittunt

resistendum ratio fuisset. Erat enim sola illa navis constrata, et ita magna, ut propugnaculo ceteris posset esse; quae, si in praedonum pugna versaretur, urbis instar habere inter illos piraticos myoparones videretur: sed tum inopes, relicti ab duce praefectoque classis, eundem necessario cursum tenere coeperunt. Helorum versus, ut ipse Cleomenes, ita ceteri 90 navigabant: neque hi tam praedonum impetum fugie-

---

si: duo autem alii C et D *quod Cl. nisi* habent. Hoc igitur recipiendum, si codicum auctoritatem sequi velimus. Sed dirimi *quod* a coniunctione dubium, certe insolitum, et unum quod novimus exemplum ipsi nobis subtraximus lib. II, 26 extr. Sed mox *tamen* restituimus, quod primi dederant Hervagius et Victor. ex aliquo meliore codice una cum toto hoc membro, quod in codd. vulgaribus et edd. vetustis, quae ex illis ductae sunt, propter verborum *fugisset* et *fuisset* similitudinem exciderat. Neque omissum est *tamen* nisi negligentia repetitorum Lambinianorum.

§. 89. *constrata]* Edd. vetustae ante Aldinum *rostrata*, codicum quidem mss. nullus praeter Parisinum C. Satis convincitur comparato c. 40 §. 104. Apertas autem fuisse etiam triremes et olim circa bella Persica et postea, postquam ad usum bellicum magis quadriremes et quinqueremes comparari solebant, ex historiae monumentis intelligas. Cf. Schefferum de milit. navali p. 100. — *tum — ab duce]* Vulgo *tunc* et *a*. Nos sequimur quos solemus et quattuor Parisinos.

§. 90. *Helorum versus]* Vulgo *Pelorum versus*, quod hoc quidem loco, quoniam de cursu dirigendo tantum dicitur, facile nobile promontorium putaretur proximum Italiae, contrarium Pachyno. Verum in sequenti capite *Pelori litus*, et *appulsis ad Pelorum navibus*, sicut item vulgo editur et inventum est in codicibus mss., verum esse non potest. Nihil enim certius, quam naves non ad *Pelorum* promontorium longissime dissitum, sed, de coniectura Ant. Augustini cum Fulvio Ursino communicata, *Helorum*, quae urbs est inter Pachynum et Syracusas, appulsas esse, unde Cleomenes eodem die Syracusas terrestri itinere pervenerit. Neque verisimile fit, cum bis *Helorus* sit, non etiam ab initio eundem locum appellatum esse, quo naves dirigerent cursum. Confundi autem a librariis ea nomina vidimus iam manifesto lib. IV, c. 26. — *navigabant]* Stephaniana et Lambiniana *navigant*, nullus codex manuscriptus. Differt solus Par. 7774 A (et Havn. collat.) *navigabunt*. — *neque hi tam]* Vulgo *neque hi tamen tam*, sed alterutrum abesse debet, si vulgarium maioris partis auctoritatem se-

bant, quam imperatorem sequebantur. Tum ut quis-
que in fuga postremus, ita in periculo princeps erat:
postremam enim quamque navem piratae primam ado-
riebantur. Ita prima Haluntinorum navis capitur, cui
praeerat Haluntinus, homo nobilis, Phylarchus; quem
ab illis praedonibus Locrenses postea publice rede-
merunt: ex quo vos priore actione iurato rem omnem
causamque cognostis. Deinde Apolloniensis navis ca-
pitur, et eius praefectus Anthropinus occiditur. Haec
91 dum aguntur, interea iam Cleomenes ad Helori litus
pervenerat: iam sese in terram e navi eiecerat, qua-
driremem que fluctuantem in salo reliquerat. Reliqui
praefecti navium, cum in terram imperator exisset,
cum ipsi neque repugnare, neque mari effugere ullo
modo possent, appulsis ad Helorum navibus, Cleome-
nem persecuti sunt. Tum praedonum dux Heracleo,
repente, praeter spem, non sua virtute, sed istius

---

quare, *tam*, si integriorum et Parisinorum omnium, *tamen*. Itaque cum Stephano et Lambino *tam* dedimus: item cum iisdem *impetum fugiebant*, cum vulgo elegantiore scilicet collocatione verborum, sed quam fere destitui fide librorum vidimus, *fugiebant impetum*.

§. 90. *ita in periculo princeps]* Sic Stephaniana et Lambiniana cum collat. Havn. et Guelff. Reliqui *periculo* sine praepositione.

§. 91. *Haec dum aguntur]* Sic Hervagius edere coepit, sed Iuntinus editor (Victorius, ut fere dicitur) vulgatam *dum haec* servavit. Apud insecutos editores Italos et Gallos Iuntinae auctoritas maior erat: itaque eam ne Stephanus quidem et Lambinus reliquerunt. In repetita Lambiniana denuo comparet *haec dum*, sine nota in margine: ita recepit et propagavit Gruterus. Mihi *dum haec* placeret, id quod in Lagom. omnibus praeter unum cod. 1, minimae auctoritatis, est, nisi Guelff. et Havn. cum Hervagiana lectione facerent, dum nihil ex iis notatur. Sed Lambini v. c. et Guelff. *interea iam Cleom.* Vulgo *interea Cleom. iam.* Iidem *fluct. in salo*, cum vulgo *in salo fluctuantem* legatur. — *Reliqui praefecti]* Lambini v. c. et Guelf. 1 *relicti*, quod ad perpetuam earum vocum confusionem refero. Sed mox *tum*, pro vulg. *tunc* ambo Guelf. Lag. 29 Lambini v. c. recte.

avaritia nequitiaque victor, classem pulcherrimam populi Romani, in litus expulsam et eiectam, cum primum advesperasceret, inflammari incendique iussit. O tempus miserum atque acerbum provinciae Siciliae! o casum illum multis innocentibus calamitosum fune- 92
stumque! o istius nequitiam ac turpitudinem singularem! Una atque eadem nox erat, qua praetor amoris turpissimi flamma, classis populi Romani praedonum incendio conflagrabat. Affertur nocte intempesta gravis huiusce mali nuntius Syracusas: curritur ad praetorium, quo istum ex illo praeclaro convivio reduxerant paulo ante mulieres cum cantu atque symphonia. Cleomenes, quamquam nox erat, tamen in publico esse non audet: includit se domi: neque aderat uxor, quae consolari hominem in malis posset. Huius autem praeclari imperatoris ita erat severa domi disciplina, ut in re tanta et tam gravi nuntio nemo 93
admitteretur, nemo esset, qui auderet aut dormientem

---

§. 91. *advesperasceret]* Lambini v. c. et Cuiacianus apud Gruterum et collatio Havniensis *invesperasceret*, quorum librorum nomina, si ad unum exemplar pertineant, adiuvantur Lag. 29 et Guelf. 2. Sed antiquior Guelf. *advesperasceret* servat, nec iniuria pro Ciceronis dicendi consuetudine. Nam *invesperascere* cum et apud alios rarum sit (unus Livii locus lib. XXXIX, 50 in lexicis laudatur) tum apud Ciceronem nusquam legitur. Mox *funestumque* e Guelf. 1 dedi pro vulg. *atque funestum:* secutus enim orator aliquid videtur variandis particulis.

§. 92. *classis]* Asyndeton multo aptius hiante particula *ac*, quae in vulgaribus libris interponitur: ea abest a Guelff. et Leid. et Havn. collatione. — *ex illo praeclaro]* Sic Guelff. Lag. 29 Havn. Vulgo *e conv. illo praeclaro.*

§. 93. *et tam gravi]* Vulgo *in tam gravi.* Nos secuti sumus Stephanianam et Lambinianam editiones, codd. Guelff. Mox pro *nuntio* deteriores libri mss. et editi ante Hervag. et Victorianam *nuntius*, in qua scriptura facile correctorem cognoscas.

excitare, aut interpellare vigilantem. Iam vero, re ab
omnibus cognita, concursabat urbe tota maxima mul-
titudo. Non enim, sicut erat nuper consuetudo, prae-
donum adventum significabat ignis e specula sublatus
aut tumulo; sed flamma ex ipso incendio navium et
calamitatem acceptam et periculum reliquum nuntia-
36 bat. Cum praetor quaereretur, et constaret, neminem
ei nuntiasse: fit ad domum eius cum clamore concur-
94 sus atque impetus. Tum iste excitatus audit rem
omnem ex Timarchide: sagum sumit. Lucebat iam
fere: procedit in medium, vini, somni, stupri plenus.
Excipitur ab omnibus eiusmodi clamore, ut ei Lam-
psaceni periculi similitudo versaretur ante oculos. Hoc
etiam maius videbatur, quod in odio simili multitudo
hominum haec erat maxima. Tum istius acta com-
memorabatur: tum flagitiosa illa convivia: tum appel-

---

§. 93. *erat nuper consuetudo]* Correcti sive corrupti libri *sicut antea consuet. erat*, fortasse quod *nuper* ad tempus praeteritum relatum displicuerat: nos revocavimus scripturam integriorum Lambini vet. cod. Leid. utriusque Guelf. Havn.

neminem ei] edidit Lambinus, et est in Guelff. et Havn. collatione. Vulgo *ei neminem.*

§. 94. *excitatus audit]* Sic libri meliores, Stephanianus, Lambini vet. cod., Graevii Regius cum aliquot Lallemandi, ambo Guelferbytani: edidit tamen adhuc nemo nisi Graevius et Schützius, (nam Stephaniano correctori operae non paruerunt.) Aliqui interponunt *exit.* nimirum e cubiculo, ait Ernestius vulgatae patronus. Sed quidni intus vocaverit Timarchidem? — *Hoc etiam maius videbatur]* Vulgo repetito pronomine *hoc videbatur*, sed omitti iubet consensus optimorum, edd. Steph. (in var. lect.) et Lambinianae codicumque Guelff. Havn. Neque opus est, neque aures videntur ferre. Maius tamen servavit. De Lampsaceno periculo vid. I, 27. — *acta commemorabatur]* Secutus sum coniecturam sive Hotomani, sive Memmii (nam Hotomanus sibi, Lambinus Memmio tribuit) laudatam ab omnibus, receptam a paucis pro vulgato *acta commemorabantur.* Nam quousque expectabimus codicum suffragia in re tam exigua? (Ne Vat. quidem adiuvat.) Verris nulla sunt *acta*, sive res gestae, quae commemorari possint, sed de litoris illo loco amoeno satis multa dicta. Neque im-

labantur a multitudine mulieres nominatim: tum quae-
rebant ex ipso palam, tot dies continuos, per quos
nunquam visus esset, ubi fuisset, quid egisset? tum
imperator ab isto praepositus Cleomenes flagitabatur:
neque quicquam propius est factum, quam ut illud
Uticense exemplum de Hadriano transferretur Syra-
cusas, ut duo sepulcra duorum praetorum improbo-
rum duabus in provinciis constituerentur. Verum
habita est a multitudine ratio temporis, habita tumul-
tus, habita etiam dignitatis existimationisque commu-
nis, quod is est conventus Syracusis civium Romano-
rum, ut non modo illa provincia, verum etiam hac re
publica dignissimus existimetur. Confirmant ipsi se, 95
cum hic etiamtum semisomnus stuperet: arma capiunt:

---

pedit quod sequitur *quaerebant ubi fuisset:* illc enim mos est indignantium, ut, quamvis sciant, confessionem tamen exprimere quasi velint. Ipsum autem *quaerebant* pro vulg. *quaerebatur* dedi secundum Lamb. v. c. Havn. Guelff. Utrum vero *ex isto* e Stephaniano Lag. 29 Guelff. scribas, an *ex ipso* secundum Lambini vet. cod. et Havn. coll. retineas, hoc quidem loco perinde habendum. Malus *ipso* edidit, sed idem etiam *quaerebatur.*

§. 94. *de Hadriano]* Hoc quidem loco *Adriano* codices Guelff. et Vat. et Havn. coll., item editiones veteres usque ad Stephanianam: verum aspirata et codicum mss. auctoritate altero loco I, 27 tutior est, et omnino eruditorum consensu fere praefertur. — *duabus in prov.]* Male vulgo editur *duabusque*, nec pro elegantia Latini sermonis. Sed, quod mirere, ne est quidem copula in libris mss. neutrius ordinis, nec in vetustis editionibus: primus adiecit Naugerius de suo. — *Habita tumultus]* Vulgo *habita est tumultus*, sed altera classis librorum (Guelff. Lamb. v. c. Leid.) *habita etiam tumultus*, *habita dignitatis*, hoc quidem male, nam *tempus* et *tumultus*, i. e. subitus a praedonibus terror, inter se propinquiora sunt, quam ut interiecto *etiam* dirimi possint. Verum in hoc dissensu nos Vaticanum secuti sumus. *Tum is esset* Guelff. Havn. solita confusione, nam quominus iudicium Syracusanorum putemus, impedit, quod sequitur, *existimetur.* Mutato verborum ordine Guelf. 1 et Havn. *verum hac etiam.*

§. 95. *cum hic etiamtum]* Vulgo *is*, ex quo Lambinus coniecit *iste*, Ernestiusque recepit. Recte: ni praestaret ex ipsius Lambini vet. cod. Havn. Guelff. Vat. scribere *hic.* Quod vulgo sequitur *semisomnis*, in Lag. 27. 29 est *semisomnus*, sed eorum librorum auctoritas tanta

totum forum atque Insulam, quae est urbis magna pars, complent. Unam illam noctem solam praedones ad Helorum commorati, cum fumantes etiam nostras naves reliquissent, accedere incipiunt Syracusas. Qui videlicet saepe audissent, nihil esse pulchrius, quam Syracusarum moenia ac portus, statuerant, sese, si ea Verre praetore non vidissent, nunquam esse visuros.
37 Ac primo ad illa aestiva praetoris accedunt, ipsam il-
96 lam ad partem litoris, ubi iste per eos dies, tabernaculis positis, castra luxuriae collocarat. Quem posteaquam inanem locum offenderunt, et praetorem commosse ex eo loco castra senserunt: statim sine ullo metu in portum ipsum penetrare coeperunt. Cum in portum dico, iudices, (explanandum est enim diligentius eorum causa, qui locum ignorant,) in urbem dico atque in urbis intimam partem venisse piratas. Non enim portu illud oppidum clauditur, sed urbe portus

---

non videbatur ut insolens forma expelleretur, quam alterum eiusdem stirpis verbum, quamquam non Ciceronianum, sed poeticum, *insomnis* tueretur. Nunc autem ad Lag. libros accedit Vaticanus, ac tuto iam *semisomnus* restitui potest.

§. 95. *noctem solam]* Hoc ordine codd. meliores cum Vatic. Vulgo *solam noctem.* Sed *nam* pro *unam* ex Vatic. non ego receperim. — *incipiunt Syracusas]* Sustulimus *ad*, quod vulgo adiungitur iussu meliorum omnium. Sic Philipp. IX, 12 extr. *Ariminum accedere*, et ex eodem genere paulo ante *Pachynum appulsa.* Maius quidem praepositionem servavit, sed relinquitur dubitatio an recte legere potuerit.

portus] Duos fuisse ipse Cicero auctor est IV, 52 extr. ab utraque parte Insulae, et minor quidem inter Insulam et Achradinam, maior inter illam et Olympium προάστειον. — *statuerant se]* Vulgo *sese*, sed *se* Steph. et Lamb. ex melioribus, quibuscum Vat. facit.

§. 96. *commosse]* Sic Guelff. Havn. Vulgo (etiam ap. Maium) *commovisse.* Lib. III, 18 pr. *glebam commosset:* vide de his formis contractis verborum compositorum cum eo, quod est *moveo*, Ruddimanni Instit. Tom. 1 pag. 326 edit. Stallbaumianae. Mox *in ipsum portum* Lambini vet. cod. et Havn. collatio.

portu — clauditur] i. e. non extremae urbis parti adiacet portus, sed in ipsa urbe est et aedificiis urbis circumdatur. Satis perspicue auctor

ipse cingitur et continetur: ut non alluantur mari moenia extrema, sed ipse influat in urbis sinum portus.
Hic, te praetore, Heracleo pirata cum quattuor myo- 97
paronibus parvis ad arbitrium suum navigavit. Pro dii immortales! piraticus myoparo, cum imperii populi Romani nomen ac fasces essent Syracusis, usque ad

---

ipse Syracusarum situm descripsit, cetera peti possunt ex recentioribus scriptoribus, v. c. nostratium Münteri et Kephalidis itinerum descriptionibus, nam quae Dorvillius ad Charitonem p. 598 (392 repetit. Lips.) laudatus ab Ernestio commemoravit, ea non sufficiunt. *Claudi* autem h. l. dicitur fere pro *terminari*, quod et alibi non infrequens est, et in re militari usurpatur, siquidem acies ab aliqua parte *claudi* dicitur loco, i. e. attingere eum sive usque eo pertinere. Sic apud scriptorem de bello Afric. 59 *sinistrum cornu oppido Uxita claudebatur.* Idem ferme Graevius copiosa annotatione de significatione verbi videtur docere voluisse, verumtamen diversa miscens parum accommodatis ad h. l. explicandum exemplis utitur. *Continetur* autem pro vulg. *concluditur* et variandae orationis causa dedi, et auctoritati parui alterius classis librorum omnium. Eadem res repetitur proximis verbis, quae vulgo sic leguntur: *non ut alluantur a mari moenia extrema, sed influat* cet. Nos *ut non* restituimus, omnium codicum mss. et vetustarum editionum scripturam, quorum verborum ordinem primus invertit Naugerius, quam ob causam non intelligo, certe non idoneam, siquidem sequi debere recte ait Lambinus *sed ut influat.* Tum praepositionem *a* delevimus auctoritate Guelf. 1 et Lambini vet. cod. et Havn. coll. Denique *ipse* adiecimus ex editione Stephaniana (Lamb.) ceterisque bonis libris, Vaticanum eo numero comprehendentes.

§. 97. *Heracleo pirata]* Sic Stephanus (in var. lect.) Regius Graevii Guelff. Vat. pro vulgato *archipirata.* Sed solus Vat. *parvis myop.* ordine verbb. mutato. Ceterum Orosius Hist. VI, 3 *Eodem tempore Metellus Siciliae praetor, cum foedissima illa C. Verris praetura Siciliam afflictam invenisset, maxime Pyrganione archipirata nefariis praedis et caedibus dilacerante, qui, pulsa classe Romana, Syracusanum portum obtinuerat, quem mox navali terrestrique proelio comminutum Sicilia decedere compulit.* Sed codd. Ciceroniani nihil mutant. — *imperii pop. Rom. nomen]* Sic omnes boni codices mss. nisi quod Vat. *imp. p. r.* et Guelff. *praetoris.* Intellige magistratum, qui imperii et nomen habebat et insignia potestatis. Editi inepte *imperium*, ut nescias, quo *nomen* pertineat. Tum *Syracusanorum* Stephanus et Lambinus e libris suis nosque ex Leid. et Guelff. adiecimus: (M. edidit *Syracusanum*) et ordinem verborum convertimus,

forum Syracusanorum et ad omnes crepidines ur-
bis accessit: quo neque Carthaginiensium gloriosis-
simae classes, cum mari plurimum poterant, multis
bellis saepe conatae, unquam aspirare potuerunt; ne-
que populi Romani invicta ante te praetorem glo-
ria illa navalis unquam, tot Punicis Siciliensibus-
que bellis, penetrare potuit: qui locus eiusmodi est,
ut ante Syracusani in moenibus suis, in urbe, in
foro hostem armatum ac victorem, quam in portu ul-
98 lam hostium navem viderint. Hic, te praetore, prae-
donum naviculae pervagatae sunt, quo Atheniensium
classis sola post hominum memoriam ccc navibus vi
ac multitudine invasit: quae in eo ipso portu, loci
ipsius portusque natura, victa atque superata est. Hic
primum opes illius civitatis comminutae depressaeque
sunt: in hoc portu Atheniensium nobilitatis, imperii,
38 gloriae naufragium factum existimatur. Eone pirata
penetravit, quo simulatque adisset, non modo a latere,
sed etiam a tergo magnam partem urbis relinqueret?
Insulam totam praetervectus est, quae est urbs Syra-
cusis suo nomine ac moenibus, quo in loco maiores

---

qui vulgo est *ad omnes urbis crepidines*. — *viderint]* Sic Stephanus (in var. lect.) Lambini v. c. Guelff. Havn. de re vere facta, cum vulgatum *viderent* (quod Maius servavit) difficiliorem explicationem habeat condicionis a veritate remotae. Guelff. tamen mendose *navium*, nisi pertinet ad Lambinianam scripturam *navim*.

§. 98. *comminutae depressaeque]* Praemittitur vulgo *virtae*, quod abest a Vat. et melioribus libris Lambini, Graevii, Leid. Guelff. et recte abest, cum proxime praecesserit. Etiam *illius*, quod post Stephanum omnes ediderunt, tantum in altera classe librorum mss. est: vulgares *ipsius*.

quae est urbs Syracusis] Sic Stephanus et Lambinus (alt. edit.) voluerunt e codd. suis, ediditque Graevius e Regio, Lallemandus e tribus Paris. Sic etiam ambo Guelferbytani: neque dubium esse potest, quin longe praestet ingratissimae repetitioni ex proximo, quae inest in vulgata scriptura, *quae est urbis magna pars Syracusis*. Sed nihi-

(ut ante dixi) Syracusanum habitare vetuerunt; quod,
qui illam partem urbis tenerent, in eorum potestatem
portum futurum intelligebat. At quemadmodum est 99
pervagatus? Radices palmarum agrestium, quas in no-
stris navibus invenerant, iactabant, ut omnes istius
improbitatem et calamitatem Siciliae possent cogno-
scere. Siculosne milites, aratorumne liberos, quorum
patres tantum labore suo frumenti exarabant, ut po-
pulo Romano totique Italiae suppeditare possent, eosne,
in insula Cereris natos, ubi primum fruges inventae
esse dicuntur, eo cibo esse usos, a quo maiores eo-
rum ceteros quoque, frugibus inventis, removerunt.
Te praetore, Siculi milites palmarum stirpibus, pira-
tae Siculo frumento alebantur. O spectaculum mise- 100

---

lominus totum hoc tamquam additamentum e margine Ernestius cancellis a contextu exclusit: neque nego oratorem nimium videri posse in repetenda eadem re; nisi hoc est quod hanc insulam non vult ex vulgari genere esse proiectam ante litus, sed coaedificatam cum cetera urbe, et ipsam urbis magnam partem.

§. 98. *Syracus. habitare]* Auctoritate Guelff. Vat. Havn. coll. omisimus *quemquam*, id quod voluit etiam editor Stephanianus. Annotat Madvigius, non magis id necessarium, quam lib. II. de Orat. 24 *Lex peregrinum vetat in murum ascendere:* et offendit *quisquam* ante verbum negans collocatum. Mox *tenerent* primus Hervagius, non Victoriana editio: sed secuti illum recte sunt reliqui. Codd. vulgares aut *tenuerunt*, aut *tenuerint*. Tum *in eorum potestate* Lagom. VII. deteriores, nullus ex integrioribus, quapropter miror Stephanum sic voluisse.

§. 99. *invenerant*, *iactabant]* Sic Guelff. Leid. Regius, et augetur irrisio et contemptus. Vulgo editi *invenerant*, *iaciebant*: sed scripti deteriores plerique singulari numero efferunt *invenerat*, *iaciebat*, emendati, ut opinor, olim ab eo qui orationem ad piratas ab archipirata converti aegre ferret. Ad hanc rationem in Stephaniana excusum est, mixta utriusque classis librorum scriptura, *invenerat*, *iactabat:* id quod Lambinus, qui exemplar Stephanianum typographis describendum dedit, secutus est: sed ipsum tamen Stephanum, seu potius qui eam editionem operis adornavit, idem, quod nos dedimus, voluisse varietas lectionis adiuncta testatur. Maius tamquam e Vat. *invenerant*, *iaciebat.* — *piratae Siculo]* Sic Stephanus in var. lectionis, Guelferbytani, Havn. collatio. Vulgo *praedones.*

rum atque acerbum! ludibrio esse urbis gloriam! populi Romani nomen! hominum conventum atque multitudinem! piratico myoparone, in portu Syracusano, de classe populi Romani triumphum agere piratam;

§. 100. *hominum conventum]* Locus hic vulgo sic legebatur olim: *ludibrio esse urbis gloriam: populi Rom. gloriam: hominum conventu atque multitudine, piratico myoparone, in portu Syr. — triumphum agere piratam*, revocavitque Ernestius, nisi quod eius scripturae pessime ex Gruteriana editione adhaesit *et* ante *populi Rom. nomen*, quod nulla prorsus auctoritate veterum librorum nititur. Lambinus edidit *conventum atque multitudinem piratico myoparoni?* cod. mss. auctoritate fretus, ut ait; sed ea utrum ad accusativos tantum pertineat, an simul ad dativum myoparoni, incertum fit, quoniam Gruterus, item auctoritate Cuiaciani libri usum se professus, illos tantum expressit, *myoparone* e vulgata servavit. Neque ex Havniensis collationis silentio hoc videtur tuto effici posse, ut etiam *myoparoni* in libro ms. fuisse putemus. In Leid. et Guelf. 2 lacuna aliquot verborum est, nata illa quidem ex repetitione eiusdem verbi *Romani:* sed Lag. 29 et Guelf. 1 *conventum — multitudinem*, sed *myoparone*. Atque sic verum est. Tria nominantur, quae ludibrio habita sint, neque aliter esse potest, si hoc tenes, coniunctionem in nullo libro vetere esse. Calumniatur Graevius, mirum non esse, quod hominum conventus ludibrio habeatur, cum ipse terrarum dominus populus Rom. habitus sit. At non est populus Romanus, sed eius *nomen* et urbis Syracusarum *gloria*, res inanes, quae quamvis valeant in dolore commovendo, re tamen ipsa in piratas barbaros minus virium habere debuerint, quam tot milia armatorum hominum. Quod autem ipse vult, *hominum conventu* aut esse pro *in conventu*, aut si hoc non probetur (ut probari nequit,) scribendum esse *in conventu*, et pertinere ad *ludibrio esse*, omnium minime placet, quia, quae res *in* aliquo conventu ludibrio habetur, etiam *ab* ipsis illis hominibus habetur, nisi addideris aliorum mentionem, a quibus habitus sit. Sed iam video, illud ipsum nuper Madvigium efficere voluisse, commendata Lambini lectione *myoparoni*, quae cum Graeviana coniungeretur: quae ratio verborum construendorum mihi quidem magnopere languere videtur, continuatione membrorum non vincta sed in longum ducta. Et quid tandem impedit, quominus *myoparone* triumphum egisse dicatur pirata? Quia, ait, ne *curru* quidem dicitur. Quasi non possit dici, si opponatur ei aliud ignobilius vehiculum, qualis est myoparo cum classe populi Romani comparatus. Sed satis est verborum in re non adeo difficili. Veniam dabit aequitas lectoris, si diversissimas hominum doctorum in explicando loco sententias cognoverit.

cum praetoris nequissimi inertissimique oculos praedonum remi respergerent!

Posteaquam e portu piratae non metu aliquo affecti, sed satietate exierunt: tum coeperunt quaerere homines causam illius tantae calamitatis. Dicere omnes et palam disputare, minime esse mirandum, si, remigibus militibusque dimissis, reliquis egestate et fame perditis, praetore tot dies cum mulierculis perpotante, tanta ignominia et calamitas esset accepta. Haec au- 101
tem istius vituperatio atque infamia confirmabatur eorum sermone, qui a suis civitatibus illis navibus praepositi fuerant; qui ex illo numero reliqui Syracusas, classe amissa, refugerant. Dicebant, quos ex sua quisque nave missos sciret esse. Res erat clara: neque solum argumentis, sed etiam certis testibus istius audacia tenebatur. Homo certior fit, agi nihil in foro 39
et conventu toto die, nisi hoc quaeri ex nauarchis,

---

§. 100. *Posteaquam — exierunt]* Sic Lag. 29, Guelferbytani, Havn. coll. ediditque olim unus Lambinus, rectissime. Vide, si tanti est, Gramm. nostram §. 507. — *remigibus militibusque]* Sic Stephaniana, et Lambiniana e melioribus codd. Vulgo *militibus remigibusque.*

§. 101. *quos ex sua qu. nave]* *Nave* nos ex Guelff. dedimus et Havn. collatione, vulgo *navi.* Reliquimus *quos*, pro quo Lambinus de coniectura, quantum intelligimus, ediderat *quot*, probabiliter quidem, sed non aeque necessario. — *istius audacia]* Interpretare quod ausus est de publico praedas agere, et cf. c. 25 init. ubi eadem res *audacia* appellatur. Neque enim sustinui, ex uno Regio h. l. substituere *avaritiam*, sicut post Graevium recentiores fere omnes fecerunt, eoque magis veritus sum quod ex Havn. collatione, quam eandem Madvigius verisimillimum facit Graevii oculis usurpatam esse, non liquet utrum illa veteris codicis scriptura, an coniectura eius, qui primum contulit, fuerit. Praemitti enim tradit Danus doctissimus notam, quam ait explicari posse aut *Ro.* aut *ισ.* Quodsi hoc verum sit, ut puto, vides qualis sit auctoritas, coniectura non improbabilis, sed minime necessaria.

in foro et conventu] Sic primum Aldina: codd. vulgares *in foro in conventu.* Mallem sane *et in conv.* quoniam *conventus* hic non est, ut supra hominum congregatio, sed civium Romanorum quasi col-

quemadmodum classis sit amissa: illos respondere, et docere unumquemque, missione remigum, fame reliquorum, Cleomenis timore et fuga. Quod posteaquam iste cognovit, hanc rationem habere coepit. Causam sibi dicendam esse statuerat iam ante, quam hoc usu venit, ita ut ipsum priore actione dicere audistis. Videbat, illis nauarchis testibus, tantum hoc crimen sustinere se nullo modo posse. Consilium capit primo
102 stultum, verumtamen clemens. Nauarchos ad se vocari iubet. Veniunt. Accusat eos, quod eiusmodi sermones de se habuerint: rogat, ut [id facere desi-

---

legium. Verum cf. ad Divinat. c. 13 §. 41. Mox *tota die* primum comparet in repetita Lambiniana, ex qua Gruterus ad reliquos propagavit. Sed praeter Lag. 29 in codd. mss. *toto die* est. Deinde *ex nauarchis* pro vulg. *a nauarchis* e Stephaniana et codd. Lambini (nam ipse Lambinus *e* scripsit) suffragantibus Guelff. recepi, quamquam Cicero et *de* et *ab* ponit, frequentius tamen *ex*. Tum *esset amissa* edd. veteres, etiam Stephaniana et Lambiniana, sola Hervagiana et Stephanus in varietate lectionis ex melioribus *sit*, unde non puto repetitores Lambinianae sumpsisse, sed ab ipso Lambino, animadversa Stephaniana editoris fide, correctum esse in usum futurum. Ex repetita hausit Gruterus, recte hoc quidem loco.

§. 101. *quam hoc usu venit] Venerit* edd. vetustae et codicum deteriorum maxima pars; pauci, qualis est Lag. 42, *veniret*, quod et Hervagius expressit, relictus hac in re a Victoriano editore, sed probatus ab eo qui Lambinianam repetitam curavit, unde per Gruterum facta est vulgata. Sed unice vere Stephanus et Lambinus e libris suis, quibuscum Guelff. faciunt et Havn. collatio, *antequam — venit*, neque enim id eventurum, ut classis a praedonibus caperetur, Verres putarat. Cf. ad lib. II, 18 extr. et 66 extr. Mox pro *audistis* notabili sed levi mendo Guelff. *vidistis*, item Havn. coll. Tamen id ipsum Stephanus edi voluit (in var. lect.)

§. 102. *Nauarchos ad se vocari]* Vulgo praemittitur *Cleomenem et*, quod correctorum olim inventum libri integerrimi, Stephanianus (in var. lect.), Regius, Leidensis, ambo Guelferbytani non habent. Neque ad Cleomenem pertinet oratio Verris. — *eiusmodi serm. de se]* Sic Guelferbytani, item Lambini v. c. certe quod ad verborum collocationem pertinet. Vulgo *huiusmodi de se sermones*. — *id facere desistant, et]* Absunt haec verba a codicum familia meliore: itaque quamquam non habeo magnopere quod in iis reprehendam, tamen cancellis

stant, et] in sua quisque dicat navi se tantum ha-
buisse nautarum, quantum oportuerit, neque quem-
quam esse dimissum. Illi enimvero se ostendunt, quod
vellet, esse facturos. Iste non procrastinat: advocat
amicos statim: quaerit ex iis singillatim, quot quis-
que nautas habuerit: respondit unusquisque, ut erat
praeceptum. Iste in tabulas refert: obsignat signis
amicorum providens homo; ut contra hoc crimen, si
quando opus esset, hac videlicet testificatione utere-
tur. Derisum esse credo hominem amentem a suis 103
consiliariis, et admonitum, hasce ei tabulas nihil pro-
futuras: etiam plus ex nimia praetoris diligentia suspi-
cionis in eo crimine futurum. Iam iste erat hac stul-
titia multis in rebus usus, ut publice quoque, quae
vellet, in litteris civitatum et tolli et referri iuberet:
quae omnia nunc intelligit sibi nihil prodesse, postea-
quam certis litteris, testibus, auctoritatibusque con-
vincitur. Ubi hoc videt, illorum confessionem, testi- 40
ficationem suam, tabellas sibi nullo adiumento futu-

---

circumscribenda putavi. Tum vulgo *in sua quisque navi dicat:* nos Guelferbytanos et Havn. collationem secuti ordinem paulum mutavimus.

§. 102. *quaerit ex iis]* Stephanus in variet. lect. *illis*, non male, sed reliquorum codd. ne unus quidem accedit. Guelff. tamen non *his*, ut vulgo, sed *hiis*. Quocirca nunc *iis* dedi, quoniam *his* si esset, non videretur a proximis seiungi posse.

§. 103. *esse credo]* Lambinus in marg. ex vet. cod. Havn. collatio, Guelff. nostri. Vulgo *credo esse.* Tum *iam* ex vett. edd. in una Hervagiana est, ex qua revocavit Stephanus et deinceps reliqui. Codd. vulgares *etiam.* — *in litteris civitatum]* Locus hic, sicut edidimus, vulgo scribitur ex vulgaribus codicibus: nisi quod inverso ordine verborum *in civitatum litteris.* Hoc unum correximus: sed si rem prorsus in arbitrio nostro positam putassemus, recisis mediis, dedissemus *in litteras civ. referri iuberet.* Nam integriores codd. *in litteras civ. tolli et referri* habent; et facile suspicere interpolationem, quandoquidem hoc quidem loco non agitur nisi de altero genere falsarum tabularum. Lambinus intolerabili audacia *e civitatum litteris tolli et in eas referri* edidit.

tabellas] h. l. omnes libri mss. Etiam priore capite extremo bis

ras: init consilium, non improbi praetoris, (nam id quidem esset ferendum,) sed importuni atque amentis tyranni. Statuit, si hoc crimen extenuari vellet, (nam omnino tolli posse non arbitrabatur,) nauarchos
104 omnes, testes sui sceleris, vita esse privandos. Occurrebat illa ratio: quid de Cleomene fiet? poterone animadvertere in eos, quos dicto audientes esse iussi; missum facere eum, cui potestatem imperiumque permisi? poterone eos afficere supplicio, qui Cleomenem secuti sunt; ignoscere Cleomeni, qui secum fugere et se consequi iussit? poterone esse in eos vehemens, qui naves non modo inanes habuerunt, sed etiam apertas; in eum dissolutus, qui solus habuerit constratam navem et minus exinanitam? pereat Cleomenes una. Ubi fides? ubi execrationes? ubi dexterae complexus-

---

tabellas plerique codd. deteriores et edd. veteres, sed *tabulas* restituens Lambinus auctores tamen habuit alterius classis codices. Hoc loco nullos; et in hac ipsa forma fortasse aliquid contemptus inesse debet. — *crimen extenuari]* Vulgo *extenuare*. At sequitur *tolli*: itaque malui Guelf. 1 Lag. 29 Havn. coll. sequi. Stephanus (in var. lect.) voluit *extenuari valeret*, mendo, quod etiam in Guelff. invenitur, abusus.

§. 104. *quid de Cleomene fiet]* H. l. tria dicendi genera varia codicum auctoritate commendantur: editiones veteres ex vulgaribus codd. *Cleomeni*, Lambinus in marg. repetitae edit. e cod. vet. sese iam *Cleomene* velle annotat, eaque per Gruterum vulgata lectio facta est. Nunc autem Leid. et ambo Guelff. tertium habent, *de Cleomene*. Neque hoc debes spernere, immo in hac significatione de prodendis ac destituendis hominibus usitatissimum est Ciceroni. Vide locos in Nizoliano lexico. Post *animum advertere* Guelf. 1 et Havn. *animum adducere* Guelf. 2 et Leidensis. — *potestatem imperiumque]* Vulgo *imp. potestatemque*, sed alteram collocandorum verborum rationem, si non solam in usu publico, certe usitatiorem scriptoribus, Lambini v. c. Lagom. 29 ambo Guelf. exhibent. Cf. ad IV, 20. Tum *in eos esse* vulgo: nostrum in Guelff. Lambini v. c. Havn. Sed gravius est, et quod mirere tamdiu in Stephaniana et Lambiniana (addo codices melioris ordinis nostros) latuisse, quod sequitur, *naves non modo inanes*, pro quo vulgo perverse *inanes non modo*. — *ubi dexterae]* Vulgo (etiam Maius) *dextrae*, sed secuti nos sumus ambo Guelferbytanos. Sic c. 58 extr. *dextera invicta*.

que? ubi illud contubernium muliebris militiae in illo delicatissimo litore? fieri nullo modo poterat, quin Cleomeni parceretur. Vocat Cleomenem: dicit ei, se 105
statuisse animadvertere in omnes nauarchos: ita sui periculi rationes ferre ac postulare. Tibi uni parcam, et potius istius culpae crimen vituperationemque inconstantiae suscipiam, quam aut in te sim crudelis, aut tot tam graves testes vivos incolumesque esse patiar. Agit gratias Cleomenes, approbat consilium: dicit, ita fieri oportere. Admonet tamen illud, quod istum fugerat, in Phalacrum Centuripinum, nauarchum, non posse animadverti, propterea quod secum una fuisset in Centuripina quadriremi. Quid ergo? iste

---

§. 105. *Vocat Cleom.]* Sic, quemadmodum oportet, scripti meliores omnes, editus nullus. Vulgo *Cleom. vocat.* Tum *animadverti* ambo Guelf. *animum adverti* Havn. coll. quod poterit fortasse explicari *animadvertendum esse*, sed exemplis huius dicendi generis destituor. Itaque confugiendum videtur ad eam terminationum activarum et passivarum confusionem, cuius etiam alibi exempla multa sunt. Cf. paulo ante §. 104 et cap. 18 §. 46, et III, 16 §. 41: Append. var. lect. IV §. 141 al.

et potius istius culpae] Vulgo *et totius istius — potius suscipiam:* sed quam tandem *totam* culpam dicit, nisi hanc, quam statim ipse addit, *inconstantiae?* Ea autem una est, neque digna quae *tota* dicatur. Quantopere igitur praestat Guelferbytanorum auctoritatem sequi, et eiecto *totius* eius loco scribere *potius.* Neque ceteros bonos codices dissentire ex eo intelligo, quod in Leid. et Havn. coll. *potius* non inveniri traditur, omissa, opinor, mutatae in altero verbo litterulae mentione: certe Vat. cum Guelff. facit. — *quam aut in te]* Omittitur *aut* in Guelff. et Leid. et v. c. Lamb. et Stephaniano. Pro eo in cod. Regio est *ut*, quod Graevius recepit. Posse aeque bene post *prius*, *citius*, *potius quam* et poni *ut*, et omitti, exemplis e Livio collectis probat Dukerus ad illius librum XXXVII, 37 laudatus h. l. a Garatonio. Sed aegre tamen careo duplici *aut*, quo venuste oratio quasi absolvitur. Vat. *aut — aut* habet, sed voces *in te* omittit.

in Phalacrum] Vulgo *Phalargum*, nomen Graecis insolens; Lambinus *Phararchum* ne formatione quidem Graecum, *Phalarchum* cap. 44 Guelferbytani, sed *Phalacrum* et h. l. Regius cum Guelf. 2, et c. 46 ambo Guelff. Vat. *Falacrum.* — *secum una]* Sic praestat ex Lambini vet. cod. ceterisque bonis scribere, quam vulgo diremptis, quae coniungenda sunt, *secum fuisset una.*

homo ex eiusmodi civitate, adolescens nobilissimus, testis relinquetur? In praesentia, inquit Cleomenes, quoniam ita necesse est: sed post aliquid videbimus, ne iste nobis obstare possit.

41 Haec posteaquam acta et constituta sunt, proce-
106 dit iste repente praetorio, inflammatus scelere, furore, crudelitate: in forum venit: nauarchos vocari iubet. Qui nihil metuerent, nihil suspicarentur, statim accurrunt. Iste hominibus miseris innocentibus iniici catenas imperat. Implorare illi fidem praetoris, et, quare id faceret, rogare. Tum iste hoc causae dicit, quod classem praedonibus prodidissent. Fit clamor et admiratio populi, tantam esse in homine impudentiam atque audaciam, ut aut aliis causam calamitatis attribueret, quae omnis propter avaritiam ipsius accidisset; aut, cum ipse praedonum socius arbitraretur, aliis proditionis crimen inferret: deinde, hoc quinto-

---

§. 105. *in praesentia]* Lambinus *in praesenti* scribi maluit: vide ad lib. III., 1 pr. *In praesentia* legitur etiam lib. II, 28 extr. Tuscul. V, 35 pr.

§. 106. *repente praetorio]* Guelff. Leid. Havn. collationem seculi omisimus praepositionem *e:* Vatic. editio servat. Paulo post Vat. solus *nauarchos ad se venire iubet.* — *miseris innocentibus]* Sic v. c. Lambini et Guelff. et accedit Vat. itaque sustuli quae vulgo additur coniunct. *que.* Cf. ad c. 65 extr. — *Tum iste]* Sic ambo Guelf. Lag. 14 et 29. Vulgo *tunc.* — *admiratio]* Vat. *admurmuratio.* Cf. ad IV, 12 §. 27. — *ut aut aliis]* Sic libri mss. et olim editi omnes: in repetita Lambiniana excidit *aut*, neque animadversum est a Grutero et reliquis. — *socius arbitraretur]* Sic ambo Guelferbytani, Lambini libri mss., Cuiacianus Gulielmi, Havn. coll. et, quod mirere, etiam Huydecoperanus e deterioribus. Vulgo (etiam A. Maius) *putaretur.* Iam igitur hunc socium nactus facile sese tuebitur locus περιμάχητος p. Mur. c. 16 extr. quamvis has sordes Latinitatis existimarit Ernestius. Quid? quod tertius locus accedit ad Attic. I, 11. *quod in epistola tua scriptum erat, me iam arbitrari designatum esse.* Sic enim explico, ut audiatur *istic*, non suppleatur *te.* Itaque iam meliorem auctoritatem habemus, quam Coelii Priscianus p. 792 Putsch. Sic etiam *tutari*, quod verbo notem, pro Sulla c. 21.

decimo die crimen esse natum, postquam classis esset amissa. Cum haec ita fierent, quaerebatur, ubi 107 esset Cleomenes: non quo ipsum, cuicuimodi est, quis-

§. 107. *cuicuimodi est]* In hoc tractu verborum vulgo *cum haec fierent*, et *non quo illum ipsum*, et *cuiusmodi esset* legitur: nos *ita* adiecimus et *illum* sustulimus auctoritate Guelff. et Lamb. v. c. (contra silentium Havn. coll. et Vatic.), *est* propter consensum Guelff. et Havn. coll., cum utrumque liceret, recepimus: sed de forma pronominis *cuicuimodi* largior disputandi materies nascitur. Eam h. l. primus protulit Lambinus de coniectura, opinor, nam e codicibus mss. nihil adhuc apparuit, nisi quod in Havn. coll. est *cuimodi*. Sed fundus eius rei apud Priscianum est p. 959 Putsch. ubi grammaticus certorum quorundam nominum genitivos et dativos apud vetustissimos secundum regulam mobilium tradit formatos esse, sic apud Terentium *nulli* pro *nullius*, *alterae* pro *alteri* esse „et *cuicuimodi pro cuiuscuiusmodi* apud Cic. pro Sex. Roscio (34 init.): *vereor enim*, *cuicuimodi es*, *T. Rosci*, *ne ita hunc videar servare*, *ut tibi omnino non pepercerim.*" Hinc progressi Victorius ad Cic. epist. ad Att. III, 22 et Gronovius ad Gellii II, 8 compluribus aliis locis, ubi *cuiusmodi* pro *cuiuscunquemodi* positum esset, restituendum *cuicuimodi* censuerunt, Tusc. III. 34 §. 83 et V, 41 §. 121, de Legg. II, 5 §. 13, itaque factum est a Davisio tacite quidem, a Goerenzio secundum bonorum codicum testimonium, in quibus est *cuiquimodi*. Eademque ratio paulatim ad omnes eius generis locos perlata est: de Fin. III, 9 §. 20 ubi Davisius *cuiusmodi* reliquerat, Goerenzius e codd. scriptura *cuimodi* fecit *cuicuimodi*, de Orat. III, 24 §. 94, quo loco codices *qui cuiusmodi*: sed etiam Epist. IV, 7 et ad Att. XII, 18, p. M. Coelio 10 §. 24, quibus locis codices, quantum scio, in vulg. conspirant. Supersunt p. Flacco 17 §. 40 et de Invent. II, 45, ubi multo malim e codicum scriptura *cuiuscemodi* fieri *cuiuscunquemodi*, quod legitur item in orat. p. Cluentio 6. Quod ad hunc, quem tractamus, locum pertinet, olim reliqueram *cuiusmodi*, cum libidinem corrigendi fugerem, et posse fortasse etiam simplex relativum pro composito indefinito poni putarem. Nunc movit me Vaticani scriptura *qui cuiusmodi*: iamque huc spectare videtur Cledonius grammaticus apud Putsch. p. 1908, cum ex frumentaria Tullii citat *cuicuimodi es*, quamquam ille quidem, quae hominis socordia est, dativum putavit esse. Ceterum nondum omnis dubitatio adempta est: nam sicut altera forma est *cuiuscunquemodi*, ita non intelligitur cur non etiam vera *cuiuscuiusmodi* adhiberi possit, quam Lambinus in orat. p. Rosc. 34 et de Fin. III, 9 probavit: certe quamquam ignoro nuncubi *cuiuscuius* certo legatur, (nam apud Lucret. II, 482 coniectura eiusdem Lambini est,) quod non dissimile est *quibusquibus* apud Livium XLI, 8 extat. Tantopere quidem Prisciani auctoritatem

quam supplicio, propter illud incommodum, dignum putaret: nam quid Cleomenes facere potuit? (non enim possum quemquam insimulare falso:) quid, inquam, magnopere potuit Cleomenes facere, istius avaritia navibus exinanitis? Atque eum vident sedere ad latus praetoris, et ad aurem familiariter, ut solitus erat, insusurrare. Tum vero omnibus indignissimum visum est, homines honestissimos, electos ex suis civitatibus, in ferrum et vincula coniectos: Cleomenem propter flagitiorum ac turpitudinum societatem familiarissimum esse praetori. Apponitur eis tum accusator Naevius Turpio quidam, qui C. Sacerdote praetore iniuriarum damnatus est, homo bene appositus ad istius audaciam; quem iste in decumis, in rebus capitalibus, in omni calumnia, praecursorem habere solebat et emissarium.

42 Veniunt Syracusas parentes propinquique mise-
108 rorum adolescentium, hoc repentino calamitatis suae

---

contemnere nolim, ut totum illud *cuicuimodi* omissa nota *s(us)* librariorum mendo natum putem. Nam asseverat Gronovius apud Gellium nobilem antiquarium *cuicuimodi* vere in codicibus inveniri, ad lib. IX, 2.

§ 107. *potuit Cleom. facere]* Sic libri mss. et olim editi: Gruterus et sqq. *Cleom. facere potuit.* Aliud rursus Lambinus in marg. rep. *tres v. c.* habere *Cleom. magnopere facere potuit* annotat, nescio quam vere. — *in ferrum et vincula]* Sic Guelff. 1: Lambini v. c. et Guelf. 2 *atque vincula*, reliqui vulgo *atque in vincula*, sed, cum detur optio, Guelf. 1 scriptura rationi maxime consentanea videbitur. Potest enim fere videri ἓν διὰ δυοῖν, quod nunquam fit per *atque.* Mox *turpitudinum* pro vulg. *turpitudinis* voluit Stephanus et edidit e v. c. Lambinus, *turpitudinum* et *praetori* (pro vulg. *praetoris*) Regius Graevii et ambo Guelferbytani, verissime utrumque. Cf. ad II, 14 princ. — *eis tum] Tum* dedi e Guelff. Vulgo *tamen*, notarum confusione. Nam *tamen* dici, cum antea iam catenae iniectae sint hominibus, quo pertinet? *Eis* ex Vat. est, Havn. *iis*, Guelff. *hiis*, vulg. *his.*

qui — damnatus est] Haec verba tamquam margini adscripta et repetita e lib. II. c. 8 Ernestius cancellis inclusit. Lege locum illum, et nimis suspiciosum fuisse Ernestium censebis: nam eodem iure omnis haec descriptio hominis omitti potuit.

nuntio commoti: vinctos aspiciunt catenis liberos suos, cum istius avaritiae poenam collo et cervicibus suis sustinerent: adsunt, defendunt, proclamant, fidem tuam, quae nusquam erat, neque unquam fuerat, implorant. Pater aderat Dexo Tyndaritanus, homo nobilissimus, hospes tuus, cuius tu domi fueras, quem hospitem appellaras. Eum cum illa aetate miseria videres praeditum, non te eius lacrimae, non senectus, non hospitii ius atque nomen a scelere aliquam ad partem humanitatis revocare potuit? Sed quid ego hospitii 109
iura in hac immani bellua commemoro? Qui Sthenium Thermitanum, hospitem suum, cuius domum per hospitium exhausit et exinanivit, absentem in reos

---

§. 108. *nuntio commoti]* Sic Lambin. e vet. cod. et Guelff. Havn. Vulgo (etiam Maius) *commoti nuntio.* Post *neque umquam fuerat* ex Havn. coll. et Guelf. 2 dedimus (in priore enim hoc colon excidit), *fuerat* etiam Maius edidit. Vulgo *nec umq. fuit.* — *Dexo]* et h. l. et postea constanter in melioribus mss. legitur, estque etiam apud Priscianum p. 690 Putsch. Vulgo *Dexio.*

illa aetate miseria] Vulgo *cum illa auctoritate et miseria videres praeditum*, singulari copulatione auctoritatis et miseriae. Verum *et* in libris mss. melioris ordinis non legitur, neque *auctoritatem*, quam dicat, intelligo. Emendavi *aetate*, sicut saepissime coniungitur *homo ea s. illa aetate*, cum senex dicatur. Quam facile ea verba commutari possint, codicum scriptura *aũtate* ostendit, pertinentque eodem Lambini duae coniecturae, ut aut *auctoritate, aetate, miseria*, sicut ipse edidit, aut, quod significat sibi praeferendum videri, *cum illa aetate et miseria videres praeditum* scribatur. Gulielmus voluit *cum illa auctoritate, miseria videres perditum.* Sed id ipsum dubito, num sic aliquis *illa auctoritate* dici possit. Ne cui autem displiceat *miseria praeditus*, sunt alii loci non dissimiles, quibus probatur, quaecunque hominibus accidant, iis praeditos dici, ut Tuscul. V, 41 *metu praeditus*; p. Flacco 3 *levitate, egestate, perfidia.* Tum Guelff. et Lambini v. c. in margine repetitae edit. *nec senectus*, *nec*, quod potius ad eorum verborum frequentem confusionem, quam ad vitii suspicionem rettulerim, quia tum videretur plurali verbi numero opus esse. Cf. ad III. 64.

§. 109. *hac immani]* Omisimus, quod vulgo interponitur, sed iam Stephanus in variet. lectionis abiici voluit, *tam*, iussu Havn. coll.

rettulerit, indicta causa capite damnarit: ab eo nunc hospitiorum iura atque officia quaeramus? cum homine enim crudeli nobis res est, an cum fera atque immani bellua? Te patris lacrimae de innocentis filii periculo non movebant: cum patrem domi reliquisses, filium tecum haberes; te neque praesens filius de liberorum caritate, neque absens pater de indulgentia
110 patria commonebat. Catenas habebat hospes tuus Aristeus, Dexonis filius. Quid ita? Prodiderat classem: quod ob praemium? Deseruerat: quid Cleomenes? Ignavus fuerat: at eum tu ob virtutem corona ante donaras. Dimiserat nautas: ab omnibus tu mer-

---

Guelff. Vat. Tum Vatic. bis a reliquis discedit, quod habet *inanivit*, verbum non Ciceronianum, et quod ordinem verborum, qui vulgo est *causa indicta*, vertit et ad perpetuum dicendi morem reducit. Denique Guelff. et Lambini v. c. *patris lacrimae* (contra silentium Vat. et Havn. coll.), Guelff. soli *liberum*.

§. 110. *Aristeus, Dexonis fil.]* Scribitur in Guelf. 1 *Aristenus*, in altero *Aristeris*. Puto fuisse *Aristaenum*, aut *Aristerum*. Nam *Aristeus* nomen viri non videtur esse apud Graecos.

Deseruerat: quid Cl.] Vulgo *deseruerat exercitum*, nos omisimus id verbum propter auctoritatem Stephaniani libri (in var. lect.) Cuiaciani apud Gulielmum, Guelf. antiquioris. Deest item in Guelf. 2, sed plura mendose omittuntur, quapropter eius auctoritate h. l. non utar. Videtur autem hic locus ad similitudinem eius qui sequitur in sequenti §. conformatus esse, cum facile aut subintellecto verbo praegresso explicare possis, aut, quod malim, absolute accipere, sicut Forcellinus in lex. fieri indicavit apud Quintilianum Inst. lib. IX, 2, 85, et *desertores* nude vocantur. Descendit criminum vehementia, singulis responsionibus retusa.

ante donaras] Optimam lectionem integriorum librorum a Stephano usurpatam (in varietate lect.) praetermisit Lambinus, cum haud dubie in codicibus suis invenisset, quippe quam exhibeant etiam Leidensis, ambo Guelferbytani, Havn. collatio. Quid? quod *aurea* ne in deterioribus quidem codicibus, praeter paucissimos, Lagomarsinianos 5, 14, 27 Huydec. (si fides silentio) ex quibus forte editiones vetustae ductae, legitur? Maior enim pars *antea*, ut eadem, quae ubique, diversitas scripturae sit, utrum *ante* an *antea* scribatur. Iam vide, quantum restituta librorum mss. auctoritate, proficias. Nam si non hoc dicere-

cedem missionis acceperas. Alter parens ex altera parte erat Herbitensis Eubulida, homo domi suae clarus et nobilis: qui, quia Cleomenem in defendendo filio laeserat, nudus paene est destitutus. Quid erat autem, quod quisquam diceret aut defenderet? Cleomenem nominare non licet. At causa cogit. Moriere, si appellaris: nunquam enim iste cuiquam est mediocriter minatus. At remiges non erant. Praetorem tu accusas? frange cervices. Si neque praetorem neque praetoris aemulum appellare licebit, cum in his duobus tota causa sit: quid futurum est? Dicit etiam 43
causam Heraclius Segestanus, homo domi suae nobi- 111

tur, antea aliquando hominem corona fortitudinis causa donatum esse, eam donationem, cum referenda esset ad illam infelicem navigationem, aut plane falsam fuisse, aut ad Cleomenem pertinere necesse esset. Illud omnium ineptissimum est, hoc refutandi ratio semel instituta non patitur.

§. 110. *ab omnibus tu]* Codices vulgares et edd. vetustae *ut ab omnibus tu — acciperes.* Naugerius correxit (estque in Lag. 29) *at ab omnibus tu — acceperas* recte, ni praestaret cum Guelff. delere *at*, cuius locum expressa Verris persona explet. Lambinus fecerat *at tu ab*, repetita editio, coniunctione omissa, *tu ab omnibus*, quam scripturam, quamvis nulla codd. auctoritas tueatur, Gruterus propagavit.

parens ex altera parte erat] Codd. vulgares et edd. veteres *pater erat.* Ut nunc legitur, primum extat in Hervagiana et Victoriana ex libro aliquo meliore. Mox *filium* ambo Guelferbytani, nullus alius, sicut p. Lig. 12 *salutem hominibus dando.* — *nudus — destitutus]* Cf. V, 40 *cum iste imperat lictoribus, ut Sopatrum — praecipitem in forum deiiciant, nudumque constituant*, i. e. derepta et discissa veste, maius etiam *destituant*, tamquam desertum. Lib. II, 30 *solus destitutus.* — *cuiquam est]* Hoc ordine meliores libri mss. Editi praeter Graevianum *est cuiquam.* Sed Guelff. *quicquam*, et Guelff. 1 etiam *numquid.* Tum *cervices* Stephanus, Lambinus, Graevius e melioribus. Vulgo *cervicem*, qua scriptura decipi se passus est eruditissimus Schneiderus in Gramm. p. 407. *Cervicem* primum dixisse Hortensium Varro de L. L. X, 4 (Speng.) et Quintilianus VIII, 3, 35 notarunt, id est in oratione, nam apud Varronem VIII, 5 verba *et id Hortensius* memoriae causa a studioso aliquo lectore videntur adscripta esse.

§. 111. *Heraclius]* Nomen et h. l. et paulo post scribitur in plerisque codd. *Heracleus*, Ἡρακλεῖος est enim Graece: vide ad lib. II, 14 pr.

lissimo loco natus. Audite, ut vestra humanitas postulat, iudices: audietis enim de magnis incommodis iniuriisque sociorum. Hunc scitote fuisse Heraclium in ea causa, qui propter gravem morbum oculorum tum non navigarit, et iussu eius, qui potestatem habuit, in commeatu Syracusis remanserit. Is certe neque classem prodidit, neque metu perterritus fugit, neque exercitum deseruit. Etenim tunc esset hoc animadversum, cum classis Syracusis proficiscebatur. Is tamen in eadem causa fuit, quasi esset in aliquo manifesto scelere deprehensus: in quem ne falsi qui-
112 dem causa criminis conferri potuit. Fuit in illis nauar-

Mox *nobilissimo* ex Leid. et Guelff. est, Stephanus in var. lect. *nobilis, summo*, id est *nobilissumo*, sicut in Havn. collatione legitur.

§. 111. *in ea causa, qui]* i. e. ita rem fuisse comparatam, quod ad Heraclium pertinet, ut is cum commeatu domi remanserit. Ad verbum *oculorum* adiicitur in Guelff. et Havn. collatione item a Stephano in varietate lectionis *suorum*, quo facile carebis. — *in commeatu]* Hotomanus e vetere libro, ut ait, *cum commeatu* maluit, idque cum etiam Lambinus in margine repet. probasse videretur, non nominato tamen vet. codice, Gruterus cum reliquis in textum recepit. Ego cum Beckio antiquam scripturam restitui, quam in omnibus libris mss. quorum variantibus utor, servari vidissem: dicitur enim utrumque et *cum commeatu esse* et *in commeatu*. Liv. XXXIII, 29 *milites in commeatibus erant*. — *Is certe neque class. prod.] Is* pro vulg. *iste* Stephanus et Lambinus ediderunt, Lambinus item ordinem verborum mutavit, qui antea fuit *prod. classem:* utrumque Guelff. nostrorum et Havn. coll. auctoritate firmatur.

hoc animadversum, cum] Ambo Guelf. *Etenim tunc esse animadvertendum classis*, item Havn. nisi quod de omisso pronomine nihil notatum; Stephanus in variet. lect. tantum *animadvertendum* pro *animadversum* notavit. Nescio cur in pronomine *hoc* offenderit Hotomanus, quod facillime ad desertionem refertur, sed quominus deleatur equidem Guelff. causa non impedio. Fortasse *esset animadvertendum* verum est, pro eo, quod est *fuisset*. — *ne falsi quidem causa criminis]* Vulgo *ne falso quidem causa conferri criminis*, quasi quominus *falso* crimen in aliquem conferatur, quicquam prohibere possit. Sed *falsum* crimen, quod ne in illis quidem locum habuit, qui in classe fuissent, in hunc, qui abfuisset, nulla ratione ait coniici potuisse. Itaque Lambini codicis (sive codicum) in margine scripturam adiutam Guelff. nostrorum auctoritate recepimus.

chis Heracliensis quidam Furius, (nam habent illi nonnulla huiuscemodi Latina nomina,) homo, quamdiu vixit, non domi suae solum, post mortem tota Sicilia clarus et nobilis. In quo homine tantum animi fuit, non solum ut istum libere laederet; nam id quidem, quoniam moriendum videbat, sine periculo se facere intelligebat: verum, morte proposita, cum lacrimans in carcere mater noctes diesque assideret, defensionem causae suae scripsit: quam nunc nemo est in Sicilia, quin habeat, quin legat; quin tui sceleris et crudelitatis ex illa oratione commonefiat. In qua docet, quot a civitate sua nautas acceperit: quot, et quanti quemque dimiserit: quot secum habuerit: item de ceteris navibus dicit: quae cum apud te diceret,

---

§. 112. *non domi suae solum, post mortem tota Sicilia]* Constitui locum sic ut Lallemandus fecit, non quod verum sic esse putarim, sed quod minime longe a scriptura optimorum librorum abit. Nam illi (Stephanianos et Lambinianos dico, Guelferbytanos, Havn. collationem) *post mortem Siciliam* habent. Vulgo autem, quod, utcunque interpungas, nemo non intelligit corruptum esse, *homo, quamdiu vixit, domi suae non solum post mortem tota Sicilia clarus.* Neque sufficit, ut aut cum P. Manutio *non* tollas, aut cum Ernestio totum istud *non solum* deleas: restat *tota*, quod exiguam habet ab interpolatis libris auctoritatem. Stephanus autem probata in reliquis meliorum librorum scriptura *post mortem Sicilia* voluit, contra usum dicendi, Memmius apud Lambinum omni oppositione vitae et mortis sublata, *homo quamdiu vixit, non solum domi suae, sed per omnem Siciliam clarus*, quam coniecturam nisi hoc amicitiae hominis nobilissimi tribuit, mirere a Lambino probari potuisse. Mihi in tantis turbis sic fere a Cicerone profectum videtur: *homo, quamdiu vixit, domi suae, post mortem non solum in Sicilia clarus*, ut eius librum in carcere conscriptum etiam per ceteram Graeciam pervagatum dicat.

scripsit] Sic etiam scripti libri omnes, ne quis cum Lambino et Ernestio velit *scripserit*. Ἀνακόλουθον est ex facillimo genere. Ad *noctes diesque* cf. ad I, 17. Sed cave putes hos solos esse locos, immo etiam variata forma *noctes et dies* p. Arch. 11 extr. Brut. 90. Tusc. V, 25; *noctes atque dies* de Fin. I, 16 §. 51: contra *dies noctesque* non memini nisi p. Rosc. Am. 2, 6, p. Deiot. 13, 38, p. Marcello 7, 22, ad Att. VII, 9 extr. Et cf. Bentleium ad Terent. Eunuch. 1, 2, 113

virgis oculi verberabantur. Ille morte proposita, facile dolorem corporis patiebatur: clamabat, id quod scriptum reliquit, *Facinus esse indignum, plus impudicissimae mulieris apud te de Cleomenis salute,*
113 *quam de sua vita lacrimas matris valere.* Deinde etiam illud video esse dictum, quod, si recte vos populus Romanus cognovit, non falso ille de vobis iam in morte ipsa praedicavit: *Non posse Verrem testes interficiendo crimina sua extinguere: graviorem apud sapientes iudices se fore ab inferis testem, quam si vivus in iudicium produceretur: tum, avaritiae solum, si viveret; nunc, cum ita esset necatus, sceleris, audaciae, crudelitatis testem fore.* Iam illa praeclara, *Non testium modo catervas, cum tua res ageretur, sed ab diis manibus innocentium poenas scelerumque furias in tuum iudicium esse venturas: sese ideo le-*

---

§. 113. *etiam illud]* Lambinus et Guelff. 2 *illud etiam.* Guelf. 1 *illud video etiam.* — *ille de vobis]* Sic Lambinus, Guelf. 2, Havn. coll. etiam Guelf. 1, nisi quod *iam* omittitur. Vulgo *ille iam in ipsa morte de vobis.* — *crimina sua]* Mirum quod in Leid. Guelf. 2 et Havn. coll. *nos*, in Guelf. 1 *vos* legitur, non *crimina sua.* Nonne illud e marg. in textum venisse videatur explicandi causa adscriptum, quinam illi sint *sapientes iudices?* — *sed ab diis]* Ante Stephanum ex vulgaribus mss. *sed tum a diis.* *Ab* dedimus propter consensum meliorum.

poenas scelerumque furias] Vulgo *sceleratorumque*, sed optimi libri corruptum esse verbum demonstrant, Cuiacianus et Guelf. 2 *scelere quamque* (Havn. coll. *quāquae*) Guelf. 1 *scelere quaq̃ vel que furias.* Eam ob causam Lambinus iam olim scribendum censebat *scelerumque tuorum furias*, sed *tuorum* illi remitto, *scelerumque furias* satis puto. Sic Virgilius Aen. III, 331 *scelerum furiis agitatus Orestes: poenae* autem *innocentium* sic dicuntur ut supra lib. I, 3 pr. *agunt eum praecipitem poenae civium Rom.* et p. Cluent. 61 extr. *a socrus, ab uxorum, a fratris, a liberum* (quos interfecerat) *poenis actum esse praecipitem* cet. Quamquam si cui potius *dii manes* genitivum requirere videntur, potest idem genitivus ad *poenas* subintelligi. Itaque non utor coniectura hominis docti apud Lambinum, qui *poenas scelerum atque furias* scribendum existimavit, quae quidem Madvigio unice probatur. Mox *suum casum* inverso ordine quam vulgo

viorem suum casum fingere, quod iam ante aciem securium tuarum, Sextiique, tui carnificis, vultum et manum vidisset, cum in conventu civium Romanorum iussu tuo securi cives Romani ferirentur. Ne multa, iudices; libertate, quam vos sociis dedistis, hac ille in acerbissimo supplicio miserrimae servitutis abusus est.

Condemnat omnes de consilii sententia: tamen 44
neque iste in tanta re, tot hominum causa, P. Vet- 114
tium ad se arcessit, quaestorem suum, cuius consilio uteretur: neque P. Cervium, talem virum legatum, qui quia legatus, isto praetore, in Sicilia fuit, primus ab

---

e Lambiniana et Guelff. item *Sextiique* pro Manutiana scriptura *Sestiique* dedimus. Vetustae tamen editiones et codices *Sextique*, et c. 45 Guelff. Havn. *Sextus.* Sed vide variantes scripturas c. 47 extr.

libertate quam — hac] Mirum, in codicibus vulgaribus *libertatem — hac*, in melioribus *libertate — hanc* esse. Illud ex veteribus edd. habent Aldina, Victoriana, Manutiana, Stephaniana, Lambiniana, sed Stephanus *libertatem — hanc* voluit, quod nescio quam vere dicitur etiam in Cuiaciano libro inventum esse. Quod nunc secundum grammaticam rationem legitur, cum olim editum esset ab Angelio et Hervagio, revocatum est a repetitoribus Lambinianis et ad Gruterum transmissum.

§. 114. *tot hominum causa, P. Vettium]* Restitui locum sicut fuit ante Hervagianam et Victorianam editionem et legitur in codicibus vulgaribus. Etenim in illis primum, conflata utriusque ordinis codicum scriptura, scribi coeptum est *tot hominum, totque civium causa*, cum in libris alioquin optimis nihil aliud legatur quam *tot hominum totve civium ad se arcessit.* Sic etiam Stephanianus editor (in varietate lectionis) typis describi voluit, nihil aut sententiam aut Latinitatem curans. Nam *ve* ferri non potest, et quamvis possis coniungere *in re tot hominum*, nulli tamen inter illos nauarchos *cives Rom.* fuerunt, ne *Furius* quidem ille, cuius nominis insolentiam supra orator non fuisset explicaturus, si civitate Romana donatus esset. Quantas porro alias tragoedias excitasset, si civitatis ius verberibus et summo supplicio violatum esset. De hoc igitur nemo dubitare poterit, quin *civium* nomen tollendum sit. Verum, ni fallor, illud ipsum mendum *ve civium* ad *Vectium*, nomen Quaestoris, pertinet. Nam sic scribitur etiam hoc loco in veteribus libris.

isto iudex reiectus est: sed de latronum, hoc est de
115 comitum suorum sententia, condemnat omnes. Hic cuncti Siculi, fidelissimi atque antiquissimi socii, plurimis affecti beneficiis a maioribus nostris, graviter commoventur, et de suis periculis fortunisque omnibus pertimescunt. Illam clementiam mansuetudinemque nostri imperii tantam in crudelitatem inhumanitatemque esse conversam! Condemnari tot homines uno tempore, nullo crimine! Defensionem suorum furtorum praetorem improbum ex indignissima morte innocentium quaerere! Nihil addi iam videtur, iudices, ad hanc improbitatem, amentiam, crudelitatemque posse: et recte nihil videtur. Nam si cum aliorum improbitate certet, longe omnes multumque superavit.

---

§. 115. *Illam clementiam]* Praemittitur apud Stephanum in varietate lectionis et in utroque Guelf. *indigni ferunt*, in Vat. paulo rectius *indigne ferunt.* Sed hoc ipsum non bene decrescit, cum *graviter commotus* dixisset. Atque oratorem, non Siculos esse, qui conquerantur, docet quod sequitur *nihil addi videtur posse.* Itaque non possum non haec existimare ab aliquo adiecta esse, qui Infinitivorum usum explicare vellet, ne hoc quidem recte, cf. Gramm. nostr. §. 613. Verum quod Stephanus in var. lect. posuit *tantam in* pro vulg. *in tantam* et aliorum bonorum librorum (Havn. Guelff. non tamen Vatic. editionis) assensu firmatur, et orationis vi praestat. Verbo indicabo, Graevium pro *inhumanitate* voluisse *immanitatem*, abusum codicis Regii levissimo mendo, quod *humanitatem* habet.

et recte nihil videtur] Haec verba Ernestius tamquam spuria et glossatoris, ut ait, iudicium delenda censebat, et cancellis circumscribebat. Miror eius suspicionem a Beckio et Schützio probari: nam cum admodum frequens eius quasi sermocinationis genus apud Ciceronem sit, tum quae proxime sequuntur non patiuntur illa abesse. Commoratur suo more diutius in eo quod fieri non posse dicit et tamen factum est. Nec Lambinus audiendus, qui *nihil* abiiciendum censuit. Confert Madvigius III, 72 §. 168 *ferendum non putant, et recte non putant,* quo doceatur simul etiam negandi vocabulum repeti. Sed mox pro vulgato *superabit* recepi e Stephaniano codice et Guelff. Havn. *superavit*, i. e. iamdudum omnes vicit, ut nemo addi posse quicquam existimare possit.

Sed secum ipse certat: id agit, ut semper supe- 116
rius suum facinus novo scelere vincat. Phalacrum Centuripinum dixeram exceptum esse a Cleomene, quod in eius quadriremi Cleomenes vectus esset: tamen, quia pertimuerat adolescens, quod eandem suam causam videbat esse, quam illorum, qui innocentes peribant, accedit ad hominem Timarchides: a securi negat esse ei periculum; virgis ne caederetur, monet ut caveat. Ne multa, ipsum dicere adolescentem audistis, se ob hunc metum pecuniam Timarchidi numerasse. Levia haec sunt in hoc reo. Metum vir- 117

---

§. 116. *Sed secum]* Vat. *secum* tantum, Guelff. Havn. coll. *sed cum*. Tum in Vat. nomen *Cleomenes* omittitur. Ego nihil muto.

accedit ad hom.] Sic Lambinus in marg. repet. et Guelff. cum reliquis bonis, etiam Vatic. Vulgo *ad hom. accedit*. Tum Lambiniana repetitio et ex ea recentiores omnes *ei esse*, contra codices. Sed Guelff. mendose *esse ut*, Havn. *esse a*, Vat. *ei* solum, Lambinus *esse* solum. Denique vulgo *se ob hunc virgarum metum:* nos supervacuam vocem sustulimus auctoritate Lambini v. c. Guelff. Havn. Vat. Sed Vat. tamen etiam *se* omittit.

§. 117. *Levia haec sunt in hoc reo]* Sic iidem optimi, vulgo *levia sunt haec*, et additur vanum supplementum *crimina*, quod etiam Stephanus in var. lect. abiici voluit, damnavitque codicum certissimo consensu Spaldingius in Quintiliani Instit. VIII, 4, 19. Sed statim Guelferbytani *nauarchus homo nobilis summe civitatis*, a qua scriptura nec Lambini codices nec Havn. collationem discrepare puto, quamquam ex illis *homo nobiliss. summae*, ex hoc *homo nobilissimae* notatur legi. Hinc Lambinus de coniectura Memmii dedit *homo nobilissimus suae civitatis*: ego mallem *homo nobilissimus nobilissimae civitatis*, sicut Eubulidam item Centuripinum III, 23 esse dicit *hominem honestissimae civitatis honestissimum*, nisi apud Quintilianum l. l. et IX, 2, 52 optimi codices cum vulgata scriptura apud Ciceronem facerent. Quamquam Quintiliani quidem in hoc genere auctoritas, pleraque memoriter laudantis, non valeret contra certum codicum Ciceronianorum testimonium. Itaque Vaticani potius silentio vulgatum tuemur. Mox *humanum est*, addito verbo, *usitatum* dempto, dedimus auctoritatem bonorum librorum omnium secuti. In vulgaribus *humanum usitatum est* legitur, apud Quintilianum VIII, 4, 19 utroque loco *est* additur. Sed apud illum etiam *securi feriretur*, pro quo Ciceroniani libri ad unum omnes *condemnaretur* exhibent. Sed quem tan-

garum nauarchus nobilissimae civitatis pretio redemit;
humanum est; alius, ne condemnaretur, pecuniam de-
dit; usitatum. Non vult populus Romanus obsoletis
criminibus accusari Verrem: nova postulat, inaudita
desiderat: non de praetore Siciliae, sed de nefario ty-
ranno fieri iudicium arbitratur. Includuntur in carce-
rem condemnati: supplicium constituitur in illos; su-
mitur de miseris parentibus nauarchorum: prohiben-
tur adire ad filios: prohibentur liberis suis cibum ve-
118 stitumque ferre. Patres hi, quos videtis, iacebant in
limine, matresque miserae pernoctabant ad ostium car-
ceris, ab extremo conspectu liberum exclusae; quae
nihil aliud orabant, nisi ut filiorum suorum postremum
spiritum ore excipere liceret. Aderat ianitor carce-

---

dem illum *alium* fuisse dicemus? Cum septem nauarchi fuissent, Centuripinus dimissus, Apolloniensis occisus, Haluntinus captus, reliqui quattuor securi percussi essent, ex nauarchorum certe numero non fuit. Videtur utique in universum, quemadmodum agi solitum sit Verre praetore, dictum esse.

§. 117. *Non vult]* Stephanianus codex, Regius, Guelff. *non valet*, natum ex vetere scriptura *volt*. Sed omnes boni *nefario* exquisitius vulgato *crudelissimo* exhibent. Cf. §. 109, ubi non esse rem cum *homine crudeli* dixerat.

nauarchorum] Memmii obsecutus coniecturae sustulit Lambinus, et assentiuntur Ernestius, Beckius, Schützius. Ego idoneam causam non video. Libri certe nihil mutant, nisi quod Iuntina *parentes. n. nauarcorum.* — *ad filios]* In vulgaribus libris additur *suos*, quod cum iam Stephanianus editor tolli iussisset, Lambinusque in v. c. deesse notasset, Graevius et Ernestius suorum librorum auctoritate abiecerunt. Iidem illi libri plenius *introferre*, sed recte melioribus usus *ferre* iam Hervagius dedit. Mirum vero etiam in Vat. esse *intro ferre*.

§. 118. Magna hoc loco varietas librorum est in rebus exiguis, sed propter insignem loci virtutem non contemnendis. Primum Vatic. *in limine ipso* habet, et *ante ostium*, sed solus. Tum vulgo *ab extremo complexu*, sed Stephan. Havn. coll. Guelff. Vat. *conspectu*, quorum consensum contemnere non licet. Rursus in forma genitivi *liberum* et *liberorum* variatur: *liberum* vulgo editi, et confirmant libri, quos meliores dicimus, *liberorum* Ox. et Lag. VII. deteriores, sed tamen etiam

ris, carnifex praetoris, mors terrorque sociorum et civium, lictor Sextius: cui ex omni gemitu doloreque certa merces comparabatur. Ut adeas, tantum dabis: ut cibum tibi intro ferre liceat, tantum. Nemo recusabat. Quid? ut uno ictu securis afferam mortem filio tuo, quid dabis? ne diu crucietur? ne saepius feriatur? ne cum sensu doloris aliquo spiritus auferatur? Etiam ob hanc causam pecunia dabatur. O 119
magnum atque intolerandum dolorem! o gravem acerbamque fortunam! Non vitam liberum, sed mortis celeritatem pretio redimere cogebantur parentes. Atque

---

Vaticanus. Denique vulgo editur *nisi ut filiorum extremum spiritum ore excipere sibi liceret:* verum quemadmodum locus a Nonio s. v. *excipere* p. 651 Gothofr. laudatur, *filiorum suorum postremum spiritum ore excipere liceret.* etiam codices meliores aut omnes aut plerique. *Suorum* in Guelff. est et Stephanus edi voluit, quocirca miror in Havn. coll. non esse. *Postremum* proprium mortis verbum est et variationis gratia commendatur, mendose Havn. et Guelff. *postremo.* Ipsa autem clausula *ore excipere liceret* certissimo testimonio Quintiliani IX, 4, 108 firmatur, qui cum de numero eorum verborum instituendis pausis sublevando disputet, non debet videri incertae memoriae confisus esse. Sed omittitur *ore* non solum in vulgaribus codd. sed etiam in melioribus nonnullis ut Guelf. 2. Primus adiecit Lambinus, sed is *sibi* ex vulg. lectione servavit posuitque post *spiritum.* Pronomen quin possit abesse dubium non est, et abest ab Havn. coll. Guelff. Lag. 29 Vat.

§. 118. *ex omni gemitu]* Discrepant boni: Guelf. 1 cum Lambini editione et cod. ms. *omnium,* Guelf. 2 cum Havn. coll. et Vat. et reliquis *omni.* Miror tamen unde in principes editiones usque ad Aldinam venerit *omnium* — *cibum tibi]* Apud Quintil. IX, 4, 71 esse *cibum vestitumque tibi,* notavit Hotomanus, arripuitque Lambinus suo arbitrio *cibum tibi vestitumque* edens. Vaticana editio *tibi cibum vestitumque.* — *uno ictu securis]* Sic vulgo et Maius. Lambini v. c. et Guelf. 1 *uno securis ictu,* Guelf. 2 Leid. Havn. *uno securis* omisso *ictu.* Sed verba *aut cruciatu,* quae vulgo adduntur post *dolore aliquo,* consensu omnium bonorum et Vat. damnantur. Tum in Vat. traditur esse *lictori datur:* nostri boni vulg. *dabatur* servant, sed *lictori* tolli iubent, utrumque rectissime. Nam in diligentissimo hoc verborum delectu quicquid supervacuum est aut secure repetitur, ferri non potest.

ipsi etiam adolescentes cum Sextio suo de plaga et de uno illo ictu loquebantur, idque postremum parentes suos liberi orabant, ut levandi cruciatus sui causa lictori pecunia daretur. Multi et graves dolores inventi parentibus et propinquis multi: verumtamen mors sit extrema. Non erit. Estne aliquid ultra, quo progredi crudelitas possit? Reperietur. Nam illorum, cum erunt securi percussi ac necati, corpora feris obiicientur. Hoc si luctuosum est paren-
120 tibus, redimant pretio sepeliendi potestatem. Onasum Segestanum, hominem nobilem, dicere audistis, se ob sepulturam Heraclii nauarchi pecuniam Timarchidi numerasse, ne hoc posses dicere, *patres enim*

---

§. 119. *cum Sextio suo de plaga]* Vulgo *cum Sextio de eadem plaga*, sed Steph. (in var. lect.) Cuiacianus apud Gulielmum, ambo Guelff. Leid. Havn. coll. addunt *suo*, quod non ego ineptum additamentum dixerim, sicut Beckius fecit, cum pertinere videatur ad custodiam carceris, cui praepositus ille fuit. Sed *eadem* supervacuum est, cum sequatur *de uno illo ictu*, abest autem a Steph. Guelff. Havn. Unde Lambinus quod edidit *de una plaga* acceperit, ignoro: sed Leidensis habet *eam*. — *levandi cruc. sui causa]* Vulgo *gratia*, nos meliores omnes (praeter Leidensem qui siletur) et ipsius auctoris dicendi usum secuti sumus. — *et propinquis; multi]* Aliam interpungendi rationem sequitur Quintilianus Inst. IX, 3, 34, dum praescripta verba coniungit. Sed fallitur. — *Nam illorum, cum]* Quanto sic concinnius quam vulgo *nam illorum liberi, cum* cet.? Omitti autem vocem illam dudum Stephanus voluerat: silentio pressit Lambinus: nunc Leidensis, Havn. collatio, ambo Guelf. rem conficient. Item quod sequitur *parentibus redimant* optime sic Stephanianus editor iusserat, et receperat Lambinus pro vulgato *parenti, redimat*: recentiores ne commemorarant quidem: quasi de uno parente aut dictum sit aut dici possit. Guelff. ambo manifesto pluralem exhibent.

§. 120. *Timarchidi numerasse]* Pleraeque olim editiones *dinumerasse*, Iuntina, Stephania, Lambiniana *numerasse* ex melioribus et nonnullis deterioribus, ut Lag. 5, 42. Maior autem horum pars *denumerasse*. Recte Ernestius, cum *numerasse* revocaret, observavit, verbo *dinumerare* locum non esse, nisi ubi pluribus pecuniae solverentur, s. dissolverentur. — *ne hoc posses]* Vulgo *Hoc (ne possis dicere* reliqua) *vir primarius dicit*, quod quamvis facile ferri possit recteque

veniunt, amissis filiis, irati: vir primarius, homo nobilissimus, dicit; neque de filio dicit. Iam hoc, quis tum fuit Syracusis, quin audierit, quin sciat, has Timarchidi pactiones sepulturae cum vivis etiam illis esse factas? Non palam cum Timarchide loquebantur? non omnes omnium propinqui adhibebantur? non palam vivorum funera locabantur? Quibus omnibus rebus actis atque decisis, producuntur e carcere, deligantur. 46
Quis tam fuit illo tempore ferreus, quis 121
tam inhumanus, praeter unum te, qui non illorum aetate, nobilitate, miseria commoveretur? ecquis fuit,

---

ab Ernestio explicatum sit, cedere tamen videtur debere auctoritati codicum Lambinianorum et Guelferbytanorum, cum sententia non sane mutetur. Prorsus autem Ciceronianum est, ut quod efficitur aliqua re, tamquam consilium eius rei proferatur. *Quin audierit* a Stephano primum et Lambino ex melioribus editum: deteriores libri omnes et editt. veteres cum Grutero patrono suo *qui non.*

§. 120. *Timarchidi pactiones]* Sic Lambini codices, Havn. coll., ambo Guelf., nisi quod in uno est *Timarchidis.* Vulgo *per Timarchidem*, quod si verum esset, ipsa res pertineret ad Verrem, illo interprete usum. Verum hoc ne ipse quidem Cicero significat.

omnes omnium] bene edidit Gruterus, e Cuiaciano, puto, Gulielmi. Nihil enim diversum e ceteris eiusdem sectae libris notatur. At deteriores omnes *hominum*, Lag. 42 *horum*, quamquam illud quidem vitium ex frequentissimo genere est. — *omnibus rebus]* Sic Lambinus et Guelff. Havn. (ediditque Maius). Reliqui *rebus omnibus.* Sed illi boni tamen pro *decisis* mendose *decursis* aut *decussis*, sicut Stephanianus editor pro simplicitate sua voluit. Mox *deligantur*, nihil praeterea, auctoritate bonorum freti, Regii, Leidensis, utriusque Guelferbytani, dedimus pro vulgato *et deligantur ad palum:* quanta vis sit in hac ipsa articulatim dicendi forma, nemo non sentit admonitus, itaque miror ne a Lambino quidem animadversum esse. Accedit nunc Vat.

§. 121. *ferreus]* Vulgo *durus et ferreus*, sed observavit Ernestius, cum in altero membro item unum nomen esset, recte videri in codice Regio et Guelf. 2 verba *durus et* omitti. Sic etiam Lambini veteres codices, et Leidensis et Guelf. antiquior, ut vix dubitari possit de interpolatione. Deinde Ernestius solus *quin* pro scriptura librorum omnium *qui non* dedit, fortasse quod sequitur *quin:* at non ita sequitur, ut repetitionis vis in eo verbo sit.

quin lacrimaretur? quin ita calamitatem illam putaret illorum, ut fortunam tamen non alienam, periculum autem commune arbitraretur? Feriuntur securi. Laetaris tu in omnium gemitu et triumphas, testes avaritiae tuae gaudes esse sublatos. Errabas, Verres, et vehementer errabas, cum te maculas furtorum et flagitiorum tuorum sociorum innocentium sanguine eluere arbitrabare: praeceps amentia ferebare, qui te existimares avaritiae vulnera crudelitatis remediis posse sanare. Etenim quamquam illi sunt mortui sceleris tui testes, tamen eorum propinqui neque tibi, neque illis desunt: tamen ex ipso illo numero nauarchorum aliqui vivunt et adsunt: quos, ut mihi videtur, ad illorum innocentium poenas fortuna et ad hanc causam

---

§. 121. *quin lacrimaretur]* Sic libri omnes praeter Lagom. 29 minime fidelem et Huydecoperanum. Ni sic esset, movere te posset Diomedis grammatici auctoritas, qui p. 377 Putschii: *lacrymo lacrymas: nec quisquam esse lacrymor credat, quamvis Ovidius* (Fast. I, 339) *dixerit „lacrymatas cortice myrras."* Simile ratione *fruticetur* ad Attic. XV, 4; *commurmuratus sit* in Pis. 25; quae alius nemo deponentialiter habet. Verumenimvero iam Vat. ipse *lacrumaret.* Quid igitur? Calculumne retrahemus? Non adducor ut faciam. — *calam. illam putaret illorum]* Addidimus *illam* ex Lambiniana editione et codd. Guelff. et Havn. collatione, quamquam in Guelff. locus, quo collocatur, variat. Verum ipsum verbum necessarium puto, alioqui forma orationis haec fere esse debet: *quin calamitatem putaret illorum, sed fortunam non alienam.* Vat. autem et *illa* exhibet, et *putaret* post *fortunam* repetit, mendose. *Agi* autem, quod vulgo adiicitur ante *arbitraretur*, certissimo iudicio Ernestius damnavit, et meliorum librorum omnium auctoritas convincit, ut mirer Lambinum silere. — *ex ipso illo]* Guelff. *ex his pro illo*, quod quo pertineat clare Havn. coll. ostendit. Vulgo (etiam Vat. edit.) *ex illo ipso.*

ad ill. inn. poenas] i. e. ut illis innocentibus poenas dares crudelitatis. Sic enim poenae dicuntur alicuius, qui violatus est. Vulgo est *ab illorum inn. poena fortuna ad hanc causam reservavit*, sed neque illa *poena* est, si innocentes fuerunt, neque hi a poena reservari potuerunt, quae ad ipsos non pertineret. Secuti autem sumus Guelff. nostros et Lag. 29, habet item Havn. collatio. ex eaque Madvigius commendavit, quem vid. de collocatione verbi *fortuna.* (Accedit Vat.)

reservavit. Adest Phylarchus Haluntinus, qui, quia 122 cum Cleomene non fugit, oppressus a praedonibus et captus est: cui calamitas saluti fuit: qui, nisi captus a piratis esset, in hunc praedonem sociorum incidisset. Dicit is pro testimonio de missione nautarum, de fame, de Cleomenis fuga. Adest Centuripinus Phalacrus, in amplissima civitate amplissimo loco natus: eadem dicit; nulla in re discrepat.

Per deos immortales! quo tandem animo sedetis, 123 iudices? aut haec quemadmodum audistis? Utrum ego desipio, et plus quam satis est doleo tanta calamitate miseriaque sociorum? an vos quoque his acerbissimus innocentium cruciatus et maeror pari sensu doloris afficit? Ego enim cum Herbitensem, cum Heracliensem securi percussum esse dico, versatur mihi ante

---

Mox *dicit* ambo Guelf. et editio Graeviana (et Vaticana). Vulgo *dicet*. Proprium erat *dixit*, sed eam vim Praesens habet, Futurum habere non potest.

§. 123. *sedetis iudices]* Sic Guelff. Leid. Havn. Vat. Vulgo *iudicum* appellatio post *deos immortales*, loco parum apto collocatur. Sed non omittendum, etiam *sedetis* esse ex codicibus nostrae familiae, primumque a Stephano editum (quamquam nihil ea de re in varietate lectionis est) et tacite a reliquis propagatum. Vulgares enim *feretis*. Tum *audistis* pro vulg. *auditis* scripsimus ex iisdem illis. Mox deteriorum turba et edd. vett. *plus quam satis opus est* praeter unam Hervagianam, in qua ex meliore aliquo libro deleta interpretatiuncula *plus quam satis est* legitur. Idem Stephanus tacite, Lambinus delicias agens revocavit. Sed Gruterus ad veteres sordes relabitur. Ernestius cum Graevium secutus *opus* deleret, simul etiam innocens verbum *est* sustulit. Quamquam quod Ernestius inconsulto videtur fecisse, Maius ex Vat. consulto fecit, ut *plus quam satis doleo* scriberet. Nec tamen moveor. Sequitur vulgo *in tanta calamitate*, sed praepositio abest a Leid. Guelff. Havn. Vat. — *an vos quoque hic]* Guelff. et Havn. coll. *hic quoque*, Guelf. 1 *animos hic quoque*.

cum Heracliensem] *Cum* abest ab Havn. coll., ambo verba a Guelff. et Leidensi, mendose, propter similem terminationem. Nam cum quattuor nauarchorum, qui supplicio affecti sunt, patriae suis quaeque laudibus ornentur, non poterat omitti Heraclea. Sed *percussum esse* inverso ordine illorum (et Vat.) auctoritate scripsimus.

47 oculos indignitas calamitatis. Eorumne populorum cives, eorum agrorum alumnos, ex quibus maxima vis frumenti quotannis plebi Romanae illorum operis ac laboribus quaeritur, qui a parentibus spe nostri imperii nostraeque aequitatis suscepti educatique sunt, ad C. Verris nefariam immanitatem et ad eius funestam
124 stam securim esse servatos? Cum mihi Tyndaritani illius venit in mentem, cum Segestani, tum iura simul civitatum atque officia considero. Quas urbes P. Africanus etiam ornandas esse spoliis hostium ar-

---

§. 123. *eorum agrorum alumnos]* Plerique deteriorum librorum exhibent *colonos*, in quo facile agnoscas magistrum. Reliquerant Stephanus et Lambinus, eoque studiosius Gruterus e Palatinis duobus (fortasse Lagom. 1. 14) et Cuiaciano libro restituit *alumnos*. Hic tamen liber sicut ambo Guelf. vitiose *alumnus*, nimirum quod praecessit vetusta forma *civis:* quo animadverso librariorum studio vicina accommodandi in orat. p. Mur. c. 27 §. 56 pro eo quod est *sodalis filii* emendandum *sodalis filius*. Sed hoc Gruterus aut non vidit, aut videre noluit, quod sine dubio in eodem Cuiaciano fuit (quia est in Lag. 29 Guelff. Havn. coll.) *eorum* pro *eorumne*, quamquam facillime *ne* initio positum suam vim ad repetitum vocabulum perfert. Cf. ad IV, 56 extr.

suscepti educatique sunt] „Bonis reip. temporibus, homines uxores ducebant et operam dabant liberis, at malis temporibus, cum aut tyranni rerum potirentur, aut bellis civilibus res publica agitaretur, alieni erant a coniugiis, aut ab uxorum complexu obstinebant, ne liberos tollerent; si quos tulerant exponebant, ne in spem esuritionis aliorumque graviorum malorum adolescerent. De felicibus temporibus Seneca I de Clement. 15 *Tollere filios cupiunt, et publici mali indicta sterilitas recluditur.* Exemplo sui temporis idem declarat Plinius in Panegyrico (22) ubi agit de communi omnium hominum gaudio tempore Traiani: *Feminas etiamtunc fecunditatis suae maxima voluptas subiit, cum cernerent, cui principi cives, cui Imperatori milites peperissent.* Contrarium de malis temporibus aut metu malorum temporum est apud Sueton. in Caligula (5) ubi agit de morte Germanici et magno omnium maerore: *Lapidata sunt templa, subversae deum arae, lares a quibusdam familiares in publicum abiecti, partus coniugum expositi.*" Graevius. — *funestam securim]* Vulgo *securem funestam*. In ordine verborum Lambiniani et reliqui boni concordant, sed *securim* unus exhibet Guelf. 2. Non dubitavi tamen recipere, quod *securem*, quamvis permittat Priscianus p. 758 Putsch. nusquam satis certo legitur. Nam apud Virg. Aen. XI, 656, quem locum ille citat, altera forma librorum auctoritate multo praestat.

bitratus est, eas C. Verres non solum illis ornamentis, sed etiam viris nobilissimis nefario scelere privavit. En quod Tyndaritani libenter praedicent: *Nos in septemdecim populis Siciliae numeramur: nos sem-*

---

§. 124. *in septemdecim populis Siciliae numeramur]* Olim vulgo edebatur *non eramus:* itaque interpretes ad unum omnes, Hotomanum secuti, et Sigonius de Iure provinc. I, 3 septemdecim illos populos eos esse putant, qui cum arma adversus populum Rom. tulissent, agro multati censoriae locationi subiecti sint. Hos quidem cum ipse Cicero lib. III, 6 *perpaucos* fuisse dixerit, P. Manutius ex illo loco studiosos eloquentiae admonet, ut animum advertant ad artificium oratoris prouti res postulet modo augentis modo minuentis. Illud quidem non inepte, sed difficilius est hoc loco excusare cur Tyndaritani glorientur eis, quae non fecerint, cum possint referre quae fecerint. Quid multa? Adhuc fere nemo aut animadvertit Stephanianam et Lambinianam scripturam *numeramur*, aut, cum animadvertisset, quid ea faceret habebat. Quae cum negligentia eius, cui id negotii commissum erat etiam in repetitam Lambinianam immigrasset, ex eaque in Gruterianam et Ernestianam venisset, tamen neque Burmannum in libro de Vectigalibus populi Rom. p. 111 quicquam movit, et ab iis, qui post Ernestium ad edendum Ciceronem accesserunt, Garatonii auctoritatem secutis, denuo eiecta est, restitutumque *non eramus*. Nimirum quaeritur, quinam alii *septemdecim populi Siciliae* sint, nisi hi sint, quos Cicero lib. III, 6 ab reliquorum condicione seiunxit. Aliud vero discrimen civitatum in Sicilia fuisse, locupletissimus testis Diodorus Siculus lib. IV §. 83 ostendit, cum de senatu Romano templum Veneris Erycinae ornante sic scribit: *ἥ τε σύγκλητος τῶν Ῥωμαίων εἰς τὰς τῆς θεοῦ τιμὰς φιλοτιμηθεῖσα τὰς μὲν πιστοτάτας τῶν κατὰ Σικελίαν πόλεων, οὔσας ἑπτακαίδεκα, χρυσοφορεῖν ἐδογμάτισε τῇ Ἀφροδίτῃ.* Illae igitur fidelissimarum et nomen et honorem habebant, iustiore de causa, quam qua hodie in nonnullis regnis frequentiores quaedam numero civium prae ceteris cognomine *bonarum* mactari solent. Sed illa causa oratorie Cicero utitur ad amplificandam et exornandam orationem. Ceterum, ut hoc quoque addam, ne vulgaris quidem scriptura nisi paucissimorum quorundam codicum ex ordine deteriorum est, Lagom. 5 et 48, et Oxon. et Huyd., in quibus tamen esse notatur *non erramus*, ceterorum Lagomarsinianorum 1. 14. 27 *noverantur*, 45 *noveramus* Lag. 29 autem *numeramus*, 42 plane *numeramur*, Vat. *miramur*. Tum vulgo *in omnibus — bellis*, nos *in* omisimus auctoritate Leid. Guelff. Havn. collationis, Lag. 29. Vat. Immo usus postulat ut omittatur, ubi accedit aut Genitivus aut Adiectivum, sic *bello Latinorum, bello Ligustico, bello Punico secundo* al. non *in bello*. Cf. Drakenborch ad. Livium X, 28, 15.

per omnibus Punicis Siciliensibusque bellis amicitiam fidemque populi Romani secuti sumus: a nobis populo Romano semper et belli adiumenta et pacis ornamenta ministrata sunt. Multum vero haec iis
125 iura profuerunt in istius imperio ac potestate. Vestros quondam nautas contra Carthaginem Scipio duxit, at nunc navem contra praedones paene inanem Cleomenes ducit. Vobiscum Africanus hostium spolia et praemia laudis communicavit: at nunc per me spoliati, nave a praedonibus abducta, ipsi in hostium loco numeroque ducimini. Quid vero? illa Segestanorum non solum litteris tradita, neque commemorata verbis, sed multis officiis illorum usurpata et comprobata cognatio, quos tandem fructus huiusce necessitudinis in istius imperio tulit? Nempe hoc iure fuit,

---

§. 124. *a nobis populo Rom.]* Interponitur vulgo (etiam in edit. Vatic.) *omnia*, quod ne dicam esse nimium, certe, quoniam non desideratur, cedere debet auctoritati bonorum codicum, amborum Guelf. et Havn. coll. Tum miror Ernestium, quod sequitur *ministrata sunt*, quo pacto dicere potuerit a Graevio ex uno Regio editum esse, cum et Stephanus voluerit et Lambinus scripserit e libris suis. Quamquam Stephanum quidem Ernestius prorsus contemnere solebat. Quod autem ipse servat olim vulgatum *administrata sunt*, non est, quod debet esse, praebita, oblata sunt, sed illos ei rei praepositos esse inepte significaret. Guelf. 2 *ministranda* mendose, sed antiqnior *ministrata* recte, item tres Lallemandi: quo magis miror in Vat. *administrata* legi. *Haec iis* Havn. et Vat., *hiis* Guelff., *his* vulgo.

§. 125. *navem — inanem]* quod veritas postulat, cum una fuerit, et de una illa mox dicatur, vet. cod. Stephani et Lambini, Regius, Guelff. Lag. 29. Vulgo (etiam Vat. edit.) *naves — inanes.* Sequitur vulgo *in hostium numero locoque ducimini*, nos Guelferbytanis et Havn. collationi paruimus: sed *ducimini* etiam Lambiniana editio. Sic et antea *nunc Cleomenes ducit*, quamquam pro eo Steph. in variet. lectionis habet *duxit*. Multum vero a reliquis discedens Vaticanus rescriptus: *at nunc per hunc spoliata navi a praedonibus ipsi in hostium loco numeroque ducemini. — neque commem.]* Lambinus *et*, de coniectura, opinor, et imperita quidem. Cf. ad lib. III, c. 94. Sed *hoc iure fuit* idem secundum libros, Lag. 29 Guelff. Havn. Vat.: vulgo *hoc fuit iure*.

iudices, ut ex sinu patriae nobilissimus adolescens istius carnifici Sextio dederetur. Cui civitati maiores nostri maximos agros atque optimos concesserunt; quam immunem esse voluerunt: haec apud te cognationis, fidelitatis, vetustatis, auctoritatis ne hoc quidem ius obtinuit, ut unius honestissimi atque innocentissimi civis mortem ac sanguinem deprecaretur.
Quo confugient socii? quem implorabunt? qua spe de- 48
nique, ut vivere velint, tenebuntur, si vos eos deseretis? 126

---

§. 125. *ex sinu patriae nob. adolescens]* Deteriores mss. et vulgo editi *ex sinu patris:* sed plus admirationis habet, quod veteris alicuius magistri, ut opinor, sedulitate, dum *patri* consortem in miseriis matrem addit, splendens lacinia assuta est haec: *et e complexu matris ereptus innocens filius.* Hoc membrum ne Stephanus quidem aut Lambinus ausi sunt temptare, cum haud dubie in libris suis non invenissent, sicut non est in Guelff. et Leidensi: Graevius notavit abesse a Regio, nihil amplius. Ego diutius servandum non putavi. Nam vanus tinnitus verborum est, neque Cicero sic *nobilissimum adolescentem* et *innocentem filium*, qui unus est, diduxisset, neque verbum *ereptus*, cum ad utrumque pertineat, alteri dedisset. Sed quid tandem rei esse dicimus, quod vetustissimus auctor illius scripturae existit Vaticanus? ex quo Maius edidit *et ex complexu matris ereptus innocens*, omisso *filii* nomine, incertum utrum casu an consulto. Equidem sententiam de interpolatione non muto, quamquam tam vetustam esse non putaram. — *haec apud te]* Codd. deteriores et olim editi *haec autem apud te cognationis, fidelitatis, vetustatis, auctoritatis ne hoc quidem iuris obtinuit*, in qua scriptura *autem* mihi quidem videtur e confusis proximorum verborum notis natum esse, et nihil aliud nisi abiiciendum esse, sicut abest a melioribus, qui h. l. commemorantur (Stephaniano, Havn. Guelff. Lag. 29 Vat.), omnibus. Sed nondum persanatum esse locum apparet. P. Manutius quidem, cum pro eo quod est *autem* dedisset *tanta*, insuper etiam *auctoritate* correxit, eaque iam facta est vulgata lectio. Aliud et multo lenius remedium praebet Guelf. 1, in quo non *iuris*, sed *ius* perspicue legitur. Miror tamen eam varietatem e nullo praeterea libro enotari, nisi huc pertinet quod Gruterus *iuris* a Cuiaciano abesse tradit. Postea *ac sanguinis* e Guelff. Lag. 29 Vat. dedimus pro vulg. *et sanguinis.*

§. 126. *deseretis]* Sic Graevius e Regio pro vulg. *deseritis.* Adiuvat illum Guelf. antiquior, deserit Guelf. 2. Sed quid verum sit, grammatica docet: *aut deseretis* recipiendum, aut *deserueritis* corrigendum.

Ad senatum venient? Quid? ut de Verre supplicium sumant? Non est usitatum, non senatorum. Ad populum Romanum confugient? Facilis est populi causa: legem enim se sociorum causa iussisse, et vos ei legi custodes ac vindices praeposuisse dicet. Hic locus igitur est unus, quo perfugiant: hic portus, haec ara sociorum: quo quidem nunc non ita confugiunt, ut antea in suis repetendis rebus solebant. Non argentum, non aurum, non vestem, non mancipia repetunt; non ornamenta, quae ex urbibus fanisque erepta sunt: metuunt homines imperiti, ne iam hoc po-

---

§. 126. *Ad senatum venient]* Sic pro vulg. *devenient* Lambinus et Graevius e suis libris ediderunt, quibuscum Guelff. faciunt. At repugnat Ernestius. Ait enim *devenire* recte dici de iis, qui aliquo veniant, perfugii et supplicandi causa, quod hoc loco bene convenire. Verum *devenire*, ubi illo sensu dicitur, habet tamen significationem loci deterioris aut inferioris, pertineretque potius ad ignominiam quandam senatus. Aliam emendandi viam non deteriorem ostendit Vat. editio: *ad senatumne venient?* Tum vulgo adiungitur *qui de Verre suppl. sumat.* Sed libri mss. omnes et edd. ante Aldinam *sumant*, Leid. Reg. Guelff. Vat. praeterea *quid ut.* Optime. Iam enim facilius intelliguntur *senatores.* Quid a senatu, ait, petent? Habet ille quidem summum ius animadvertendi in cives: sed illo non utitur nisi ubi rei publicae summum periculum est: in tali re senatus animadversio nulla est. Cum senatores audiantur, praestat etiam mox pro vulgato *senatorium* auctoritate Regii et utriusque Guelf. scribere *senatorum.*

populi causa] Sic v. c. Lambini Havn. Guelff. Vulgo *causa populi*, Vat. *causa p. R.* Tum *se*, quod est ante *sociorum*, ex melioribus primum accessit in Stephaniana, Lambiniana, recepitque post Graevium Ernestius. *Et vos ei legi* primum in Victoriana comparet: antea editi et mss. *et eius legis*, Vat. *et eius* tantum. Nec sane scio, quam auctoritatem *vos* habeat, nisi silentium Havn. coll. et marginem Lambin. in quo v. c. traditur *et vos eius legis* habere, cum ipse Lamb. ediderit *et ei legi.* Hoc ego quoque malo, si tanti est: dativo enim opus est. — *Hic locus igitur]* Sic Vat. Havn. coll. Guelff. nisi quod alter habet *ergo.* Vulgo *hic locus est igitur.* Tum vulgo additur *haec arx* (Vat. *haec ars*) ante *aram:* condemnant ea verba Regius Leid. Guelff. nec causa est ulla cur invitis illis servemus, quamquam posse iudicium Romae *arcem sociorum* vocari non nego, sed insolens tamen est. *Non aurum, non argentum,* mutato ordine, Vat. et Lag. 29.

pulus Romanus concedat, et ita fieri velit. Patimur enim multos iam annos, et silemus, cum videamus, ad paucos homines omnium nationum pecunias pervenire. Quod eo magis ferre animo aequo et concedere videmur, quia nemo istorum dissimulat, nemo laborat, ut obscura sua cupiditas esse videatur. In urbe 127
nostra pulcherrima atque ornatissima quod signum, quae tabula picta est, quae non ab hostibus victis capta atque deportata sit? At istorum villae sociorum fidelissimorum plurimis et pulcherrimis spoliis ornatae refertaeque sunt. Ubi pecunias exterarum nationum esse arbitramini, quae nunc omnes egent, cum

---

§. 126. *et ita fieri]* Sic libri mss. omnes, (praeterquam quod Vat. *ita velit fieri* alio ordine verbb.) Naugerius in Aldina corrupit *et iam fieri*, eaque mansit vulgata lectio, quamquam Stephaniana et Lambiniana discrepabant. Sed nos antea etiam *hoc* dedimus ex edd. Aldina antiquioribus et Guelff. Vulgo (etiam Vat. edit.) *haec*. — *multos iam annos]* Codd. vulgares et edd. vetustae tantum *iam multos*. In Victoriana adiectum est *annos*. Hanc reliqui, sed Hervagianam, in qua vulgaris scriptura servata fuit, Lambiniani repetitores et Gruterus secuti sunt. Sicut nos scripsimus, in codd. melioris sectae legitur, voluitque scribi Lamb. in margine repetitae. — *homines omnium]* Sic Regius et Guelferbytani. P. Manutii et Car. Stephani editio cum cod. Lag. 29 *omnes omnium*. Vulgo (etiam Vat. edit.) *homines omnes omnium*. Sed magis refert recipere Stephanianam et Lambinianam lectionem Guelff. et Havn. coll. auctoritate firmatam *pervenire*, pro qua adhuc circumfertur *pervenisse*. Dicit enim de eo, quod etiamtum fiebat.

ferre animo aequo et] Sic Guelff. Havn. Vat. Vulgo *aequo animo atque*. Frequentius quidem *aequo animo*, sed quid impediat quominus et inverso ordine? Sic de provinc. cons. 7 extr. *quae animo aequo videre non possumus*.

§. 127. *atque deportata]* Sic Lambiniana editio, codd. Leid. Guelff. Havn. Olim edebatur (ex pari aliquo Lagomars. 14) *asportata*, Naugerius fecit *apportata* ex reliquis deterioribus. Vat. *adportata*. Tum vulgo *et plurimis et pulch.* Prius *et* omisimus cum Stephano et Lambino, codd. Guelff. et Havn. coll. (item Vat.) secuti.

quae nunc omnes egent] Sic libri scripti integriores, Lambini v. c. Leid. Guelff., in quorum numero miror Havniensem collationem non comparere, sed Vat. comparet. Editi adhuc *quibus*, in qua scriptura difficile iam esset, *omnes* ad ceteras nationes referre.

Athenas, Pergamum, Cyzicum, Miletum, Chium, Sa-
mum, totamque Asiam, Achaiam, Graeciam, Siciliam
tam in paucis villis inclusas esse videatis? Sed haec,
ut dico, omnia iam socii vestri relinquunt et negli-
gunt, iudices. Ne publice a populo Romano spolia-
rentur, officiis ac fide providerunt: paucorum cupidi-
tati tum, cum obsistere non poterant, tamen sufficere
aliquo modo poterant: nunc vero iam adempta est
non modo resistendi, verum etiam suppeditandi fa-
cultas. Itaque res suas negligunt: pecunias, quo no-
mine iudicium hoc appellatur, non repetunt; relin-
128 quunt. Hoc iam ornatu ad vos confugiunt. Aspicite,
49 aspicite, iudices, squalorem sordesque sociorum. Sthe-
nius hic Thermitanus cum hoc capillo atque veste,
domo sua tota expilata, mentionem tuorum furtorum
non facit: sese ipsum abs te repetit, nihil amplius:
totum enim tua libidine et scelere ex sua patria, in
qua multis virtutibus ac beneficiis princeps fuit, su-

---

§. 127. *Chium, Samum]* Editiones veteres *Chion, Samon.* Latinas terminationes primum habet repetita Lambiniana, recte, et firmant Guelff. et e deterioribus Lag. 42. Tum *totamque* Guelf. 1 et Havn. coll., *totam* Stephanus in varietate lect. et Guelf. 2. Reliqui et vulgo *totam denique Asiam.* Optio igitur datur, sed *denique* tamen, cum tam multa sequantur, minus placet. Vat. *totam denique Achaiam,* omissa *Asia.* Denique *tam in paucis* Stephanus (in variet. lect.) et edit. Lambiniana codicesque Regius et Guelff. Vulgo *iam,* sed in edit. Gruteriana excidit. — *Sed haec]* Guelf. 1 *sed, ut dico, haec.* Tum Vat. *ne enim publice,* et *officio,* et *hi nunc vero,* unde Maius fecit *his.* — *relinquunt]* Additur vulgo *et negligunt,* quod quia proxime legitur, libenter h. l. auctoritati meliorum librorum Steph. Lambini v. c. Reg. Guelff. Vat. obsecutus delevi.

§. 128. *ac benef. princeps fuit]* Sic libri scripti meliores et editiones Hervagii, Stephani, Lambini (tantum quod hae *et benef.* servarunt). Sed plus auctoritatis ad vulgatam lectionem constituendam habuit Victoriana, quae deteriorum librorum scripturam *floruit princeps* ad nostram usque aetatem propagavit. *Florere* dici pro principem esse, pervulgatum est, sed *florere* aliquem *principem* coniunctim dici non credo. Firmatur tamen Vaticano. Ceterum Sthenii quidem causa cum

stulisti. Dexo hic, quem videtis, non quae publice Tyndaride, non quae privatim sibi eripuisti, sed unicum abs te miser filium optimum atque innocentissimum flagitat. Non ex litibus aestimatis tuis pecuniam domum, sed ex tua calamitate cineri atque ossibus filii sui solatium vult aliquod reportare. Hic tam grandis natu Eubulida hoc tantum exacta aetate laboris itinerisque suscepit, non ut aliquid de suis bonis recuperaret, sed ut, quibus oculis cruentas cervices filii sui viderat, iis te condemnatum videret. Si per 129
L. Metellum licitum esset, iudices, matres illorum miserorum sororesque veniebant: quarum una, cum

---

ad navale crimen non pertineat, (cf. de ea lib. II, 34 sqq.) huc relata videtur propter atrocitatem iniuriae.

§. 128. *Tyndaride]* Sic adhuc unus Lambinus scripsit, sed posthac nemo aliter scribet. Nam cum Graece sit ἡ Τυνδαρίς, Acc. Τυνδαρίδα (vide Diodorum Siculum XIV c. 78) Latine neque accusativus esse potest *Tyndarim*, nec ablativus *Tyndari*. Atque hoc quidem constat, vide Schneideri Gramm. Lat. p. 237. Verum accedit etiam aodd. mss. auctoritas, Guelferb. utriusque et Havn. collationis. Vat. *Tyndaridae*. Mox vulgo *miser abs te*, nos Guelff. secuti ordinem verborum immutavimus. — *de suis bonis recup.]* Locus olim pessimo editus ex libris vulgaribus *ex huius bonis exuperaret;* Naugerius in Aldina correxit *usurparet;* hoc mansit (etiam in Hervag.) usque ad Victorianam, in qua primum et *recuperaret* emendatum est, et *ex suis* scriptum. Illud insecuti editores probarunt, hoc non receperunt, sed servarunt *ex huius*, etiam Stephanus. Primus Gruterus plane secutus est Victorianum, quod dicitur, exemplar. Sed tum vera integerrimorum codicum (et Vat.) scriptura iam prolata erat a Lambino, *de suis bonis recuperaret*, quam neglectam ab aliis nos restituimus. Nihil frequentius factum ab interpolatoribus, quam ut pro praepositione *de*, ubi partem rei significat, substituerent *ex*. Cf. ad IV, 62 extr. Mox *iis te* nos ex editione Lambiniana et Guelff. et Havn. coll. dedimus pro vulg. *iisdem te*.

§. 129. *matres ill. miserorum sororesque]* Adieci unum verbum, sustuli alterum secundum fidem Leid. Guelff. Vulgo *matres illorum uxores sororesque*, sed *uxores* etiam ab Havn. coll. absunt, nec quicquam supra de illis lectum est, ubi earum partes vel praecipuae fuerunt. Vat. autem *illorum miserorum sororesque uxoresque*, quod

ego ad Heracliam noctu accederem, cum omnibus matronis eius civitatis et cum multis facibus mihi obviam venit, et ita, me suam salutem appellans, te suum carnificem nominans, filii nomen implorans, mihi ad pedes misera iacuit, quasi ego eius excitare filium ab inferis possem. Faciebant hoc idem ceteris in civitatibus grandes natu matres, et item parvi liberi miserorum: quorum utrorumque aetas laborem et industriam meam, fidem et misericordiam vestram re-
130 quirebat. Itaque ad me, iudices, hanc querimoniam praeter ceteras Sicilia detulit: lacrimis ego huc, non gloria inductus accessi: ne falsa damnatio, ne carcer, ne catenae, ne verbera, ne secures, ne cruciatus sociorum, ne sanguis innocentium, ne denique etiam exanguia corpora mortuorum, ne maeror parentum ac

---

Ciceronianum non videtur. Ceterum *veniebant* pro *venissent* historicorum more, id quod olim negavi in Gramm. §. 519 fieri a Cicerone nisi per partem aliquam. Verum concedo nunc. quoniam *licitum esset* vere Plusquamperf. esse (non Imperfectum) intelligo e locis a Schellero in lexico allatis, quorum duo sunt Ciceronis, har. oratt. III, 48 init. et Epist. XIV, 4, 9. Similem addo ex Epist. XII, 10 *Praeclare viceramus, nisi Lepidus recepisset Antonium.*

§. 129. *ego eius excit. filium]* Variant boni libri in ordine verborum: Guelf. 1 *ego eius excitare ab inferis filium*, item Vat. nisi quod omittit *eius;* Lambiniana editio *ego eius filium excitare ab inferis*, Guelf. 2 et Havn. coll. *ego eius excitare filium ab inferis*, quod probavimus, quia significans illud est *ab inferis.* Vulgo *ego excitare filium eius ab inferis.* Mox *ceteris in civit.* codices et deteriores omnes Lagomarsiniani et ambo Guelf. cum Vat. Vulgo *in ceteris civitatibus.* Tum *parvi* Guelff. Vat. Havn. coll. Vulgo *parvuli.*

§. 130. *hanc querim. praeter ceteras]* Vulgo alio verborum ordine *praeter ceteras hanc querimoniam.* In eo, quem nos dedimus, libri mss. meliores consentiunt omnes. — *lacrimis ego huc]* Vulgo *ad hoc*, sed Adverbium boni omnes habent, loco discrepant; Steph. in var. lect. Cuiacianus (et Havn. coll.) *ego huc*, Guelff. et Leid. *gloria huc.* Praestat tamen illud Vat. *lacrumis detulit*, *ego huc* rel. Lambinus de coniectura Memmii, cum olim post *lacrimis* interpungeretur. edidit *detulit lacrimans. Ego huc non gloria inductus accessi.* Tum ex Vat. facere non potui, quin *exanguia* reciperem pro vulg. *exanguium.* (Sic sine littera *s* Guelff.)

propinquorum magistratibus nostris quaestui posset esse. Hunc ego si metum Siciliae damnatione istius per vestram fidem et severitatem deiecero, iudices: satis officio meo, satis illorum voluntati, qui a me hoc petiverunt, factum esse arbitrabor.

Quapropter si quem forte inveneris, qui hoc na- 50
vale crimen conetur defendere, is ita defendat: illa 131
communia, quae ad causam nihil pertinent, praetermittat; me culpam fortunae assignare, calamitatem crimini dare: me amissionem classis obiicere, cum multi viri fortes in communi incertoque periculo belli et terra et mari saepe offenderint. Nullam tibi obiicio fortunam: nihil est, quod ceterorum res minus commode gestas proferas: nihil est, quod multorum naufragia fortunae colligas. Ego naves inanes fuisse dico:

---

§. 131. *is ita]* Olim ex deterioribus edebatur *ista*. Hervagius primus ex melioribus *is ita* dedit, sed Victoriana veterem scripturam servavit, unde Lambino occasio nata est corrigendi *is ista*. Repetitores Hervagianam lectionem, quae eadem Stephaniana est, restituerunt, recte, neque attinet cum Hotomano adiicere *ut*. In Havn. coll. omittitur *is*, Guelff. mendose *crimina* pro *communia*. — *me culpam fortunae assignare]* Postquam semel Hotomanus deesse verbum significavit, quod fuerit *homini*, editores non destiterunt de vitio loci conqueri, et Lambinus manu promptus *tibi* adiecit, in editione ante verbum *culpam*, mox in marg. repetitae ante *assignare*, atque adeo dicit sic in vet. cod. esse, quod ei in silentio reliquorum non possum credere. Intelligitur facile dativus aliquis, sive *reo*, sive *tibi*, etiamsi non apposueris, *culpa fortunae* est ipsa *calamitas*, et *assignatur* sive *crimini datur* ei, de quo cummaxime dicitur.

multorum naufragia fortunae. Ernestius: „*Naufragia fortunae* hic aliena sunt, quae pertinent ad rem familiarem; de qua hic non est sermo, nec de mercatoribus. Delendum est *fortunae:* intelligenda naufragia maritima, quae calamitatem classibus attulerunt". Itaque fecerunt Beckius et Schützius. At inepte ageret Verres, si vera naufragia h. l. enumerare vellet, quasi ipse fecisset. Naufragia fortunae sunt in quibus fortuna offendit, ἔπταισεν ἡ τυχή, neque enim sunt *fortunae*, in plur. numero, ut Ernestio de re familiari cogitandum fuerit. Omnino nihil illa suspicione alienius, sed acute Madvigius observat videri Ernestium duplici genitivo offensum aliud quaesivisse, ad quod

remiges nautasque dimissos: reliquos stirpibus vixisse palmarum: praefuisse classi populi Romani Siculum, perpetuo sociis atque amicis Syracusanum: te illo ipso tempore superioribusque diebus omnibus in litore cum mulierculis perpotasse dico: harum rerum omnium
132 auctores testesque produco. Num tibi insultare in calamitate, num intercludere perfugium fortunae, num casus bellicos exprobrare aut obiicere videor? tametsi solent hi fortunam sibi obiici nolle, qui se fortunae commiserunt, qui in eius periculis sunt ac varietate versati. Istius quidem calamitatis tuae fortuna particeps non fuit. Homines enim in proeliis, non in conviviis, belli fortunam periclitari solent: in illa autem

---

crimen adiungeret. Ille autem metus ne quem pertubare possit, multorum nostra aetate diligentia factum est, qui eius rei exempla collegerint. Vide eiusdem Madvigii Emendatt. in Ciceronis libros philosoph. p. 198. Hoc addo, genitivum subiectivum, quem dicimus, sicut h. l. fit, etiam alibi fere praemitti. Sic in Divin. 6 *eorum spem exiguam reliquarum fortunarum*, lib. I, 13 *cognoscite hominis principium magistratuum gerendorum.*

§. 131. *perpetuo sociis]* Ursinus libro suo vet. commemarato, in in quo esse diceret *praefectum sociis*, de loci integritate dubitare coepit: Lambinus tacite correxit *perpetuis;* Ernestius *perpetuo* vitiosum esse affirmans cancellis e contextu sustulit, sed dubitat tamen an fuerit *p. R.* Schützius delevit. Verum quid tandem est cur *perpetuo* cum *sociis* coniungi non posse putent? Quia hoc nomen substantivum est. Quasi vero non aeque atque *amicus* pro Adiectivo haberi possit; et ita, si minus a Cicerone, at ab aliis bonis scriptoribus construatur. Nam quam P. Manutius interpretandi viam instituit, ut coniungeretur cum *praefuisse*, ea vel ipso corrigendi periculo molestior est.

illo ipso tempore] Sic Victoriana edit. et Lambiniana e codd. bonis. Altera librorum mss. classis et edd. vetustae *ipso illo tempore.* Quod nunc vulgo circumfertur *illo tempore ipso* ab Hervagio est, et per repetitiones Lambinianas in Gruterianam venit.

§. 132. *perfugium fortunae]* i. e. defensionis ex fortuna petendae facultatem praecidere, interpretatur Hotomanus. Lambinus ex vet. cod. Lag. 29 Havn. coll. *perfugia.* — *belli fortunam periclitari]* Eiecimus vile interpretamentum, quo vulgo textus verborum augetur, *tentare*, cuius copulandi causa Naugerius coniunctionem *ac* superinduxit,

calamitate non Martem fuisse communem, sed Vene-
rem possumus dicere. Quodsi fortunam tibi obiici
non oportet, cur tu fortnnae illorum innocentium
veniam ac locum non dedisti? Etiam illud praecidas, 133
licet, de his quod supplicium more maiorum sumpse-
ris, securique percusseris, iccirco a me in crimen et
invidiam vocari. Non in supplicio crimen meum ver-
titur: non ego nego securi quemquam feriri oportere:
non ego metum ex re militari, non severitatem impe-
rii, non poenam flagitii tolli dico oportere. Fateor,
non modo in socios, sed etiam in cives militesque
nostros persaepe esse severe ac vehementer vindica-
tum. Qua re haec quoque praetermittas licet. Ego 51
culpam non in nauarchis, sed in te fuisse demonstro:
te pretio remiges militesque dimisisse arguo. Hoc

---

rursus eiectam a Grutero. Unus Stephanus meliorem codicem suum sequi voluit, a quo nec Vat. nec Guelff. discrepant. *Periclitari* cum accusativo idem esse quod experiri, periculum alicuius rei facere, vel lexica docent.

§. 132. *tibi obiici]* Vulgares codd. et edd. vetustae *tibi obiicere*, quod etiam Victorius servavit, cum Hervagius *obiici tibi* ederet. Hunc tamen secuti sunt reliqui, P. Manutius, Stephanus, Lambinus: quamquam, si fidem librorum suorum tueri volebant, inverso ordine, sicut nos fecimus, scribere debebant.

§. 133. *praecidas licet, de his quod] Praecidas* e meliore aliquo libro (Culacianum dicit Gruterus) a Stephano in textum receptum est, et servatum a reliquis. Antea e deterioribus fuit *praedicas*, ex quo Hervagius fecerat *praedices* (quod ipsum est in Vat.) Sed, quod sequitur, post *licet* Lambinus adiecit *te*, quod ipse quidem de suo videtur fecisse, sed habet tamen etiam Lag. 29 et Vaticana editio: in Guelff. et Havn. coll. pro eo est *his*, atque eo pertinet quod Muretus legi voluit *quod de his*. Nos verba invertimus potius, rati voculam *de* a proxima syllaba interceptam esse. — *non ego nego]* Vulgo *non ego securi nego*, et *debere* pro *oportere*. Nos secuti sumus Vat. quoniam in Guelff. Havn. ea verba exciderunt, sic: *non ego quemquam ex re militari.*

te pretio remiges] Te accessit primum in Lambiniana, locumque tuetur auctoritate integriorum librorum, cum absit a vulgaribus. Sed

nauarchi reliqui dicunt: hoc Netinorum foederata civitas publice dicit: hoc Amestratini, hoc Herbitenses, Agyrinenses, Tyndaritani publice dicunt: tuus denique testis, tuus imperator, tuus aemulus, tuus hospes Cleomenes hoc dicit, sese in terram esse egressum, ut Pachyno, e terrestri praesidio, milites colligeret, quos in navibus collocaret. Quod certe non fecisset, si suum numerum naves haberent: ea est enim ratio instructarum ornatarumque navium, ut non modo plu-
134 res, sed ne singuli quidem possint accedere. Dico praeterea illos ipsos reliquos nautas fame atque inopia rerum omnium confectos fuisse ac perditos. Dico, aut omnes extra culpam fuisse, aut, si uni attribuenda culpa sit, in eo maximam fuisse, qui optimam navem, plurimos nautas haberet, summum imperium obtineret: aut, si omnes in culpa fuerint, non oportuisse Cleomenem constitui spectatorem illorum mortis atque cruciatus. Dico, etiam in ipso supplicio mercedem lacrimarum, mercedem vulneris atque plagae, mer-

---

e Lambini v. c. et reliquis bonis dedimus etiam *remiges militesque*, quorum verborum ordo vulgo convertitur.

§. 133. *hoc Amestratini, hoc Herb.]* Civitatum nomina dedimus ex Guelff. et Regio. Vulgo *hoc Herbitenses. hoc Amestratini, hoc Ennenses* (plerique Lagomars. *Hennenses*, reliqui *Ethnenses, Etinenses*) *hoc Agyrinenses, Tyndaritani, Locrenses.* Sed *Locrenses* certum est huc non pertinere. Non nominantur, quos expectaveris, *Segestani* et *Heraclienses*, atque hos fortasse suspicere in *Hennensibus* inesse. Sed tamen, quoniam etiam *Netini* accedunt, praestat fidem librorum sequi. Mox verba *tuus aemulus* in vulgatis et vulgaribus libris absunt, solus Lambinus habet e vet. cod. neque discrepant aut Guelferbytani aut Vaticanus: in Havn. coll. *tuus* omittitur. Tum *ut* scripti, quos novi, omnes, Naugerius in Aldina *uti*, quod a reliquis servatum est.

§. 134. *illorum mortis]* Guelf. 2 Leid. Vat. *illius.* Mox *in ipso* boni libri omnes (praeter Vat.) et augetur indignitas rei. Reliqui et vulgo *illo.* Sed interpunctio etiam mutanda, et *etiam* referendum ad *supplicium.*

cedem funeris ac sepulturae constitui nefas fuisse. Quapropter si mihi respondere voles, haec dicito: 135
classem instructam atque ornatam fuisse, nullum propugnatorem abfuisse, nullum vacuum tractum esse remum, rem frumentariam esse suppeditatam, mentiri nauarchos, mentiri tot et tam graves civitates, men-

---

§. 135. *abfuisse]* Lambinus *afuisse* legendum dicit, itaque habere libros mss. praeter unum, in quo esse *affuisse*. Etiam Graevius vetustissimos ubique libros *afuisse* exhibere ait pro vulgata *abfuisse*. Nimirum pugnat uterque pro scriptura veteris codicis, qui fortasse apud utrumque unus est Cuiacianus ille (Havn. coll.). Nam Guelff. Vat. nihil mutant, Lagomarsiniani *adfuisse*, *abfuisse*, *affuisse*, nullus *afuisse*. Quamvis igitur apud Horatium Serm. I, 4, 101 in optimis codicibus *aforc* inventum esse affirment Lambinus et Cruquius idemque de Livii libris Drakenborch. ad IV, 12 et XXVI, 41 tradat, tamen parum tutum videtur sic in universum constituere. Cf. Schneideri Elem. L. L. p. 520.

tractum esse remum, rem frum.] Vulgo nunc editur *nullum vacuum transtrum fuisse, remigi rem frumentariam esse suppeditatam*' quae lectio Naugerii (si eius curae editioni Iuntinae a. 1534, quam Victorianam appellamus, profuerunt) et P. Manutii coniecturis conflata est. Nam librorum mss. utriusque ordinis una est et certa scriptura, ad quam nos revertimus. In Victoriana igitur ex eo, quod fuit *tractum esse remum*, factum est *transtrum esse*, *remigi* cet. in Manutiana insuper *fuisse* correctum pro *esse*. Quam lectionem sic constitutam Stephanus, Lambinus, Gruterus, Ernestius intactam pro vera ac vetusta servarunt, Graevius codicis Regii scripturam apposuit, cuius auctoritate motus Garatonius primus dubitavit an revocanda esset vetus scriptura, quoniam rem frumentariam militi aeque ac remigi suppeditatam esse conveniret: sed maluit ille tamen *nullum vacuum transtrum fuisse remige*, quod haud moratus recepit Schützius. Verum explorata lectionis vulgatae condicione neminem iam puto dubitaturum esse, quin nihil aliud nisi tuenda sit veterum librorum scriptura. Nimirum *remi trahuntur vacui*, qui pendent ad latus navis funibus alligati, de quo veterum more legendus Schefferus de militia navali p. 207, et altero loco p. 36, quem addit Madvigius, cum quo mihi in defendenda codicum scriptura convenit. Loci, quibus ad rem probandam Schefferus utitur, hi sunt, quemadmodum Madvigius laudat, Ovidii Metamorph. XI, 475, Statii Theb. V, 422, Valerii Flacci Argonaut. III, 34. In Vaticano mendose omittitur *remum*, additur *subito* ante *suppeditatam*. — *tot et tam]* Sic primum Hervagiana: antea et mss. deteriores *mentiri et tam*: Lambini v. c. Havn. Guelff. *mentiri tot*

tiri etiam Siciliam totam: proditum esse te a Cleomene, qui se dixerit exisse in terram, ut Pachyno deduceret milites: animum illis, non copias defuisse: Cleomenem acerrime pugnantem ab his relictum esse atque desertum: nummum ob sepulturam datum nemini. Quae si dices, tenebere: sin alia dices, ea, quae a me dicta sunt, non refutabis.

52 Hic tu etiam dicere audebis, *Est in iudicibus*
136 *ille familiares meus, est paternus amicus ille?* non, ut quisque maxime est, quicum tibi aliquid sit, ita te in huiuscemodi crimine maxime eius pudet? *Paternus amicus est.* Ipse pater si iudicaret, per deos immortales! quid facere posset, cum diceret tibi haec:

---

tam, Vat. *mentiri totam.* Relinquitur tamen Lag. 29. Mox *proditum esse te* libri editi ante repetitam Lambinianam, in qua *te esse* in textu, ad marg. „al. *esse te*". Verum *te* in Guelff. Leid. Havn. coll. non est, num possit abesse dubito. In fine *ea* adieci ex Steph. codicibusque Guelff. Vat. Havn.

§. 136. *ita te in huiuscemodi crimine max. eius pudet]* Haec est manuscriptorum librorum utriusque ordinis scriptura, nisi quod in deterioribus (et editt. vetustis) mendose *in* omissum est. Hervagius eam praepositionem adiecit, cumque ita locus integritati restitutus esset, (nam *pudere alicuius hominis* constat etiam eum, qui reverentia alicuius movetur, cf. Gramm. nostr. §. 443) tamen qui Victorianam curavit, violenter corrigendo succurrere ei necesse putavit. Scripsit enim *ita tui huiuscemodi criminis maxime eum pudet*, rem prorsus invertens et sententiam efficiens non ineptam eam quidem, sed ab arguendi ratione alienam. Dicit enim orator tantum abesse, ut Verres illorum auxilium expetere possit, ut ab illis maxime tamquam reprehensoribus suis averti debeat. Naugeriana autem lectio a Stephano, Lambino, Grutero, reliquis, silentio transmissa est, nisi quod Lambinus haud dubie ipse mutata sententia in margine repetitae editionis ex antiquae scripturae vestigiis fortasse legendum esse censuit: *ita te in eiusmodi* (sic etiam Guelff.) *crimine maxime eius pudere debeat*, quo quidem extremo recte Garatonius, qui totam rem primus ex recentioribus perspexit, non opus esse iudicat.

quid facere posset] Intellige; num te absolvere, cum tamen sic ei tecum loquendum esset. Quintilianus Instit. VI, 1, 3, ubi de anacephalaeosis instituendae ratione agit, memoriter sine dubio, sic laudat: *si pater ipse iudicaret, quid diceret, cum haec probarentur*, sed

Tu in provincia populi Romani, cum tibi maritimum bellum esset administrandum, Mamertinis ex foedere quam deberent navem per triennium remisisti: tibi apud eosdem privata navis oneraria maxima publice est aedificata: tu a civitatibus pecunias classis nomine coegisti: tu pretio remiges dimisisti: tu, navis cum esset ab legato et quaestore capta praedonum, archipiratam ab oculis omnium removisti: tu, qui cives Romani esse dicerentur, qui a multis cognoscerentur, securi ferire potuisti: tu tuam domum piratas abducere, in iudicium archipiratam domo producere ausus es: tu in provincia tam splendida, apud socios fide- 137
lissimos, cives Romanos honestissimos, in metu periculoque provinciae, dies continuos complures in litore conviviisque iacuisti: te per eos dies nemo tuae domi convenire, nemo in foro videre potuit: tu sociorum atque amicorum ad ea convivia matresfamilias

---

rectissime tamen loci sensum cepit, ut retinere Hotomanum debuerit quominus emendaret *posses.* Persuasit ille tamen Lambino, Grutero (in cuius edit. mendose est *possis*) Ernestio, imprimis quia in fine capitis sequitur: *haec si tibi tuus parens diceret, posses ab eo veniam petere?* Sed vertit rem ipse Cicero, et cum dicere deberet, *posset te absolvere?* Verris persona usus gravius dicit *posses tu ipse ab eo postulare, ut te absolveret?* Non omittendum, in iis quae sequuntur, pro vulgata *cum tibi haec diceret*, significantius esse in Guelff. *cum diceret tibi haec*, sono in extremum verbum gravius incumbente.

§. 136. *in prov. populi Rom.]* Additur vulgo *praetor*, sed semel tantum *p. r.* Vaticanus, *pr.* Havn. et a Guelff. absunt verba *populi Rom.* Malui nunc illos sequi, quoniam, cui bellum administrandum est, eum facile intelligitur praetorem esse. In his verbis desinit Vat. rescriptus. — *privata navis]* Sic unus Graevius ex Regio, sed rectissime: nam quod in reliquis libris est *privatim*, cum sequatur *publice*, prorsus non habet quo referatur. Neque discrepant Guelferbytani.

navis cum] Sic omnes mss. Editi adhuc eadem constantia *cum navis.* Cf. ad c. 15 §. 39. Sed mox vulgo *a quaestore et ab legato*, et *ab omnium oculis:* nos Guelferbytanos secuti sumus, sed in altero auctores etiam Lambini vet. cod. et Havn. coll. habemus.

§. 137. *tuae domi]* Sic Guelff. Havn. Vulgo *domi tuae.*

adhibuisti: tu inter eiusmodi mulieres praetextatum tuum filium, nepotem meum, collocavisti, ut aetati maxime lubricae atque incertae exempla nequitiae parentis vita praeberet: tu praetor in provincia cum tunica pallioque purpureo visus es: tu propter amorem libidinemque tuam imperium navium legato populi Romani ademisti, Syracusano tradidisti: tui milites in provincia Sicilia frugibus frumentoque caruerunt: tua luxuria atque avaritia classis populi Romani a prae-
138 donibus capta et incensa est: post Syracusas conditas quem in portum nunquam hostis accesserat, in eo, te praetore, primum piratae navigaverunt: neque haec tot et tanta dedecora dissimulatione tua, neque oblivione hominum ac taciturnitate tegere voluisti, sed etiam navium praefectos sine ulla causa de complexu parentum suorum, hospitum tuorum, ad mortem cruciatumque rapuisti; neque te in parentum luctu atque

---

§. 137. *cum tunica]* Adiecit Lambinus, de coniectura, noli dubitare, *talari*, non sane inepte. Nam, ut nunc est nosque servamus propter auctoritatem codd. omnium, difficile est recte intelligere.

caruerunt] voluit Lambinus in marg. repetitae e vet. cod. Habent etiam Lagomarsiniani VIII et Huydecoperanus, ut mirere unde insolens altera forma *caruere* in editiones venerit. Cf. ad lib. I, 6. Mox *luxuriae* Lag. 29 et Havn. collatio, ut, ni Guelff. essent, censere debeas fuisse *luxurie*. Cf. de eodem mendo Garatonium ad orat. p. Coel. 23 extr.

§. 138. *tot et tanta]* Vulgo *tot tantaque*, quod in nullo libro msto est, sed editi ad unum omnes habent. Codd. deteriores *tot tanta*, addunt *et* meliores. — *parentum suorum, hospitum]* Verum sic est, quamquam forte factum. Nam cum in edd. vett. ex codicibus deterioribus esset *parentum suorum hospitumque tuorum*, Lambinus edidit *parentium*, e Prisciano lib. VII p. 772, *hospitumque* reliquit, quamvis apud eundem Priscianum esset *hospitum*. Sed in marg. repetitae denuo est *parentum*, sed *hospitum*. Gruterus autem cum Priscianum prorsus secutus esset, Ernestius, qui tamen Gruterianam lectionem sequi sibi proposuisset, tacite Lambinianam ex marg. repetitae dedit. Sed eadem in Guelff. est, neque Priscianum codicum consensui praefero. — *neque te]* Hoc loco pronomen collocatur in codd. optimis, quod vulgo longius a principio remotum *lacrimis* postponitur.

lacrimis mei nominis commemoratio mitigavit: tibi hominum innocentium sanguis non modo voluptati, sed etiam quaestui fuit. Haec si tibi tuus parens dice- 53
ret, posses ab eo veniam petere? posses, ut tibi ignosceret, postulare?

Satis est factum Siculis, satis officio ac necessi- 139
tudini, iudices, satis promisso nostro ac recepto. Reliqua est ea causa, iudices, quae non iam recepta, sed innata; neque delata ad me, sed in animo sensuque meo penitus affixa atque insita est: quae non ad sociorum salutem, sed ad civium Romanorum, hoc est, ad uniuscuiusque nostrum vitam et sanguinem pertinet. In qua nolite a me, quasi dubium sit aliquid, argumenta, iudices, expectare: omnia, quae dicam, sic erunt illustria, ut ad ea probanda totam Si-

---

§. 139. *promisso nostro ac recepto]* Haec est scriptura et codicum mss. omnium et veterum editionum, donec P. Manutius offensus, ut opinor, participiis substantive positis, corrrexit *promisso muneri ac recepto*, quam lectionem Stephanus, Lambinus, Graevius secuti sunt. Lambinus tamen se magis probare ostendit, quod in aliis libris sit, *promisso nostro ac muneri recepto*, sed quinam illi *alii* sint, nec ipse dicit, neque dixisset, opinor, Hotomanus, a quo sumpsit. Eam tamen lectionem omni auctoritate destitutam receperunt Beckius et Schützius, illud urgentes *receptum* dici substantive. Insolens esse fateor, at cum *promissum* pro substantivo dicatur, illi facile adiungitur, quod eandem rationem sequitur, *receptum*. Atqui Philipp. II, 32 *promissum et receptum intervertit* eodem fere modo dicitur, quod quis promiserat ac receperat, neque enim pertinet ad aliud nomen praegressum.

in animo] Sic Steph. Lambinus et codices meliores, revocavitque ex Guelf. 2 Ernestius: reliquae edd. *anima*. Sed pro *affixa* Lambinus de suo dedit *defixa*, quod haud dubie in sensu tropico frequentius. Sed quae causa est, cur non illud quoque transferri ad animum potuerit? — *quae dicam, sic erunt illustria]* Coegit nos optimorum consensus, vet. cod. apud Lambinum, Leidensis, utriusque Guelferbytani, coll. Havn., ut omitteremus, quibus vulgo hic locus augetur: *omnia, quae dicam de supplicio civium Romanorum, sic erunt clara et illustria* neque tamen non illa satis aperta habent originis suae vestigia. Nondum enim rem ipsam suo nomine appellat: praeparat et exacuit animos iudicum. Sed e Guelff. et Havn. coll. de-

ciliam testem adhibere possem. Furor enim quidam, sceleris et audaciae comes, istius effrenatum animum importunamque naturam tanta oppressit amentia, ut nunquam dubitaret in conventu palam supplicia, quae in convictos maleficii servos constituta sunt, ea in
140 cives Romanos exprōmere. Virgis quam multos ceciderit, quid ego commemorem? Tantum brevissime, iudices, dico: nullum fuit omnino civitatis, isto praetore, in hoc genere discrimen. Itaque iam consuetu-
54 dine ad corpora civium Romanorum etiam sine istius nutu ferebatur manus ipsa lictoris. Num potes hoc negare, Verres, in foro Lilybaei, maximo conventu, C. Servilium, civem Romanum e conventu Panhormitano, veterem negotiatorem, ad tribunal, ante pedes tuos, ad terram virgis et verberibus abiectum? Aude hoc primum negare, si potes: nemo Lilybaei fuit, quin viderit; nemo in Sicilia, quin audierit. Plagis confectum dico a lictoribus tuis civem Romanum, ante
141 oculos tuos concidisse. At quam ob causam, dii im-

---

dimus etiam *possem* pro vulgato *possim*, quoniam vere quidem non adhibet. Cf. ad §. 154.

§. 140. *iudices, dico]* Hoc ordine verba collocata leguntur in Guelff. Lamb. vet. cod. Havn. coll., vulgo inverso. Lag. 29 *dicam*. Mox verbum *civitatis* adiecimus ex bonis omnibus, etiam Lag. 29, quamquam in eo mendose legitur *civitatibus*, et miror eam scripturam a Stephano et Lambino silentio praetermissam esse. Nam ad rem pertinet vel maxime.

e conventu Panhorm.] Sic libri mss. meliores, facta primum mentione in marg. repet. Lambinianae. Editur tamen praeterquam a Lambino e deterioribus *in conventu*. Sic I, 5 *negotiator ex Africa* et coniunges etiam infra c. 59 extr. *cives Rom. ex conventu Syracusano*.

§. 141. *At quam ob causam]* ex Stephaniana, Lambiniana, codicibus Regio (in quo est *ac*) et Guelff. edidimus. Vulgo *ob quam causam*. Ex iisdem libris mss. etiam ordinem verborum constituimus, qui vulgo est *quasi enim possit esse ulla causa:* Lag. 29 *possit ulla esse*.

mortales! Tametsi iniuriam facio communi causae et iuri civitatis: quasi enim ulla possit esse causa, cur hoc cuiquam civi Romano iure accidat, ita quaero, quae in Servilio causa fuerit. Ignoscite in hoc uno, iudices: in ceteris enim non magnopere causas requiram. Locutus erat liberius de istius improbitate atque nequitia. Quod isti simulac renuntiatum est, hominem iubet Lilybaeum vadimonium Venerio servo promittere. Promittit. Lilybaeum venitur. Cogere eum coepit, cum ageret nemo, nemo postularet, sponsionem II milium nummum facere cum lictore suo, *ni furtis quaestum faceret*. Recuperatores se de cohorte sua dicebat daturum. Servilius et recusare et deprecari, ne iniquis iudicibus, nullo adversario, iudi-

---

§. 141. *nemo postularet, sponsionem II mil.]* Repetitum *nemo* in libro msto nullo esse puto: in editis primum addidit Naugerius, et recte. Tum vulgo nunc editur *HS duobus millibus sponsionem facere*, sicut idem Naugerius primus scripsit, nam antea *millibus* non erat, nec in libris mss. deterioribus, unde editiones vetustae ductae sunt, est, fortasse ne *duobus* quidem, id quod ex Lagom. codd. excerptis non intelligo, cum in Huyd. Oxon. videatur inventum esse, sed numerorum notis an litteris expressis non docemur. Verum integerrimi (Guelf. ambo et Havn. coll.) *sponsionem militum nummum facere*, unde de genitivo quidem constat, sed numerum oportet de coniectura addi. Itaque II e vulgaribus servavi. Sed tamen posthac *sponsionem facere pecuniae,* non *pecunia*, credemus Latine dici, cf. lib. III, 58 extr. et p. Rosc Comoedo 4 *in qua legitimae partis sponsio facta est.* Ceterum *ne* codicum pars deterior et edd. principes. Naugerius, de quo dubitatio iam nulla est, recte emendavit.

Recuperatores se] Vulgo pronomen abest, nos restituimus ex mendosa scriptura Guelferbytanorum (et Havn. coll.) *recuperor esse.* Lambinus quidem grammaticam regulam servans de coniectura addidit *se* post *dicit.* Sed pro hoc ipso *dicit*, quod vulgo legitur, nos *dicebat* ex bonis libris dedimus, ac ne levem quidem illam temporum variationem sine causa institutam suspicor. *Dicebat* Verres inter reliqua, ac fortasse ne dicebat quidem, sed Servilius ex aliis quae faceret et diceret suspicabatur ita eum facturum esse: cur enim ille statim dixisset priusquam sponsio facta esset? Sentis discrimen, sed ego ineptus essem, si, quae sensu intelligi debent, verbis eum illustrare vellem, obscurarem.

142 cium capitis in se constitueretur. Haec cum maxime loqueretur, sex lictores circumsistunt valentissimi, et ad pulsandos verberandosque homines exercitatissimi: caedunt acerrime virgis: denique proximus lictor (de quo iam saepe dixi) Sextius, converso baculo, oculos misero tundere vehementissime coepit. Itaque ille, cum sanguis os oculosque complesset, concidit; cum illi nihilo minus iacenti latera tunderentur, ut aliquando spondere se diceret. Sic ille affectus illinc tum pro mortuo sublatus, perbrevi postea est mortuus. Iste autem homo Venerius, et affluens omni lepore ac venustate, de bonis illius in aede Veneris argenteum

---

§. 142. *circumsistunt]* Quod vulgo nunc quidem praemittitur pronomen *eum* Lambinus de coniectura adiecit, cumque repetitae editionis curatorem fefellisset, in Gruterianam et porro venit. Tu subintellige *loquentem.* — *proximus lictor]* i. e. qui tibi maxime carus et acceptus erat, ut Sallustii verbis utar in Iug. 12. Nam cum lictores singuli et in lineam praeirent magistratui, qui proxime praecedebat dignitate primus erat. Valerius Max. II, 2, 4 *Maxima autem diligentia maiores hunc morem retinuerunt, ne quis se inter consulem et proximum lictorem, quamvis officii causa una progrederetur, interponeret:* et cf. Cic. de Divin. I, 26. *Primum* eum appellat Cicero ad Qu. fr. I, 1, 7, quamquam Lipsius in Electis I, 23, ubi totum locum de lictoribus exponit, *primum* eum vocatum ait qui agmen duceret. Eum vulgo *bacillo* contudisse oculos Servilii legimus: sed cur ipse Cicero atrocitatem iniuriae minuat? *Baculo* Lambinus edidit, nec discrepat melior familia codicum. Supra quidem c. 43 *virgae* sunt in simili re. Dedimus etiam *iam saepe* pro vulg. *saepe iam,* quia Guelff. Leid. Havn. *tam saepe* habent.

Itaque ille] Vulgo *illi:* sed *ille* Guelff. et Havn., et videtur in suis Lambinus invenisse, quoniam in margine repetitae voluit *ille, cum ei sanguis* cet. quo complemento non opus est. Mox *tunderent* Graevius in Regio inventum dicit, falso, opinor, quia discrepant Guelff. neque ex Havn. coll. quicquam a recepta nunc lectione Hervagiana diversum profertur. Sed plerique deteriores libri *tunderent* habent, Oxon. et Lagom. VIII praeter 42. — *perbrevi postea]* Sic Leid. Guelff. Lag. 29 Havn. collatio. Vulgo *brevi.* Sed miror potius *postea* sic pro *post* dictum, atque ignoro num simile aliud exemplum apud bonos scriptores sit. Nam in Catil. I, 6 *multa postea* corrigendum est.

ac venustate] codices meliores nostri pro vulgato *et:* probo vel eam ob causam, quod praecesserat *et.* Vide ad Divin. 12 §. 39.

Cupidinem posuit. Sic etiam fortunis hominum abutebatur ad nocturna vota cupiditatum suarum.

Nam quid ego de ceteris civium Romanorum 55
suppliciis singillatim potius, quam generatim atque 143
universe loquar? Carcer ille, qui est a crudelissimo tyranno Dionysio factus Syracusis, quae lautumiae vocantur, in istius imperio domicilium civium Romanorum fuit. Ut quisque istius animum aut oculos offenderat, in lautumias statim coniiciebatur. Indignum hoc video videri omnibus, iudices: et id iam priore actione, cum haec testes dicerent, intellexi. Retineri enim putatis oportere iura libertatis non modo hic, ubi tribuni plebis sunt, ubi ceteri magistratus, ubi forum plenum iudiciorum, ubi senatus auctoritas, ubi existimatio populi Romani et frequentia: sed, ubicunque terrarum et gentium violatum ius civium Romanorum sit, statuitis id pertinere ad communem causam libertatis et dignitatis. In externorum hominum 144
maleficorum sceleratorumque, in praedonum hostiumque custodias tu tantum numerum civium Romanorum includere ausus es? Nunquamne tibi iudicii, nunquam contionis, nunquam huius tantae frequentiae, quae nunc animo te iniquissimo infestissimoque intuetur, venit in mentem? nunquam tibi populi Ro-

---

§. 143. *quae lautumiae vocantur]* Ernestius ab interpolatoribus adiectum putabat, persuasitque insecutis editoribus. Verum dubitarim equidem, numquis, nisi illud adiectum sit, intellecturus fuerit, quem carcerem orator dicat. Cf. supra ad c. 27 pr. — *Indignum hoc]* Interponitur in Guelff. Havn. *enim*, quod quo pertineat, fateor me non intelligere. An voluit hanc causam videri, cur non singillatim diceret?

forum plenum] Sic edidit Lambinus meliores codices secutus: deteriores *plenum forum.*

§. 144. *hominum maleficorum]* Vulgo *et maleficorum*, quasi externi, propterea quod externi essent, in Lautumias concluderentur. Sustulimus importunam copulam auctoritate quattuor meliorum.

mani absentis dignitas, nunquam species ipsa huiusce multitudinis in oculis animoque versata est? nunquam te in horum conspectum rediturum, nunquam in forum populi Romani venturum, nunquam sub legum et iudiciorum potestatem casurum esse duxisti?

56 At quae erat ista libido crudelitatis exercendae?
145 quae tot scelerum suscipiendorum causa? Nulla, iudices, praeter praedandi novam singularemque rationem. Nam ut illi, quos a poetis accepimus, qui sinus quosdam obsedisse maritimos aut aliqua promontoria aut praerupta saxa tenuisse dicuntur, ut eos, qui essent appulsi navigiis, interficere possent: sic iste in omnia maria infestus ex omnibus Siciliae partibus imminebat. Quaecunque navis ex Asia, quae ex Syria, quae Tyro, quae Alexandria venerat, statim certis indicibus et custodibus tenebatur: vectores omnes in lautumias coniiciebantur: onera atque merces in praetoriam domum deferebantur. Versabatur in Sicilia longo intervallo alter, non Dionysius ille, nec Pha-

---

§. 144. *huiusce multitudinis]* δεικτικῶς. Quod adhuc editum est ex deterioribus *huiuscemodi* facile admonitus a sententia loci alienum censebis. Quid enim similitudo maximae frequentiae ad hanc rem facit? Abest additamentum ab omnibus melioris sectae. Iidem libri praeter Lagom. 29, qui inter utramque classem fluctuat, extr. cap. *duxisti* exhibent pro vulgato *putasti*. Ceterum in aliquot bonis libris, Lambini v. c. et Guelferbytanis ambobus, *nunquid* est pro *nunquam*, nota scribendi male intellecta.

§. 145. *quos a poetis accepimus]* Insolens est *quos* pro *de quibus*, sed tamen ferri potest facilius, quam si in vulgata nunc lectione, deleto pronomine *qui*, quod sequitur *dicuntur* prorsus redundet. Delevit autem illud contra omnium codicum auctoritatem homo doctus, qui Victorianae in hac parte praefuit: quam editionem Galli omnes et Itali secuti sunt. — *quae ex Syria]* Abest *quae* a Lambini mss. duobus, ut ait in nota, item ab Havn. coll. et utroque Guelferbytano, nec fortasse inconsulto in Gruteriana editione excidit. Verum nobis tamen durum videtur. Steph. et Lamb. editiones *quae ex Tyro* Havn. coll. *quae ex Alexandria venerant*.

alter, non Dionysius ille] Laudat hunc locum Quintilianus, ubi

laris, (tulit enim illa quondam insula multos et crudeles tyrannos,) sed quoddam novum monstrum, ex vetere illa immanitate, quae in iisdem locis versata esse dicitur. Non enim Charybdim tam infestam ne- 146
que Scyllam nautis, quam istum in eodem freto fuisse arbitror: hoc etiam iste infestior, quod multo se pluribus et immanioribus canibus succinxerat. Cyclops alter, multo importunior: hic enim totam insulam ob-

---

de tropis agit, libro VIII, 6, 72 ad exemplum hyperboles, cum aliquot scripturae varietatibus, sed paucis tamen, si textum Quintiliani ad suos fontes exegeris. Nam quod Lambinus Quintilianum, qualis vulgo circumfertur, secutus apud Ciceronem *alter* delevit, id convertendum potius fuit, et restituendum id verbum apud Quintilianum, in cuius libris mss. mendose legitur *autem*. Nam duplex pronomen neminem offendere debet, quoniam *ille* quod est, tantum ad celebritatem famae pertinet. Quamquam omittitur *alter* etiam in Lag. 29, libro verbis omissis saepe vitioso. Tum apud Quintilianum *in iisdem versata locis dicitur* fortasse quaesita elegantia, item *Charybdin* Quintilianus ex suae aetatis more Graeca verba Graeca terminatione efferentis videtur scripsisse. Sed tamen etiam Lag. 27. 29 *Charybdin*, item edd. veteres omnes usque ad repetitam Lambinianam, et Philipp. II, 27 vulgo *Charybdin*, sed falso, opinor, sicut *basin* sustulimus lib. II, 66. Tum *navibus* apud Quintilianum pro eo, quod verum est in Ciceronianis libris omnibus, *nautis*. Nam nisi aliud nomen ad Verrem applicetur, Charybdis et nautis et navibus infesta fuit, Verres tantum nautis. Ceterum Guelff. *ex veteri illa*, et cum Havn. coll. omittunt *in* ante *eodem freto:* utrumque male.

§. 146. *et immanioribus]* Praeclare Memmius, aut quisquis fuit, emendavit *immanioribus* pro eo, quod Lambinus in mss. se dicit invenisse, et Graevius e Regio (Havn. coll.) notatum vidit *et in maioribus*, cum in reliquis et vulgo editis *et maioribus* legatur. Nam *maiores* Verris canes, i. e. administros scelerum, fuisse quam Scyllae latrantes bestias, si referretur ad corporum magnitudinem, quod necesse esset, ineptum est haud dubie. Ceterum *succinxerat* proprie ad Scyllam pertinet, scopulum, circa cuius inferiorem partem cum franguntur undae, canum latratum audire tibi videaris. Ovidius Metamorph. XIII, 732 *Scylla feris atram canibus succingitur alvum*, et eandem Virgilius Eclog. 6, 75 *Candida succinctam latrantibus inguina monstris* dicit, et sic alii epitheto iam perpetuo inde a Lucretio V, 890.

insulam obsidebat] Guelff. et Lambini unus manuscriptus, ut ait in nota, (puto illum unum Cuiacianum optimum, quamquam ta-

sidebat; ille Aetnam solam et eam Siciliae partem tenuisse dicitur. At quae causa tum subiiciebatur ab ipso, iudices, huius tam nefariae crudelitatis? Eadem, quae nunc in defensione commemorabitur. Quicunque accesserant ad Siciliam paulo pleniores, eos Sertorianos milites esse, atque a Dianio fugere dicebat. Illi ad deprecandum periculum proferebant, alii purpuram Tyriam, tus alii atque odores vestemque linteam, gemmas alii et margaritas, vina nonnulli Graeca venalesque Asiaticos, ut intelligeretur ex mercibus, quibus ex locis navigarent. Non providerant, eas ipsas sibi causas esse periculi, quibus argumentis se ad salutem uti arbitrabantur. Iste enim haec eos ex piratarum societate adeptos esse dicebat: ipsos in lautumias abduci imperabat: naves eorum atque onera
57 diligenter asservanda curabat. His institutis cum com-
147 pletus iam mercatorum carcer esset, tum illa fiebant, quae L. Suetium, equitem Romanum, lectissimum virum, dicere audistis, et quae ceteros audietis. Cer-

---

cet Havn. coll.) *obsidebat* pro vulgo *obtinebant*, multo fortius, et varietate gratius.

§. 146. *solam et eam]* Guelf. 1 *solamque eam Sicil. partem*, alter et Havn. coll. *Ethnam solam eam Sic. — a Dianio]* Cf. ad I, 38.
tus] quod scripsimus, quamquam et edd. vett. et Guelff. ac Lagom. omnes praeter 29 et 42 *thus* exhibent, cf. auctoritates veterum grammaticorum apud Schneiderum Element. L. L. p. 200.

Non providerant] Sic Lambinus esse in vet. cod. ad marginem repetitae notavit, et, quia ille omiserat, recepit Gruterus, haud dubie quod in schedis Gulielmi mentionem Cuiaciani invenerat. Stephanus (in variet. lect.) *providebant* edi iussit. Sed illud potius Guelff. et Havn. coll. confirmant. In reliquis et olim editis *intelligebant*. Hoc igitur tanti putabant animadvertere Stephanus et Lambinus: quod longe gravius est, neque hi neque reliqui, qui quidem debebant, animadverterunt, *adiumentis*, quod ipsi ederent, neque in libris mss. neque in vetustis editionibus esse, factum a Victoriano editore temere et contra sententiam. Neque enim merces illae *adiumenta* volebant esse salutis, quasi si Verri donassent, sed *argumenta* originis et vitae condicionis.

§. 147. *et quae] Et* adiecisse Graevium ex Regio notavit Ernestius.

vices in carcere frangebantur indignissime civium Romanorum, ut iam illa vox et imploratio, *civis Romanus sum,* quae saepe multis in ultimis terris opem inter barbaros et salutem tulit, ea mortem illis acerbiorem et supplicium maturius ferret. Quid est, Verres? quid ad haec cogitas respondere? num mentiri me? num fingere aliquid? num augere crimen? num quid horum dicere istis tuis defensoribus audes? Cedo mihi, quaeso, ex ipsius sinu litteras Syracusanorum, quas iste ad arbitrium suum confectas esse arbitratur: cedo rationem carceris, quae diligentissime conficitur, quo quisque die datus in custodiam, quo mortuus, quo necatus sit. LITTERAE SYRACUSANORUM.
Videtis cives Romanos gregatim coniectos in lautu- 148
mias: videtis indignissimo in loco coacervatam multitudinem vestrorum civium. Quaerite nunc vestigia, quibus exitus eorum ex illo loco compareant. Nulla sunt. Omnesne mortui? Si ita posset defendere, tamen fides huic defensioni non haberetur. Sed scriptum extat in iisdem litteris, quod iste homo barbarus ac dissolutus neque attendere unquam neque intelligere potuit: ΕΔΙΚΑΙΩΘΗΣΑΝ, inquit, hoc est,

---

Guelferbytani sui mentionem non fecit: sed legitur praeterea in Guelf. 1 et Lag. 29.

§. 147. *ut iam illa vox et impl.]* Sic primum Gruterus e bonis libris, ipsius Lambini, Guelff. Reliqui *ut etiam illa vox et illa imploratio.* Sed non omittam, sequi in Guelf. 1 *civis Romani*, in Guelf. 2 et Leid. *civis r.*, omisso verbo. Eodem pertinet, quod ex Oxon. affertur *civium Romanorum.* Anne igitur *imploratio civis Romani* eo, quod h. l. necesse est, sensu dici posse putamus? — *istius tuis defens.]* Sic Guelferbytani, et solent illa verba coniungi. Vulgo *istis defens. tuis.*

§. 148. *vestrorum civium]* Guelf. 1 ab altero discrepans *civium vestrorum.* Sed mox Lambinus ex vet. cod. et nos secundum Guelff. Havn. *eorum* dedimus pro vulg. *illorum.*

ἐδικαιώθησαν] Sic Hervagiana, et affirmat Lambinus esse in duobus mss. estque haud dubie in Regio. E Guelff. nihil probes, nam in

ut Siculi loquuntur supplicio affecti ac necati sunt.
58 Si qui rex, si qua civitas exterarum gentium, si qua
149 natio fecisset aliquid in cives Romanos eiusmodi, nonne publice vindicaremus? non bello persequeremur? possemus hanc iniuriam ignominiamque nominis Romani inultam impunitamque dimittere? Quot bella arbitramini maiores nostros et quanta suscepisse, quod cives Romani iniuria affecti, quod navicularii retenti, quod mercatores spoliati dicerentur? At ego iam retentos non queror; spoliatos ferendum puto: navibus, mancipiis, mercibus ademptis, in vincula mercatores esse coniectos, et in vinculis cives Romanos necatos
150 esse arguo. Si haec apud Scythas dicerem, non hic in tanta multitudine civium Romanorum, non apud

---

eorum uno deest, in altero litterae ita pictae sunt, ut nullus usus sit. Sed quid opus est testimoniis? Abunde habemus, ut non intelligam cur Ernestius patrocinium vulgatae scripturae ἐδικώθησαν susceperit, et ad eam defendendam inauditum et abnorme verbum δικοῦν procuderit. At proprium, inquit, Siculis fuit. Quasi nesciret, communi Graecorum sermone utentibus satis insolens esse δικαιοῦσθαι pro κολάζεσθαι vel potius ἀποκοπῆναι τὰς κεφαλὰς dici. Atque hoc satis esse recte iam olim Graevius existimavit. Ratio quidem eius significationis nobis Germanis in promptu est. Sed in editione Manutiana a. 1559 verba transposita sic leguntur, *ἐδικ. inquit, ut Siculi loquuntur, hoc est, supplicio* cet., atque sic denuo de sententia Iac. Gronovii edidit Ernestius et recentiores. Non puto opus esse.

§. 149. *Si qui rex]* Sic boni codices, praeter Guelf. 1 qui vulgatam scripturam *si quis rex* tuetur. Tum vulgo *civem Romanum*, verum *cives Romanos* et Lambini vet. cod. et Havn. coll. Guelff. Lag. 29, neque postea orator nisi plurali numero utitur. Tum *nonne* etiam altero loco Lag. 29 et Guelf. ambo contra silentium coll. Havniensis et eam consuetudinem, de qua ad IV, 56 extr. diximus.

arbitram. maiores nostros] Hoc verba ordine collocantur in Lambini vet. cod. et Guelferbytanis (non Havn. coll.) Vulgo verbum *arbitramini* in finem reiicitur. Sed mox in addendo vocabulo *iam* consentiunt, et cum Lag. 29 *mercatores esse coniectos* exhibent, mutato ordine, qui in reliquis est *coniectos esse mercatores*. *Vincla* Guelf. 1, *vinclis* Havn. collatio. Ceterum etiam verborum causa conf. similem locum p. leg. Manilia 5 pr.

senatores, lectissimos civitatis, non in foro populi Romani, de tot et tam acerbis suppliciis civium Romanorum: tamen animos etiam barbarorum hominum permoverem. Tanta enim huius imperii amplitudo, tanta nominis Romani dignitas est apud omnes nationes, ut ista in nostros homines crudelitas nemini concessa esse videatur. Nunc tibi ego ullam salutem, ullum perfugium putem, cum te implicatum severitate iudicum, circumretitum frequentia populi Romani esse videam? Si mehercule (id quod fieri non posse 151
intelligo) ex his te laqueis exueris, ac te aliqua via ac ratione explicaris: in illas tibi maiores plagas incidendum est, in quibus te ab eodem me superiore ex loco confici et concidi necesse est. Cui si etiam id, quod defendit, velim concedere: tamen ipsa illa

---

§. 150. *concessa esse]* Adiecerant *esse* Stephanus, Lambinus: et restituimus nos ex Guelff. et Havn. collatione. — *Nunc tibi ego]* Vulgo *num ego tibi*, nisi quod Lambinus iam verborum ordinem inverterat. Sed magis ad rem pertinet, ut *nunc* scribatur, id quod oppositionis ratio flagitat, et est in varietate lectionis Stephanianae, Guelferbytanis ambobus, Havn. collatione, quin etiam, quod mirere, in texta repetitae Lambinianae.

§. 151. *mehercule]* vet. cod. Lambini et Guelff. Vulgo *mehercules*. Cf. ad IV, 14. Statim ante Lambinum omnes e vulgaribus libris *fieri intelligo non posse*, sed quod idem Lambinus in margine voluit, eadem auctoritate meliorum codicum usus, *ex his te laqueis*, Gruterus et reliqui non receperunt, servaruntque minus gratam verborum collocationem *ex his laqueis te exueris*. — *aliqua via ac ratione]* Sic, cum fuisset *vi ac ratione*, Lambinus e vet. cod., Graevius e Regio ediderunt, secutusque est Ernestius, quamvis in Guelf. 2, quo usus est, *via* abesset. At in Guelf. 1 recte legitur. *Viam ac rationem* solere apud Ciceronem coniungi annotavit Graevius, et notum est. Haud dubie *vis*, si sola esset, magnopere placeret, sed *rationi* tam contraria est, ut non videantur recte coniungi posse. Redit autem Cicero ad easdem minas, quas in principio orationem libi I, 5 iecerat; in quibus *superior* locus opponitur *plano*, ubi nunc actor privatus in iudicio consistit. — *ipsa illa falsa def.]* Sic prorsus Guelferbytani et Regius, neque discedere videtur ab hac consortione Lambini vet. cod. ex

falsa defensio non minus esse ei perniciosa, quam mea vera accusatio debeat.

Quid enim defendit? Ex Hispania fugientes se excepisse et supplicio affecisse dicit. Quis tibi id permisit? quo iure fecisti? quis idem fecit? qui tibi
152 facere licuit? Forum plenum et basilicas istorum hominum videmus, et animo aequo videmus. Civilis enim dissensionis, et sive amentiae, seu fati, seu calamitatis, non est iste molestus exitus; in quo reliquos saltem cives incolumes licet conservare. Verres, ille vetus proditor consulis, translator quaesturae, aversor pecuniae publicae, tantum sibi auctoritatis

---

quo nihil aliud nisi immutatus vocabulorum ordo affertur. Sed *falsa* vulgo omittitur, quod ad concinnitatem membrorum requiri recte Garatonius et Madvigius animadverterunt.

§. 151. *quo iure fecisti]* Vulgo bis *id* adiicitur, *quo id iure*, et *qui tibi id*, quod utroque loco melius intelligitur. Itaque omisimus prius quidem iussu meliorum omnium, alterum non solum auctoritate Havn. coll. sed etiam Lag. VIII et edd. vetustarum ante Hervag. et Victorianam.

§. 152. *et sive am. seu fati]* Graevius *et* delevit, quod abesset a Regio. Sed nocuit sententiae, nam quin *dissensio* fuerit non dubitatur: nec verum illud, quod tradidit abesse a Regio: nam in illo ut in Guelff. est *et si.* Mox omnes boni, etiam Lag. 29, *seu fati.* Vulgo *sive.* Paulo rarius apud Ciceronem *seu*, nisi ubi coniungitur *seu potius;* sed praegresso *sive* subiici *seu* apud alios scriptores non infrequens esse vel lexica docent. Terent. Andr. I, 5, 59 *sive haec — seu tibi.* Deinde Ernestius de coniectura edidit *in quo non reliquos saltem cives incol. liceat conservare.* Debebat, opinor, *ne reliquos quidem.* Tu instituta cum Beckio paulo graviore interpunctione, qua hoc membrum a praegresso discernatur, subintellige, *sed is est.*

translator quaesturae] Hoc se non intelligere scribit Ernestius: non enim translatam esse quaesturam, sed desertam. Hac quasi aperta porta suspicionum, Harlesius *transfuga quaestoris* coniecit: inepte, cum ipse Verres quaestor fuerit, Schützius etiam plenius sed inconcinne *transfuga et violator quaesturae*, ne Beckius quidem alioquin remotior a temeritate iudicandi temperavit quin verbum e glossemate natum putaret. Schellerus Obss. p. 74 accusatorie, ut ait, *quaesturam* positam esse vult pro *pecunia publica:* quamquam de illa ipsa statim dicitur. Equi-

in re publica suscepit, ut, quibus hominibus per senatum, per populum Romanum, per omnes magistratus, in foro, in suffragiis, in hac urbe, in re publica versari liceret, iis omnibus mortem acerbam crudelemque proponeret, si fortuna eos ad aliquam partem Siciliae detulisset. Ad Cn. Pompeium, clarissimum 153
virum et fortissimum, occiso Perperna, permulti ex illo Sertoriano numero militum confugerunt. Quem non ille summo cum studio salvum incolumemque servavit? cui civi tum supplicanti non illa dextera invicta fidem porrexit et spem salutis ostendit? Itane vero? quibus fuit portus apud eum, quem contra arma tulerant, iis apud te, cuius nullum in re publica mo-

---

dem nihil magnopere video, in quo homines docti offendere debuerint. Nam qui quaestor est, nonne, cum ad contrarias partes transit, secum quaesturam transfert, i. e. publicam dignitatem suam? Ἐξεργασία est oratoria, qua, quod re vera unum est, diducitur, et partibus suis describitur.

§. 153. *occiso Perperna permulti]* Sic edidit Lambinus et est in Guelff. nisi quod in Guelf. 1 *multi:* sed multos in hac re si diceret, pauci existimarentur. Vulgo *permulti occiso Perperna.* Ceterum ante Lambinum fere *Perpenna* scribebatur, et sic Lagom. omnes et Guelff. Cui non dictus Hylas? Sed valeat aliquando maior nummorum et lapidum auctoritas, quamquam ne in his quidem *Perpennae* desunt.

civi tum supplicanti] Vulgo *civi supplici*, sed *supplicanti* Lambini vet. cod. Leid. Guelff. a quorum consensu miror abesse Havn. collationem: *tum* unus Guelf. 1. et dubitari potest: mihi tamen ad participium maxime convenire videbatur. Deinde vulgo *et fidem porrexit*, quae particula consensu meliorum coarguitur.

quem contra arma tulerant] Tulerant pro vulg. *tulerunt* Stephanus et Lambinus ediderunt, sed hic in marg. repetitae recte et secundum fidem meliorum librorum voluit etiam *quem contra*, quod Graevius cum alterum reciperet, non animadvertit, servavitque vulgarem ordinem. Atqui solet sic Cicero cum pronomine relativo. Deinde *momentum* Lambinus de coniectura dedit pro scriptura librorum omnium *monumentum*, admonitus eo quod Hotomanus annotavit, raram atque insolentem istam videri locutionem. Unum tamen suffragatorem invenit Lag. 45, si quid huic momenti esse potest. Receperunt cum Ernestio recentiores, nec ipse dubito, quin recte emendatum sit. Neque

mentum unquam fuit, mors et cruciatus erat constitutus? Vide, quam commodam defensionem excogita-
59 ris. Malo mehercule, id, quod tu defendis, his iudicibus populoque Romano, quam id, quod ego insimulo, probari: malo, inquam, te isti generi hominum, quam mercatoribus et naviculariis inimicum atque infestum putari. Meum enim crimen avaritiae te nimiae coarguit: tua defensio furoris cuiusdam, et immanitatis, et inauditae crudelitatis, et paene novae proscri-
154 ptionis. Sed non licet me isto tanto bono, iudices, uti: non licet. Adsunt enim Puteoli toti: frequentis-

---

enim de Pompeii quodam *monumento in republ.* antea dictum est, (si omnino hoc Latine intelligi potest, *monum. in re publica:*) at ille Sullanarum partium victoriam non modo adiuverat, sed perfecerat: Verres, utrascunque partes secutus erat, vile additamentum causae fuerat, i. e. nunquam *momentum* in rep. fecerat. Ceterum Lambinus inverso ordine, quam quo vulgo est, *mom. unquam*, et firmant Guelff. nostri et Havn. coll.

§. 153. *Malo mehercule]* Iteratur vulgo *malo, malo,* sed hoc unde acceperint Hervagianae et Victorianae editores ignoro, cum in utriusque familiae codicibus, quorum quidem accuratiorem notitiam habemus, semel tantum verbum legatur. Nec probarem, sicubi inveniretur. Non enim παθητικὸς locus est, et ipsa res alia statim ratione explicatur. *Mehercule* primum comparet in textu repet. Lambinianae. Antea fuit *mehercules* ex deterioribus plerisque. Nam Lag. 1. 42 melioribus in hac re accedunt. — *avaritiae te nimiae]* Nimis leni verbo reprehendere videtur: sed rem consulto hoc quidem loco minuit. Video tamen et olim Lambinum et nuperrime Madvigium in eo verbo offendisse: ille omisit, et suffragatorem invenit Lag. 48, hic *tantum* scribendum coniecit, usus etiam inexplicabili scribendi compendio, quod est in Havn. coll. (pro *te nimiae*) *tnite*, quamquam hoc quidlibet potius, quam *tantum* videtur esse. Guelff. *Et enim.* Coniicerem, si necesse esset: *infinitae.* Verum nihil mutandum videtur: *nimiae* reliqui libri omnes, quorum fide edidit Naugerius, cum in vetustioribus esset *nimium*, quod in scriptis nostris non est nisi in Lag. 14 a pr. manu.

§. 154. *non licet]* Quidni liceat tibi, M. Tulli? At tu anceps negotium putasti, nec gratum potentibus, qui omnes, ne Pompeio quidem tuo excepto, quamquam palam audire nollent, manus civili sanguine imbuerant. Itaque prudens deflectis, eoque te vertis, ubi tutior ratio dicendi est.

simi venerunt ad hoc iudicium mercatores, homines locupletes atque honesti, qui partim socios suos partim libertos, ab isto spoliatos, in vincula coniectos, partim in vinculis necatos, partim securi percussos esse dicunt. Hic vide, quam me sis usurus aequo. Cum ego P. Granium testem produxero, qui suos libertos abs te securi percussos esse dicat, qui abs te

---

§. 154. *partim libertos]* Adiicitur apud Stephanum in variet. lect. et in codd. Leid. Guelff. Havn. coll. (verbis *ab isto* omissis) *partim conlibertos*, singulari et nimium diligenti enumeratione hominum sive testium. Nihil impedit, quominus et liberti Verrem persecuti dicantur: sed quorum mortes ulciscebantur, si liberi homines erant, mercatorum, qui antea appellati sunt, aut socii aut liberti erant: tertium non datur. Vel sic cogita: quorum conlibertorum mortes ulti dicuntur, ii haud dubie patronos suos habebant, cum illis communes: itaque cum vindices suos iam invenissent, conlibertorum opera frustra insumeretur. Itaque tam quaesitam et evagantem quidem enumerationem non arbitror Ciceronis esse: verbum mihi quidem videtur pertinere ad interpretationem *sociorum.* In iisdem codicibus, quamquam Stephanus silet, nec Leidensis commemoratur, (sed accedit unus Lambinianus) omittitur membrum *partim in vinculis necatos.* Recte omissum existimavit Ernestius, quoniam in exemplis subiectis nullum esset hominis in vinculis interfecti. Leve argumentum, nec difficile ad refellendum, quandoquidem eorum qui clam interempti essent vestigia non ad palum usque et securim ferebant, neque continebantur nisi rationario carceris. Cf. supra §. 149. Verum aliud non animadvertit Ernestius, si illa verba deleantur, ne quod sequitur quidem *partim* stare posse. Itaque Beckius hoc quoque sese ostendit deleturum: et recte, ni praestaret, cum causa omittendi in promptu sit, scripturam reliquorum librorum, quae alioquin abhorrere videtur ab ingenio veterum interpretum, intactam servare. Sed *dicunt* extremum nihil impedit quominus e Lambiniana editione et libris Guelff. et Havn. coll. recipiamus: immo multo ἐναργέστερον quam vulgatum *dicent.* Ceterum Madvigius in Epist. ad Orellium p. 131 erudite ostendit, cur Puteoli potissimum ad hanc rem adhibeantur: fuisse enim illam quasi sedem quandam mercaturae et navigationis ex Asia et Aegypto, et imprimis celebrari classem Alexandrinam quotannis tum alia, tum frumentum Puteolos advehentem. Conf. Ciceronem in Vatin. 5 §. 12 et p. Rabirio Post. 14 §. 40, porro Senec. Epist. 77. Sueton. Aug. 98. Strab. XVII. p. 793; eodemque pertinere granaria illa Puteolana apud Cic. de Fin. II, 26 §. 84. — *abs te securi]* et statim *abs te navem* e Guelff. et Havn. coll. et partim Leid. et Lambini vet. cod. dedimus

navem suam mercesque repetat; refellito, si poteris: meum testem deseram, tibi favebo: te, inquam, adiuvabo: ostendito, illos cum Sertorio fuisse, a Dianio fugientes ad Siciliam esse delatos. Nihil est, quod te mallem probare: nullum enim facinus, quod maiore supplicio dignum sit, reperiri neque proferri potest.
155 Reducam iterum equitem Romanum, L. Flavium, si voles: quoniam priore actione, ut patroni tui dictitant, nova quadam sapientia, ut omnes intelligunt, conscientia tua atque auctoritate meorum testium, testem nullum interrogasti. Interrogetur Flavius si voles, quinam fuerit T. Herennius, is, quem ille argen-

---

pro vulg. *a te*, et perpetuum hoc in his certe orationibus esse, si unum locum exceperis IV, 20 §. 43, ubi boni libri aliquot *a te* habent, observavimus ad lib. III, 60 §. 138. Tum *ab Diano* Guelff., *ab* etiam Havn. coll.

§. 154. *quod te mallem]* Non vereor ne soloecc videar Ciceronem loqui iubere, quod Imperfectum pro vulg. *malim*, revocavi ex Guelff. ambobus et Havn. collatione. Opus est enim significatione fieri non posse, quod cupere se dicit: eamque ipsam ob causam puto tam fortiter eum Marianorum hominum patronum sese ostentare. Sic ignoscitur ei κενὴν νικῶντι ab iis, qui tum rem publicam tenebant, quod non fieret, nisi ipse significaret verbi causa et adversarii premendi gratia proponi. Eadem causa fuit, cur supra cap. 53 *possem* pro vulg. *possim* restitueremus.

§. 155. *conscientia tua* cet.*]* Structura orationis paulo insolentior. Vide Gramm. nostram §. 454. — *quinam fuerit T. Herennius]* „Lib. I, 5 hunc ipsum Herennium *negotiatorem ex Africa* fuisse dicit, quem hic *argentariam Lepti* fecisse. Vide Indicem Ernestii v. *negotiator* et *argentaria.* Insignis est hic Tullii locus ad ea confirmanda, quae de negotiatoribus vir ille maximus verissime docuit. *Leptis* erat in Africa, unde directa Melitam et Pachynum nec longa navigatio: proinde Syracusis esse frequens Herennius poterat, et multos in Africa ipsa ex illis civibus Romanis iam ante cognosse.“ Garatonius. Ceterum hominem, cuius in editis praenomen adhuc *L.* fuit, *T.* appellavimus consensum codicum h. l. secuti: infra plerique *L.* sed nonnulli tamen etiam illic *T.* Quarum notarum observata confusione emenda locum in Philipp. XI, 6 §. 14 et pro *L. Planco* scribe *T.* Hic enim tribunicius, L. consul designatus erat, cf. Phil. XIII, 12 extr.

tariam Lepti fecisse dicit: qui cum amplius centum cives Romanos haberet ex conventu Syracusano, qui eum non solum cognoscerent, sed etiam lacrimantes ac te implorantes defenderent, tamen inspectantibus omnibus Syracusanis, securi percussus est. Hunc quoque testem meum refelli, et illum Herennium Sertorianum fuisse abs te demonstrari et probari volo.
Quid de illa multitudine dicemus eorum, qui, capiti- 60
bus involutis, in piratarum captivorumque numero pro- 156
ducebantur, ut securi ferirentur? Quae ista nova diligentia? quam ob causam abs te excogitata? An te L. Flavii ceterorumque de T. Herennio vociferatio commovebat? an M. Annii, gravissimi atque honestissimi viri, summa auctoritas paulo diligentiorem timi-

---

§. 155. *ex conventu Syracusano]* Edd. veteres et codd. deteriores *Syracusarum*, e melioribus Stephanus et Lambinus ediderunt *Syracusano*, sed cum in textu repetitae Lambinianae aut incuria aut falsa opinione correctoris factum esset *Syracusanorum*, hoc in Gruteriana et Ernestiana haesit, donec recentiores auctore Garatonio restituerunt *Syracusarum*. Sed nihil verius, addo nunc etiam tutius, quam recipere Lambinianam lectionem. Cf. ad IV, 25.

tamen inspectantibus] Vulgo *tamen a te, insp* Sed cum in deterioribus codd. (VIII Lagom. Huyd. Oxon.) sola praepositio omittatur, tum a Stephaniano et Lambiniano codice, Guelf. ambobus, Havn. coll., totum hoc *a te*, et rectissime quidem, abest. Sed quod in ipsa edit. Stephaniana et Lambiniana legitur *Syracusis*, quamvis *vet. cod.* Lambinus auctorem addat, tamen vulgare mendum est, ne librariorum quidem puto, nam saepe dubito an *v. c.* nonnunquam ipsam dixerit Stephanianam editionem, quippe ad fidem codicis exactam.

§. 156. *piratarum captivorumque]* "Ἐν διὰ δυοῖν: nam qui alii fuerint *captivi?* In Guelf. 1 *que* non est: fort. igitur *piratarum captorum*. — *abs te excog.]* Sic Stephanus, Lambinus, Graevius, Ernestius rel. e suis libris. Deteriores *cogitata*. Lag. 29, qui et ipse *excogitata* habet, tamen et h. l. et paulo ante *a te* contra Ciceronis usum in his quidem oratt. mirum quam constantem. Nam mox in hac eadem §. ubi adhuc vulgo est *a te*, itidem *abs te* scribendum ex Havn. coll. et utroque Guelferbytano. — *paulo diligentiorem]* Deteriorum cohors *paullo ante diligentiorem*, ex iis edd. vetustae et Victoriana. Sed Hervagianus editor *ante* omisit, eumque P. Manutius, Stephanus,

dioremque fecerat? qui nuper pro testimonio, non advenam nescio quem nec alienum, sed eum civem Romanum, qui omnibus in illo conventu notus, qui Syracusis natus esset, abs te securi percussum esse
157 dixit. Post hanc illorum vociferationem, post hanc communem famam atque querimoniam, non mitior in supplicio, sed diligentior esse coepit. Capitibus involutis cives Romanos ad necem producere instituit: quos tamen iccirco necabat palam, quod homines in conventu (id quod antea dixi) nimium diligenter prandonum numerum requirebant. Haecine plebi Romanae, te praetore, est constituta condicio? haec negotii gerendi spes? hoc capitis vitaeque discrimen? Parumne multa mercatoribus sunt necessario pericula subeunda fortunae, nisi etiam hae formidines ab nostris magistratibus atque in nostris provinciis impendebunt? Ad eamne rem fuit haec suburbana ac fidelis Sicilia, plena optimorum sociorum honestissimo-

---

Lambinus secuti sunt, donec in textu repetitae Lambinianae extitit pro illo *te*, et per Gruterum facta est vulgata. Sed praestat meliorum auctoritatem sequi, quam correctionem alioquin non improbabilem.

§. 157. *dixi]* Sic Lambini v. c. in margine, Leid. Guelff. Havn. collatio: editi *diximus*. *Ante dixi* et *antea dixi* perinde est, sed nusquam est *diximus* in hac locutione. Mox *haeccine* edi coeptum est in Hervagiana et Victoriana, cum antea fuisset *haec in plebe*, quod et est in Lagomarsinianis omnibus, Oxon. Huydecoperano. Lambinus scripsit *haecine*, recte, opinor, veterem et pronuntiandi et scribendi rationem servans. Cf. ad cap. 25, et 63 pr.

ac fidelis Sicilia] Vulgo *provincia* interponitur, sed alterutro verbo libenter carebis: *Siciliam* abesse maluit Hotomanus, et quam codicis auctoritatem desideravit, eum nunc praebet Lagom. 29. Contra meliorum familia, Stephanianus, Guelff. Havn. coll., consentit in omittenda *provincia*. His paruimus, nihil morati, quod interiectis aliquot membris *Sicilia* repetitur, id quod videtur necesse fuisse, ut cum vi opponeretur Syriae et Aegypto. Mox *et honestissimorum civium Rom.* editiones veteres omnes: Gruterus primus et *honestissimorumque* scripsit cum summo codicum consensu, et *Romanorum* sustulit

rumque civium, quae cives Romanos omnes suis ipsa sedibus libentissime semper accepit, ut, qui usque ex ultima Syria atque Aegypto navigarent, qui apud barbaros propter togae nomen in honore aliquo fuissent, qui ex praedonum insidiis, qui ex tempestatum periculis profugissent, in Sicilia securi ferirentur, cum se iam domum venisse arbitrarentur?

Nam quid ego de P. Gavio, Consano municipe, 61
dicam, iudices? aut qua vi vocis, qua gravitate ver- 158
borum, quo dolore animi dicam? tametsi dolor non deficit: ut cetera mihi in dicendo digna re, digna do-

---

auctoritate optimorum, a vulgata scriptura eam ob causam, opinor, discedens, quod illam Lambinus servarat.

§. 158. *Consano municipe]* Sic h. l. codices plerique, pauci *Cossano*, verum infra plerique *Cossanus*, *Cossanum* cet. Itaque proinde editiones veteres: antiquissimae *Consano*, quod servarunt Victoriana et ex ea Manutius, Stephanus, Lambinus, cum in Hervagiana scriberetur ex eaque in repetit. Lambiniana restitueretur *Cossano*. Gruterus, cum in Palatinorum uno *Consano:* in altero *Cossano* invenisset, ipse tamen *Cosano* edidit, e Cuiaciano, ut videtur velle dicere. Certe sic acceperunt reliqui, eamque ob causam, postpositis veterum librorum scripturis, hominem *Cosanum* ex Etruria perpetuo ferunt. Sed certum est errasse Gruterum in commemorando illo libro, nam ceteri boni libri Guelff. et Havn. coll. hoc quidem loco *Consano* item ut deteriores exhibent, neque Lambinus, qui solet, ubi vet. cod. discrepat, quicquam notavit. Accedit, quod cum ista regione non convenit, quod infra c. 66 Gavius traditur ex cruce in litore fixa *domum suam prospicere* potuisse, id quod rectissime Orellius observavit; contra quod illi crimini dabatur a fugitivis missum esse, ad Lucaniam magis pertinet, ubi maxime servorum copiae versabantur. Utique intelligitur etiam hac ex re, quam anceps negotium sit, in eiusmodi rebus ab auctoritate veterum librorum discedere. Nam *Consanus* eadem prorsus ratione a *Compsa*, Hirpinorum urbe, formatum est, ut paludes *Pomptinae* vulgo etiam *Pontinae* vocatae sunt, atque ipsa urbs hodie *Conza* i. e. *Consa* vocatur. Apud Livium lib. XXIII, 1 eadem fere librorum varietas est. nec improbabile *Consanos* fuisse. Sed ut non reprehenderim qui illic *Compsanos* omnibus litteris expresserunt, sic qui *Cosanum* hic obtruserunt, minime ferendi. — *tametsi dolor non deficit]* Sentit se dum verba continuat minus apte dixisse: itaque corrigit. Sed sustulimus quod vulgo interponitur paulo languidius *me* auctoritate Guelff. amborum.

lore meo suppetant, magis elaborandum est. Quod crimen eiusmodi est, ut, cum primum ad me delatum est, usurum me illo non putarem: tametsi enim verissimum esse intelligebam, tamen credibile fore non arbitrabar. Coactus lacrimis omnium civium Romanorum, qui in Sicilia negotiantur, adductus Valentinorum, hominum honestissimorum, omniumque Rheginorum testimoniis, multorumque equitum Romanorum, qui casu tum Messanae fuerunt, dedi tantum priore actione testium, res ut nemini dubia esse pos-
159 set. Quid nunc agam? Cum iam tot horas de uno genere ac de istius nefaria crudelitate dicam; cum prope omnem vim verborum eiusmodi, quae scelere istius digna sint, aliis in rebus consumpserim, neque hoc providerim, ut varietate criminum vos attentos tenerem: quemadmodum de tanta re dicam? Opinor, unus modus atque una ratio est. Rem in medio ponam: quae tantum habet ipsa gravitatis, ut neque mea, quae nulla est, neque cuiusquam ad inflamman-
160 dos vestros animos eloquentia requiratur. Gavius hic,

Mox *laborandum est* Leidensis, Stephanus (in variet. lect.) cum v. c. in margine Lambini et Havn. collatione. Non placet, cum *elaborare* veram et propriam significationem habeat curandi ut id fiat quod concupiveris. Si esset *laboro*, probarem: sed de necessitate laborandi non est quod dicat.

§. 158. *Rheginorum testimoniis]* Hoc loco in codd. integrioribus collocatur verbum *testimoniis*, olim vulgo post *honestissimorum*, contra libros a Lambino in fine, ubi sane maxime placuerit. Gruterum fefellit repetitorum incuria, in hac re contra propositum suum Lambinum secutorum: reliqui Grutero fidem habuerunt. Sed mox Lambinus e fide librorum meliorum *testium* dedit, ubi deteriores et edd. vett. *testimonium* habent mendose. In fine *possit* Guelf. 1 et Lag. 29, sed manifesto res pertinet ad tempus praeteritum.

§. 159. *digna sint]* ediderunt iam pro vulg. *sunt* Stephanus et Lambinus. Ernestius, quasi de integro, cum in Guelf. 2 invenisset, restituit. Elegantior hic verbi modus quin sit, nemo nunc dubitat. Sed firmatur etiam Guelf. 1 et Lag. 29. (non Havn. coll.) auctoritate.

quem dico, Consanus, cum in illo numero civium Romanorum ab isto in vincla coniectus esset, et nescio qua ratione clam e lautumiis profugisset, Messanamque venisset: qui tam prope iam Italiam et moenia Rheginorum videret, et ex illo metu mortis ac tenebris quasi luce libertatis et odore aliquo legum recreatus revixisset; loqui Messanae et queri coepit, se civem Romanum in vincla coniectum, sibi recta iter esse Romam, Verri se praesto advenienti futurum.
62 Non intelligebat miser, nihil interesse utrum haec Messanae, an apud ipsum in praetorio loqueretur. Nam, ut antea vos docui, hanc sibi iste urbem delegerat, quam haberet adiutricem scelerum, furtorum receptricem, flagitiorum omnium consciam. Itaque ad magi-

---

§. 160. *in illo num. civium Rom.]* Libri vulgares et edd. vetustae *illo numero*, nihil amplius: Hotomanus adiiciendum censuit praepositionem *in*, sed falsam in ea re elegantiae speciem secutus, quod interponeret, non praeponeret. Recepit P. Manutius in edit. 1559, et per textum Lambinianae repetitae ad Gruterum et Ernestium propagatum est. Sed dudum Stephanus et Lambinus e suis libris et rectius et plenius ediderunt, uti praescriptum vides. Suffragatur codex Regius, quamquam negligentius Graevius quidem nihil de addito verbo *Rom.* tradidit. *Vincla* et h. l. et paulo post plerique codices, ut non fere nisi Lag. 29 *vincula* servet: edd. variant. — *qui tam prope]* Adiecimus *tam* ex utroque Guelf. et coll. Havniensi: nam confert etiam nonnihil ad sententiam. Sed quamvis et illi libri et vetus Stephani in eo consentiant, ut post nomen *Rheginorum* adiiciant *civium Romanorum*, vereor tamen ne explicatio magistri sit. Deinde ordinem verborum secundum auctoritatem meliorum immutavimus, qui vulgo est *loqui Messanae coepit et queri.* — *se civem Romanum in vincla coniectum]* Addiderunt *civem Rom.* primum Hervag. et Victor. cum in deterioribus non legatur. Sed *esse* ante *coniectum* et ipsi servarunt et servatur hodie, quamvis in plerisque libris utriusque ordinis non sit, et recte in hoc articulato dicendi genere absit.

§. 160. *flagitiorum omnium consciam]* Sic pro vulg. *sociam* Stephanus in varietate lect. et Lambini vet. cod., sed sibi dicit in marg. non placere Lambinus. Mirum, cum eadem urbs in loco simillimo IV, 8 *libidinum testis* vocetur, nec sane plus quam vidit et adiuvit. Nec Guelferbytani aut Havn. coll. suos destituunt. *Receptrix* eadem vocatur

stratum Mamertinum statim deducitur Gavius: eoque ipso die casu Messanam Verres venit. Res ad eum defertur: esse civem Romanum, qui Syracusis in lautumiis se fuisse quereretur; quem, iam ingredientem navem, et Verri nimis atrociter minitantem, a se retractum esse et asservatum, ut ipse in eum statue-
161 ret, quod videretur. Agit hominibus gratias, et eorum benivolentiam erga se diligentiamque collaudat. Ipse inflammatus scelere et furore in forum venit. Ardebant oculi: toto ex ore crudelitas eminebat. Expectabant omnes, quo tandem progressurus, aut quidnam acturus esset: cum repente hominem proripi, atque in foro medio nudari ac deligari, et virgas expediri iubet. Clamabat ille miser: se civem esse Romanum, municipem Consanum: meruisse cum L. Precio, splen-

---

illo loco, ne cum Er. Memmio, illo patrono Lambini, velis esse *receptatricem:* nam et *receptor* dicitur et *receptator*. *Antea* quod est dedimus e Guelff. et edit. Lambiniana: reliqui *ante*.

§. 160. *Verres venit]* Gruterus et reliqui *venit Verres* contra libros, praeter unum Lag. 42. Deinde *refertur* Lag. VIII et Huydec. et Guelf. 1. Editi summo consensu *defertur*. Tum vulgo *qui se Syr. in lautumiis fuisse:* nos nunc *se* loco movimus auctoritate Guelf. 2 et Havn. collationis, Guelf. 1 utroque ponit.

§. 161. *beniv. erga se]* Ordo verborum est ex Guelff. et Lambini vet. cod. Vulgo *erga se benev.* Sed *i* vocalem certissimus veterum monumentorum consensus postulat. Cf. Spaldingium ad Quintil. Inst. III, 7, 24 cum Supplementis.

crudelitas eminebat] Locus laudatur a Quintiliano Inst. IX, 2, 40 et Gellio X, 3: sed quod apud illum olim legebatur *emicabat*, Lambinus de sententia Hotomani Ciceroni reddendum sibi esse putavit. Interim exactis editionibus illorum scriptorum ad fidem codd. mss. istae auctoritates conciderunt. Neque verius quicquam quam *eminebat*, i. e. praeferebatur, prodebatur. Curtius VIII, 5 (1 extr.) *Eminebat etiam in voce sceleris, quod parabat, atrocitas.* — *Expect. omnes]* Guelff. *homines.* Placere posset, nam quo pertinere dicimus *omnes?* Verum *homines* nimis prope fuerunt, et illi sunt alii, quam qui tum in foro.

meruisse cum L. Precio] Vulgo *meruisse se cum L. Pretio*, sed pronomen nec in Guelff. et Havn. nec in edd. Stephani et Lambini

didissimo equite Romano, qui Panhormi negotiaretur, ex quo haec Verres scire posset. Tum iste se comperisse ait, eum speculandi causa in Siciliam ab ducibus fugitivorum esse missum: cuius rei neque index, neque vestigium aliquod, neque suspicio cuiquam esset ulla: deinde iubet undique hominem vehementissime verberari. Caedebatur virgis in medio foro 162
Messanae civis Romanus, iudices; cum interea nullus gemitus, nulla vox alia illius miseri inter dolorem crepitumque plagarum audiebatur, nisi haec, *civis Romanus sum.* Hac se commemoratione civitatis omnia verbera depulsurum, cruciatumque a corpore deiecturum arbitrabatur. Is non modo hoc non perfecit, ut virgarum vim deprecaretur: sed, cum imploraret saepius usurparetque nomen civitatis, crux, crux, inquam, infelici, et aerumnoso, qui nunquam istam pestem viderat, comparabatur.

---

legitur, et cum vi quadam e praegressis repetitur. Nomen autem viri *c* littera in Lag. 29 et Guelf. 1 Havn. (*recio*) scribitur, Guelff. 2 *rectio:* et a *prece* potius. quam a *pretio* formatum putaverim. Accedunt inscriptiones antiquae apud Gruterum. Mox *ait* a Lag. 29 et utroque Guelf. abest, omittique voluit Stephanus in var. lectionis. *Aliquod* non est in Lag. 29.

§. 161. *hominem vehementissime]* Deteriores cum edd. antiquis *hominem proripi vehementissimeque* prorsus inepte. Correxit Graevius e Regio, Ernestius ex Guelf., sed multo ante illos Stephanus, quem ne Lambinus quidem secutus erat.

§. 162. *Hac se commemoratione]* Guelf. 1 *ac non ad eos*, 2 *at si non ad eos*, i. e. omissis quae sequuntur omnibus usque ad principium capitis 67. Eadem lacuna est in eo codice, cuius collatio Havn. est, aliquot versibus maior in Leidensi. Etiam Stephani emendationes per idem spatium nullae sunt, nec Lambinus suum *v. c.* commemorat.

istam pestem viderat] Delector Ernestii sagacitate, qui, cum vulgo ederetur *nunquam istam potestatem viderat*, quamvis explicaret „nempe ut cives indicta causa verberarentur," tamen sibi totum hoc parum placere fateretur. Neque enim illa *potestas* fuit, sed minime ferendus potestatis abusus. Destituti hoc in loco sumus illorum antea optimorum librorum praesentissimo auxilio, sed superest Lago-

63 O nomen dulce libertatis! o ius eximium nostrae
163 civitatis! o lex Porcia legesque Semproniae! o graviter desiderata et aliquando reddita plebi Romanae tribunicia potestas! Hucine tandem omnia reciderunt, ut civis Romanus in provincia populi Romani, in oppido foederatorum, ab eo, qui beneficio populi Romani fasces et secures haberet, deligatus in foro virgis caederetur? Quid? cum ignes candentesque laminae ce-

---

marsinianus 29, incertae quidem fidei, quippe saepe negligentiae, saepe interpolationis suspectus, sed in plerisque tamen propinquitatem cum integerrimis prae se ferens. Is h. l. *pestem* habet pro *potestate.* Optime, opinor, et quod vel coniectura reperire debuerimus. Nam *pestis* ipse Verres non raro appellatur, aliique eius similes perniciosi homines, non modo addito genitivo, quod frequentissimum, sed etiam absolute, ut III, 54 med. *importunissima pestis.*

§. 163. *lex Porcia legesque Semproniae]* Ipse orator pro C. Rabirio c. 4 *Porcia lex virgas ab omnium civium Romanorum corpore amovit, — C. Gracchus legem tulit, ne de capite civium Rom. iniussu vestro* (populi Rom.) *iudicaretur.* Livius X, 9 facta mentione legis Valeriae de provocatione (anno a. Chr. nat. 300 latae) *Porcia tamen lex sola pro tergo civium lata videtur, quae* (sic legendum arbitror e codd. pro vulgato *quod*) *gravi poena, si quis verberasset necassetve civem Romanum, sanxit.* Alii quoque scriptores in hoc consentiunt, liberatos ea lege a metu virgarum et verberum cives Romanos, Sallustius Catil. in orat. Caesaris et Plinius hist. nat. VII, 43 — necis causa, sive ad mortem usque, intelligo. *Aliis legibus,* non Porcia, exilium damnatis civibus permissum esse, Caesar dicit apud Sallustium §. 40. Fortasse inter eas una Sempronia est, nam quae plures hoc loco dicantur, ignoro. Sed quia in lege Porcia nihil de provocatione videtur fuisse, legem Porciam non puto ad P. Porcium Laecam, Trib. plebis, (vide apud Bachium in historia Iurispr. Rom. lib. II, cap. II §. 35) pertinere, sed ad celebrem illum M. Porcium Catonem, qui sese *pro scapulis* dixisse apud Festum sub ea voce tradit. — *Hucine]* Sic edd. vetustae et restituit Lambinus. Lag. 29 *hucne.* Vulgo *huccine* scribitur. Cf. ad c. 25 pr. — *civis Rom]* Olim editi usque ad repet. Lambinianam *cives Ro.* (sic) sed tamen *caederetur.*

candentesque laminae] Sic mediae aetatis editiones ab Hervagiana et Victoriana usque ad Gruterum, qui ex editionibus principibus codicibusque vulgaribus, item e Gellii exemplaribus X, 3, *ardentes* restituit. Cum Hervagiana scriptura facit Lag. 29, estque illud verbum proprium, cf. Horatium in Epist. I, 15, 36. Incenduntur enim donec

terique cruciatus admovebantur, si te illius acerba imploratio et vox miserabilis non inhibebat, ne civium quidem Romanorum, qui tum aderant, fletu et gemitu maximo commovebare? In crucem tu agere ausus es quemquam, qui se civem Romanum esse diceret? Nolui tam vehementer agere hoc prima actione, iudices: nolui. Vidistis enim, ut animi multitudinis in istum dolore et odio et communis periculi metu concitarentur. Statui egomet mihi tum modum et orationi meae, et C. Numitorio, equiti Romano, primo homini, testi meo: et Glabrionem, id quod sapientissime fecit, facere laetatus sum, ut repente consilium in medio testimonio dimitteret. Etenim verebatur, ne populus Romanus ab isto eas poenas vi repetisse videretur,

---

candefiant laminae, ut stigmata inurantur servis maleficis. Gellius mox *leniebat* pro *inhibebat*, recepitque Lambinus: ceteri facile quam parum illud verbum huic loco aptum esset, intellexerunt.

§. 163. *et orationi meae]* Addidimus *et* e Lag. 29: nam in eiusmodi orationis forma, *statui mihi modum orationi meae*, abundare pronomen eleganter nec Gulielmo nec cuiquam credo. Senserat Lambinus aliquid corrigendum esse, censuitque addendum esse *faciendum:* sed lenius hoc erit remedium. Tum *primario homini* typographi Gruteriani, ipso invito, servarunt, latuitque ea res Ernestium: edd. enim Hervagiana vetustiores et codices omnes *primo homini* habent, de quo vide quae ad I, 26 §. 67 annotavimus, ubi obliti sumus laudare IV, 23 pr.

consilium in medio testimonio] Ausus sum aliquid, non nego, sed quod in hac parte orationis, ubi integerrimi cuiusque codicis auxilio destituimur, ferri debeat, quod pro vulgata lectione *ut repente consilio in medio testem dimitteret* Hotomani coniecturam recepi. Nam, ut taceam de insolito et insuavi hyperbato *in medio consilio* si cum Nannio velis esse dum iudices deliberant, testis ante dicit, quam iudices in consilium mittuntur, sive cum Hortensio dictum velis de coetu iudicum, primum deberet esse *e consilio*, tum ne hoc quidem verum est, testem inter iudices considentes dicere. Sed de consilio dimittendo lege simile factum lib. I de Orat. c. 26 extr., nec dubium esse potest, quin ita praetor facere et potuerit et solitus sit. Codicum mss. varietas nulla est, nisi quod in Lagomarsinianis nonnullis pro *dimitteret* legitur *mitteret*. — *repetisse videretur]* artificiose dictum pro *repeteret*, quod esset invidiosum, observat Ernestius, posito conse-

quas veritus esset ne iste legibus et vestro iudicio
164 non esset persoluturus. Nunc, quoniam exploratum est omnibus, quo loco causa tua sit, et quid de te futurum sit: sic tecum agam. Gavium istum, quem repentinum speculatorem fuisse dicis, ostendam, in lautumias Syracusis a te esse coniectum, neque id solum ex litteris ostendam Syracusanorum, ne possis dicere, me, quia sit aliquis in litteris Gavius, hoc fingere et eligere nomen, ut hunc illum esse possim dicere: sed ad arbitrium tuum testes dabo, qui istum ipsum Syracusis abs te in lautumias coniectum esse dicant. Producam etiam Consanos, municipes illius ac necessarios, qui te nunc sero doceant, iudices non sero, illum P. Gavium, quem tu in crucem egisti, civem Romanum et municipem Consanum, non specu-
64 latorem fugitivorum fuisse. Cum haec omnia, quae
165 polliceor, cumulate tuis proximis plana fecero: tum

---

quente pro re ipsa et antecedente. Recte, quamquam non tam artificium in ea re agnosco, quam dicendi rationem Ciceroni usitatam. Vide si placet Gramm. nostram §. 751. Lag. 29 *ac vestro*. Ceterum ipse statuas, utrum illa causa fuerit, an Glabrionem, modestum et temperatum hominem (cf. Brut. c. 68), magis suspicere, quod ei vehementia et accusatoris et testis displicuerit, consilium subito dimisisse. Certe non raro factum legimus.

§. 164. *quoniam exploratum]* Vulgo *quoniam iam exploratum* ingrato et inutili additamento. Id sustulimus, cum absit a Lag. 29, in hac parte orationis optimorum illorum, quibus antea in talibus rebus concedere solebamus, locum tenente. Idem mox *aliqui* pro *aliquis*, et *hoc ipsum possim* pro *hunc illum esse possim*, quod non probamus. *Repentinum speculatorem* recte explicat Hotomanus, de quo antea nihil eiusmodi auditum esset, nec ulla suspicio fuisset.

ad arbitrium tuum] Sic unus Lag. 29, sed tuebitur ipse sese Cicero, qui nusquam aliter. Vulgo enim *secundum arbitrium tuum*. Extr. §. *et* ante *municipem* abest a Lag. 29.

§. 165. *tuis proximis]* Explicat I. Fr. Gronovius in Obss. I, 24, esse advocatos et studiosos Verris, qui in iudicio adsint, qui in rei subselliis. Ita lib. II, 44 *Videtis illum, qui tabulas tenet, qui scribit, qui monet, qui proximus est.* Etiam extra causam *proximos*

istuc ipsum tenebo, quod abs te mihi datur: eo contentum me esse dicam. Quid enim nuper tu ipse, cum populi Romani clamore atque impetu perturbatus exiluisti, quid, inquam, locutus es? illum, quod moram supplicio quaereret, ideo clamitasse, se esse civem Romanum: sed speculatorem fuisse. Iam mei testes veri sunt. Quid enim dicit aliud C. Numitorius? quid M. et P. Cottii, nobilissimi homines, ex agro Tauromenitano? quid Q. Lucceius, qui argentariam Rhegii maximam fecit? quid ceteri? Adhuc enim testes ex eo genere a me sunt dati, non qui novisse Gavium, sed se vidisse dicerent, cum is, qui se civem Romanum esse clamaret, in crucem ageretur. Hoc tu, Verres, idem dicis: hoc tu confiteris illum clamitasse, se civem esse Romanum: apud te nomen

---

se qui lateri haererent, qui frequenter cum aliquo essent: Cic. X ad Att. 25 *quibus* (erroribus et miseriis) *proximi utinam mederi maluissent;* in Pisonem 32 *Caesar me sui totius consulatus eorumque honorum, quos cum proximis communicavit, socium esse voluit.* Haec pertinent ad redarguendas suspiciones, Lambini, qui *testibus productis* aut *testibus* simpliciter, Lipsii, qui *diebus proximis* hic legendum coniecerant.

§. 165. *locutus es]* Lag. 29 *elocutus es*, quo tamen verbo Cicero non utitur nisi cum de ratione dicendi, quam *elocutionem* appellamus, agit. Idem cum paucis aliis in iis quae sequuntur *se esse civem* omittit *esse.* — *Cottii]* Edd. veteres usque ad Gruterum *Cotii*, sed Lag. 29 et 42 duplicem litteram firmant, quamquam ille quidem *Coctii.* Deinde *Lucceius* cum Graevio dedimus et Lag. 29: reliqui fere *Luccius. Regii* sine aspiratione libri mss. omnes, et fuerunt qui sic scribendum censerent, Dausquius in Orthogr. et Graevius ad Cic. Epist. XII, 25 Nimirum abutuntur ignorantia librariorum, et vero etiam sculptorum, qualis est qui in Thesauro Grut. p. CL, 7 et *Regium* et *ponthes* exaravit. — *quid ceteri]* Libri olim editi et manuscripti, ut videtur, omnes *quid enim ceteri?* Primus mediam vocem sustulit Lambinus, neque eam postea requisivit quisquam. — *sed se vidisse dicerent]* Vulgo *sed qui se. Qui* abest a Lagom. praeter 1 et 45 omnibus, aliquot etiam *se* omittunt, qualem fere causam fuisse puto, cur Lambinus *non qui se novisse G. sed qui vidisse dicerent* ederet. — *civem esse Rom.]* Lag. 29 *civem Romanum esse.*

civitatis ne tantum quidem valuisse, ut dubitationem aliquam, ut crudelissimi taeterrimique supplicii ali-
166 quam parvam moram saltem posset afferre. Hoc teneo, hic haereo, iudices, hoc sum contentus uno: omitto ac negligo cetera: sua confessione induatur ac iuguletur necesse est. Qui esset, ignorabas: speculatorem esse suspicabare: non quaero, qua suspicione; tua te accuso oratione: civem Romanum se esse dicebat. Si tu apud Persas aut in extrema India deprehensus, Verres, ad supplicium ducerere: quid aliud clamitares, nisi te civem esse Romanum? et si tibi ignoto apud ignotos, apud barbaros, apud homines in extremis atque ultimis gentibus positos, nobile et illustre apud omnes nomen tuae civitatis profuisset: ille, quisquis erat, quem tu in crucem rapiebas, qui tibi esset ignotus, cum civem se Romanum esse diceret, apud te praetorem, si non effugium, ne moram quidem mortis mentione atque usurpatione civitatis asse-
65 qui potuit? Homines tenues, obscuro loco nati, navi-
167 gant; adeunt ad ea loca, quae nunquam antea vide-

---

§. 166. *ut dubitationem aliquam, ut crudelissimi]* Edd. vetustissimae et codd. Lagom. VII Huyd. Oxon. *dubit. aliquam crudelissimi.* Naugerius *dubitationem aliquam crucis, ut crudelissimi*, sicut e nostris unus Lag. 29. Inde in Victoriana primum correctum inveni *dilationem aliquam crucis*, eamque lectionem P. Manutius, Stephanus, Lambinus cum repetitoribus secuti sunt. Gruterus veterum edd. scripturam restituit, sed *ut* tamen servavit. Nihil habeo melius, nam *dilatio aliqua crucis* cum idem prorsus sit atque *mora*, quam deinde dicit, tum *crux* manifesto interpretationem prodere videtur.

§. 166. *Qui esset, ignorabas]* Vulgo omnes inde a Naugerio signis interrogationis haec membra interpungunt. Non placet: nam sententiam ita arbitror procedere, ut dicat se illi concedere ut ignorarit et suspicatus sit, debuisse nihilominus animum attendere ad implorationem civitatis. — *se esse dicebat]* In Gruteriana excidit *se*, fortasse invito editore: nam in antiquioribus omnibus est, nec omittitur in codd. praeter Lag. 29, bonum quidem, sed saepe mendosum. Itaque restitui. Tum Lag. 29 *deprensus*, et *civitatis tuae* inverso ordine.

runt, ubi neque noti esse iis, quo venerunt, neque semper cum cognitoribus esse possunt. Hac una tamen fiducia civitatis non modo apud nostros magistratus, qui et legum et existimationis periculo continentur; neque apud cives solum Romanos, qui et sermonis et iuris et multarum rerum societate iuncti sunt, fore se tutos arbitrantur: sed, quocunque venerint, hanc sibi rem praesidio sperant esse futuram. Tolle 168

---

§. 167. *sperant esse futuram]* Sic libri mss., de quibus primum arbitramur dicendum esse, Huyd. Oxon. Lagom. omnes, praeter Lag. 27. 45. 48, qui et *esse* omittunt, et una cum Lag. 42 *futurum* habent. Lag. 14 *futurum* pro varia lectione habet: sed in eo et 49 Q. (sic). Gellius laudatur, ut fontem varietatis cognoscas. Nam A. Gellius I, 7 e libro *spectatae fidei Tironiana cura atque disciplina facto* totum hunc locum, quamquam minores quaedam discrepantiae non desunt, tamen imprimis hanc ob causam rettulit, ut Ciceronem *hanc sibi rem praesidio sperant futurum* antiquo more scripsisse, eamque dicendi rationem non mendosam esse demonstraret. Res indubitata est, ab antiquissimis nonnunquam Infinitivum futuri, Participii et genere et numero neglecto, indeclinabiliter prolatum esse, nec opus est, cum Gellium et Priscianum p. 864 Putschii auctores habeamus, recentiorum auctoritatibus uti. Cf. tamen Ruddimannum in Instit. lib. III c. 2 extr. pag. 285 Tom. I edit. Lipsiensis. Verum Priscianus recte et prudenter *antiquissimorum* eum fuisse morem docet, quae appellatio ad Plautum pertinet, ad Ciceronem non pertinet. Gellium maximi facio et veterem hominis eruditionem atque elegantiam admiror, sed, quod illius aetatis ingenium fuit, cum quicquid obsoletum esset, venustum putaret et studiose consequeretur, eius iudicio in librorum fide aestimanda paululum diffido. Nam si illa dicendi ratio etiam Ciceroni placuisset, qui factum esse dicimus, ut hoc uno tantum loco et in tam exiguo litterarum discrimine inveniatur? Nam quod laudant Epist. XIV, 1 *te* (ad Terentiam suam scribit) *vicum esse venditurum*, abutuntur vulgari mendo ne plurimorum quidem codicum. Mendum etiam h. l. in illo exemplari Gelliano fuisse puto, cuiusmodi multa ne in optimis quidem deesse constat: ego certe tum demum dubitare inciperem, si et varietas paulo gravior esset et codices, de quorum integritate nobis ex usu constaret, congruerent. Restat ut de editionibus breviter indicemus. Veteres igitur omnes *sperant esse futurum*, Stephanus *sperant esse futuram*, Lambinus *sperant futurum*, quod cum servatum esset a repetitoribus, Gruterus *futuram* tacitus correxit, *esse* omisit. Nec Ernestius quicquam annotavit. Recentiores tamen Gellii testimonium librorum Ciceronianorum, quos parum nossent, fidei praeposuerunt.

hanc spem, tolle hoc praesidium civibus Romanis: constitue nihil esse opis in hac voce, *civis Romanus sum;* posse impune praetorem aut alium quemlibet supplicium, quod velit, in eum constituere, qui se civem Romanum esse dicat, quod eum quis ignoret: iam omnes provincias, iam omnia regna, iam omnes liberas civitates, iam omnem orbem terrarum, qui semper nostris hominibus maxime patuit, civibus Romanis ista defensione praecluseris. Quid, si L. Precium, equitem Romanum, qui tum in Sicilia erat, nominabat? etiamne id magnum fuit, Panhormum litteras mittere? Asservasses hominem, custodiis Mamertinorum tuorum vinctum, clausum habuisses, dum Panhormo

---

§. 168. *quod eum quis ignoret]* Addidimus *eum* ex Lag. 29, sine quo sententia obscura, oratio abrupta est. Lege explicationes veterum, et iudica. Mox idem Lag. 29 *hac defensione:* rursus dubito. *qui tum in Sic. erat, nominabat]* Plerique codd. (vel omnes quos certius noverim praeter Lag. 29) et edd. vetustissimae *qui tum in Sicilia nominabatur.* Naugerius in Aldina et interpunxit post *Sicilia,* et emendavit *nominabat.* Sed in Victoriana accessit *negotiabatur.* (Florentinam, quam Hotomanum secuti editores ad partes vocant, ignoro, quae sit, certe Iuntina non est.) Post quam scripturam prolatam mirum est, quantopere editores inter se dissenserint. Nam P. Manutius in editione 1540 et Stephanus illi adhaerens novum verbum non admiserunt: rursus Manutius in edit. 1559 ex eaque Lambinus receperunt. Gruterus in ea re a repetita Lambiniana discedens sustulit, paruitque ei Graevius: denique Ernestius cum recentioribus restituit. Ego num quibus in libris mss. inventa sit ignoro et dubito: sed utique veriorem arbitror Lagom. 29 scripturam *erat.*

Asservasses hominem — habuisses] Editi omnes haec cum antecedentibus coniungunt: *litteras mittere? asservasse hominem? — clausum habuisse?* qua in re miror neminem admiratum esse singularem Infinitivorum ex diverso genere coniunctionem. (Neminem veterum interpretum nunc dicere cogor: nam Madvigius et offendit et coniectura verum invenit.) Nam libri mss. omnes *asservasses, habuisses:* id quod infinitum quantum praestat. Interim, ait, hominem asservasses, *vinctum, clausum* tenuisses, pro quo Lambinus edidit *vinctum clausumque,* quo minime opus esse satis multi similes loci demonstrant, v. c. I, 48 *qui tam diligens, tam attentus esset,* III, 55 pr. *deiectos fortunis omnibus, expulsos,* III, 61 fin. *vetus, agi-*

Precius veniret: cognosceret hominem; aliquid de summo supplicio remitteres: si ignoraret; tum, si ita tibi videretur, hoc iuris in omnes constitueres, ut, qui neque tibi notus esset, neque cognitorem locupletem daret, quamvis civis Romanus esset, in crucem tolleretur.

Sed quid ego plura de Gavio? quasi tu Gavio 66
tum fueris infestus, ac non nomini, generi, iuri ci- 169
vium hostis. Non illi, inquam, homini, sed causae communi libertatis inimicus fuisti. Quid enim attinuit, cum Mamertini more atque instituto suo crucem fixissent post urbem in via Pompeia, te iubere in ea parte figere, quae ad fretum spectaret; et hoc addere, quod negare nullo modo potes, quod omnibus audientibus dixisti palam, te icciroo illum locum deligere, ut ille, quoniam se civem Romanum esse diceret, ex cruce Italiam cernere ac domum suam prospicere posset? Itaque illa crux sola, iudices, post con-

---

tatum iam; Epist. XIII, 28 med. *homini te gratissimo, iucundissimo benigne fecisse*; saepe Sallustius v. c. bell. Cat. 33 pr. *miseri egentes*, saepe Livius, vide Drakenborchium ad I, 14, 7 et de Substantivis nos ad har. oratt. libro II. extr.: immo rhetorica figura cumulationis pessundaretur. Mox Lambinus item liberius, quam decet, *si* addidit in hoc membro *cognosceret hominem*, quod abesse et posse et solere in hac orationis forma, nemo ignorat. Fere fit ut signum interrogationis addatur, quoniam eo saltem vocis flexu pronuntiamus. Verum P. Manutius etiam alterum *si*, quod in libris. mss. est, delendum censuit, laudans pro se locos similes bimembres Phil. XI, 8 §. 19 et XIII, 11 §. 25. Denique *Panormo* Lambinus omitti voluit in marg. repet. editionis, nescio quam ob causam: nec quod *Precius* omittitur in Lag. 29 placet.

§. 169. *more atque inst.]* Sic primus de coniectura verissime dedit Naugerius: codices mss. omnes *nomine:* nimirum quod scribitur *noie.*

quoniam se civem] Sic Oxon. Huyd. Lag. 48 et cui plurimum tribuendum 29., et acerbius puto atque ad hanc rem aptius quam vulg. *qui se civem.*

ditam Messanam ill[illegible] loco fixa est. Italiae conspectus ad eam rem ab isto delectus est, ut ille in dolore cruciatuque moriens perangusto fretu divisa servitutis ac libertatis iura cognosceret; Italia autem alumnum suum servitutis extremo summoque supplicio affixum videret.
170 Facinus est vincire civem Romanum; sc[illegible] [illegible]rberare: [illegible]rope parricidium necare: quid dicam [illegible] [illegible]e? verbo satis digno tam nefaria res [illegible] [illegible]ri nu[illegible] [illegible]odo potest. Non fuit his omnibus ist[illegible] [illegible] entus: [illegible]pectet, inquit, patriam; in conspectu le[illegible] libertatisque moriatur. Non tu hoc loco Gavium, non unum hominem nescio quem, civem

---

§. 169. *illo in loco]* Sic libri omnes praeter unum Lag. 14. In Gruteriana praepositio excidit, idque vitium per Ernestianam ad recentiores propagatum est. Vide ad IV, 51 extr.

perangusto fretu] Libri Ciceroniani mss. *fretó*, praeter unum 42, hac quidem in oratione non sane magnae auctoritatis. Verum Gellius noct. Att. XIII. 20 sese in libris accurate scriptis *fretu* invenisse testatur, quo ego non moverer, nisi Charisii auctoritas accederet, pag. 103 Putschii Ciceronis esse *a Gaditano fretu* docentis, eamque verbi declinandi rationem ne Augusti quidem aetate obsolevisse. Cf. Forcellinum in lexico. Priscianus quidem pag. 715 vetustissimis tribuit, Ciceronis non facit mentionem. Itaque cum post Lambinum receperint editores, nolui ab eorum iudicio discedere. — *affixum videret]* Editiones principes et codices mss. *ea fixum*, Naugerius primus *affixum* admodum probabiliter emendavit. Itaque reliqui ab ea scriptura non discesserunt, nisi quod Hervagius de coniectura, opinor, *affectum* dedit. Mallem et ipse, sicut recepit Lambinus, modo certa librorum auctoritas ostenderetur. Nunc cum *affixum* item apud Nonium Marcellum sub dictione *alumnus* legatur, nec habeam quid faciam singulari Lag. 29 scriptura *defixum*, vulgatam servo.

§. 170. *vincire—verberare—necare—tollere]* Codd. mss. *vinciri — verberari — necari — tollere*, quod cum non ferrent principes editores, correxerunt *tolli*. Verum Naugerius inconstantiam nihil moratus restituit *tollere*, atque tolerarunt reliqui, donec Ernestius scripturam vetustarum editionum revocavit. Atqui Quintilianus Inst. VIII, 4, 4 Infinitivos activae formae habet, nec verisimile est eum in loco tam illustri memoria lapsum esse. Itaque sic ediderunt Stephanus et Lambinus. Codicum auctoritas, quae una desiderabatur, nunc accedit, Lagomarsiniani 29.

Romanum, sed communem libertatis et civitatis causam in illum cruciatum et crucem egisti. Iam vero videte hominis audaciam. Nonne eum graviter tulisse arbitramini, quod illam civibus Romanis crucem non posset in foro, non in comitio, non in rostris defigere? Quod enim his locis in provincia sua, celebritate simillimum, regione proximum potuit, elegit: monumentum sceleris audaciaeque suae voluit esse in conspectu Italiae, vestibulo Siciliae, praetervectione omnium, qui ultro citroque navigarent.

Si haec non ad cives Romanos, non ad aliquos 67
amicos nostrae civitatis, non ad eos, qui populi Ro- 171
mani nomen audissent; denique, si non ad homines, verum ad bestias; aut etiam, ut longius progrediar, si in aliqua desertissima solitudine ad saxa et ad scopulos haec conqueri ac deplorare vellem: tamen omnia muta atque inanimata tanta et tam indigna rerum acerbitate commoverentur. Nunc vero cum loquar apud senatores populi Romani, legum et iudiciorum et iuris auctores, timere non debeo, ne non unus iste ci-

§. 170. *Quod enim his locis]* Hotomanus in hoc loco offendit, quem putaret explicari non posse, nisi si *quod locum* neutraliter dici existimaretur. Itaque prompte Lambinus correxit *quem enim his locum* cet. Verum recte Garatonius *Quod* positum est substantive, ait, quasi dixerit Cicero, Verrem quidvis, cui nomen ponere orator non vult, elegisse, sive illud mons fuerit, sive promontorium.

§. 171. *haec conqueri ac]* Editt. principes *et* pro *haec*, contra libros mss. *Ac* nos dedimus ex aliquot melioribus, qui hinc rursus incipiunt. Vulgo *et*. Tum *inanimata* ex iisdem (Stephaniano, Guelff. Havn. coll.) scripsimus. Item sic editiones principes, quamquam codices vulgares habent *animalia*, Lag. 42 *animata*, 29 *inanimalia*. Naugerius correxit *inanima*, idque cum reliquis servavit etiam Lambinus a Stephano discrepans et in ea re per totum Ciceronem sibi constans. Vide Forcell. in lex. Denique *acerbitate* Lambinus tradidit in mss. nonnullis esse pro vulg. *atrocitate*, ad quos accedunt ambo Guelf. Itaque, quamvis nihil magnopere referat, recepi.

legum et iud. et iuris] Sic Guelff. Havn. Lag. 29. Vulgo *iudiciorumque*. Sed *que* abest etiam a vulgari codicum familia. Ceterum

vis Romanus illa cruce dignus, ceteri omnes simili
172 periculo indignissimi iudicentur. Paulo ante, iudices, lacrimas in morte misera atque indigna nauarchorum tenebamus; et recte ac merito sociorum innocentium miseria commovebamur: quid nunc in nostro sanguine tandem facere debemus? Nam civium Romanorum omnium sanguis coniunctus existimandus est, quoniam et salutis omnium ratio et veritas postulat. Omnes hoc loco cives Romani, et qui adsunt, et qui ubique sunt, vestram severitatem desiderant, vestram fidem implorant, vestrum auxilium requirunt: omnia sua iura, commoda, auxilia, totam denique libertatem in vestris
173 sententiis versari arbitrantur. A me, tametsi satis

---

quid est, quod orator se non timere dicit, ut fiat, i. e. quod sperat futurum esse? Nimirum ut Verres cruce dignus iudicetur, quo ceteri in posterum ea indigniores existimentur.

§. 171. *iste civis Rom.]* ipse Verres est, quem non ille quidem cruci vult affigi, sed tali supplicio dignum iudicari. Exequor propterea quod Wolffium, interpretem Germanicum, video emendationem temptasse, ut in eo quod vulgo est, et verum est, *ne non unus* rel. *non* deleatur, et magis etiam, quod eam opinionem a Madvigio in epist. ad Orellium probari laudarique video.

§. 172. *atque indigna]* Sic Stephanus et Lambinus ediderunt et confirmant Leid. Lag. 29 cum Guelf. Havn. quicquid est integriorum librorum. Vulgo *indignissima* inconcinne. Cf. ad lib. III, 90 fin.

civium Rom. omnium] Verbum *omnium* in libris mss. est omnibus, sed varie collocatur, in melioribus (Guelff. Reg.) eo quo nos cum Stephano et P. Manutio in edit. 1559 et Graevio posuimus loco, in vulgaribus admodum longo intervallo diremptum *et veritas omnium* legitur. Sic igitur etiam editiones veteres, et restituit Gruterus. Prorsus sustulerunt Lambinus et Ernestius cum recentioribus. Hotomanus *et securitas omnium* legi maluit, paratumque se ostendit Lambinus in altera editione illi obtemperare. Praeterea *id* delevimus, quod vulgo post *quoniam* adiicitur, Stephani auctoritatem et libros Guelff. cum coll. Havn. secuti. — *qui ubique sunt]* Vulgo *qui ubicunque sunt*, quam perpaucorum codicum (Lag. 45. 29) falsam scripturam Naugerius invexit servaruntque omnes praeter Stephanum et Lambinum. Quo vitio laboret in promptu est. Cf. ad IV, 33 §. 73.

habent, tamen, si res aliter acciderit, plus habebunt fortasse, quam postulant. Nam si qua vis istum de vestra severitate eripuerit, id quod neque metuo, iudices, neque ullo modo posse fieri video; sed si in hoc me ratio fefellerit, Siculi causam suam perisse querentur, et mecum pariter moleste ferent: populus quidem Romanus brevi, quoniam mihi potestatem apud se agendi dedit, ius suum, me agente, suis suffragiis ante Calendas Februarias recuperabit. Ac, si de mea gloria atque amplitudine quaeritis, iudices: non est alienum meis rationibus, istum mihi ex hoc iudicio ereptum ad illud populi Romani iudicium reservari. Splendida est illa causa: probabilis mihi et facilis; populo grata atque iucunda. Denique, si videor hic, quod ego non quaesivi, de uno isto voluisse crescere: isto absoluto, quod sine multorum scelere fieri non potest, de multis mihi crescere licebit.

Sed mehercule vestra reique publicae causa, iu- 68
dices, nolo in hoc delecto consilio tantum flagitium 174
esse commissum: nolo eos iudices, quos ego probarim atque delegerim, sic in hac urbe notatos, isto absoluto, ambulare, ut non cera, sed coeno obliti esse

---

§. 173. *si res aliter acciderit]* Gulielmus et Ernestius *ceciderit* legi maluerunt. Esset usitatius: non nego, sed nihil impedit, quominus etiam illud dicatur. — *Nam si qua vis]* Sic Stephanus, Lambinus et codd. Guelff. Lag. 29 Havn. collatio. Rectissime, nam se quidem non dubitare dicit. Vulgo *etsi.* Tum vulgo *fieri posse*, sed Lambinus e vet. cod. invertit. Ei accedunt Guelff., itaque parui.

Calendas Febr.] Guelf. 1 *Februarii*, Guelf. 2 per compendium. Cf. ad Act. I, 10 et lib. I, 42 extr. Primo sui magistratus mense illud sese effecturum dicit. Tum vulgo *et ampl.* Lag. 29 *ac.* Stephanus et reliqui boni codd. *atque.* — *hic, quod ego]* Vulgo *hic id quod.* Mediam vocem omisimus amborum Guelff. Leid. multorumque Lagomars. causa. Primus adiecerat Naugerius. *De isto uno* Lag. 29.

§. 174. *mehercule]* Sic Lambini v. c. Guelff. Lag. 29 alii. Vulgo *mehercules.* Cf. supra §. 151 et ad IV, 14. — *non cera, sed coeno]* Rectissime P. Manutius intellexit pertinere ad corruptionem iudicii ab

videantur. Quamobrem te quoque, Hortensi, si qui monendi locus ex hoc loco est, moneo: videas etiam atque etiam et consideres, quid agas, quo progrediare, quem hominem et qua ratione defendas. Neque de illo tibi quicquam praefinio, quo minus ingenio mecum atque omni dicendi facultate contendas: cetera si qua putas te occultius extra iudicium, quae ad iudicium pertineant, facere posse; si quid artificio, consilio, potentia, gratia, copiis istius moliri cogitas: magnopere censeo desistas; et illa, quae temptata iam et coepta sunt ab isto, a me autem pervestigata et cognita, moneo ut extinguas et longius progredi non sinas. Magno tuo periculo peccabitur in hoc iudicio;
175 maiore, quam putas. Quod enim te liberatum iam existimationis metu, defunctum honoribus, designatum consulem cogites: mihi crede, ornamenta ista et be-

---

Hortensio factam, et tabellas emptorum iudicum cera discolori notatas, de qua re vide Div. 7 §. 24. Act. I, 6 §. 17 et 13 §. 40, et quae ad primum eorum locorum annotavimus.

§. 174. *si qui mon. locus ex hoc loco est]* *Si qui* edidit primus Gruterus, sed secundum Lambini vet. cod. et Guelff. Havn: antea fuit *quia*. Sed nos etiam ex Guelff. et Havn. coll. et Lag. 29 verborum ordinem commutavimus, qui vulgo est *si qui mon. locus est, ex hoc loco moneo*. Potest hoc, fateor, aliquid offensionis habere, *locus ex loco*, sed videtur haec ipsa oppositio quaesita esse: certe in vulgata lectione verba *ex hoc loco* prorsus redundant. Nunc hic sensus est: si mihi de plano te monenti aliquid tribuis; priusquam Aedilis factus ius de loco superiore cum populo agendi assecutus fuero.

tibi quicquam] Sic Lambini v. c. Havn. Guelff. Vulgo *quicquam tibi*. Mox *pertineant* Ernestius pro vulgato *pertinent* e Guelf. 2, sed dudum ante eum iam Stephanus et Lambinus. Accedunt Guelf. 1 et Havn. collatio. Mox *coepta sunt ab isto* codices omnes. Editi adhuc *coepta ab isto sunt*.

§. 175. *cogites]* „Accurate *cogites*, non *cogitas*. Optativus Graecorum exprimitur, et est comiter dictum.“ Ernestius. Dictum igitur est pro *cogitare possis*, nam optativo Graeco quid faciam nescio, nisi ἂν addatur. Sed *quod* cum alias facta non opiniones exprimat, h. l. fere *si* valet.

eficia populi Romani non minore negotio retinentur, quam comparantur. Tulit haec civitas, quoad potuit, quoad necesse fuit, regiam istam vestram dominationem in iudiciis et omni re publica; tulit: sed quo hic populo Romano tribuni plebis restituti sunt, omnia sta vobis (si forte nondum intelligitis) adempta atque repta sunt. Omnium nunc oculi coniecti sunt hoc ipso tempore in unumquemque nostrum, qua fide ego accusem, qua religione hi iudicent, qua tu ratione defendas. De omnibus nobis, si quis tantulum de 176
recta regione deflexerit, non illa tacita existimatio, quam antea contemnere solebatis, sed vehemens ac liberum populi Romani iudicium consequetur. Nulla tibi, Quinte, cum isto cognatio est, nulla necessitudo: quibus excusationibus antea nimium in aliquo iudicio studium tuum defendere solebas, earum habere in hoc homine nullam potes. Quae iste in provincia palam dictitabat, cum ea, quae faciebat, tua se fiducia facere dicebat, ea ne vera putentur, tibi maxime est providendum. Ego mei rationem iam officii confido esse 69
177

---

§. 175. *necesse fuit]* Oppressa armis Sullanis et orbata auxilio Tribunicio. — *et omni rep.]* Sustulimus *in*, quod vulgo interponitur, auctoritate duorum Guelferbytanorum. Sed quod in eorum altero et Leid. est *praetulit* sive *pertulit*, geminata littera *p* natum videtur. Respondent enim in hac figura primis ultima, vide Quintil. IX, 3, 34 et supra c. 45 §. 119.

§. 176. *de recta regione]* Ant. Augustinus, eruditus olim Italus, pro *regione* scribendum censuit aut *ratione* aut *religione*. Verum ipsa illa *recta regio* translate (cf. cap. 70 extr.) est iudicum religio.

in aliquo iudicio] Illo ipso, in quo cera discolor versata est, vide ad Divin. 7 §. 24. Quod *Quintum* praenomine appellat, colorem habet admonitionis familiaris, sicut in orat. pro Murena Sulpicium saepe Servium vocat, Catonem nusquam Marcum. Ceterum paulo ante *est* omittitur a Stephano in var. lect. et in Havn. coll. utroque Guelf.

§. 177. *rationem iam]* Sic Lambini v. c. Havn. ambo Guelf. Vulgo *iam rationem*. Quod autem dicit *rationem officii*, intellige ipsum offi-

omnibus iniquissimis meis persolutam: nam istum paucis horis primae actionis omnium mortalium sententiis condemnavi. Reliquum iudicium iam non de mea fide, quae perspecta est, nec de istius vita, quae damnata est: sed de iudicibus, et, vere ut dicam, de te futurum est. At quo tempore futurum est? (nam id maxime providendum est: etenim cum omnibus in rebus, tum in re publica permagni momenti est ratio atque inclinatio temporum:) nempe eo, cum populus Romanus aliud genus hominum atque alium ordinem ad res iudicandas requirit: nempe lege de iudiciis iudicibusque novis promulgata. Quam non is promulgavit, quo nomine proscriptam videtis, sed hic reus:

---

cium, sicut c. 71 §. 183 *officium persolutum erit.* Sed ductus tropus a nominibus argentariorum. Ex iisdem illis libris *iam non* pro vulg. *non iam.* Mox Gruterus et Ernestius *neque istius vita*, ductum ex repetita Lambiniana, quod et olim fuit in editionibus vetustis, priusquam in Victor., Manutiana, Steph. Lambiniana e libris mss. addita esset praepositio *neque de istius vita.* Sed optimi tamen, ut edidimus, *nec.*

§. 177. *requirit]* Ernestius necessario scribendum sibi putavit esse de coniectura *requiret*, quia praecederet *iudicium futurum est.* Cavillatio est verborum, nam iudicium iam fit, cuius tamen pars ea, quae ad patronos et ad iudices pertinet, restat, et populus Rom. hoc ipso tempore iudiciorum commutationem requirit, id quod tot locis exequitur Cicero, quin etiam legem *Aureliam*, qua illud perfectum est, iam promulgatam dicit. Sed tollendum est quod vulgo additur pronomen *ea* ante *lege*, auctoritate Guelff. et Havn. coll. ipsiusque Lambini in margine repetitae editionis. Correctores cum relativum, quod sequitur, vincire vellent, toti sententiae nocuerunt. *Novis* pro *nobis* de sententia Hotomani correxerat Lambinus licet libris omnibus, ut ait, reclamantibus. Verum est, praeter Regium et Guelferbytanos. Etiam *nobis* et *bonis*, *novum* et *bonum* confunduntur. Vide nostra supplementa Quintil. ad II, 20, 6 et IX, 3, 43. — *quo nomine]* Sic boni libri omnes, et puto ferri posse. Lex Aurelia appellatur, hoc nomen gerit publice exposita, sed vere non is fert, quo nomine appellatur. Vulgo explicatius sed non sine suspicione correctionis, *cuius nomine.* Mecum sentit Madvigius, *quo nomine* dictum esse pro *a quo*, comparatque talia, quale est IV, 9 §. 20 *hi te homines sublevent — quo in oppido*, ubi novo nomine ascito pronomen relativum definitur.

ic, inquam, sua spe atque opinione, quam de vobis habet, legem illam scribendam promulgandamque curavit. Itaque cum primo agere coepimus, lex non 178
erat promulgata; cum iste, vestra severitate permotus, multa signa dederat, quamobrem responsurus non videretur, mentio de lege nulla fiebat: posteaquam iste recreari et confirmari visus est, lex statim promulgata est. Cui legi cum vestra dignitas vehementer adversetur, istius spes falsa et insignis impudentia maxime suffragatur. Hic si quid erit commissum a quoquam vestrum, quod reprehendatur: aut populus Romanus iudicabit de eodem homine, quem iam

---

§. 178. *quamobrem]* Singulare hic est exemplum correctionis temptatae: nam in codd. vulgaribus Lag. VII Oxon. Lluyd. et vetustis editt. *quamobrem quibus* legitur. Lag. 29 pro *quibus* denuo corrigit *is*. Hervagianus editor libro meliore usus sustulit.

de eodem homine] Sic libri de quibus Lambinus in nota generaliter dicit, et ambo Guelferbytani, non Havn. coll. ex qua nihil a vulg. lectione *de eo homine* diversum enotatur, Leid. *de eo nomine*. Multa editores de hoc loco scripserunt, sed metuo, ne simplicem veritatem magis etiam obscurarint. Primum sive *de eo homine* sive *de eodem homine* legis, intelligendus est Verres, id quod contra Garatonium, qui corruptum aliquem iudicem dici putavit, recte Beckius exposuit. Nam si Verres absolutus fuerit, de duabus rebus alterutrum fieri necesse est, ut aut Verres in iudicium populi, qui illum iam antea necare voluit (cap. 63) adducatur, aut ipsi iudices, qui corrumpi se passi sint, accusentur a Cicerone. Hoc idem iam minatus est Act. I c. 12. Vides igitur, qui pro *eo homine* corrigere voluerint *eo ordine*, id quod primum significatum est in margine Cratandrinae, deinde a Lambino temptatum, postremo ab Ernestio perfectum, eas res confudisse, neque illud animadvertisse, si iudicia senatui lege adimantur, non posse dici populum *iudicasse*. Verum ut altera pars sententiae absolvatur, paucorum verborum transpositione opus esse video. Nam sicut in libris est, *aut ii qui propter offensionem iudiciorum de veteribus iudicibus lege nova novi iudices erunt constituti*, oppositio tantum fit in personis iudicantium, nec intelligitur quo verba *de veteribus iudicibus* pertineant. Quae ipsa si initio membri posueris: *aut de veteribus iudicibus ii, qui*, omnia accurate concinent. Librorum varietas non est notabilis: Guelff. *aut et hii*, Havn. coll. *aut et hi*, deinde deteriores omnes et edd. vetustae ante Hervag. *de veteribus iudiciis*. Sed fortasse istud *et* pertinet ad *de*, quod in nostra ratione ordinandorum verborum coniunctionem excipit.

antea iudiciis indignum putavit; aut ii, qui propter offensionem iudiciorum de veteribus iudicibus lege
70 nova novi iudices erunt constituti. Mihi porro, ut
179 ego non dicam, quis omnium mortalium non intelligit, quam longe progredi sit necesse? Potero silere, Hortensi, potero dissimulare, cum tantum res publica vulnus acceperit, ut expilatae provinciae, vexati socii, dii immortales spoliati, cives Romani cruciati et necati impune, me actore, esse videantur? potero ego hoc onus tantum aut in hoc iudicio deponere, aut tacitus sustinere? Non agitanda res erit? non in medium proferenda? non populi Romani fides imploranda? non omnes, qui tanto se scelere obstrinxerint, ut aut fidem suam corrumpi paterentur, aut iudicium cor-
180 rumperent, in discrimen aut iudicium vocandi? Quaeret aliquis fortasse: tantumne igitur laborem, tantas inimicitias tot hominum suscepturus es? Non studio

---

§. 179. *expilatae provinciae]* Lambinus e vet. cod. *expilata provincia:* accedunt duo Guelf. et Leidensis. Pluralem tuetur silentium Stephani et Havn. collationis, et, quod plus valere debet, concinnitas sententiae. Est enim re vera non una Sicilia, cuius iniurias Cicero persequatur, sed Achaia et Asia. Guelff. etiam *accepit*, omissa mendose nota syllabae *er:* nam constat dici de eo, quod cum nondum sit, veretur ne futurum sit. — *potero ego hoc onus]* *Ego hoc* codd. meliores, deteriores ordine inverso: *ego* omiserunt Cratand. Hervag. Manut. Steph. Lambinus. Deinde vulgo *diutius* additur: *aut diutius tacitus sustinere*, quasi adhuc sustinuerint. Abest autem illud verbum a codd. Stephani, Lambini, Leidensi, Havn. coll. ambobus Guelf. i. e. praeter Lag. 29, cuius varium ingenium saepe cognovimus, bonis omnibus. Dicit igitur neutrum fieri posse, ut aut satis se fecisse officio putet, quod semel eam causam, quamvis frustra, in iudicium adduxerit, aut tacitus iniuriam suam ferat, atque illud officii onus in se residere patiatur.

aut iudicium] Vulgo *ac*, Havn. Guelff. *aut*: nec enim idem est. quoniam patronus quidem accusari poterit ad populum contionibusque diffamari, in iudicium vocari illam ob causam non poterit.

§. 180 *non studio hercule]* Vulgo additur *quidem* sic: *non studio quidem hercule ullo*, et servaram olim, quia, quamvis absit a Leid. et Guelff., siletur tamen de reliquis bonis, videbaturque respon-

hercule ullo, neque voluntate: sed non idem licet mihi, quod iis, qui nobili genere nati sunt, quibus omnia populi Romani beneficia dormientibus deferuntur: longe alia mihi lege in hac civitate et condicione ..dum est. Venit mihi in mentem M. Catonis, ..is sapientissimi et vigilantissimi: qui cum se .., non genere, populo Romano commendari pu.. cum ipse sui generis initium ac nominis ab se .. et propagari vellet, hominum potentissimorum ..pit inimicitias, et maximis in laboribus usque ..immam senectutem summa cum gloria vixit. Po- 181 Q. Pompeius, humili atque obscuro loco natus, ..ae plurimis inimicitiis, maximis suis periculis ac ..boribus amplissimos honores est adeptus? Modo

---

..atio inesse. Verum ea non inest nisi ubi cum pronomine con..., quemadmodum in orat. p. Plancio 35 extr. aut apud Livium lib. XXXV, 15 pr. Atque eandem vim habet *hercule*. Itaque nunc sustuli. Mox *licet mihi* Guelff. Lambinianus Havn. consentiunt, vulgo *mihi licet*. Verba *et vigilantissimi* primus Graevius in editis adiecit, tribuens hoc Regii codicis auctoritati. Sed accedit Lambinianus et ambo Guelf.

§. 180. *Venit mihi]* Vulgo interponitur *enim*, quod sustulimus auctoritate Guelff. et Havniensis. Ferrem, si *nam* esset, ut quae illa esset vitae condicio definiretur, quamquam ea particula saepe subintelligitur. Sed *enim*, quod causam exequatur, non convenit.

sui generis initium ac nominis] Intelligis facile initium esse non naturale, sed nobilitatis ac claritatis. Lambinus *generis ac nominis initium* de suo, ut antea voluit *omnia a populo Rom. beneficia*.

§. 181. *postea Q. Pompeius]* Sic cum in deterioribus libris ess.. *posteaque Pompeius*, iam P. Manutius in edit. 1559 coniectura ductus, quod praenomen non putaret abesse posse, dederat. ..ctissime, probavitque Fulvius Ursinus, quamquam Manutium non nomina.. sed nemo illis paruit, ne Lambinus quidem, qui in vet. cod. *Q.* invenisset, donec Graevius Regii codicis auctoritate usus restituit. Est etiam in Lag. 29 et Guelff. De ipso viro, nobilitatis Pompeiorum auctore, Consule (a. 613 u. c.) et Censore, vide Ernestium in clave. Inimicitias gessit cum Caepionibus, P. Scipione, C. Laelio. — *maximis suis peric. ac laboribus]* Sustulimus *que* in principio, iussu nostrorum et Lambini codicum. *Laboribus* pro olim vulgato *doloribus* coniectura

C. Fimbriam, C. Marium, C. Coelium vidimus non mediocribus inimicitiis ac laboribus contendere, ut ad istos honores pervenirent, ad quos vos per ludum et et per negligentiam pervenistis. Haec eadem est nostrae rationis regio et via: horum nos hominum s
71 atque instituta persequimur. Videmus, quant invidia, quantoque in odio apud quosdam nob mines novorum hominum virtus et industria: tulum oculos deiecerimus, praesto esse insid ullum locum aperuerimus suspicioni aut crimini piendum statim vulnus esse; semper nobis vigil
182 semper laborandum videmus. Inimicitiae sun cantur: labor? suscipiatur. Etenim tacitae ma

---

invenit, non Hotomanus, sed multo ante eum P. Manutius (in edit. 1 et fide codicum suorum Stephanus, Lambinus, Graevi s edider. Quid opus igitur est nostris? Sed Hotomanus in nota hunc veterem plebis gratia florentissimum cum Q. Pompeio Rufo Cos. a. 666 u. c. a militibus interfecto confudit.

C. Fimbriam] Vulgo *L. Gaium* esse voluit Stephanus in variet. lect. et P. Manutius in commentario (in edd. quidem 1540 et 1559 *L.* habet) et Ernestius in clave, ne hic quidem in editione. Sed res dubia esse nequit, nec Guelff. auctoritas deest. Cos. fuit a. 650. u. c.

C. Coelium] Vetustae editt. *Celium*, Hervag. et Victor. *Caelium* Lambinus et deinceps reliqui *Coelium*. In codd. deterioribus per *e*, in melioribus per *ae* fere scribitur, Havn. *Caecilium*, Huyd. et Guelf. 2 *Cecilium*. Sed nummi, quod in talibus rebus gravissimum, aut *oe* aut *oi*. Vide praeter orthographiam Cellarianam Drakenborchium ad Livium XLIII, 21 pr. hoc idem confirmantem. — *nostrae rationis]* P. Manutius in edit. 1559 *nationis*, non quaeram utrum consulto an typographorum errore, neque miror idem vitium esse in Lag. 29 et Huyd. Sed explicat idem in commentario, novorum hominum: non animadvertens tamen ubi sic loquatur Cicero, loqui cum contemptu et irrisione.

nobiles homines] Hoc ordine perpaucis deteriorum exceptis codices omnes. Editi *hom. nobiles*. Mox *tantum* Guelff. Havn. coll., ego *tantulum* verum puto. Sed deinceps ordinem verborum illorum et Lambinianae edit. sed maxime tamen Guelff. auctoritate constituimus, qui vulgo est: *accipiendum esse statim vulnus: esse nobis semper*. In Havn. et Stephaniano prius *esse* deest.

§. 182. *labor? suscipiatur]* Sic Stephanus in var. lect. vet. cod.

occultae inimicitiae timendae sunt, quam indictae atque apertae. Hominum nobilium non fere quisquam nostrae industriae favet: nullis nostris officiis benivolentiam illorum allicere possumus: quasi natura et genere disiuncti sint, ita dissident a nobis animo et voluntate. Quare quid habent eorum inimicitiae periculi, quorum animos iam ante habueris inimicos et invidos, quam ullas inimicitias susceperis? Quamobrem 183
hi, iudices, optatum est illud, in hoc reo finem :usandi facere, cum et populo Romano satisfactum, receptum officium Siculis, necessariis meis, erit :solutum: deliberatum est autem, si res opinionem :am, quam de vobis habeo, fefellerit, non modo eos rsequi, ad quos maxime culpa corrupti iudicii, sed .iam illos, ad quos conscientiae contagio pertinebit. Proinde si qui sunt, qui in hoc reo aut potentes, aut audaces, aut artifices ad corrumpendum iudicium velint esse, ita sint parati, ut, disceptante populo Romano, mecum sibi rem videant futuram: et, si me in

---

Lamb. coll. Havn. Vulgo *labores? suscipiantur*, quod ad numerum verbi praegressi conformatum videtur. Deinde Guelf. 1 ordinem verborum mutat non male, sed solus: *etiam inimicitiae tacitae et occultae sunt timendae magis*, sed omnes boni *atque apertae*, cum edatur *et apertae*.

§. 182. *et voluntate]* Sic Lambini v. c. et Guelff. Vulgo *ac voluntate*.

§. 183. *optatum est illud]* Ernestius pro eo, quod olim edebatur *optandum*, ex Guelf. 2 restituit *optatum*, cui respondet *deliberatum*, nec discrepant reliqui boni. Sed ordo variatur, cum Guelf. 1 et Cuiacianus in varietate lect. Graeviana una cum vulgata *optatum est illud* habeant, idque etiam soni causa recepi. Sed ob eandem causam deinceps ex Guelf. 1 dedi *deliberatum est autem* pro vulg. *del. autem est.*

culpa corrupti iudicii] Vulgo *corrumpendi*, quasi res etiamtum fieret, ac non facta esset, cum persequi institueret. Ignoro quam elegantiam Ernestius in illo participio invenisse sibi visus sit: nam res quidem patet. Cf. etiam Madvigium in epist. p. 136. Itaque Graevii exemplum secutus *corrupti* e Guelff. et Lag. 29 et Lambini v. c. et Havn. coll. recepi.

hoc reo, quem mihi inimicum Siculi dederunt, satis vehementem, satis perseverantem, satis vigilantem esse cognorunt; existiment, in his hominibus, quorum ego inimicitias populi Romani salutis causa suscepero, multo graviorem atque acriorem futurum.

72 Nunc te, Iuppiter Optime Maxime, cuius iste
184 donum regale, dignum tuo pulcherrimo templo, dignum Capitolio atque ista arce omnium nationum, dignum regio munere, tibi factum ab regibus, tibi dicatum atque promissum, per nefarium scelus de manibus regiis extorsit; cuiusque sanctissimum et pulcherrimum simulacrum Syracusis sustulit: teque, Iuno Regina, cuius duo fana duabus in insulis posita sociorum, Melitae et Sami, sanctissima et antiquissima, simili scelere idem iste omnibus donis ornamentisque nudavit: teque, Minerva, quam item iste duobus in clarissimis et religiosissimis templis expilavit, Athenis, cum auri grande pondus, Syracusis, cum omnia
185 praeter tectum et parietes abstulit: teque, Latona, et Apollo, et Diana, quorum iste Deli non fanum, sed ut hominum opinio et religio fert, sedem antiquam divinumque domicilium nocturno latrocinio atque impetu compilavit: etiam te, Apollo, quem iste Chio sustulit: teque etiam atque etiam, Diana, quam Pergae spoliavit, cuius simulacrum sanctissimum Segestae, bis apud Segestanos consecratum, semel ipso-

---

§. 184. *de manibus regiis]* Sic Lambini et nostri boni, quamvis mendose *manis* aut *magnis regibus*. Vulgo inverso ordine.

Iuno Regina] Apud Livium libri V c. 22. 23. 31. 52 ea est, quae Veiis devecta Romae in Aventino monte collocata est.

quam item iste] Item abest a vulgaribus codd. praeter Lag. 42 et editionibus Hervagiana antiquioribus, sed *iste* omittitur apud Stephanum in var. lect. et in coll. Havniensi.

§. 185. *Chio sustulit]* Lib. I, 19 *Chio per vim signa pulcherrima dico abstulisse:* inter quae hoc Apollinis fuisse convenit existimare.

rum religione, iterum P. Africani victoria, tollendum asportandumque curavit: teque, Mercuri, quem Verres in domo et in privata aliqua palaestra posuit, P. Africanus in urbe sociorum et in gymnasio Tyndaritanorum iuventutis illorum custodem ac praesidem voluit esse: teque, Hercules, quem iste Agrigenti, nocte 186
intempesta, servorum instructa et comparata manu, convellere ex suis sedibus atque auferre conatus est: teque, sanctissima mater Idaea, quam apud Enguinos, augustissimo et religiosissimo templo, sic spoliatam reliquit, ut nunc nomen modo Africani et vestigia violatae religionis maneant, monumenta victoriae fanique ornamenta non extent: vosque, omnium rerum forensium, consiliorum maximorum, legum, iudiciorumque arbitri et testes, celeberrimo in loco populi Romani locati, Castor et Pollux, quorum e templo quaestum iste sibi et praedam improbissimam comparavit: omnes-

---

§. 185. *in domo]* Sic libri mss. melioris ordinis omnes, editi cum deterioribus *in villa.* Lambinus *aliqua* omisit, nimirum ipsius Verris eam palaestram fuisse ratus, quod Cicero non definit; immo ex IV, 42 M. Marcelli videtur fuisse.

§. 186. *convellere ex suis]* Praepositio abest a Stephaniano libro in varietate lectionis et Havn. coll. et Guelff. Sed nondum audeo a reliquorum scriptura discedere, putarim potius *e* fuisse. Nam omissa praepositio, cum non sit proprium loci nomen, me quidem aliquantum offendit. Cf. ad III, 1 et IV, 30. Insequenti quidem §. est *e sacrario convellendum auferendumque curavit.* — *mater Idaea]* Vide ad IV, 44, et de nomine *Enguinorum* ad III, 43. — *religiosissimo templo]* Omisimus *in*, quod vulgo interponitur, auctoritate Guelff. et Havn. Vide ad IV, 56.

celeberrimo in loco pop. Rom.] Mirum quantopere olim homines doctos corruptissima scriptura *praetoris* exercuerit, neque aut Stephanus aut Lambinus quicquam e codd. suis protulerunt: Lambinus adeo tacitus *in loco urbis* correxit. Graevius cum *pr.* in Regio invenisset, primus verum invenit esse *populi Rom.* idque Ernestius e Guelf. 2 (item 1) firmavit. Nihil manifestius esse potest. Lege I, 49 §. 129.

iste sibi] Sic Lambini v. c. Havn. Guelff. Vulgo *sibi iste.* Iidem praeter Lambinianum, de quo siletur, *praedam improbissimam.* Vulgo *maximam improbissime.* Etiam in Leid. *improbissimam* legi traditur,

que dii, qui vehiculis tensarum sollemnes coetus ludorum initis, quorum iter iste ad suum quaestum, non ad religionum dignitatem, faciendum exigendumque cu-
187 ravit: teque, Ceres et Libera, quarum sacra, sicut opiniones hominum ac religiones ferunt, longe maximis atque occultissimis caerimoniis continentur, a quibus initia vitae atque victus, morum, legum, mansuetudinis, humanitatis hominibus et civitatibus data ac dispertita esse dicuntur; quarum sacra populus Romanus a Graecis ascita et accepta tanta religione et publice et privatim tuetur, non ut ab illis huc allata, sed ut ceteris hinc tradita esse videantur; quae ab uno isto sic polluta ac violata sunt, ut simulacrum Cereris unum, quod a viro non modo tangi, sed ne aspici quidem fas fuit, e sacrario Catinae convellendum auferendumque curaverit, alterum autem Henna

---

§. 186. *vehiculis tensarum]* Cf. ad I, 59 extr. Guelf. 2 et Havn. coll. *thensarum*, sicut III, 3 contra libros manu exaratos, et hoc loco fere editur. Verbum enim Latinum est a *tendendo*.

§. 187. *morum, legum]* Hoc ordine Guelff. Havn. coll. Reliqui inverso. Sed quod statim sequitur vulgo *humanitatis exempla*, Guelferbytani et Stephanus in varietate lectionis omittunt verbum *exempla*. Rectissime, opinor, et additum verbum videtur ab eo, qui ob interiectam coniunctionem *atque* novo aliquo nomine putaret opus esse, ad quod reliqua ἀσυνδέτως referrentur. Verum *vitae atque victus* propius coniunguntur, *exempla* autem *legum* et aliarum rerum a diis illis data esse vereor ut quisquam intelligat. *Dispertita* ab Hervagio et Vict. editum est ex aliquo libro optimae classis, nam Lagom. omnes, Oxon. Huyd. *dispersa*. — *ab illis]* Vulgo *ab aliis*, sed hi cum non sint nisi Graeci, quid dubitamus recipere scripturam Lambiniani codicis et Guelff. et Havn. collationis? Iidem praeter Havn. etiam *ab uno isto* pro vulg. *ab isto uno*. Item *ac* pro vulg. *et* Guelff. Havn.

Catinae convell. auferendumque] Vulgo *avertendum*, quod verbum non est talium rapinarum, sed ad fraudem pecuniae pertinet. *Auferendum* dudum Stephanus et Lambinus ediderunt, revocavitque Graevius, omnes hi libros suos secuti, quibus accedunt nostri meliores. Sed *Catina* e Guelff. et Havn. recipere non ausus sum: quamquam mox *Henna* pro vulg. *Ennae* secundum eosdem et Lambini v. c. dedi, collocationem verborum discrimen aliquod facere ratus. Cf. ad IV, 43 pr.

ex sua sede ac domo sustulerit; quod erat tale, ut homines, cum viderent, aut ipsam videre se Cererem, aut effigiem Cereris non humana manu factam, sed de coelo lapsam, arbitrarentur: vos etiam atque etiam 188
imploro et appello, sanctissimae deae, quae illos Hennenses lacus lucosque incolitis, cunctaeque Siciliae, quae mihi defendenda tradita est, praesidetis; a quibus inventis frugibus et in orbem terrarum distributis, omnes gentes ac nationes vestri religione numinis continentur. Ceteros item deos deasque omnes imploro et obtestor, quorum templis et religionibus iste, nefario quodam furore et audacia instinctus, bellum sacrilegum semper impiumque habuit indictum, ut, si in hoc reo atque in hac causa omnia mea consilia ad salutem sociorum, dignitatem populi Romani, fidem meam spectaverunt, si nullam ad rem nisi ad officium et virtutem omnes meae curae, vigiliae, cogitationesque elaborarunt, quae mea mens in susci-

---

§. 187. *de coelo lapsam]* Vulgo *coelo delapsam.* Stephanus edidit *de coelo delapsam*, atque ita Lambinus in v. c. esse tradit. Verum Guelff. Leid. Havn. *de coelo lapsam.*

§. 188. *lacus lucosque incolitis]* Facere non potui, quin hanc Stephani et Lambini lectionem confirmatam a codd. Leid. Guelff. Havn. coll. reciperem, quamvis dissuaserit Garatonius, *colere* sic dici de diis, laudata Gronovii nota ad Liv. XXXI, 30 demonstrans. Quin Livius XXIV, 38 de his ipsis et locis et diis *hos sacratos lacus lucosque colitis*, ut non a verisimilitudine abhorreat, eum de hoc loco cogitasse, quamquam *lacus lucique* etiam IV, 48 leguntur. Verum nihil prorsus impedit, quominus etiam *incolere*, ut de hominibus, sic de diis in sedibus suis collocatis dicatur. — *frugibus]* Guelff. Havn. coll. *fructibus.* — *et obtestor]* Sic fideliores: vulgo *atque obtestor.* — *dign. populi Rom.]* Stephanus in var. lect. Lag. 29 Havn. *reip.*

officium et virtutem] Integerrimi libri *virtutem*, quod quamvis sibi non placere significet in margine repetitae Lambinus, non dubitarim tamen praeferre vulgatae *veritatem. Veritas* ista quo sensu intellecta sit, difficile est dicere: in iudicio certe non est accusatoris, sed iudicis.


pienda causa fuit, fides in agenda, eadem vestra sit
189 in iudicanda: deinde uti C. Verrem, si eius omnia sunt inaudita et singularia facinora sceleris, audaciae, perfidiae, libidinis, avaritiae, crudelitatis, dignus exitus eiusmodi vita atque factis vestro iudicio consequatur; utique res publica meaque fides una hac accusatione mea contenta sit, mihique posthac bonos potius defendere liceat, quam improbos accusare necesse sit.

---

§. 188. *vestra sit in iudicanda]* Sic codd. omnes. Vulgo alio ordine verborum *vestra in iud. sit.* Sed post *vestra* Ernestius de coniectura adiecit *iudices.* Atqui ipse novum sensum interpunctione ostenderat incipere a verbis *ceteros item deos*, quo non iam ipsi appellantur.

§. 189. *deinde uti]* *Deinde* Hervagius, P. Manutius, Stephanus, Lambinus; *denique* vetustiores, servatumque est in Victoriana, ac restitutum a Grutero. Codd. itidem discrepant, sed *deinde* integriores.

utique res publ.] Ernestius corruptam Guelf. 2 scripturam, quae haec est: *ut hii quibus res publica placet servanda eorumque una ac accusationis mea contenta sit mihique* cet. miratus, certe verba *meaque fides* tollenda putavit uncinisque circumscripsit. Sed in simili fere scriptura Guelf. 1 et Leid. servant tamen *fides:* ac perite Madvigius in Epist. p. 138 demonstravit, illa commenta librariorum, explere conantium quod excidisse putarent, e mendosa codicis Regii scriptura *ut hi qui* explicari posse. *Et sic est finis* addit Guelf. 2, nosque assensi laboriosum opus nostrum benivolentiae lectorum commendamus. Recognovimus a. d. XIII Cal. April. 1831.



APPENDIX VARIANTIUM LECTIONUM
ET
SUPPLEMENTA ANNOTATIONIS.

In hanc Appendicem farraginem variantium lectionum e codicibus mss. et editionibus vetustis petitarum coniecimus, quibus in annotatione usi non sumus, aut uti noluimus. Paulo maioribus typis describenda curavimus, quae ad supplendam annotationem nostram pertinent, partim e Guelferbytanorum repetita collatione, ubi antea dubitaveramus, partim e libro rescripto Vaticano, cuius editio Ang. *Maii*, Viri celeberrimi, opera instituta, (inter *Auctores classicos e Vatt. codd.* Tom. II a pag. 390 Romae a. 1828) serius ad nos et in hanc urbem perlata est. Sed primum omnium indicandum videtur, quae fragmenta orationum Verrinarum Vaticano libro contineantur.

1 fragm. lib. I a cap. 41 *docet hominem* usque ad c. 44 *in re tam usitata satis.*
2 fragm. — a cap. 46 *videbantur quod erat* usque ad c. 50 *aedes sacras locavissent.*
3 fragm. — a cap. 52 *Venit ad Chelidonem* usque ad c. 53 *solitum esse deferre.*
4 fragm. — a cap. 54 *bonis praedibus* usq. ad c. 56 *sermonem atque existimationem con||*
5 fragm. — a cap. 57 extr. *tabulae praedam* usque ad c. 58 *debemus ut illorum.*
6 fragm. — cap. 61 sex postremorum versuum.

7 fragm. lib. II ab initio usque ad c. 1 *omnium sociorum pro||*
8 fragm. — a cap. 8 *omnium Siculorum* usque ad c. 9. init.
9 fragm. — a cap. 13 *Romanus datur* usque ad verba eiusd. cap. *haec copia.*
10 fragm. — a cap. 17 *coeperunt Heraclium* usque ad verba eiusd. cap. *petatur hereditas.*
11 fragm. — a cap. 22 *demonstravi de Heraclio* usque ad c. 23 *se velle de.*

12 fragm. lib. II a cap. 24 *maximum quod* usque ad c. 28 *quod erat innocens.*

13 fragm. — a cap. 34 *dixi compararat* usque ad c. 35 *summo ut putant.*

14 fragm. — a cap. 41 *ipsum aput hoc collegium* usq. ad c. 42 *Romae cum haec ac*||ta.

15 fragm. — a cap. 46 *de publico attingeres* usq. ad c. 47 *Veneri non de Sthe*||nii.

16 fragm. — a cap. 49 *testimonia: legati* usque ad verba eiusdem cap. *legum dandarum.*

17 fragm. — a cap. 50 *ut is amplior* usque ad c. 51 *scriptum erat ut.*

18 fragm. — a cap. 55 *adepti sunt* usque ad c. 57 pr. *quid hi iudicent.*

19 fragm. — a cap. 58 *nomine accersat* (sic) usque ad verba eiusd. cap. *magistratibus nostris.*

20 fragm. — a cap. 62 *voles eorum testium* usq. ad c. 64 *quam apertissime vobis.*

21 fragm. — a cap. 69 *causa multa feci* usque ad verba eiusd. cap. *ne quid tibi prodesse posset.*

22 fragm. — a cap. 77 *in Sicilia sit* usq. ad c. 78 *diluere dilucide quod.*

23 fragm. lib. III a principio usque ad c. 1 *officii sed etiam.*

24 fragm. — a cap. 8 *ut neque in segetibus* usque ad c. 9 *ut ipse non solum.*

25 fragm. — a cap. 10 diripien|*dosque esse voluit* usque ad cap. 12 *querebantur neque tamen.*

26 fragm. — a cap. 16 *vendidisti? tu partes* usque ad c. 18 *annonae cari*||tatem.

27 fragm. — a cap. 20 *profecto quamquam es* usque ad 25 *in Aproni convivio.*

28 fragm. — a cap. 26 extr. usque ad c. 29 *virgis te.*

29 fragm. — a cap. 31 *tanta religio* usque ad c. 34 *Eo posteaquam ventum.*

30 fragm. — a cap. 36 *victu, de vectigalium* usq. ad c. 38 *Anno secundo Tissenses.*

31 fragm. — a cap. 56 *periculum pertinebant* usque ad c. 57 *Loquebantur enim decu*|| mani.

32 fragm. lib. III a cap. 60 *totam iniquam eierat* (sic) usque ad c. 62 *si quem aratorum.*
33 fragm. — a cap. 65 *Tenetur igitur iam* usque ad c. 68 pr. *Videtis ut.*
34 fragm. — a cap. 72 *denique conatus est* usque ad c. 75 *a Siculis emere iussit?*
35 fragm. — a cap. 75 *cognoscite ex litteris* usque ad c. 76 *Vidimus.*
36 fragm. — a cap. 78 oppug|*nari iura dicet?* usque ad c. 80 *ager Syracusanus praedonúm.*
37 fragm. — a cap. 82 extr. usque ad c. 84 pr. *atque in mea.*
38 fragm. — a cap. 84 *cum tibi senatus* usque ad c. 85 pr. *soleant. Hoc quid.*
39 fragm. — a cap. 86 *ut daret arator* usque ad c. 88 *iis qui aderant.*
40 fragm. — a cap. 88 *non ex eo quod licuerit* usque ad c. 90 *hominum auctori*||tas.
41 fragm. — a cap. 91 *afflictam et perditam* usque ad c. 92 *dissimilitudinem in illo.*
42 fragm. — a cap. 94 *quotus erit iste denarius* usque ad c. 97 *si aestumavit tanti.*
43 fragm. — a cap. 98 *nullo modo potuerunt* usque ad finem.

44 fragm. libri IV a cap. 3 *hospes esset Heiorum* usque ad c. 5 principium.
45 fragm. — a cap. 7 *domi suae esse* usque ad c. 9 *negent isti onerariam.*

46 fragm. libri V a cap. 28 *propter hanc causam* usque ad verba eiusd. cap. *acerbissima morte crudelissimo*||que.
47 fragm. — a cap. 31 praesi|*dio verum etiam praeda* usque ad c. 32 *Vide quid inter tu*||am.
48 fragm. — a cap. 36 *sagum sumit* usque ad c. 38 *Siculosne milites, aratorum.*
49 fragm. — a cap. 40 disso|*lutus* usque ad c. 42 *patrem domi reli*||quisses.

50 fragm. libri V a cap. 44 *isto praetore in Sicilia* usque ad c. 45 *Atque ipsi etiam adulescen*||tes.

51 fragm. — a cap. 45 extr. usque ad cap. 52 *in provincia P. R. cum tibi.*

Hactenus Vaticanus rescriptus.

DIVINATIO IN Q. CAECILIUM.

§. 1. *miratur]* Par. 7823, quem Par. D. notabo, Leid. Guelf. 2 Lag. 29 pr. m. *mirantur.* — *ita sim vers.]* Lag 29 *sim ita vers.* — *defenderim]* Lag. 29. Par. D. *defenderem.* — *consilii]* omitt. Guelf. 2 Par. D. — *in hac causa]* Lag. 29 *in hanc causam.*

mihi esse] Sic etiam Guelf. 2 (vere quidem *michi* ut solet).

§. 2. *iucundam]* Lag. omnes praeter 42 *iocundam.* Unus Leid. *praeclaram.* Guelf. 2 *in quandam.* — *tum nonnull.]* Lagom. omnes praeter 29 *tamen nonn.* — *Qui nunc]* Guelf. 2 Par. D *quare nunc.* — *suar. fort. omn.]* Guelf. 2 *fort. suar. omn.* — *esse poll.]* Margo repet. Lamb. *esse sibi poll.* — *aliquid a me]* Guelf. 2 *a me aliq.* — *saepe ost.]* Abest *saepe* a Lagom. 6. 14. 45. 48. 29. — *me non]* Guelf. 2 *non me.*

Etiam Guelf. 2 *discessissem.*

§. 3. *C. Verres]* Lag. 1. 5. 14. 45. *G. Verres* — *eas omnes]* Margo repet. Lamb. *eas res omnes.* — *suppl. esse]* Car. Steph. (fort. e Par. D) Lamb. *isse.* —

§. 4. *eos hom.]* Lag. 29 p. m. *hos hom.* — *adolescentia]* Lag. 29 *adulescentia*, et ita semper. — *id mihi]* Guelf. 2 Lamb. vet. cod. in marg. *idem id mihi.*

eos habere] Sic etiam Guelf. 2.

§. 5. *veteri]* Guelf. 2 *vetera.*

§. 6. *et hoc]* Lag. 42 *tamen hoc.* — *me reip.]* Omittunt *me* Lag. 1. 6. 14. 45. 48. — *singulari]* Lag. 29 *si gloria.* — *scelere praed.]* Lag. 29 *praed. scel.*

§. 7. *quod aut]* Omittunt *aut* Lagom. omnes praeter 29. item Iuntina. — *funditus eversae]* Lagom. 29. 42 *funditusque eversae.* Pro *eversae* Guelf. 2 mendose *eum se.* — *volunt]* Lag. 42 *nolunt.*

§. 8. *vet. iudic. vim]* Guelf. 1 verbum *iudiciorum* hinc in ultimum locum removet sic: *veterem vim gravitatemque requirit iudiciorum.* Leid. omittit verba *vim gravit. requirit.* — *Iudic. des.]* Guelf. 1 *Itaque des.* — *iudicum culpa]* Lag. 29. 6, *iudicum*, Guelf. 1 *et iudicium.* Guelf. 2 *iudicum thoma* (sic).

atque etiam plausibile] Guelf. 2 non *atque plaus.*, sed *et plausibile.*

§. 9. *his tot rem]* Steph. *ius tot.* Lamb. omisit sive *his* sive *ius.*

§. 10. *delatio]* Lag. 6. 29 a pr. m. *dilatio.*

§. 11. *C. Verres — depopulatus — dicitur]* Lag. 5 et ex correct. 27, 45 *Verrem*, iidem et 1. 6. 14 *depopulatum.* Iunt. *Verrem — depopulatum — dicunt.* — *a vobis]* omitt. Par. D. — *esse voluerunt]* Lag. 29 pr. m. *esse* omittit.

et diu cognitum] Sic sane Guelf. 1, sed alter omittit *diu.*

§. 12. *percrebruit]* Lagom. omnes praeter 6. 48. *percrebuit*, Guelf. 2 *percrebunt.* — *omnes]* Lag. 29 pr. m. *homines.*

§. 13. *quos omnes]* Steph. Lamb. cod. Leid. *quos homines.* — *meae]* omittunt Lagom. 1. 6. 14. 45. 48. — *video]* Lag. 29 pr. m. *videor.* — *Marcellinus]* Guelf. 2 *Marcellus.* — *nomini]* Lagom. omnes praeter 42 *nomine*, item Huyd. Meining.

§. 14. *dub. aut obsc. sit]* Steph. Lamb. *dubia sit aut obscura.* — *crimina vel]* Par. D interiicit *saltem.* — *minuerentur]* Lag. 5 ex corr. *numerarentur.*

§. 15. *petiverunt]* Unus Lag. 29 *petierunt.* — *obiiciatur]* Lag. 29 *obiciatur.*

§. 16. *cuiusquam]* Guelf. 2 *cuiuspiam.* — *valit.]* Unus Lag. 27 *valetudinis.* — *haec in hac re]* Omittunt *haec* Steph. Lamb. Lagom. 6. 29 pr. m. Guelf. 2.

§. 17. *debeant]* Lag. 29 pr. m. *debent.*

§. 18. *severi]* Lag. 29 pr. m. *severe.*

§. 19. *una voce]* Lag. 42 *viva voce.* — *populique]* Ambo Guelf. omittunt *que.* — *millies]* Lag. 29 pr. m. *mille.* Guelf. 2 et Par. D *mille sex lege.* Guelf. 1 *milies.*

§. 20. *reperietur]* Lag. 29 pr. m. *reperiretur.* — *probare]* Lag. pr. m. 29 *probari*, idem *utrunque*, ut antea *veruntamen*, talia, scribit. *Utrunque* etiam Car. Stephanus et Lambinus.

§. 21. *loquere]* Lag. 29 pr. m. *loquerere.* — *arbitrantur]* Lag. omnes praeter 1. 6. 48 *arbitramur.*

se ab omnibus] Etiam Guelf. 2 omittit *se.*

§. 22. *Ecquis]* Guelf. 2 Lagom. omnes praeter 42 *etquis.* Iidem Lagom. *unquam* scribunt pro *umquam.* — *delatio]* Lag. 29 pr. m. *dilatio.* — *sint]* Lag. sex (i. e. omnes praeter 29. 42. et 45) *sunt*, item edit. Iunt.

§. 23. *amicus eius]* Abest *eius* a Lag. 29 pr. m. — *ab iud.]* Lagom. 42 *a iud.*

§. 24. *in iudiciis dominari]* Etiam ambo Guelf. adiiciunt *diutius*, ut tuto iam recipi possit, atque adeo debeat.

§. 25. *et ita tamen mut.]* Haec verba absunt a Par. D Leid. Guelf. 2. — *arbitrabantur]* Guelf. 1 *arbitrantur.* — *iudicium sine]* Lag. 42 pr. m. interponit *suum.*

§. 27. *mentem]* Guelf. 2 *mente.* — *sociorum]* Guelf. 2 *socio-*

rumque. — *oporteat]* Lag. 29 Guelf. 2 *oporteant.* — *alterum]* Guelf. 2 omittit. — *mea]* Guelf. 2 *in alio.* — *ferendum]* Lag. 29 *ferundum.*

§. 28. *animadvertere]* Lag. omnes praeter 42 *animum advertere.* — *quod iisdem litteris]* Lag. 29 scribit *literis*, verbum omittunt Lag. 1. 6. 14. 48.

§. 29. *decesseris]* Lag. 29 *disc.* — *a Verre in prov.]* Lag. 29 *in prov. a Verre.* — *M. Caecil.]* multi Lagom. *M. Celium.* — *te si]* Lag. omnes praeter 29 *si te.*

§. 31. *sin praetermittes]* *Si* Lagom. omnes praeter 29, et primus *sin* edidit Stephanus. Idem *praetermittis* cum Lag. 29. — *non possis]* Lag. 29 pr. m. omittit *non.*

tua ista] Guelf. 2 tamen *ista tua.* Lib. II, 45 §. 111 *de tuo isto nefario scelere.*

§. 32. *cup. praetor]* Lag. 29 pr. m. *populus Ro.* — *vere]* Lag. 5. 27. 29 *Verris.*

§. 33. *mancipes]* Lag. 29 *manicipes*, 5 *municipes.* — *solum non sed]* Lag. 5 *non solum sed*, sicut Fr. pr. et edit. Ven. ann. 1483. — *quid igitur]* Lag. 29 *qui diligitur.* Guelf. 1. *Quod igitur daturus est.* — *imp. retard.]* Iunt. interponit *etiam.*

§. 37. *susceperis tot res tam.]* Par. D et Guelf. 2 *susciperes tot tam graves tam* cet: sed *susciperes* etiam Guelf. 1 et Lag. 29 pr. manu, qui quidem servant *res.* Leid. traditur *res* post *varias* collocare.

§. 38. *vid. esse]* Lag. 29 *esse vid.* — *senserunt]* Lag. 42 *senserint.*

§. 39. *elaborasses]* Lag. 29 *labor.* — *esset magnum]* Guelf. 2 *esse magnum.*

§. 41. *defenderim]* Lag. 29 *defenderem.* — *quod mihi]* Lag. 29 *quid mihi.* Idem post pro *promptior* habet *propitior.* — *temp. mihi]* Lag. 29 *mihi temporis.*

ita mihi deos] Sic etiam Guelf. 2.

§. 42. *factura]* Male credidi silentio: Guelf. 1 item *factura sit.*

§. 43. *et si]* Lagom. omnes Par. D Leid. Huyd. omittunt *et.* — *aliqua oratione]* Lagom. 1. 5. 14. 27. 45 et edit. Iunt. *ratione.* — *potueris]* Lag. 29 pr. m. *poteris.*

§. 44. *ne illud quid.]* Lag. 29 *nec illud q.* — *ut me ab]* Omittitur *me* in Steph. editione et cod. Par. D Leid. Guelf. 2. — *nunquam]* Sic recte primo loco Guelf. 1 deinde *nunquis*, tertio *nunquid.*

§. 45. *digitis suis]* Lag. 29. 48 *tuis.*

§. 46. *praestringat]* Sic etiam Guelf. 2.

§. 47. *si enim mihi hodie]* Leid. Guelf. 2 *si hoc mihi dic.* — *prolus.]* Lag. 1. 14. 45. 48 *praelusio* — *Est tamen]* Leid. Guelf. 2 *et tamen.* — *tametsi non est satis]* Guelf. 2 *tamen non est* (suprascript.) *satis.*

§. 48. *video eum]* Guelf. 2 *vid. ipsum.* — *sunt omnes]* Guelf. 2 *omnes sunt.* — *At ne]* Lag. 29 Guelf. 2 et edd. a Naugerio usque ad

Graevianam *Ae ne*. — *aliquantum]* Lag. 6 et edit. usque ad Naug. *aliquantulum*.

Alienum] Sic etiam et h. l. et postea ambo Guelferbytani. — *totum iudicium]* Guelf. 2 cum Stephano omittit *iudicium*.

§. 49. *hoc cons.]* Lagom. septem (i. e. omnes praeter 29. 42) *haec cons*.

§. 50. *reorum]* Guelf. 2 *rerum*.

§. 51. *isto]* Lag. 5. 27. 42. edit. Iunt. *illo*. — *Etenim]* Guelf. 1 *est enim*.

§. 52. *quam multa sint]* Guelf. 1 *quamquam* (compendiose) *multa sunt*. — *intelligis]* Guelf. 2 Leid. *intellige*.

§. 53. *non quid*. Guelf. 2 *nisi quid*.

§. 54. *ferri]* Guelff. *fieri*.

§. 55. *posset]* Lag. 29 *possit*. — *Lilybaetana]* Guelff. *lilibitana*.

§. 56: *neque enim]* Lag. 29 *neque tantum*. — *Veneri]* Lag. 5 edit. Iunt. *Veneris*. Iidem libri post *hac relig*. pro *ac rel*. — *Ita]* Guelf. 2 *ista*. — *Agonis]* Guelff. Leid. Par. D *Agonidis* mendose.

§. 57. *coercendam]* Ambo Guelf. scribunt *cohercendam*. — *esse laudanda]* Lag. 5. 27. 42 omittunt *esse*.

§. 59. *amicior]* Guelf. ambo Lag. VII i. e praeter 29. 42 omnes, et ed. Iunt. *amicicior*. De eadem erroris constantia in celeberrimo cod. Erf. scribit Ed. Wunderus praef. p. XIII. Cf. Forcellinum in lex. s. v. *amicus* et *inimicus*.

§. 60. *id quod tu iniuriam]* Guelf. 1 *tu* omittit. Guelf. 2 post haec verba continuat *ab illo accepisti*, omissis, quae inter repetitum verbum *iniuriam* interiacent. — *facta est]* Guelf. 2 *facta sit*. — *incertum]* Guelf. 1 Oxon. Lag. VII *inceptum*.

§. 61. *nullam neque]* Guelf. 2 *nullamque*, 1 *nullam neque — atque*. — *posse rep.]* Lag. 29 *reper. posse*.

§. 62. *numero]* Guelf. 1 *modo vel numero*. — *in rat. redd.]* Lag. 29. 6 *oratione*. — *quin]* Guelf. 2 *qui*.

§. 63. *Philoni]* Guelf. 2 *pithoni*, 1 *ptatomi vel filoni*. — *data]* Excidit in Guelf. 1. — *quaestor enim]* Guelf. 2 omittit *enim*. — *ab Siculis]* Lag. 5. 14. 27. 42. 45 bis *a Siculis*. — *fuit honest.]* Lagom. omnes praeter 29 edit. Iunt. omittunt *fuit*. — *operam]* Guelf. 2. *opera*.

§. 64. *sociorum atque]* Guelf. 2 *sociorumque*. — *et dign.]* Lag. omnes praeter 42 et 48, item edit. Iunt. *ac dign*. — *erat causa]* Guelf. 2 *causa erat*. — *sibi Achaei]* Lag. 5. 27. Iunt. *Achaei sibi*. Tum *adoptaverant* iidem et cod. 42.

§. 65. *Etenim cum]* Guelf. 2 *Et inimicum*. — *quem actorem causae]* Guelf. 1 *quem actorem ydoneum causae*. — *cui]* Lagom. 6 *qui cui*. — *fortunasque defenderem]* Continuat Guelf. 2 *M. Cathonem* omissis mediis.

§. 67. *ac relata]* Lag. 42. 5. 27 editt. vett. usque ad Stephanum *atque rel*.

§. 68. *ac renov.]* Guelf. 2 *atque ren.* — *uti si]* Lag. 29 Guelf. 2 Leid. *ut si*: et placet.

§. 69. *amplissimus]* Lag. 6. 14. 48 *amplissimis.* — *Cottam]* Lag. 27. 29 *Coctam.*

§. 70. *Ego vero aetatis]* Interponunt sane *et* ambo Guelferbytani.

§. 71. *ac fortunis]* Guelf. 2 *de fortunis.* — *requiret]* Edd. Iunt. Ald. codd. Lagom. praeter 42 omnes *requirit.*

§. 72. *habet honorem]* Guelf. 1 *hunc honorem*, sed deinde item *hanc spem — hanc extimationem.*

ACTIO I.

§. 1. *id non]* Guelf. 2 *id est non.* — *opinio perniciosa]* Guelf. 2 *opinio pmo perniciosa.* — *Romae sed et]* Haec verba absunt ab editt. principibus et Guelff. Leid. Lagom. nonnullis, in pluribus etiam ex deteriore familia sola verba *sed et* desiderantur. Iuntina habet *non modo apud exteras nat. sed apud pop. Romanum omnium sermone* cet. Aldina primum ut deinde vulgo editum. — *percrebruit]* Sic Guelf. 2, *percrebuit* 1. — *nunc]* Guelf. 2 mendose *minime* (per comp.)

§. 2. *vestrorum]* Lagom. 5. 27. 29 *nostrorum.* — *hanc invid.]* Guelf 1 *hucze invidiam.* — *atque]* Lagom. 42 *ac.*

quae nunc sint] Sunt etiam Guelf. 1.

§. 3. *severitatemque]* omittunt Guelf. 2. Leid. — *hoc tamen]* Lag. 29 *tamen hoc*, Guelf. 1 *hoc tantum* (etiam Guelf. 2 *tm̄* quod est *tantum*, cum *tn͡* sit *tamen.*) — *assequar]* Guelf. 2 *assequor.* — *Equidem]* Guelf. 2 *Et quidem.* — *devitarim]* Lag. 6. 29 *devitarem.* — *iudices]* Guelf. 1 *modo*, novo quodam errore sed §. 17 et 20 repetito in verbo omni corruptelae obnoxio. — *adire]* Guelf. 2 *audire.* — *factae sint]* Guelf. ambo et vet. cod. in marg. Lamb. *factae sunt.*

§. 4. *praetori]* Lag. 29 *ppi Ri*, Guelf. 1 *r. p*, Guelf. 2 Lamb. vet. cod. et Huyd. Mein. *p. r.*

§. 5. *aliqua in re]* Guelf. 2 *aliquo iure.* — *recens esset]* Guelf. 2 *reus recens factus esset.* — *vetere]* Lag. 29 *veteri.*

§. 6. *ille Achaicus]* Guelf. 2 omittit *ille.*

in Achaiam] Etiam Guelff. *in Achaia*, ut respondeat ei, quod praecessit, *in Sicilia.*

§. 7. *ut non modo]* Guelf. 2 *non ut modo.*

§. 10. *proficere]* Sic etiam alter Guelf.

§. 11. *cui legatus]* Steph. et Guelf. 1 *cui ille leg.* Guelf. 2 *cui l.* (i. e. *vel*) *ille leg.* Leid. *cui illa leg.* Lag. 29 *cui et leg.* Vides affinitatem. — *ac prodidit]* Guelf. 2 et Leid. *atque prodidit.*

§. 12. *dicundo]* Lagom. septem, Huyd. *dicendo.* — *addictio]* Oxon. Huyd. *additio*, Leid. Guelf. 2 *auditio.* — *monum.]* Lagomars. 29. 42 et quattuor alii cum tribus Pariss. *monimenta.*

§. 12. *vexavit]* verum est non legi in Guelf. 2. *Ac* vero tertio loco positum ne nimis insolens existimetur, cf. in Verr. lib. I, 15 *hoc vero occultum, intestinum, ac domesticum malum;* IV, 45 pr. *illius fani antistitae, maiores natu, probatae, ac nobiles mulieres.* Sicut etiam *atque* tertio loco legitur in Catil. II, 13 *precari, venerari, atque implorare;* de Senect. 10 *agris, vicis, atque oppidis.*

§. 13. *satietati]* Guelf. 2 *satietatem* Par. B. *satietatis.*

§. 15. *facta quoque eius]* Guelf. 1 *facta eius quoque.* — *alia mecum ratione]* Guelf. 2 *alia ratione mecum.* — *his se rebus]* Guelf. 2 *is se rebus.* — *simulat se]* Guelf. 1 *se* omittit.

§. 16. *e provincia]* Guelf. 1 *ex prov.* — *conductio]* Guelf. 1 *dicio,* Guelf. 2 et Huyd. *conclusio.*

ea mansit] Nimirum *ea* in codice ms. nullo legitur.

§. 17. *omnium]* omittit Guelf. 1. — *allini]* Lagom. septem *adimi.*

§. 18. *Etenim]* Lag. 1. 29 *Et.* — *commemorari]* Lag. 29. 42 *commemorare.* Guelff. *commemorare voluisset.* — *palamque]* Lag. 5. 29 *palam.* — *et amic.]* Lag. septem *et* omittunt.

§. 19. *spectare videbant]* Tolle ex annotatione locum e Planciana c. 36, ubi Erfurt. non *ultores esse videbam,* sed *esse ultores videbam* habet.

§. 20. *ipse se]* Guelf. 1 *ipsum.* — *quid igitur]* Guelf. 1 *quod igitur.* Guelf. 2 *quid ergo.* — *Quid iudices]* Guelf. 1 *Quid modo.*

Non] Erravi, *num* habet Guelf. 2.

§. 21. *hominis perditi]* Abest *hominis* a lemmate Asconii et edd. Naugerii, P. Manutii. — *gratulatio]* Huyd. Lag. 5, 27, 42 editt. princ. *congratulatio.* — *animi]* Lag. 29 *animo.* — *nuntiatur mihi]* Exciderunt in Leid. — *tantam isti grat.]* Hoc verbb. ordine primus Victorius: antea *tant grat. isti,* ut est in Lagom. septem praeter 48. — *uxori suae]* Guelf. 2 omittit *suae.*

§. 23. *praemonebat]* Lag. 1. 27. 29. 45. 48 *praemonebant.*

§. 24. *districtum]* Guelf. 1 Lag. 29 et alii *destrictum.* Guelf. 2 *destructum.*

§. 25. *ab Hortensio]* Guelf. 2 omittit *ab.*

deiicerer] Guelf. 1 quidem *deiceret,* Leid. *deiicere.*

§. 27. *Arcessit]* Lagom. VII *accersit.* — *praetor]* Guelf. 2 *p. r* — *cum his]* Ambo Guelf. *cum hiis.*

§. 28. *non fato]* Guelff. *non facto.*

§. 29. *in eo cons.]* Abest *eo* ab Guelf. 2 Leid. — *hunc iudicem]* Guelff. *nunc iudices ex kl. Iunii.*

§. 30. *tribuni plebis]* Guelf. 1 sic: *tribuni erunt tunc non habemus.* — *illa equestri]* Guelf. 1 *illa et equestri.* — *Cn. Tremellius]* Guelf. 1 *vel M. Cn tremellius.* — *praetore]* Ambo Guelf. Leid. edit. Stephani *praetoribus,* propter notam.

§. 31. *X dies]* Guelf. 2 *ex dies.* — *dies quindecim]* Lag. 29 XXI. — *consequentur]* Guelf. 2 *consequuntur.*

§. 32. *in hac laude]* Guelf. 2 omittit *hac.*

hoc animo] Sic etiam Guelf. 2.

§. 33. *mihi tecum]* Abest *mihi* a Guelff. et edit. Steph. sed Guelf. 1 etiam *erit tantum.* — *explicandis]* Guelf. 1 *explicando.* — *quoniam]* abest a Guelf. 1. — *et causa]* Guelf. 2 *et tam.*

§. 34. *ista ratio]* Guelff. 2 omittit *ratio.* — *mihi rem]* Guelf. 2 *rem mihi.* Ven. Ascens. Iunt. Lamb. *mihi tecum rem.* — *recepissem]* Guelf. 1 *accepissem.* — *mihi quiddam]* Guelff. et Lag. 29 *quiddam mihi.* — *perspicere]* Guelf. 2 *respicere.*

§. 36. *et audacia]* Guelf. 2 *aut audacia.* — *agam]* Guelf. 2 *ago.*

secum agere] Guelff. item mendose *secum habere.*

§. 37. *haec huiusm.]* Lag. 29 *huiusmodi haec.* — *decem annos]* Lag. 29 pr. m. *decem dies annos.*

§. 38. *quod P.]* Guelff. omittunt *quod.*

§. 39. *Popillio]* Guelff. 2 et Lagom. omnes praeter 42 *popilio,* 1 *porpolio.* — *et ab reo — acciperet]* Codd. deteriores plerique omnes et omittunt coniunctionem et exhibent *reciperent.* Naug. primus *acciperet* edidit, Lamb. *et* adiecit. Lag. praeter 42 omitt. *et,* et exhibent *recip.*

§. 40. *converteret]* Lag. 29 *conveniret.* — *traderet]* Lag. 29 *tradere.*

defensoribus suis] Abest *suis* etiam a Guelf. 1.

§. 41. *M'.]* Omnes Lag. praeter 42 *M.* — *reiiciendis]* Lag. 29 et alii nonnulli *reiiciundis.* — *commemorassem]* Lag. 29 *commemoraverim.* — *fore uti]* Lag. 42 *ut.*

§. 42. *nolunt]* Guelf. 2 *volunt.*

§. 44. *pop. Rom. exist. satisf.]* Guelf. 1 *pretoris satisfacere existimationi.*

Patres conscripti] Solus Guelf. 2 *patres ac,* 1 *p. conscripti.* Cf. p. Plancio 32 §. 78 et varietatem scripturae. Habes etiam *patres conscriptos* pro senatoribus in Verr. I, 39 §. 99.

§. 45. *tum vero]* Guelf. 1 om. *vero.*

§. 46. *unum sen.]* Guelf. 1 *nec unum sen.*

§. 47. *aliquo]* Guelff. *alio.*

§. 48. *ut nemo a vobis]* Guelf. 2 *ut nobis a nobis.*

§. 49. *ac tollere]* Guelf. 1 *et tollere.*

§. 51. *auctoritate, sapientia]* Sic etiam Guelf. 2.

§. 52. *atque hor.]* Lag. 29 *ac hor.* — *demovere]* Guelf. 1 Lag. 42 *dimovere.*

§. 53. *in id temp.]* Lag. 29 pr. m. *ad id t.* — *universos]* omittunt Lag. septem, Oxon. Huyd. Mein.

§. 54. *quadrag.]* Pauci Lagom. Ox. Huyd. *triginta.* — *nobis denique]* Guelf. 1 *vobis denique* — *a quoque]* Lag. 29 *a quoquam.*

ludorum] Codd. *iudiciorum.*

§. 55. *crim. totum]* Lag. 29. *totum crimen.* — *oratione]* Lag. 6. 42 *ratione.* — *singulas]* Guelf. 2 *singulares.* — *desideret]* Septem Lagom. *desiderat.* — *ratione]* Guelf. 2 *oratione.*

§. 56. *quadringenties]* Guelf. 1 *CCCC,* 2 *CCCC M.* In Divin. c. 5. *millies* est. Huyd. *CCCC sestertia,* Lag. 1. 5. Mein. om. *HS.*

LIB. I.

§. 2. *est idem]* Lag. 29 pr. m. 42. Huyd. Mein. interponunt *enim.* — *paratus]* Leid. Guelf. 2 *sic ad audiendum praesto,* 1 a pr. m. *semper ut ad audiendum,* fallentibus verbis similibus. — *tamen]* Guelff. *tantum non moleste.* Guelf. 2 Leid. om. *non.* — *mihi opus]* Lag. 29 pr. m. *opus mihi.*

§. 3. *neque eo]* Lag. 29 p. m. om. *eo.*

§. 4. *iste esset]* Lag. 29 *esset iste.* — *neque enim]* Leid. Guelf. 2 om. *enim.*

§. 6. *ipse iam]* Guelf. 1 *etiam.*

§. 7. *Agunt eum]* Lag. 27. 48. Guelf. 1 *agunt enim.*

§. 8. *obstrinxerit]* Lagom. VII *tot sceleribus se obstruxerit.*

§. 9. *nam quis]* Guelf. 2 *Nam quisquis.* — *iri si]* Guelf. 2 Leid. *nisi.* — *ac non sic]* Guelf. 2 *ac si non.* — *cum—dimiserit]* Deest hoc colon in Guelff. Leid.

tamen ex] Habent sane Guelf. ambo *cum ex*, vitiose nimirum propter notam, nec dignum notatu nisi ut Stephani fides intelligatur.

§. 10. *Non est, non est]* Semel tantum Guelf. 2 Huyd. — *viros]* Lag. 29 *iudices.* — *ne actor quidem]* Guelf. 1 Huyd. Mein. Lag. praeter 42 omnes *nec actor q.* — *his ego iud.]* Guelf. 2 *his iud. ego.*

§. 11. *persuadeamus]* Lag. 6. 29 *persuademus.* — *a quaest.]* Omittitur *a* in Lag. 42. — *Vindicandum]* Guelf. 2 *ad iudicandum.* — *sociorum]* Guelf. 2 *sociorumque.*

et ex urbibus] Sic sane Guelferbytani.

§. 12. *me iam pridem]* Guelf. 1 *iam me pridem*, Guelf. 2 *me iam non pridem.*

§. 13. *vestra sev.]* Steph. Guelf. 2 *nostra sev.* Tum Guelff. *ad nos.*

§. 14. *Suetius]* Guelf. 2 *Succtius,* Leid. *Senestius.* Lib. II, 12 *Suetius* sine varietate est.

§. 15. *in hoc iud.]* Lag. 29 omittit *in.* — *iud. quisquam]* Lag. 6. 43 *quisq. iudices.* — *vestro peric.]* Guelf. 1 *nostro.* — *rebus est]* Sic primus Steph. (Lamb.) priores edd. *est rebus.* — *tum in]* Omittit *in* Guelf. 1. — *subscrib.]* Guelf. 1 *scribendi.*

fuerunt] Sic etiam Guelf. 2.

§. 16. *in Siciliam]* Lagom. VII praeter 6 *in Sicilia.* — *studio]* Lag. 29 pr. man. *odio.*

§. 17. *et ex Sicil.]* Omittunt *et* Lagom. omnes praeter 29. — *cognoverant]* Lag. 29. *noverant.* — *usque eo]* Lag. 42 *eo usque.*

§. 18. *statum reip.]* Lag. 29 et VII praeter 45 *P. R.* — *Paeduc.]* Lag. 29 et quinque ex VII deterioribus *Peduceum.* Leid. *Preduceum.*

§. 19. *consessuque]* Lag. 29 Huyd. Ox. *consensuque.*

§. 20. *ac defens.]* Lag. VII et 29 *et def.* *Ac* primus Steph. — *deliberaret]* Lag. VII *deliberarent.* — *istum comper.]* Lag. 42 *istum non comperendinatum.*

§. 22. *salutemque]* Omittit *que* Lag. 29. — *potest sperare]* Lag. 29 *sper. potest.*

venturi simus] Cum Stephano Guelferbytani *venturi sumus.*

§. 24. *dicere]* Guelf. 2 *dici.*

§. 25. *non tibi]* Guelf. 1 *tibi non,* idem *inquit* omittit.

multi possunt] Steph. Lamb. cum Guelff. *possunt multi.*

§. 26. *Aciliam]* Lag. 42 Guelf. 2 *Attiliam.* Guelf. 1 *Actiliam.* — *non hac]* Guelf. 2 *non licet.*

si bis dicere est] Etiam Guelf. 2 *si bis est dicere.*

§. 27. *saepe experti in dicendo]* Haec collocatio verbb. nititur Stephaniana edit. et per Lamb. repet. in Gruterianam venit, estque in Guelff. Veteres edd. et codd. vulgares *saepe in dicendo experti.* — *unquam in hoc quid. genere causarum]* Guelf. 2 *umquam quidem in hoc genere tantum.* — *permagna]* Lag. 42 *permaxima.* — *habuit]* Lag. 5, 27. 42 et editiones principes usque ad Naugerium *habuerit.*

§. 28. *explicare]* Lag. 29 *iudicare.* — *equarum]* Lag. 42 *equorum.* — *homines honest.]* Guelf. 1 Huyd. *hominis,* Guelf. 2 omittit id verbum.

vestisque] Etiam Guelf. 2 *vestis.*

§. 29. *Nego esse]* Imposuit mendum Lamb. repet. Grutero multisque aliis ut *ego* post *nego* intruderent. — *causamque]* Lag. 29 *causa.*

in criminibus omnibus] Etiam Guelf. 2 omittit *omnibus.*

§. 30. *ego mihi C et X dies solos* cet.] Guelf. 2 omissis mediis *ego michi C et VIII sibi in achaiam.* — *quadrug. post]* Leid. Guelf. 2 omitt. *post.* — *et a magna]* Lag. 29 omittit *et.*

§. 32. *turpia dictu]* Lag. 29. 42 *dictu turpia.*

§. 33. *perductorum]* Lag. 42 Leid. *perditorum.* — *indicia]* Lag. 42 et quattuor alii *iudicia.*

§. 34. *sortitus es]* Guelf. 2 *sort. est.* — *esses eamque]* Guelf. 2 *omnes eamque.* — *ornabat]* Guelff. *honorabat.* — *ei occasio]* Guelf. 1 *occasio ei.*

§. 35. *auram]* Guelff. *aurem.* — *mortui]* Guelf. 2 omittit. — *non potuerit]* Guelf. 1 *non potuit.*

§. 36. *HS sexcenta]* Guelf. 1 *usq; sexcenta.* — *quae se]* Guelf. 1 *qui se,* 2 *qui.* — *potuit quibus]* Lag. VII et edd. vett. usque ad a. 1534 *potuit describere quibus* cet. alio verborum ordine. — *nunc sentiet]* Guelf. 2 *non sentiet.*

§. 37. *tamen ista]* Guelf. 1 *tantum ista.* — *rat. omnes suas]* Steph. *rat. suas omnes.* — *fecisses]* Steph. Leid. Guelff. *legisses.* — *nec fidem — nec — nec]* Leid. bis, Guelf. 2 ter *neque.*

§. 38. *adventus istius]* Edd. princ. usque ad Naugerium et Lagom. VII

istius adventus. — *hominem]* deest in Guelf. 2. — *postea praemia]* Lagom. VII et editt. vett. usque ad Victorianam et Hervagianam *praemia postea.*

et permiscere] Scribe *ac*, nam sic etiam Guelf. 1 (vere quidem *at*).

§. 39. *accidere]* Steph. Guelf. 1 Lag. 29 *accedere.* — *voluerint]* P. Manutius primus correxit, cum antea fuisset *voluerunt*, quod extat in VII Lagom. Huyd. — *ipsis]* Guelf. 2 Leid. *temporis.* — *in simulatione]* Guelf. 1 *in dissimulatione.* — *malum]* om. Leid. Guelf. 2. — *prospicere]* A Naugerio ad Manutium edd. *perspicere.* Sustulit mendum denuo Steph.

§. 40. *tu cum]* Steph. (Lamb.) Guelf. 1 *tum cum.* Guelf. 2 et Leid. *tu* omittit.

§. 41. *haud scio an]* Lag. VII praeter cod. 6 *haud socio an.* — *qui in Cn.]* Guelf. 1 *qui ante Gn.*

et falso] Etiam Guelf. 1 *ac*, et omnino recipi debebat.

§. 42. *quid hoc]* Lag. 29 *quid de hoc.* Guelf. 1 om. *hoc.*

ambos] Tuto recipi poterat *ambo*, nam sic etiam Guelf. 1 contra alterum et Leidensem. Sic etiam Epist. V, 8, 4 et IX, 13, 2 (Medic.).

§. 43. *perspecto]* Lag. 29 *perfecto*, 5. 27 *profecto*, reliqui *prospecto.* — *istum sibi ex]* Lagom. VII et edd. vett. usque ad Steph. *istum sibi ullam ex*, vocabulo huc e postremis translato. — *eius]* Omittunt Lag. VII et 42 Huyd. Ox. cum edd. principibus usque ad Naugerium.

§. 44. *Cilicia constituta est]* Lag. 29 *const. est Cilicia.* — *id quod]* Lag. 42 om. *quod.* — *pervadere]* Guelf. 2 *persuadere:* idem Guelf. 1 ab altera manu. — *aliquando fecerit.* — Lag. 42 *al. fecit.* — *nisi quod]* Taurinensis palimps. apud Peyron. p. 216 *nisi id quod.* Guelf. 2 *nisi quod sibi in.*

ut iste prof. est] Malim nunc scribere *ut est profectus*, quoniam codd. aut *iste* (ut Guelf. 1) aut *est* exhibent, nullus, ut videtur, utrumque.

§. 45. *est alius mihi]* Taur. palimps. *est mihi alius.* — *dictum hoc est]* Taur. *dictum est hoc.* — *pondus ablatum]* Continuant Guelff. Leid. *huius consilii* omissis mediis. — *non modo part.]* Taur. *non participem.*

§. 46. *fan. spol.]* Steph. *spoliat. fanum.*

§. 48. *hominibusque]* Edit. Steph. et Guelf. 2 omittunt *que.* — *quidem record.]* Guelf. 1 *non* inserit, male.

§. 49. *et Halicarnasso]* Guelf. 1 *alicarnoso*, sine *et.*

Tenem] Lag. 29 *Temnem*, Guelf. 1 *Thenuem* (item *thenedios*) Guelf. 2 Leid. Lag. 1. 45 *tenuem.* Ex his apparet, restituendum esse *Tennem*, duplici *n*, quod traditur esse in Huyd.

§. 50. *illinc]* Guelff. *istinc illinc.*

§. 51. *illa quaero]* Guelf. 1 om. *illa.* Idem *deposita.*

§. 52. *tum hos]* Guelf. 1 *tamen vos*, 2 *cum nos*. Leid. *nos*. — *Chium]* Guelf. 1 omittit. — *Samum]* Lag. 42 *Samium*.

§. 53. *spectantibus]* Guelf. 1 *expect*. et *explorata*. — *hominibus]* Leid. Guelff. *nominibus*. — *intimis]* Guelf. 1 *vicinis*.

§. 54. *sanctiss. Dianae]* Guelff. *dianū scīssimum*. — *ac spol.]* Sic primus Steph. Priores et codd. vulgares *et*. — *si in eas]* Steph. Lag. 42 Guelff. *quin* (Leid. *quam*) *eas* sine sensu. — *ex his]* Guelf. 1 *ex hiis*, 2 *ex istis*. Scribendum *ex iis* videtur. — *detract. atque abl.]* Guelf. 1 *ablatum atque detractum*.

atque ornam.] Etiam Guelf. 2 *et quae*.

§. 55. *Paullo]* Etiam Guelff. *Paulo*.

§. 56. *huiusmodi]* Steph. (Lamb.) *eiusmodi*, ut Guelf. 1 Lag. 27. 42. Guelf. 2 *erant vel huiusmodi*, Leid. *vel eiusmodi*. — *vir cl.]* Leid. om. Guelf. 1 *Q. Curio*, Huyd. *Rom. civis*. Nimirum fuit *v. c.*

Guelf. 1 omittit *forte* ante *cuipiam*. Sic enim in nota nostra scribendum, pro *quispiam*. Guelf. 2 *cupiam* vulgari mendo.

§. 57. *nos vid.]* Guelf. 1 *nobis vid*. — *vi et]* Guelff. omittunt *vi*. — *diligentiam]* Edd. princ. usque ad Naug. et VII Lag. Huyd. *diligentias*. — *in tabulas publicas]* In Cuiac. traditur esse *in tabulis publicis*.

§. 58. *tua quoque]* Abest *tua* ab edd. principibus usque ad Naug. et codd. plerisque deterioribus, a Lagom. VII praeter 27. — *ornamento]* VII Lag. Huyd. *ornamenta*.

§. 59. *suis fanis]* Lag. 29 *fanis suis*.

§. 60. *se plur.]* Guelf. 2 qȝ *plur*. super versum *se*. — *quoniam quidem]* Guelf. 1 om. *quidem*. — *et istius]* Guelf. 1 *etiam illius*. — *quoad vixit]* Lagom. VII praeter cod. 5 *quod*, 42 *quo*. — *quoad viu]* Lag. VII praeter 48 *quod*. — *audimus]* Guelf. 2 *audivimus*. — *tab. nunquam]* Lag. 29 *nunquam tabulas* inverso ordine. — *fecit]* Guelff. *legis*. — *verum sit]* Steph. *ut sit*. Guelff. *utrum sit*. — *audimus alium]* Lag. 42 *audivimus*. — *huiusce]* Steph. Guelf. 2 *eiusce*, Guelf. 1 *eiusmodi*. — *ab ea]* Guelff. omittunt *ab*.

accepti] Etiam Guelff. *accepi*.

§. 61. *negare]* Lag. 27. 42 Guelf. 1 *denegare*. — *impluvium]* Guelff. *pluvium*.

§. 62. *familias]* Guelf. 2 *familiis*. — *poterunt]* Iunt. *potuerunt*. Lag. 48 Huyd. *potuerint*. 42 *possent seu poterunt*. Guelf. 1 *possunt*. — *relinquam]* Lag. 29 *ego relinquam*.

§. 63. *Nicomedem]* Lag. 29 *Nicomeden*. — *Sadalam]* Lag. 29 *Sudolam*, 5 *Sudalam*. — *illo itinere]* Lag. 42 *in illo itinere*. — *apud ceteros]* Lag. 42 *certos*, quod et Ursini vetus liber traditur exhibere. — *ecqua]* Guelf. 1 *qua*.

§. 64. *defert]* Guelf. 1 *refert*. — *propterea]* Lag. 29 *et propterea*. — *non modo]* Guelf. 1 om. *non*. Idem *suas* post *delicias*. — *devers.]* Guelf. 1 *advers*. Leid. Huyd. *divers*.

§. 65. *tamen]* Lag. 42 Guelf. 1 *(tm̄)* et edit. P. Manutii (fortasse

mendo typogr.) *tantum*. — *munus illud suum]* Guelf. 1 *munus suum illud*, 2 *illud munus suum*. — *laborabat]* Guelf. 1 *laboraret*. — *comparat]* Lag. 42 *apparat*.

tametsi erat] Etiam Guelf. 1 *non* interiicit. Idem cum Leid. om. *mali*.

§. 66. *accumberent]* Lag. VII *recumberent*.

§. 67. *aliqua]* Lag. 42 addit *parte*, Leid. *aliquo* solus.

§. 68. *in contionem]* Huyd. Ox. Lag. VII *in concione*. — *factu]* Lag. 29 *factum*. — Verba *si istius* — *manuque essent* absunt a Lag. 1. 6. 14. 45. 48.

§. 69. *deversabatur]* Lag. VII et 42 et Guelff. et edd. ante Steph. (Lamb.) *diversabatur*. Ox. Mein. *versabatur*. — *et sarm.]* Guelf. 2 Leid. om. *et*. — *iniuria—putaretur]* Codd. deteriores omnes (Lag. VII. 42) *putarent*, *iniuriam* etiam Lag. 5. 6. 27; inde editt. princ. *iniuriam putarent*. Primus Naugerius nunc vulgatam scripturam induxit. — *futurus]* Guelf. 2 *facturus*. — *non peperc.]* Guelf. 1 om. *non*.

§. 70. *et nequior]* Lag. 29 *ac nequior*. — *cogerem]* Guelf. 2 *agerem*.

§. 71. *priore]* Lag. 29 *priori*. — *si quid]* Guelf. 2 *si quod*. — Ambo Guelff. mox *possit* pro *posset*.

P. Tettius] Guelf. 1 *Petius*, Leid. *Pectrus*, altero loco Guelf. 1 *in tecti*, Leid. *incerti*, Lag. 42 *Terti*, 29 *Cestii*.

§. 72. *cuiusm. fuit]* Lag. 29 *fuerit*. — *liberar.]* Leid. p. m. *absolveretur*.

§. 73. *nequissimi]* Lag. 42 *iniquissimi*. — *et primus]* Mein. Lag. 42. 5. 27 *ut primus*. — *praef. et trib.]* Lag. 29 *praefectos tribunos et militares*. — *aequissimus]* Lag. 29 *aequissumus*. — *exigendas]* Huyd. Lag. VII 42 *agendas*. — *togati]* Guelf. 1 *rogati*.

§. 74. *Dolabellae]* Lag. 5, 6, 27, 48 semper *Dolobellae*. — *tamen]* Guelf. 1 *tantum*. — *istius iniuriae]* Steph. *iniuriae istius*.

defensorem neminem] Sic etiam Guelf. 2.

§. 75. *quo quam]* Edd. princ. usque ad Nauger. Huyd. codd. Lag. VII. 42 *quod quam*.

§. 76. *flebat]* Guelf. 2 *flevit*. — *luctum et]* omitt. Leid. Guelf. 2. — *esse percussos]* Guelf. 2 omittit *esse*.

§. 77. *innocentium]* Guelf. 1 tamen *innocentum*. Sic idem IV §. 116 et alibi.

§. 78. *quod vid. quod aud.]* Guelf. 1 *quod vid. quod concupieris*, *quod aud. quod cogitaveris* alio ordine. — *deversabare]* Lag. VII Huyd. *diversabare*.

§. 79. *atque inferri]* Lag. 29 *ac inf*.

§. 80. *terroris]* Guelf. 2 *erroris*. — *ad te]* Guelff. *a te*.

domum tuam] Erravi quod *tuam* in omnibus codd. legi dixi: deest in utroque Guelf.

§. 81. *potuerint]* Lag. VII *potuerunt*. — *a Lamps.]* Guelf. 2

omittit *a.* — *condicione]* om. Guelf. 2 et Leid. — *sceleris]* Guelf. 2 *sceleribus.* — *sibi potius]* Guelf. 2 *potius sibi.* — *odio]* omitt. Guelf. 2 Leid.

§. 82. *perfugio]* Steph. Guelff. *profugio.* Item sic in fine §. — *quo nisi]* Steph. Guelf. 2 Leid. *quod nisi.* Guelf. 1 *quod ubi.* — *iudiciis]* Guelf. 2 *iudicibus*, postea sic H. M. Lag. VII praeter 6.

§. 83. *factum]* Guelf. 1 *futurum.* — *esse animadv.]* Guelff. *te animadv.*

§. 84. *persequi sibi]* Interponit Guelf. 1 *hoc*, 2 et Leid. *in hoc.* — *Quid igitur te iuvat]* Guelf. 2 *ergo*, 1 *iuvat te.* — *Quod fuit id tempus]* Lag. 42 *quod fuit temporis.* — *ac prod.]* Lag. 42 *atque prod.*

Guelf. 1 tamen *concitarant.*

§. 85. *tractatum]* Guelf. 1 *tractum.* — *auctores]* Lag. 29 *actores.* — *agi]* Guelf. 1 omittit. — *eiusmodi]* Guelf. 2 *eiusdē modi*, Leid. *eiuscemodi.*

§. 86. *nunc]* Etiam Leid. *vero.* — *atque impr.]* Guelf. 2 *ac impr.*

dici pro dignitate potest] Guelff. *dici potest pro dignitate.*

§. 87. *cogitabas]* Edd. princ. Ox. Lag. VII cum 42 *excogitabas* Hnyd. *excogitabis:* nunc vulg. primus dedit Naugerius. — *ei myop.]* Abest *ei* a Lag. VII et 42 et edd. vett. usque ad annum 1534 quo simul Victor. et Hervag. addiderunt.

si te hominum] Dele igitur *te*, quoniam nec Guelf. 1 habet.

§. 88. *quae erat]* Guelf. 1 addit *quae etiam erat.* — *tolli]* Praemittit Guelf. 1 *tibi.*

Non silendum fuit in Guelf. 1 esse *arbitrare* pro eo quod nos edidimus ex reliquis *arbitrabare.* Sed ille liber etiam infra §. 102 *arbitrare* pro *arbitrabare.* Cf. ad III, 16.

§. 89. *causam]* Guelf. 1 omittit, fortasse propter similitudinem notarum, nam alter habet.

§. 90. *quaeque]* Guelff. Leid. *quoque.* — *civitatis]* Abest a Gu. 2 et Leid. — *interrogati]* Guelf. 2 *interroganti.* — *aedificata sit]* Lag. VII *parabatur.*

§. 91. *Dolabellae occiso]* Guelf. 1 *Dolabella occisis.* — *facillime]* Lag. 29. *facile.*

§. 92. *suos esse]* Omittit Guelf. 1 *suos.* Idem om. *mater:* et *si pecuniam non redderet*, alio ordine.

Cum eum] Abest sane *eum* etiam a Guelf. 1.

§. 93. *alii redd.]* Abest *alii* a Guelff. Leid. — *omnium]* Lag. 29 *omnia.* — *cum tibi exp.]* Deest *tibi* in Guelf. 1. — *patriis]* Hnyd. Lag. VII Guelf. 2 *patris.*

En memoria] Editur tamen *En causam* Phil. V, 6 init. Cod. Vatic. *em* habet, quod Garatonius esse *hem* putat. Neque tam grave erit, sicut h. l., litteram *m* tollere, tamquam librariorum complementum.

§. 94. *si non]* Lag. VII *sine* s. *sive* (Huyd.). — *emittere* Lag. 29 *admittere.*

abs te] Haec verba et post *at* absunt etiam a Guelf. 1. Notabile autem ipsum illud Stephani *amittere* esse in Guelf. 2.

§. 95. *vexarit]* Lag. 29 *vexaret.* — *aestimando]* Huyd. Lag. 1. 5. 6. 14. 27 *extimando.* — *hac sua]* Lag. omnes praeter 29 *ac sua.* — *his nominibus]* Lamb. *his omnibus.* Gu. 1 *his hominibus.* — *eum]* Guelff. *hunc.*

§. 96. *te aest.]* Guelf. 1 *et extim.* — *eademque]* Lag. nonnulli ex deterioribus *ea denique.* — *aliq. calam.]* Guelf. 2 *calamitosam aliquam.* — *temp. pestemque]* Lag. 29 *pestem tempestatemque.* — *istius]* Lag. VII praeter 45 et 48 *isti.* — *cognosceret]* Lag. 29 Guelf. 2 *cognosset.*

§. 97. *descensuros]* Steph. edit. cod. Cuiac. ambo Guelf. *discessuros.*

§. 98. *legationis]* Huyd. Lag. VII praeter 6 *legationem.* — *quam]* om. Leid. Guelf. 2.

Forsitan — sint] Sic etiam alter Guelf. Cf. ad lib. IV, 56 §. 124. Mox quod Stephanum fideliter quidem sed absurde edidisse tradidi *prorogarentur*, et *te lecto*, sic sunt in Guelf. 2, hoc etiam in antiquiore.

§. 99. *Ex litibus* cet.*]* Titulus hic abest a Guelf. 1.

§. 100. *triginta duo]* Lag. 29 *tricenta duo.* Nota *HS* ante *decies* non est in Guelf. 1. — *oct. milia]* Guelf. 2 Leid. interponunt *duo.* — *pecuniae]* Lag. 29 *pecunias.* — *Postumiis]* Lag. 29 *Postumus*, 42 *Postumius.* Guelf. 2 *ratio Q. postumus curtus*, 1 *ratio quaesturae Q. postumius curtius.*

numeratum] Silentio fidem habendam recte non putavi. Guelf. 1 et ipse *numerata.*

§. 101. *in oblivione]* Guelf. 1 om. *in.* Idem *accusetur.*

§. 102. *cum conficeres]* Guelff. omittunt *cum.* — *arbitrabare]* Guelf. 1 *arbitrare.*

§. 103. *veniamus]* Guelf. 1 *venimus.* Idem mox *paratique non venimus.* — *quin]* Guelff. Leid. *quid in.* — *negligentiae]* Lag. 29 Steph. *neglegentiae.* — *non attigit]* Deest *non* in Lag. 29. — *ratio brev.]* Guelf. 1 *brev. rationem.* — *obiici]* Steph. Guelff. *obici.* Tum 1 *poterat.*

§. 104. *C. Sacerdote]* Guelf. 1 *cum sacerdote.* — *faciebant omnia]* Lag. 29 *omnia faciebant.*

§. 105. *an temptatus]* Steph. Leid. Guelf. 2 *attemptatus.* — *qua est ipse]* Guelf. 1 *qua cum.* — *sine indice]* Guelff Lag. VII praeter duos *sine iudice.* — *iste — singulari audacia]* Lag. 42 *ille*, Vat. Ox. Lag. VII praeter 48 *singularis;* 5. 27 Mein. etiam *audaciae.* — *marem]* om. Guelf. 2. — *institutus]* Francianus apud Graev. *substitutus.* — *possit fieri]* Franc. omittit *fieri.* Vatic. editio *posset.* — *ediceret — edictum]* Vat. *diceret — dictum*, ut saepe peccat.

audac. amentiamque] Sic Guelf. 2. — *et inhumanum]* Vaticanus *et tam inhumanum.*

§. 106. *periculo suo]* Lag. 29 omitt. *suo.* — Verba *cum intelligam legem Voconiam* in edit. Vatic. omissa sunt. — *fecit]* Vat. *scripsit.* —

Quis potius] Vat. *Quis potuit*, et recepit Maius. — *fuit]* om. Guelf. 2. — *Qui ab A.* cet.] Vat. *Qui A. Postumo Q Fufio Cos. postea fecit fecit fecerit.*

simul et] Vat. omittit *et*. — *condonabat* et *conscripserit]* firmat Vat. sed *liberis* (dat.) certe editio tenet. — *mul. advers. Verrem fut.]* Firmatur ordo verbb. auctoritate Vat. — *scientia iuris]* Vat. addit *p. R.* et deinde *auctoritas. Recita.*

§. 107. *eius rei]* Vat. *ei rei.* — *in posterum]* Lag. VII praeter 27 *postremum.* — *imit. esses]* Vat. *imit. esse*, et *legem suam.*

Vat. sic: *quae* (sic sane Guelf. 2) *neque post edictum provideri potuit reprehendi neque ante edictum;* Maius verbis transpositis *neque post edictum reprehendi* cet.

§. 108. *in ulla]* Ox. Mein. Lag. 48 *in illa.* — *non esset]* Vat. omitt. *esset.* — *in his ipsis]* Guelf. 2 om. *his.* — *ex certo]* Leid. Guelf. 2 om. *ex.* — *sed sancitur]* Haec verba exciderunt in edit. Vat.

scelerata] Vat. *tam scelerata et nef.*

§. 109. *statui]* Vat. *statutis.* — *a Cal.]* Vat. omittit *a.*

is omnia — patitur] Sic prorsus Guelf. 2 et verum est. Sed Vat. *is non omnia — patietur.* — *Fusias]* Vat. *nufias.* — *complecteris]* Scribe *amplecteris* ex edit. Stephaniana et codd. Lag. 29 Guelf. 2. Vat. Sed inseq. §. *complecteris* etiam Guelf. 2, et Leid. ubi Vatic. editio *amplecteris* servat.

§. 110. *si quis]* Vat. *qui.* — *generis]* Vat. *iuris.* — *sed tum]* Lag. 1. 6 *tamen.* Maius edidit *tantum.* — *in dubium venire]* Vat. *in discrimen evenire.* — *quivis]* Guelf. 2 *quis.* — *populo]* Vat. *populos.*

unius hominis causa] Sic etiam Vat. — *te pretio esse commotum]* Scribe ex Vaticano *te pretio, non iure, esse commotum*, Stephanus edidit quod in Guelf. 2 Leid. Lag. 29 est *te pretio non esse commotum*, pessime, sed quod digitum intendat ad id quod verum est.

§. 111. *ecquis]* Vat. Lag. VII et 29 *et quis.* Guelf. 2 *ut quis.* — *Annaea]* Vat. *Ana.*

a te] Scribe *abs te* secundum Vaticanum. — *mercenarioque]* Omisi commemorare sic etiam in Guelf. 2 esse, Vat. siletur. — *testamenta eodem modo fecerunt]* Vat. longe abiens *in isdem causis fuerunt.* — *tam]* Vatic. edit. *Itaque* servat, nec quicquam de codice adiicitur. — *voluntates]* Item Vat. *testamenta.*

§. 112. *ex Siciliensi]* Vat. *a Siciliensi.* — *natae essent]* Lag. 29 *natessent.* Vat. *nata esset.* — *filia]* Vat. *mea filia.*

Maius *tu tibi* et *in eam*, et *videtur:* sed de codice iure dubitandum videtur.

§. 113. *bona nostra]* Lag. 29 *bona paterna.*

non esset relictum] Vat. *nullum esset relictum.*

§. 114. *abeat]* Vat. *habeat.* — *quisquam]* omittit Vat. — *mortuis]* Vat. *mortuo.* — *iure]* om. Vat. — *translaticiumque]* Lag. 27. 42. 48 omittunt *que.*

intestato] Vat. *intestatus.* Sic lib. II, 22. Contra de Orat. I, 40 §. 183 *mortuusque esset intestato.* — *dicere]* Sic Vat. Huyd.

§. 115. *heredem esse]* Lambin. *esse heredem.* — *lege ag.]* Lag. (pr. m.) *non lege ag.*

§. 116. *Quid id ad]* Vulgo *Iam quid id ad,* Lag. 29 *iam quid ad id,* Mein. *iam quid ad.* Sustulit Ern. *iam*, quia nec Ascon. habet, et Priscian. XVIII, 13 *Quid ad.*

§. 117. *e lege]* Huyd. om. *e.* — *translaticium est]* Abest *est* ab Lag. 29. — *tab. non prof.]* Lag. 29 omitt. *non.*

§. 118. *habitabant]* Lag. 29 pr. m. *habitant.* — *hereditatibus]* Lag. 29 pr. m. *civita hereditatibus.* — *pretio]* Mein. *premio.*

§. 120. *dicendo]* Vat. edit. *dicundo.*

inter alios] Vat. *inter aliquos.* — *id quod saepe]* Sic Vat.

§. 121. *hac]* Lag. 29 *ac.* — *nisi]* Vat. *ni.* — *et iniq.]* om. Vat. nec *tum* est in illa editione.

§. 122. *commemorem]* Lag. 29 pr. m. *commemorarem.* — *atrocior]* Lag. 29 pr. m. *audacior.* — *cognoscendae]* Vat. *recognoscendae.*

commemorem] Firmat Vat., item ordinem verborum *iste virgis*, et *conspectum.* Sed post verba *tribunus plebis* additur nomen *Quintius*, et annotat Maius esse eundem adversus quem p. Tullio dixerit Cicero. Causam cur ita statui velit non addit. *produxit]* Vat. *produxisset.*

§. 123. *complures]* Lag. 29 *plures.* — *cuiusque]* Huyd. Lag. 29. 42 *quisque*, VII praeter 6 *quibus.* — *A. Treb.]* Lag. 42 omittit *A.* — *iurare facturos]* Vat. *adiurare acturos.*

quae] Sic Vat. et pro *is* habet *ste*, i. e *iste.* — *in his]* Vat. *in iis.* — *fratrem illum]* Vat. omittit *fratrem.* — *At ille]* absunt a Vat.

§. 124. *adimis]* Lamb. *adimas.* — *qui tum in miseriis]* Vat. omittit *tum.* — *a quo]* Lag. 29 pr. m. et aliquot deteriores Lag. *quo.*

libertinus sit homo] Vat. *lib. homo sit.* — *surrexit]* Bene Vat. *surrexerit.*

§. 125. *ego pec. non dicam]* Vat. *ego non dicam pecuniam.* — *cognostis]* Vat. *didicistis.* — *is mortuus]* Vat. omittit *is.* — *non habuerat]* Vat. male omittit *non.* — *venissent]* Vat. *fuissent.*

Olympus] Sic Vat. — *coeperit]* Vat. recte *coepit.* Vide ad II, 18 extr. — *ad eas hered.]* Vat. *in eas hered.*

§. 126. *et auctor.]* Vat. (et Mai.) omittit *et.* — *sua]* Mein. *gratia.* — *quod facile in causa* cet.*]* Ordo verbb. in Vat. hic: *quod facile homini ingenioso fuit in causa aeq.* (mendose ille *causam aequissimam).*

§. 126. *quemvis commovere]* Sic Vat. et Huyd.

§. 127. *ne his quidem]* Vat. edit. omittit *quidem] — L. Liguri]* Vat. ed. om. *L.* et statim om. *Verres. — liberos putavit]* Lag. VII item alii ut Franc. pr. *liberos homines put. — loco, nomine]* Vat. editio interiicit *ordine. — dubitarit]* Vat. *dubitavit. — atque manif.]* Vat om. *atque.*

Quid enim] Bene Vat *Quid est:* neque enim ratiocinatur. Confusionem notarum nosti. — *Non M. Octavio?]* Vat. *non credemus M. Octavio?* ut suspicati sumus. — *praetorem urbis]* Vat. *PR. urbanum.* Sed §. 143 *praetor urbis* etiam in Vat. est. — *omnibus quibus]* firmatur Vat. Item *dicendum* pro vulg. *dicundum:* et *se* pro *sese.* — *proferentur]* Sic etiam Huyd. et Meiningensis: Vat. *proferrentur*, quo nostra lectio firmatur.

§. 128. *Q. Titinii]* Lag. VII praeter 27 *que Tit. — nomina Q. Tadii]* Vat. *nomina quae Tadii,* sed duo postrema verba ibidem delentur.

C. Fannius] Vatic. et h. l. et post bis *Cn.*, semel quod in reliquis est praenomen omittit. Itaque *Cn.* pro *C.* restituendum videtur. Ipsum vero nomen dubium, Vat. *Phaenius, Faeni* (superscripto *ph*) *Fenio, Phenio.* Lag. 29 semper *Fanius* rel. — *Ea Fannio dicenti]* Vat. *Fenio,* nihil aliud: sed recte videtur *dicenti* omittere. *Ne tabulis quidem]* Vat. *Ne Tadi quidem tabulis nec testimonio credemus?*

§. 129. *frequentissimae]* Vat. *fraequentissime. — audaciae suae]* Vat. om. *suae.*

positum est] Sic Vat.

§. 130. *tuendam de L.]* Vat. *tuenda L. — is]* Vat. *iis.*

§. 132. *ecquid]* Huyd. Lag. VII *et quid. — opere]* Lag. 42 *tempore.*

L. Rabonio] Etiam Vat. infra §. 146 *Habonius.* Sic igitur scribendum, quamquam idem Vat. §. 150 *Raboni.*

§. 133. *dicit ei quidam]* Lag. 29. (pr. m.) *dicit quidam ex ipsis canibus quod. — omnium]* Lag. 42 *enim.*

§. 134. *traditur]* Priscianus p. 1155 Putsch. (Krehlii lib. XVIII, c. 13 §. 119) *traderetur,* παραδίδοιτο ἄν: recepit Lambinus.

§. 135. *P. Tettio]* Infra cap. 52 et 53 in Vat. bis *P. Titius* est. Sed Lag. 29 *Tettius* constanter.

§. 136. *id sibi]* Lag. VII *sibi id. — tectisque]* Huyd. *tectis quis.*

§. 137. *multis acerbam]* Lag. 29 prima man. interponit *indomiae* (sic). — *o miseram]* Vat. omittit *o. — officii]* Lag. VII praeter 5 et 27 *officio. — ne adimat]* Lag. pr. m. omittit *ne. — alii tabellas obsignabant]* Vat. *ab aliis tabellae obsignabantur.*

summo honore, pudore] Vat. sic: *Venit homo summo pu-*

dore, summo officio, et verum videtur. — *ut mittam cetera]* Vat. *ut omittam cetera.*

§. 138. *loquitur Mustius]* Vat. editio *loquitur C. Mustius. non inhumane]* Vat quemadmodum apud Priscianum est, *non inhumaniter.* — *priore]* Sic Vat.

§. 139. *adolescente]* Lag. 29 *adulescenti.*

pro Mustio rec. re auditum] Vat. editio *sed recenti re de Mustio auditum est.* — *etenim iudicium]* Sic Vat.

§. 140. *locaturum]* Lagom. VII *locuturum.*

§. 141. *hoc]* Sic etiam Huyd. — *coepit cogitare]* Lambin. *cogit. coepit.*

§. 142. *quod est igitur]* Huyd. Lag. VII *quid* cet. — *vendendis]* Vat. *vendundis.* — *quaestorum]* Lag. 29 *quaestorumque.* — *res sit]* Vat. om. *sit*, et deinde *solum.* — *quid accedit]* Vat. *quisquam accedit.* — *refecturum esse]* Vat. omittit *esse.* — *populo]* Vat. et hic et post *pupillo*, quod miramur Maio probari potuisse. — *in mea]* Huyd. Lag. VII *vel mea.* — *immittes]* Lag. 29 pr. m. *immittet.*

factam esse oportebat] Probo Vat. quod omittit *esse:* cf. annotat. ad IV, 17 extr.

§. 143. *urbis]* Huyd. *urbanus.* — *Quid enim? Video]* Asconii lemma, Crat. Lamb. *quod enim video.* Verba *video in* Vat. omittit. — *Qui de L. Marcio]* Vat. *R.* (i. e. *recita*) *Quid* cet. Reliqua sicut nos edidimus.

lex opere faciundo] Vat. recte *operi.*

§. 144. *a tuo redemptore]* Vat. *ex tuorum red.*

propinquorum lacrimae] Locum scribe nunc secundum cod. Vat. sic: *si propinquorum lacrimae, si D. Bruti, cuius praedia suberant, periculum, si M. Marcelli* cet. Item *legem* adiicit sicut Lag. 29. — *nec cum]* Vat. *neque cum.* — *addicitur id opus]* Vat. h. l. recte *id* omittit, *pro LXXX mil.* scribitur *HS CIↃↃↃ CCIↃↃ CIↃↃ* (debebat CCIↃↃ) *CCIↃↃ.* — *hom. iniq.]* Vat. *iniq. hominis.*

§. 145. *deiectum sit]* Vat. editio servat *delitum est*, (cf. ad lib. I, 13 §. 35) de codice siletur, et multa in ea pagina oblitterata erant. Servatur item vulgata lectio *petivissem.*

§. 146. *acceperit]* Vat. *accepit.* — *tutorum ademisti]* Interponitur in Lag. 29 *una.* — *cuique]* Lag. 29 et Vat. *quique.* In Vat. adiicitur *Quid est suo cuique.*

§. 146. *solvitur]* Vat. ut scribendum coniecimus *solvetur.* — *quod tu HS IↃLX mil. locasti]* In Vat. numeri turbati: *quod tu HS CILXIIII. CCIↃↃ locasti se HS CCCCIↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ effecturum esse clamavit*, sed *se* comparet, alio quidem loco quam quo in vulg. est.

§. 147. *aliqui]* Vat. editio servat *aliquis.* — *materies]* Vat. addit *ulla.* — *manus pretium]* Vat. *manispraetium.* — *Quadragenis milibus]* Vat. CCIↃↃ CCIↃↃ, i. e. vicenis milibus.

§. 148. *istius]* Vat. *eius.* — *totum opus]* Lamb. *opus totum.*

§. 149. *in acceptum ref.]* Huyd. Lag. VII et 42 *inceptum.*

§. 150. *opere]* Lag. VII *opera.* — *de HS IJLX milibus]* Lag. 42 omittit *milibus.*

§. 151. *venisse praetext.]* Vat. editio *praetext. venisse.* — *producerem]* Vat. *producere.* — *Quid erat]* Lag. 29 *quod erat.* — *aut alicuius]* Lag. 29 omittit *aut.* — *eiusm.]* Vat. *huiusmodi.* — *iudiciis vestris]* Vat. *iudicis veris.* — *aequitati]* Multi Lagom. *aequitate.*

stetisse cum] Sic Vat. — *concitarem]* Lag. 29 pr. m. *commoverem:* idem puto in Vat. fuisse, nam in edit. error typographorum versatus videtur. — *cum tutorib.]* Sic Vat. — *Commendatum]* Sic Vat. sed addit *fuisse* minus bene.

§. 152. *te tam]* Vat. *tamen.* — *commovebat]* Vat. *commovet.*

nefar. latroc.] Sic Vat. — *est in sordibus]* Unus Vat. sed bene *esset.* — *graviter tum]* Sic Vat.

§. 153. *Q. Hort.]* Lag. 29 *quam Hort.* — *restinguenda est]* Vat. *restinguendum sit.*

hac lacrimae] Vat. *illac lacrimae*, recte. — *nostrum cuiusque]* Vat. *cuiusque nostrum*, et scribere sic debebam, quoniam etiam in Lag. 29 est. — *defenderent]* Recte Madvig. in App. ad dissert. de Asconio Pediano p. 42 *defendent* voluit: *defenderent* enim esset i. q. *defendissent.*

§. 154. *locaverit]* Lamb. *locarit.* — *ex Sicilia]* Lag. 29 pr. m. *ex Cilicia.* — *disiunctus]* Lag. 29 *diiunctus.*

§. 155. *multa]* Scribitur *mulcta* in Lag. omnibus. Cod. 42 iam defecit c. 58 §. 152 in verbis *quod ille cum toga praetexta.* — *adductus est]* Deest *est* in Lag. praeter 29 et 45.

§. 156. *Is mihi etiam]* Priscianus p. 1152 Putsch. *Hic etiam.* Lamb. *Hic mihi etiam.*

§. 158. *quaestionis]* Vat. addit *suae.* — *largissime]* Vat. *largissimam.* — *quos cum]* Vat. omittit *cum.*

et hominum] Vat. tamen cum Lag. 29 *atque hominum.* Idem *vestra* firmat. Ceterum etiam Vat. nihil deesse demonstrat subscriptione hac: *In C. Verrem explicit feliciter.* Lag. 29 *M. Tullii Ciceronis in C. Verrem liber tertius explicit.*

LIB. II.

§. 1. *iudices]* omitt. in Huyd. Lag. 42 (pr. m.) — *de iis rebus]* Vat. Vind. A C *de his rebus.* — *provincia attraxit]* Lag. 29 pr. m. *attr. prov.* Verba inter repetit. *causam* interiecta absunt a Lag. 42. — *suscepi causam]* Vat. mendose interponit *enim.* — *putab. tum denique]* Lag. 29 (pr. m.) *tum denique putabam.*

causam populi Rom.] Etiam Vat. *reip.* ac probabile videtur: status enim reip. evertitur, si iudicia senatoria infamia laborant.

§. 2. *veniendum]* Lag. 29 *veniundum.* — *viribus]* Lag. 1. 14. 42 *iuribus.* — *integerrimis]* Vind. A B Mein. *integerrimus.* — *atque adeo]* Vat. editio om. *adeo.* — *cum omnium]* Lag. VII praeter 5 et Vindob. III *tum.* — *diligenter]* omitt. in Lag. 29(pr. m.) — *debetis]* Lag. 29 (a pr. man.) *debeatis*, sic etiam Paris. A *debetis vel debeatis* extrema punctis notata. — *amicitiam nostram]* Interponit Lag. 42 *profecto.* — *maxime illustres]* Lag. 42 *et* interponit, Paris. A *inlustres.*

ac flagit.] Sic Vat. habere traditur, sed cum vulgo sic legatur, errorem esse puto et in Vat. esse *atque.*

§. 3. *opes — concidissent]* Lag. VII Vindob. III Paris. C. Oxon. *opus concidisset.* — *illud et]* Lag. 29 *et illud.* — *Carthaginis]* Lag. 1. 14 *Karth.* item post.

§. 4. *ille ipse]* Vind. C Huyd. om. *ille.* — *cum manu]* Paris. C Lag. VII praeter 5 Vindob. III *tum.* — *claudebatur]* Lag. 29 et 42 a pr. manu *clauderetur.*

§. 5. *efferre]* Lag. 42 pr. m. *offerre*, idem ab eadem *nos* pro *eos* et ante *nutricem* addit *matrem.* — *aer. illo maiorum]* Huyd. om. *illo*, Vind. C. *aer. nostro maiore.* — *sumptu nostro]* Lag. 29 interiicit *ve.* Par. C *sine sumptu nostro ullo.*

§. 6. *quae forsitan]* Lag. VII Huyd. Vindobon. B C. item edd. vetustae *quod.* — *quod habent]* Vindob. A B interponunt *nostri*, Huyd. *quam nosti*, tum *civitatibus* pro *civibus* omnes tres Vindob. et Lagom. VII Oxon. Correxit Naugerius. — *ut denique]* Lag. 42 *ubi den.* — *ac domic.]* Huyd. Paris. C Lagom. quattuor et 42 *ad domicilium;* Vindob. A B *et.* — *Rom. numerum]* Huyd. Vind. A B *R. est numerus*, C *R. est numerum.*

§. 7. *iucunda]* Omnes Lagom. *iocunda*, ex iis 29 et 42, sed correcti, *est suburbanitas* mutato ordine verborum.

§. 9. *peccasset]* Lamb. edidit *peccavisset.* — *perferre]* Lag. 29 *proferre.* — *istius]* Lag. 42 *illius* sed correctum. — *agros]* Huyd. Ox. Vind. III Lag. VII omittunt et edd. vett. usque ad Vict.

§. 10. *fecerunt]* Lag. 29 *ferunt.*

§. 11. *unquam ulla]* Lag. 42 a pr. manu *ulla unquam.*

§. 12. *Hi porro]* Lag. 29. 42 et aliquot alii *His porro.* — *tractati]* Lag. fere omnes et Paris. C *tracti.* — *denuntiavimus]* Lag. 42 maximam partem a pr. manu *denuntiamus eos in vinculis studiisque.*

§. 13. *causae benivol.]* Paris. C et Lagom. aliquot deteriores interponunt *et.* Tum Lag. 42 a pr. manu *benivolentiae erga istum sint.*

§. 14. *quidam]* Lag. VII praeter 6 Paris. C. *quidem.* — *ecquid]* Lag. VII praeter 45 *aliquid*, 42 *necquid.* Paris. A C *et quid.*

§. 15. *attinet]* Lag. 42 a pr. m. *attineat.* — *quanto]* Libri deteriores *quantum.* — *repetundis]* Lag. 42 *repetendis.*

§. 17. *ulla in re unquam]* Lag. 42 *in re unquam ulla.* — *quibusnam]* Lag. 42 (e corr.) *quibuscum.* — *agendo]* Lag. 29 *accedendo*, item Paris. A qui et *volebat.* — *tametsi non]* Deest *non* in Paris.

B Lag. 6. 29. — *sed in Sic. paratus ad]* Lag. 42 (pr. m.) *si Siciliae paratus erat ad.* Etiam Metelli liber *Siciliae.*

§. 18. *Etenim quis]* Paris. A *Et ne quis.* — *dubitare posset]* Lag. omnes et Paris. B C *possit.* — *certissimum]* Lag. 42 *certissima,* idem deinde a pr. m. *argumenta.* — *existimare]* Lag. 29 *existumare.*

§. 19. *eius]* abest a Paris A.

§. 21. *filiae]* Lag. 42 *filio.* — *Liguri]* Lag. 29 *Liguris*, idem cum reliquis fere omnibus *senatoris.* — *Quid tum]* Verba insequentia usque ad alterum *quid* omittuntur in Lag. 42 (p. m.) 1. 5. 6. 45. — *existimatis]* Lag. 29 *existumatis.* — *quadruplatores]* Lag. 29 *quadruplatoris.* — *multatum]* Lag. VII et 29 *mulctatum.* — *putabat tamen]* Lag. 42 (p. m.) *tamen putabat*, inverso ordine.

§. 22. *illam hered.]* Lag. 42 *hered. illam.* — *is]* Lag. 42 (p. m.) *his.* — *petit Naevius]* Lag. 29 *petat*, item hic cum VII Lag. *Nevius*, 42 (p. m.) *nemus.* — *Praetor cum]* Lag. 42 (p. m.) *eritium.* — *reperire]* Lag. 42 (p. m.) *querere.* — *non posset]* Lag. 29. Paris A B *non possit.* — *a Dione]* Lag. 42 (p. m.) *a Dionio.* — *Venerem]* Lag. 42 (p. m.) *Veneri.*

§. 23. *Chlori]* Mutant codd. deteriores Lag. *cluore, Colori, Clori, Helori.* — *ac nobil.]* Lag. 1. 5. 6. 27 *et nobilissimi.* — *Caecilii]* Lag. 29 et VII praeter 6 et 48 *Caecili.*

pudentiss.] Vat. *prudentissimi.*

§. 24. *L. Vecilii Liguris]* Lag. 29 *ipsius Liguris*, 42 pr. m. *L. Vecilii L. Liguris.* Vat. *L. Caecilii L. C. Liguris.* — *Dixit—Quid? Luc.]* Verba media omittuntur in Lag. 42 (p. m.) Vat. *L. Lucullus,* quod male tuetur Maius. — *qui tum]* Lag. 42 (p. m.) omittit *qui.* — *questus es]* Edd. vett. usque ad Naugerium et codices vulgares VII Lag. cum 42 ex correct. *est.* — *et inopinata]* Vat. om. *et.* — *accipiunt]* Vat. *acciunt.* — *testimonia M. Luc.]* Lag. 42 (p. m.) ut et Metell. *testimonium Luculli.* Tum plerique libri ante *Chlori* (vel *Dori*) addunt *C.* Vat. *R. testimonia Luculli, Chloridonis.*

TESTIM.] Addendum ex Vat. et Metell. *R.* (i. e. *recita*).

§. 25. *pec. per Volcatium accipit]* Sic Gruterus, olim *per Volc. pecuniam accepit*, sed recte ille, nam ordinem verborum tuentur omnes boni, *accipit* saltem Lag. 29 Paris. A B. — *ab duobus]* Paris. A *a duobus.*

§. 26. *si sua sponte]* Lag. 29 *sua si sponte.* — Verba *Veniat nunc — nemo* absunt a Paris. A B Lag. 29, in illis Paris. tamen ab alio adscripta. — *ullum]* Lag. 42 (p. m.) *non nullum*, 1 *nullum.*

§. 27. *illi tui]* Abest *tui* a Lag. 29. — *quopiam]* Lag. 29 et 42 (p. m.) Paris. A *copia.* — *captum]* Lag. 42 (p. m.) *factum.* — *datum]* Lag. 42 (p. m.) *darum* s. *clarum.* — *iudicari]* Lag. 42 (p. m.) *sit.* — *accepit]* Lag. 29. 5. 6. 27 Paris. A B *accipit.* — *quam in Verre]* Lag. 42 (p. m.) *quam vere.*

§. 28. *iudices]* Lag. 42 (p. m.) *quodlibet;* idem pro *vobis* habet *nobis.* — *vindicemus]* Lag. 29 et Paris. B *iudicemus.* — *probanda]* Lag. 29 *ponenda.*

§. 29. *si tu a me hoc]* Lag. 42 (p. m.) *tu* omittit, tum *hoc a me* (pr. m.) et 6. 48. — *meam]* Lag. 29 (p. m.) *maximam.* — *fore]* Lag. 42 *esse.* — *hoc illis]* Absunt haec verba a Lag. 42 (p. m.)

§. 30. *invenerat]* abest a Lag. 42 (p. m.) — *sint]* Lag. 42 *essent.* — *eorum]* Lag. 42 *calumniatorum.* — *det]* Lag. 42 (p. m.) *et; iudicem* omittit idem.

§. 31. *in ea verba praetor]* Olim ante repetitam Lambinianam *praetor in ea verba,* sed firmant eum ordinem, qui nunc est, boni libri omnes. — *fundus]* Lag. 42 (p. m.) *fundum — restitueretur.* — *fundum rest.]* Abest *fundum* ab edd. vett. usque ad Aldinam et codd. vulgaribus, Huyd. Lagom. VII et Paris. C.

§. 32. *suis legibus]* Lag. 29 *cum suis leg.* — *Praetor]* Lag. 42 (p. m.) *Pop. R.* — *populus a priv.]* Lag. 42 (p. m.) *privatus a priv.* — *Siculus iudex datur]* Lag. 29 *Siculis,* 42 *datur* omittit. — *quod Siculus]* Lag. 6. 29 *Siculis.* — *civis Rom. datur]* Lag. 29 omittit *civis Rom.* Vat. .... *Romano.* — *rerum]* omittit Lag. 42 (p. m.) et Vat. — *Hieronicam]* Paris. A semper *heronicam.*

§. 33. *ad civem suum]* Vat. editio *ad suum civem.* — *quo edicto]* Vat. *quod edicto.* — *cognosset]* Lag. 42 (p. m.) *cognosceret.* Vat. *cognovisset.*

putaret] bis confirmat Vat. idem tamen *spectet.*

§. 34. *haec copia]* Lag. 42 (p. m.) *hac copia.* — *iudicum]* Edd. vett. usque ad Aldinam et Lagom. VII praeter 48 *iudicium.* — *putatis]* Lag. 29 *putetis.* — *Si quid]* Lag. 6. 27 omittunt *si,* Lag. 42 (p. m.) *qui.* — *Senatus]* Lag. 42 inscribit *Siculus.* — *negotiatoribus]* Lag. 42 (p. m.) *negotiatoris.*

§. 36. *a quibusdam]* Lag. 29 omittit *a.* — *quorum iste uxores]* Codd. vulgares et editiones ante Gruterianam *quorum uxores iste.* — *Aeschrio]* Codd. vulgares et edit. vett. *Hestrio.*

§. 37. *dicas sortiturum]* Lag. 42 (p. m.) *dicas sortientium.*

§. 39. *dicundo]* Plerique libri Lag. et Paris B *dicendo.* — *quod omnes]* Vocem *omnes* omittunt Lag. 29 et Paris. A.

§. 41. *quod imperatum esset]* Lag. 42 (p. m.) *q. i. est.* — *iubentur]* Lag. 29 *iubet,* Paris. B *iubetur.* — *de absente]* Lag. 42 (p. m.) *absentem.*

§. 42. *multo invid.]* Lag. 42 (p. m.) *multos,* idem *quod* pro *quam.* — *eo accedebat]* Maius in textu *eo accedere,* sed notatur cod. habere *accedebat.* — *e lege Rup.]* Vat. *ex lege Rup.* — *iniquiorem visum]* Vat. *iniquiore visu;* sed talia cum plurima sint plerumque praetermitto. — *corrigere]* Lag. 42 (p. m.) *recorrigere.* — *vult]* Vat. *volt.* — *apertior]* Lag. 42 (p. m.) *apertius.*

sese negat] Scribe *se,* cum Vat. ad eos libros, quos commemoravi, accedat. Idem *lege Rup.* sine praepos. firmat. Sed mox *lege velle sortiri* simpliciter, et *cum multis lacrimis cum*

oraret atque obsecraret. — *e lege Rup]* Vat. *ex*, mox *educit ex urna*: *iis.*

§. 43. *ecquando]* Lagom. VII vulgares Huyd. Paris C et Vat. bis *et quando.* — *audituros]* Iidem (praeter Vat. qui desiit) *auditores.* — *nulla]* Lag. 29 *in illa.* — *honestae]* Huyd. *honestissimae.*

§. 44. *illud dices]* *Dicis* Lag. 42. — *sortitus es si]* Lag. 42 (p. m.) *sortitos esse.*

§. 46. *inquiet]* Lag. 1. 42 (p. m.) *inquit.* — *velim]* Lag. 42 (p. m.) *velit.* — *permissum est ut]* Abest *est* a Lag. VII Paris. C edd. vett. usque ad Aldinam. — *bonor. patern.]* Lag. 29 *patern. bonorum.*

§. 46. *nemo dubitabat]* Edd. vett. usque ad Aldinam et codd. vulgares *dubitat.* — *abduxit]* Lag. 29 *adduxit.*

§. 47. *vestem stragulam]* Paris. A B Lag. 29 *pretiosam vestem, stragula multa.* — *recitatur]* Lag. 29 *recitant.* — *iniur. erepta]* Lamb. *esse erepta*, idem paulo post *et rapinarum.* — *clamor factus est]* Lag. 29 *clamor est factus.*

§. 48. *recitassent]* Lag. 29 addit *fuit.* — *tum sui]* Lag. 42 (p. m.) *tam sui.* Post pro altero *tum* habet *cum.* — *is ut prim.]* Lag. 42 omitt. *is.*

§. 49. *obtinuisti]* Lag. VII Paris. C et editiones principes *obtinuit.* Primum in Bas. 1528 *obtinuisti* tamquam varia lectio in marg. comparet, et receperunt eodem anno qui Iuntinae et Hervag. 1534 praefuerunt.

§. 52. *in tanta]* Edd. vetustae usque ad Aldinam *tota* contra libros mss.

§. 53 *a Syrac.]* Par. A B *ab Syr.* — *Epicratem]* Par. III Lag. 5. 45 *Epicraten.* — *nisi ei — venissent]* omittit Lag. 42 (p. m.) — *venerat ut dixi]* Lag. 29 *ut dixi venerat.*

§. 54. *cogitare]* omitt. Lag. 42 (p. m.) — *quo H. esset eversus]* Vat. *quum H. esset versus*, mendose. — *cum praesensisset]* Huyd. om. *cum*, reliqui codd. omnes *quod*, Lag. 29. 42 pr. m. Par. B *praesens esset*, Vat. *quod statim praesentisset.*

Bidini peterent] Sic Vat. (mendose tamen *bini perent*). Sed *palaestricum* servavit Maius, codicis mentione non facta. Mox *abiret* confirmat.

§. 55. *de Heracl.]* Lag. 42 (p. m.) omittit *de.* — *et istius]* Vat. omittit *et.* — *Rhegium]* Vat. et Lagom. deteriores VII praeter 45, item edd. vetustae *Regium.* Cf. ad V, 64 §. 165. — *tamen affuerat]* Vat. *iam adfuerat.* — *primum dati sunt iudices]* Lag. 42 (p. m.) *primo se dat illud; primo* etiam Vat. — *aditum in ius]* Vat. *aditum postulatum in ius.* — *putabant]* Lag. 42 (p. m.) *putabat.* — *abisset]* Sic primum in Ald. Codd. et edd. priores *abesset.* — *ab sese]* Lag. 42 (p. m.) *abesse.* — *hereditate]* abest a Lag. 42, idem *actorem* pro *acturum.* Lag. 29 Paris A B *aucturum.*

potuit] Sic Vatic. Item *interfuerant.* — *negl. et contemnere]* Vat. *contemnere et neglegere* (sic semper). Deinde *quod in causa prorsus quod disputari posset nihil habebat.* —

dederant pecuniam] Vat. quoque *pec. ded.* — *mentio denique — ulla]* Sic Vat. — *ut sibi id]* Vat. confirmat.

§. 56. *sese HS* cet.*]* Vat. edit. *se HS LXXX frustra.*

a se male acc. dimittit] Scribe secundum Vat. *male acceptos ab se dimittit.* Nam etiam Par. A B Lag. 29 *ab se*, sed alio loco. Vulgares libri *male a se acceptos.* Idem Vat. *ut fit.* — *in ore]* Vat. admodum probabiliter *et in ore.* Reliqua recte legi non possunt.

§. 57. *ipsius pr. caput]* Edd. usque ad Aldinam et codd. vulgares VII Lagom. Paris. C *caput ipsius praet.* — *fortunas]* Ox. *fortunam.* — *animadvertisse]* Lag. 29 Paris. A B alii deteriores *animum advertisse* et post *animum advertere,* Paris. A B Ox. etiam *improvidentiam* pro *imprudentiam.*

§. 58. *in conventu]* Lag. 42 (p. m.) *conventum* (sine *in*). — *eo animo]* Lag. 42 (p. m.) *quoquo an.* — Tum *ex quo*, et *quis* (pro *quivis*) et *esse* omittit, et pro *te* habet *recte.* — *tecum]* Lag. 42 (p. m.) *tamen*, reliqui fere *tum.* — *quamdiu tecum]* Lag. 42 (p. m.) *quam divite animi.*

§. 59. *etiamsi adesset]* Huyd. (id erit porro H.) *etiamsi adessent.* — *se auditurum]* Vat. omittit *se.* — *Bidinis]* Ox. H. *libidinis.* — *petunt]* Vat. *qui petunt.* — *scr. iubeat]* Vat. *iuberet.* — *insimulant hominem]* Lag. 42 (p. m.) *insinuant*, deteriores libri omnes *homines.*

ab absente peteret] Vat. *de absentem* (sic) *pet.* Sed est tamen quod dubites de isto usu praepositionis. — *exitus nullus reper.]* Vat. *nullus repperiebatur exitus.* — *iubeat]* Sic Vat.

§. 60. *Epicratem]* Lag. 1. 5. 14. 45. Vat. *Epicraten.* — *idem illud]* Vat. *illut item.*

nummum null. nemini] En Vat. omittit *nullum.* Deinde Vat. quoque *iudicio se passuros*, quam constructionem altero loco allato III, 28 §. 68, ubi Vat. et Lag. 42 conspirant, tuetur Maius. Ac nescio an verum sit, ut illud ipsum *agi secum* cogitatione addatur. — *ne quod iudicium]* Sic Vat. sed servavit tamen deinde Maius *ne qua*, codicis nulla mentione facta.

§. 61. *occasionem calumniae]* A Lag. 42 (p. m.) abest *occas.* in 29 et Paris. A B *calumniae*, in Vat. utrumque. — *aliquid quod]* Lag. 42 (p. m.) interponit *id.* — *modo illos]* H. *m. ad il.* — *sed multo et. plures]* Lag. 42 (p. m.) *si — pluris.* — *Epicratem def. destiterunt]* Lag. 29 Vat. *Epicraten.* Lag. 42 (p. m.) *destiterant.* Huyd. *destituerunt.* — *HS IↃ milia]* Vat. *HS IↃL.* — *HS quindecies]* Vat. ∞ *IↃ.*

daturum] Sic Vat. — *ducta est]* Vat. sicut editur.

§. 62. *sordidati]* Lag. VII et Paris. C. H. Mein. et edd. usque ad

Aldinam *sordidaque*, Lag. 6 *sordida veste prolixaque*. — *biennium]* Vat. solus *biennio*. — *fuerunt]* Lag. 29 *fuerant*. — *L. Met.]* Omnes libri mei praeter Lag. 42 (qui habet *eumque M.*) *Q. Met.* item edd. veteres usque ad Aldinam, in qua primum *L.* editur, ut verum est. Vat. editio *L.* Cf. ad Act. I, 9 extr. — *tum]* Lag. 42 (p. m.) *tamen*. — *rescidit]* Vat. *rescindit*. — *in utriusque]* Lag. 42 (p. m.) *in utrisque*.

Cum L. Metellus] Scribendum videtur, sicut Maius fecit, sublata interpunctione maiore, *quoad L. Metellus—profectus est*. Vat. quidem *quod ad*.

§. 63. *quisquis]* Vat. *quis*. — *eductus]* Huyd. *adductus*.

restitutus est] Scribe *est restitutus* ex Lag. 29 Par. A B, nunc etiam Vat. — *alia Panh.]* Absunt haec verba etiam a Vat. sed vulg. *dixerat* videtur servare. — *non tam]* Sic Vat.

§. 64. *semper usus est]* Lag. 29 *usus est semper*. — *unam domo]* Codd. nostri praeter Paris. A et Lag. 42 item Ox. H. edd. vett. usque ad Aldinam *una domo*. Lag. 42 *domito immutarat totum hominem*. — *immutarat]* Lag. 5. 6 Paris. C *immutaret*. Lag. 45 *immutarit*. — *hoc ei tum]* Lag. 42 pr. m. *hoc et tamen*. — *pugnassem]* Lag. 42 (pr. m.) *pugnassent*, idem *hic* pro *huc*. — *multos]* Vat. edit. addit *testes*.

Letilius] Vat. *Lactilius*. — *immutarat]* Vat. *mutarat*. — *quodnisi ego]* Sic Vat. item *aliquantum*.

§. 65. *quae ad. vell.]* Absunt et ab Oxon. — *quo die]* Vat. *quod idem*. — *se a praetore retineri]* Edd. vett. usque ad Ald. et Paris. C. Ox. et Lag. multi *se tempore retineri*, Huyd. *tpore*. Lag. 27 etiam *detineri*. — *adhuc]* Vat. *ad hunc*. — *ut iis]* Edd. vett. et Lag. VII (praeter 14 et 27) Vat. *his*.

sociorum] Sic Vat., item *cupirerunt*.

§. 66. *compromissisque]* Vat. *compromissis*. — *HS CCCC]* Vat. HS CCCIↃↃↃ, quae eadem summa esset ac supra. — *de compr.]* Vat. omittit *de*. — *iudicem falso]* Vat. *iudicio falsum*. Etiam H. habet *falso*. — *sese dat.]* Vat. *se daturum*. Huyd. *dicturum*.

cum civis] Sic Vat., sed servat tamen *inter duos cives iudicasset*. — *in senatu esse]* Vat. traditur exhibere *ne esse*, sed *ne* male servatum puto e vulg. *ne esset*.

§. 67. *praetor]* Vat. *populus Rom*. — *pulsaret]* Edd. vett. usque ad Aldinam et cod. VII Lag. *pulsare*. — *novo more]* Sic Vat. editio, sed Maius cum edi vulgo *iure* dicat, fortasse Vat. cod. intellexit. — *ecquam]* Lag. 42 *hecq*. Lag. VII Vat. *et quam*. — *illud]* Vat. *illum*.

ostendisset] Sic Vat. Sed *mansit* servavit Maius, nulla facta codicis mentione.

§. 68. *sumam]* Ox. Lag. 29 *summa*, idem post *et scelere* pro *excellere* et *Halyciensis* (etiam Vat.) — *cum primis]* Vat. *cum in pri-*

mis. — *locuples]* Lag. 5. 6. 27. 45. 48 *locuplex.* — *iudicium]* Lag. 5. 6 *iudicatum.*

§. 69. *eques Rom.]* Lag. 42 (p. m.) *pr.* — *videretur]* Lag. 42 (p. m.) *videtur.*

§. 70. *quis posset]* Ox. *qui possit.* — *proinde]* H. *proin.* — *dimitt. iudic.]* Lag. 29 Paris. A B *iud. dimittitur.* — *habebant]* Lag. 6. 42 *habebat.*

§. 71. *ventum est]* Pariss. et Lag. omnes praeter 6 et 42 *est ventum.* — *convenissent]* Lag. 29 *venissent.* — *iidem]* Lag. 6. 29 et hic et post *idem.* — *M. Petilium]* Lag. 42 (p. m.) *N. Pet.*

§. 72. *Respondet]* abest a Lag. 42 (p. m.) — *ad quos?]* Lag. VII Paris. C Huyd. et edd. vett. usque ad Aldinam *aliquos.* — *idoneus es]* Abest *es* a Lag. 42 (p. m.) — *affuerant]* Lag. 29 *adfuerunt.* — *cognorant]* Lag. 42 (p. m.) *cognoscant.* — *illi—inquit]* Haec desunt in Ox. — *et simul]* Lag. 29 et 42 Paris. A B *ut simul.* — *abire]* Lag. 42 (p. m.) *ire.*

§. 73. *verbis]* abest a Lag. 42 (p. m.) — *proseq.]* Lag. 5. 27. 42 *persequitur.* — *ablegato]* H. *allegato.* Idem *se* ante *defensurum.*

§. 74. *tamen subito]* H. *tam s.* — *tantam arb.]* H. *tm̄ arb.* — *eius cup.]* Ox. *suo cup.*

§. 76. *eius auct.] eius* om. H. — *Ptolomaeum* libri Lag. omnes. — *minus haec]* Lag. 42 (p. m.) *hoc.* Verba inter duo *ad* absunt a Lag. 42 (p. m.)

§. 77. *illud, illud]* Alterum *illud* abest a Lag. 6. 42 (p. m.) 45. — *habeatis]* Lag. 42 (p. m.) *habeamus istum nobiscum, etiam de nobis.* — *reiiciundi]* Lag. 6. 42 *reiiciendi.* — *iudicum]* Lag. 29. 42 *iudicium.*

§. 78. *est flag.]* Mein. *est causa flag.* — *proposuisses]* H. *praeposuisses.* — *quippiam]* H. *cuipiam.* — *post eandem]* Lag. 42 *postea tandem.*

§. 79. *Stalenum]* Edd. vetustae et Lag. 5. 6. 27. 48 *Scalenum,* nullus *Staienum,* ut Io. Classen. in nova edit. Cluentianae scripsit, vide ad c. 24. — *norint]* Lag. 6. 27. 42 (p. m.) *norunt.* — *pecuniamque]* Abest *que* a Lag. 42. 48., *quod* Lag. 29. Tum Lag. 42 (p. m.) mendose *habemus* (H. *habebitis*) et pro *index obtinebit* nihil nisi *videlicet,* et pro *si visum erit* idem *visus erit.*

§. 81. *dimisso]* Lag. 29 *demisso.* — *teque eum]* Lag. 42 (p. m.) *tecum.* Idem C. omittit, et habet *condemnasset, quem* pro *quae.*

§. 82. *nunc aliud eius]* Lag. 42 (p. m.) *non allupeius.* Idem pro *in uno* habet *nemo,* et post *videntur.*

§. 83. *Sthenius]* Lag. 42 (p. m.) *Stenius est his.* — *compararat]* H. *comparat.* — *summam virt.]* Lag. 42 (p. m.) *multam virt.* — *Deliacam]* Lag. VII *Deliaciam.* 42 (p. m.) *delicia.* — *invitationes]* Lag. 42 (p. m.) *imitationes.*

§. 84. *animi]* Lag. 42 p. m. *omni,* eadem *tamen* et *dolore* omit-

tit, et pro *atque* habet *et*. — *impertiebat]* Edd. vett. et Lag. VII praeter 48 *impartiebat*, 6 *impartiebatur*. — *tacite]* Vat. *facile, tacite*.

angebatur] Vat. *angebatur animi necessario*, omissis *tamen* et *dolore*, atque sic dudum secundum Metellianum et Lag. 42 (pr. m.) scribere debebam. Opponuntur *ut poterat* et *necessario*, *ferebat* et *angebatur animi*, nec opus est coniunctione, multo minus supplemento *dolore*. Nam quamvis apud Ciceronem ipsum quidem *angi animi* non inveniatur, sed *animo*, in Brut. c. 2 §. 7, est tamen apud illum non infrequens *pendere animi*, de Legg. 1, 3; ad Att. VIII, 5; XI, 12; et apud Livium aliosque etiam *angi* cum genitivo *animi* coniungitur. — *et instr.]* Sic Vat.

§. 85. *seque]* Vat. *seseque*.

iste cupid.] Sic Vat. — *id fieri]* Accedit Vat. ad eos libros, qui *fieri id* habent.

§. 86. *Himerum et Karth.* Lag. 42 (p. m.) — *ceperant]* Vat. *coeperunt*, Maius *ceperunt*. — *hoc dign]* Huyd. *hoc primum dign*. — *sua]* Vat. *et sua sponte*, quod miror a Maio tantopere probari, ut vulg. scripturam mendosam dicat. — *recuperare]* abest a Lag. 42 (p. m.). — *ii sese Thermis]* Lag. 42 *his Ocherminis*, Vat. *ii se Thermis*. — *neque longe]* Vat. *nec longe*. — *hi—fortunam ac]* Vat. *ii—fortunas et*.

arbitrabatur] Servat Vat. edit. *arbitraretur*. — *in eiusdem]* Vat. *in isdem*. (Ox. cum reliquis *in iisdem*.)

§. 87. *Stes. p.]* H. *posita si chori p*. — *summo honore]* Lag. 42 (p. m.) *supremo*, sicut etiam alibi peccat. — *ing. hon.]* H. om. *ingenium*, et pro *honore* habet *genere*.

eximia] Sic Vat.

§. 88. *iste posceret]* Lag. 42 (p. m.) *iste postea posceret*. — *ea res*, Lag. 42 (p. m.) *iste res*. — *indicia]* H. Ox. *invidia*. — *quin mori]* Lag. 42 (p. m.) *qui non modo diceret sanius esse. itaque ad hoc adhuc*.

§. 89. *domo eius emigrat]* Lag. 42 (p. m.) *migrat*, sed post item pro *migrarat* habet *emigrat*. — *adeo]* Lag. 6. 42 (p. m.) *ab eo*. — *eum autem inim.]* Lag. 29 Paris. A B huc transferunt (post *autem*) *statim*. — *ut anim.]* Lag. 42 (p. m.) *et anim*. — *ementiendo]* Lag. 42 (p. m.) *enuntiando*. — *Callidamam]* Lag. 42 (p. m.) *callidam*. — *audierat]* Lag. 42 *audierit*. — *maluit]* Lag. 29 *voluit*. — *lineam. hospitae]* Lagom. omnes *liniamenta*, Paris. A *aliniamenta*, Lag. 42 (p. m.) *hospitis delectabunt*.

§. 90. *Sthenio]* Lag. 42 *ex Stenio*. Tum Lag. 29 *si—haberent*. — *aperte]* Lag. 42 (p. m.) *aperto*. — *Itaque illi]* habet etiam Huydec. — *educunt]* Lag. 42 (p. m.) *edicunt*. Huyd. *adducunt*. — *Thermitanis]*

Lag. 42 (p. m.) *Thermitanus* et mox *mansisset.* — *Rupilius]* Lagom. praeter 42 omnes et Paris. B C Ox. Huyd. *Rutilius.* — *postea leges ita]* Lag. 29 *ita leges postea.* — *cives — agerent]* Lag. 42 (p. m.) *civis ageret*, idem *eidemque hoc haberet.*

§. 91. *ac nefarius]* Lag. VII Paris. C edd. vett. usque ad Ald. *atque*, H. *aut.* — *id istum]* P. Manutius, fortasse typographorum incuria, *ipsum*, quod vitium tamen per Stephanianam et repet. Lambinianam et Gruterianam pervasit, donec Hotomani monitu sustulit Graevius. — *sine]* ante *teste* om. H. — *suoque hosp.]* Mein. *suo quoque hosp.*

§. 92. *ad hor. VIIII]* Mein. Ox. *ad h. octavam.* — *dolore ardere]* Lag. VII Par. C Ox. Huyd. edd. vett. usque ad Aldinam *dolore, ardore.* — *apud inim.]* Abest *apud* a Lag. 42 (p. m.).

§. 93. *dixerat cum — litt. publicas]* desunt in Huyd. Idem etiam *hoc* habet ante *praeterea.* — *nov. mod. nul.]* H. *novo non nullo.*

§. 94. *postq. numerata]* Lag. 29 *postq. pecunia num.* Lag. 42 (p. m.) *numeratum.* — *et licere]* Lag. 29 *et legere* vitiose. — *defertur]* Lag. 42 (p. m.) *refertur.* — *ut Cal. D.]* Huyd. om. *ut.*

§. 95. *aequiora et placab.]* Lag. 42 (p. m.) *aequora plac.* — *senatum]* omittunt Lag. VII Paris. C Ox. H. edd. vett. ante Aldinam.

§. 96. *hospites omnes]* Abest *omnes* a Lag. VII Paris. C Ox. Huyd. et edd. vett. usque ad Aldinam, sed firmatur Lag. 29 et 42 Paris. A B, ne quis denuo eiiciendum putet. — *laborent]* Lag. 42 *laborant.* Idem confirmatur *curatum.* — *et terra]* Lag. 42 (p. m.) *in terra.*

§. 97. *ut edixerat]* Lag. 42 (p. m.) *ut dixerat*, at supra semper *edicere* fuit.

§. 98. *aut ambit.]* Huyd. *atque.* — *certos]* Lag. 1. 5. 14. 45 *ceteros.* — *in integro]* Lag. 6 et Lamb. (iam priore edit.) *integra.* — *tota res]* *tota* om. H. — *tum]* Lag. 42 *tam.* — *si non]* H. *sed non* et mox *ac* pro *at.* — *M. Pacilius]* Lag. 42 (p. m.) *N. Pac.*

§. 99. *oporteret]* Lag. 1 et 42 (p. m.) *oportet.* — *ex reis]* Edd. vett. etiam Aldina et Lag. VII Paris. C Ox. *ex reo.* Iidem post paulo *tibi* omittunt, et habent *esses* pro *essem*, quod primus dedit Naugerius. — *non putasti]* Lag. 42 (p. m.) *non putas.*

§. 100. *pater]* abest a Lag. 29. — *in cont.]* Lag. 42 (p. m.) omittit *in.* Ceterum *contione* cum *t* littera h. l. omnes Lagom. *Tribunum* abest ab edd. vett. usque ad Ald. et Lag. VII Paris. C Ox. — *tribunorum pl.]* Ox. *tribunis pl.* — *M. Pal.]* Lag. 42 *N.* ut supra §. 98. — *statuisse]* Lag. 42 (p. m.) *stasse.* — *liceret R. esse]* Vat. *Romae liceret esse.*

— *collegium hoc]* Lag. 29 Paris. A B *hoc collegium*, et deinde *Romae quemquam esse*, qui ordo verborum, quoniam ad illos libros accedit Vat., restituendus iam videtur, quamquam contra stat Lag. 42. Item paulo post *et cum ita rem*

Lag. 29 et Vat. — *X trib. pl.]* Vat. *at X TR. S. PL.* — *de omn.]* Sic Vat. editio.

§. 101. *quod def.]* Ox. *quo def.* — *hoc fieri]* Lag. 5. 45 et edd. vetustae *haec fieri.* — *uti videtur]* Vat. *ut vid.* Lag. 29 *uti esse videretur.* — *id licere]* Vat. *haec licere.* — *defensio]* Lag. 29 *ratio.* — *defensio est tamen]* Lag. 42 (p. m.) *est* omittit, Lag. 29 addit (post *tamen*) *ut.* Paris. B *est, ut aliquid.* Paris. A omittit *tamen.* Tum Lag. 29 Paris. A B *corum omnibus esse*, omisso verbo *delatum.*

recipi cet.] Vat. *recepi* (ut Lag. 29) *nomen apsentis*, quo recepto Maius admodum probabiliter interpunctionem sic mutavit, ut esset porro: *licet hoc fieri in provincia: nulla lex vetat.* — *facit coram esse del.]* In ordine verborum suffragatur Vat. sed *et* servatur.

§. 102. *induerit]* H. *induxit.* Mein. *induxerit.* — *expediret]* Vat. *expediet.* — *Chlorus]* Lag. 42 (p. m.) *Dorus.* Idem *commemoravit*, sed omittit *et* (prorsus ut Vat.) — *Posides]* Etiam H. *Posides;* Ox. H. *Macro;* Vat. *Possidius Macro solutinus.* Tum addit idem (post *virtute*) *ornatissimus.* — *isto ipso]* Vat om. *ipso.* — *deinde Romae]* Lag. 29 et Paris. B interponunt *eum*, s. *cum.* — *res esset acta]* Lag. 42 videtur habere *acta res esset*, Vat. *haec acta res esset.* — *omnes]* Lag. 42 (p. m.) *eius.* — *consulibus edidit]* Lag. 42 *consule dedit.*

Vat. *saepe et palam* (nos sustulimus *et*) — *multis idem demonstrarat — se exemplo multorum fecisse quod fecisset.* Itaque *idem* et *multorum* addit. — *et Cn.]* Sic Vat. — *audierunt — interfuerunt]* Sic Vat.

§. 103. *Siculos]* Lag. 42 (p. m.) *Siculus*, et post *doceret.*

§. 104. *testata]* Lag. 42 *detestata.* — *quod mendum]* Lagom. VII Paris. C et edd. vett. usque ad Aldinam *quid mundum.*

§. 105. *ut dum]* Lag. VII Paris. C *et dum.*

§. 106. *induat]* H. *iudicat;* idem *scribit* pro *adscribit.* — *aut propinquum]* Lag. 29 Paris. A B. *apud prop.* — *fuerunt]* Lag. 29 *fuerint.* — *in tabulis]* Omittit Ox.

§. 107. *Palatina]* Lag. 42 solum habet *P.* — *Non quaero]* Ox. *nomen tributi non quaero.* — *contra venit]* Lag. 29 interponit *Verrem.* — *an te ad Sth.]* Ox. H. *ante Sth.*

§. 108. *sequester]* Lag. 42 (p. m.) *frequenter.*

§. 109. *iste* ante *potiss.* om H. — *vos]* Lag. 42 (p. m.) *nos.* — *dubitabitis iudices]* H. Mein. *dubitatis i.* — *vindicare]* H. *indicare.* — *aliorum]* Lag. 42 (p. m.) *aliquorum.*

§. 110. *recepisti]* H. *accepisti.* — *quem absentem]* Lag. 29 *quem hominem absentem.* — *adscripsit]* Paris. B Hayd. et Lagom. praeter

unum 42 omnes *adscripserit*, item edd. vett. etiam Manut. et Lambiniana prior.

§. 111. *ignorat]* abest a Lag. 42 (p. m.). Idem *possunt* pro *possint.*

§. 112. *adeptus]* Lag. 29 *amptus.* — *communibus]* Lag. 42 (p. m.) *casibus.* — *cognoscere]* Edd. vett. usque ad Aldinam *recognoscere.*

§. 113. *cum acc. e. q. propter]* In his verbis desinit cod. Meiningensis. — *C. Marii]* Ox. H. et omnes codd. nostri praeter Lag. 42 *Martii* vel *Marcii.* — *accerseretur* in aliquot codd. et edd. vett. legitur. — *se huius]* Lag. 42 *Stennii.* — *apud suos cives]* Lag. 29 *apud cives suos.* Tum Lag. 42 *proficeret.* — *oppido Thermis]* Lag. 42 (p. m.) *optimis.* Ab eodem absunt verba *ex sacro nihil.*

§. 114. *Verria]* Abest etiam ab Ox. — *cui — stant]* Vat. *cuius — estant.* (Maius *extant*). — *vide — inquam]* Vat. omittit *vide.* — *abs te]* Lag. 42 (p. m.) *ab te.* — *patrono]* H. *cum patr.* — *laudant te]* Lag. 42 (p. m.) *laudantes*, idem *Mancellina civitas*, et omittit *legati laedant.* — *arguunt]* Vat. *arguant.* — *si tu]* Ox. *si tamen.*

festi dies] Vat. edit. servat *dies festi.* — *fund. eversas se esse]* Vat. *se eversas funditus esse.*

§. 115. *lampade quid]* Lag. 42 (p. m.) *lapide qui.* Tum idem *hic* pro *hoc*, et *tropeum* (Lag. 29 et VII *tropheum*). — *quid tandem]* H. *quid tamen.* — *faciunt hoc]* Omittitur *hoc* in VII Lagom. et Paris. A. C. Huyd. editionibusque veteribus.

flag. suorum] Sic Vat.

§. 116. *sciri tum]* Vat. *sciribtum*, Lag. 42 (p. m.) *scriptum.* — *potissimum]* Vat. *hostissimum* mendose. — *putarem]* Lag. 27. 42 (p. m.) *putaram*, porro *deos posse hoc donum veni non de Sthenii id dedisse.* — *te gratum]* Vat. *gratum gratum.* — *hereditas]* Lag. 42 (p. m.) *redditus.*

§. 117. *recepissem]* Lag. 42 *precepissem.* — *singulariter]* Lag. 42 (p. m.) *singulare.* — *cognossem]* Lag. 42 (p. m.) *cognoscere*, Lag. VII Paris. A C Ox. Huyd. *cognoscerem.*

§. 118. *Aegritomari]* H. *Centomari.* — *provinciae]* H. addit *Siciliae.* — *privatimque defendantur]* Interponitur in Lag. VII *uno tempore.* — *iudicatisque]* H. Ox. *vindicatisque.* — *sumemus]* Lamb. priore edit. correxerat *sumamus.*

§. 119. *nummum]* Lag. 42 (p. m.) *non.* Tum pro *Q. Varii* habet *Valerii*, et *et probari* pro *comprobari.* — *se isti pec.]* *se* om. H. et mox *id* ante *tot.* — *argumenter]* Lag. 42 (p. m.) *argumentor.*

§. 120. *Quod enim]* Lag. VII praeter 6 *quid.* — *ecqua]* Lag. VII et Paris. C *et qua.* Lag. 29 *equa.* Paris. A *equas.* Lag. 42 *hecque.* Sed in hoc ipso loco iam Niebuhrii, viri praestantissimi ac diligentissimi, industria in librorum vitiis vel foedissimis enotandis defecit. Et

recte, nam ex ea segete, quam adhuc collegimus, ingenium singulorum satis apparet. — *et privatim] et private* Lag. VII Paris. C. — *Panhormitanique* Lag. 1. 5. 14. 45 Vat. — *privatim plurimi]* Vat. *privatimq. plurimi*, Maius putat esse *quam plurimi*. — *in his omnibus]* Vat. *in is omnibus*.

actates] Vat. *aestates*, quo ipso confirmatur nostra scriptura. Maius tamen *aetatis*. Huyd. *actas*.

§. 121. *dat is]* Vat. *datas*. — *hae]* Lag. 29 *eae*, Paris. A *ea*.

voluerit] Sic ait Maius esse in codice, cum in textu habeat *voluerat*. Sed videtur res converti debere. Deinde Vat. *si is praetio aput istum idoneus et vinceret*.

§. 122. *cooptando]* Ox. Lag. 29 *captando*, 27 *coactando*, alii *optando*. — *honorifico]* Lag. 42 (p. m.) *honorifice*. — *Pulcher]* Lag. 1. 14. 29. 48 *pulcer*. — *sanxit]* Lag. 42 (p. m.) *finxit*, idem pro *ne qui* habet *iniqui*. — *ne qui]* Lag. 29. 27. 48 H. *ne quis*. — *ne legeretur]* Lag. 29 Paris. A B *neglegeretur*, 42 (p. m.) *negligeretur*. — *qui voluit]* Lag. 42 *quid vol*. — *denum]* Lag. 42 (p. m.) *ac denum*.

§. 123. Lag. 42 (p. m.) *de senatu Scipionis leges cooptando*, alio et deteriore verborum ordine quam vulgo. — *deduxit Agrigentum]* Lag. VII Paris. C Ox. Huyd. *Agrigenti*.

§. 124. *quidam]* Lambin. *quispiam* — *haberet]* Lag. VII praeter 6 et 14, item 29 et Paris. B C *haberent*. — Lag. 29 *legatos ad istum*. — *auferat]* Ox. *afferat*. — *consuetudinemque]* Lag. VII et Paris. C. Ox. H. *consuetudinesque*. — *demonstrent]* Lag. 42 (p. m.) *demonstrentque*. — *illum locum]* Vat. *locum illum*. — *ne comm. quidem esse]* Vat. *neque comm. quidem esset oporteret*. Lag. 29 *oporteret esse*.

emptum ven. illum] Sic Vat. — *auferat. Agrigentini]* Lag. omnes praeter 29 *afferat. Agrigentini*. Sed Vat. *adferat Agrigentum. Agrigentini*. Nec tamen muto.

§. 125. *accepit]* Lag. 42 (p. m.) *accipit*. — *genera]* Vat. *degenera*.

Heracliae] Vat. edit. servat *Heracleae*. — *et de]* Sic Vat. Ab eodem *crimine* abest.

§. 126. *quae in annos]* Abest *quae* a Lag. 42 (p. m.) idem pro *Iovis* habet *Siquis*. — *iubeat]* Vat. editio *iubebat*.

deor. relig. immort.] Restitue igitur quoniam accedit etiam Vat. *deorum immort. religiones*, sed apud Maium tamen *omnes* omittitur.

§. 127. *Perf. iste] iste* deest in H. — *acturus]* Vat. *accusaturus*. — *coniicerentur]* Paris. B Lag. 29 *coicerentur*. 42 (p. m.) *eicerentur*. Item post Lag. 29 *coici*. — *peracutus]* H. Lag. VII et Paris. C edd. vett. usque ad Ald. *percautus*. — *quot ergo, inquit, sunt]* Lag. VII Pa-

ris. C. Ox. (idem mox *respondit*, non *responsum*) et editiones vett. *inquit* omittunt, Lag. 29 Paris. A B post *sunt* collocant. — *numquid]* Lag. 42 (p. m.) *nunc quidem*. — *Ita Iovis]* Lag. 42 (p.m.) *tanta vis*.

§. 127. *iubet iste]* Vat. editio servat *ille*.

§. 128. *Climachias]* Lag. 29 *Dimachias*. — *locuplex* H. Lag. 42 et VII vulgares praeter 5. — *ei locus]* Abest *ei* a Lag. 42 (p. m.). — *se ad com.]* Lag. 42 (p. m.) omittit *se*, et *contraherentur* pro *comitia haberentur*. — *volebat]* Lag. 42 (p. m.) *valebat*, et omittit *excogitat*, et post *habentur* et *possit*, omnia mendose. — *acutior]* H. *cautior*.

§. 129. ἐξαιρεσίμους] in H. est αἱρεσίμους. — *dimid. mens.]* inserit H. *diem*.

§. 130. *rev. diebus]* H. *rev. dies*. — *iudicium fieri posset]* Lag. VII *iudicii*, 42 (p. m.) *potest*.

§. 131. *aestimationis]* Huyd. *existimationis*, tum idem *ei* et *habeat*.

§. 134. *habuerit]* Lag. VII Paris. C Ox. H. et editiones vett. ante Aldinam *habuit*. — *reperiebam]* Lag. 42 (p. m.) *reperiebat*. — *mira quaedam]* Lag. 29 *intra*, 42 (p. m.) *quidem*. — *tantum avaritia semper hiante]* Lag. VII Paris. C *tantum semper avarit. hiante*, item edd. usque ad Gruterianam. — *item ut]* Lag. VII et Paris. C omittunt *ut*, item edd. vett. usque ad Aldinam.

§. 135. *Haec vero huius]* Edd. vett. usque ad Aldinam *hoc vero eius*. In Ald. correctum est *haec*. — *et callid.]* Lag. 42 (p. m.) omittit *et*.

§. 136. *ex quibus]* abest a Lag. 42. Idem *istius iste*. De confusione pronominum *iste* et *ipse* vide ad IV, 7 §. 15. *regnasse* abest a Lag. 42 (p. m.). Item *is* abest. — *Timarchidi]* H. *Timarchidis*, idem *libertos* pro *liberos*.

§. 137. *in singulis* plenius Lag. 42 (p. m.) ab eodem verbum *denarii* abest. — *fatebare]* Lag. 42 (p. m.) *fatebere*. Porro idem *dicere* omittit, et habet *beneficiis, p. r. causa pervenisse*. — *conciliandae]* Lag. 42 (p. m.) *collocandae*.

§. 138. *posset]* Vat. *possit*. — *administrari]* Lag. 29 Paris. A B *administrare* solita verborum activorum et passivorum confusione. — *tenuissimos hauserant* Lagom. VII praeter 1 et 5, hi autem cum Paris. C Ox. H. *tenuissima hauserant*. — *oneris]* Vat. *honoris*. — *homines]* Vat. edit. *omnes*. — Tum *re ipsa facillime*, hoc ordine, Lag. VII Paris. C et edd. vett. usque ad Aldinam. — *Letili* plerique omnes Lagom., *L. Laetelii* Vat. — *observari]* H. *servari*. — *Peducaeo]* Vat. etiam postea *Peduceo*. — *habitus esset]* Vat. *habitatus esse*.

auxerant] Sic Vat. — *censum stare]* Recipiendum igitur *censu stari*, quoniam in Vat. esse traditur.

§. 139. *cum id]* Lag. 42 *qui id*, Vat. *quicum*. Lag. 29 *denovo*, 42 (p. m.) *postremo* pro *postero anno*. Idem *creare* et *observare* pro

formis passivis. — *tibi]* Lag. 29 *fieri.* Denique omittit Lag. 42 (p. m.) verba inter *provinciam* et *provincia* media.

quis censor] Vat. edit. vulgatam *qui* servat. — *te praetore]* Favet tamen Vat. Lambino, quoniam in eo legitur *in te populus R.* — *tibi fecisset]* Dele *tibi,* quia non est in Vat. nec in Lag. 42 pr. m. — *tamen si]* firmat Vat. ac male nos *tamen* abesse in Lag. 42 tradidimus, quod nunc videmus pertinere ad *tibi.*

§. 140. *expectas etiam]* Lag. 27 et 29 *enim.* — *Epicrati]* Lag. 29 Paris. A B. *Epicrate.* — *nisi* et *tuam* om. Huyd.

§. 141. *fac ita]* Lag. 42 (p. m.) *facio.* Tum Lag. 29 Paris. A B alio verborum ordine *istam omnem pecuniam.* — *ferendum]* Lag. 29 et 42 *ferundum.* — *ab sociis]* Lag. 42 *a sociis.*

§. 142. *deferemus]* Etiam H. *deferremus.* — *plurimisque]* H. *pluribusque.* — *tam amens]* Lag. 42 (p. m.) omittit *tam*, Paris. A *tam demens.* — *arcessat]* Vat. Lag. VII et Paris. C *accersat*, Lag. 29 *arcessitur*, 42 (p. m.) *arcesset.* — Tum *consumta adhuc ista* Lag. VII et edd. vett. usque ad Aldinam. — *HS tricies]* Vat. *HS* ∞ ∞ *ex hoc uno.* — *videamur]* H. *videantur.*

si hoc a vobis] Vat. *hoc si a vobis.* Idem post *capiendis* — *capiendarum:* et *absterrere* et *comprobarimus* a Maio editur.

§. 143. *eamque ab his]* Vat. *et eamque ab iis pecuniam abstulisset, accepisset.* — *esset dubium]* Vat. *resset dub.* quod mira quadam ratione Maius tuetur tamquam a resum, es, formatum, ac defendit altero mendo in fragm. or. p. Scauro *resit suspicio* §. 21, pro quo perite Heinrichius voluit *residet.* — *absolvetur]* Vat. mendose *absolveretur.* — *adscriptum]* Huyd. *scriptum.*

HS CXX milia] Vat. *HS CCIↃↃ*, et postea *HS CC.* Scribe igitur priore loco *C milia,* sive CCCIↃↃↃ, altero *CC milia.* — *cum id planum]* Sic Vat.

§. 144. *faciundas]* Lag. 42 *faciendas,* sed post non mutat. — *ei cui]* Lag. 42 (p. m.) *et qui.* — *adnumerari* Lag. VII et 29 et Paris. B C Ox. H. item edd. veteres usque ad Aldinam. Extr. §. Lag. 29 *nullum haberi,* Lag. 42 (p. m.) *atque.*

§. 145. *Etenim]* Lag. 42 (p. m.) *enim,* idem *considerare* et *onus, auferres aut in foro statuerent statuisti.* — *ponerentur]* Lag. 42 *ponent.* — *iidem]* Libri Lagom. omnes bis *idem,* item edd. vett. usque ad Aldinam. — *pecuniam]* H. *pecunias.* — *idem tamen statuat]* Lag. 42 *eidem,* 29 *statuas.*

§. 146. *Primum]* Ox. *primam.* — *demonstrat]* Lag. 42 (p. m.) *demonstretur.* — *novi]* abest a Lag. VII Paris. C. Ox. — *atque]* Lag. 29 *ac.*

§. 147. *tum nov.]* H. *tamen nov.* — *quae tamen omnia]* Abest *omnia* a Lag. VII et Paris C. editionibusque Aldina prioribus.

§. 148. *statuere]* Lag. VII *statuae*, et edd. vett. usque ad Aldinam cum Paris. C *statue*. — *negabunt]* Lag. VII Paris. C Ox. edd. vett. usque ad Aldinam *negant*. — *coactos]* Lag. VII Paris. C Ox. H. et editt. Aldina priores *coniectos*.

§. 149. *necesse sit]* Lag. 42 (p. m.) *necesse esse sit*. — *ipsi]* Lag. VII praeter 48 Paris. C edd. vett. usque ad Aldinam *ipsis*. — *qua]* Lag. 42 (p. m.) *in*.

§. 150. Verba *datur id accipio* absunt a Lag. 42 (p. m.) — *populi Rom.]* Lag. 42 (p. m.) *praetoris*.

§. 152. *voles]* Abest a Lag. 42 (p. m.) — *testimoniorum* Lag. VII Paris. C et edd. vett. donec Naugerius *testium* recte e meliore codice. Lag. 42 (p. m.) tamen *testibus*.

ex Sicilia] Vat. *e Sicilia*. Idem *sunt* pro nostro *sint*. — *togatum]* Vat. interpretationem tuetur *civem Rom.* sed *velis* recte omittit. — *abs te]* Vat. *esse*, omittitque sive *a te*, sive *abs te*.

§. 153. *iniur. acceperit]* Lag. 29 *acc. iniur.* Idem cum Lag. 6 *atque voluntate*. — *Et huius]* Lamb. omisit *et*, item abest a Vat. — *impudentissimeque]* Lag. 42 omittit *que*. — *ab negot.]* Vat. *a negot.*

§. 154. *contulerunt]* Lag. VII praeter 27 *contulerint*. — *Verrem praeturam]* Lag. VII *Verres*, 42 (pr. m.) *praetorem*. Vat. *P. R.* — *rationem]* Vat. *rationes*. — *Soteru]* Vat. *soterum scriptum*. — *ita magnum]* Vat. addit *est*. — *is est nimirum]* Vat. *is est enim nimirum*. — *non minus]* H. interponit *multo*.

demonstr. videantur] Servavit tamen Maius *videntur*, codicis mentione non facta. Sed liceat diffidere. — *communi Siciliae]* Etiam Vat. h. l. *Sicilia*, item infra §. 168.

§. 155. *probari]* Lag. 42 (p. m.) *probare*, Vat. *probare potes*, mendose. — *quo conf.]* Ox. *quomodo conf.* — *modo]* Vat. *quomodo* mendose. — *et Sicul.]* Vat. omittit *et*. — *Siculis]* Vat. *singulis*. Huyd. *Siculorum*. — *publ. laudarent]* Vat. *laudarent publice*. — *more potius suo]* Vat. *potius more*, sine *suo*. — *hi cum]* Lag. 42 (p. m.) *et eum*.

exist. vis] Etiam Vat. *velis*. — *hi nunc veniunt]* Firmat Vat. sed editur a Maio *ii*.

§. 156. *est igitur tibi necess.]* Vat. *igitur est necess. tibi*. — *qui quidem]* Vat. om. *qui*. — *Q. Hortens.]* Vat. om. *Q.* Huyd. om. *Q. H. acc. n. test.* — *vobis expl.]* Lag. 42 *nobis expl.*

ediderint — obsecrarint rel.] Vat. *ediderunt — obsecrarunt — duxerunt — dixerunt*.

§. 157. *relinquendas]* Huyd. *derelinquendas*.

§. 158. *ecquo]* Lag. VII Huyd. *et quo*, Lag. 42 *hecquo*.

§. 159. Post *impetum* H. addit *eius*. — *soleat]* Lag. 42 (p. m.)

solent. Idem *ea* (pro *eam*), et omittit *praetoris.* — *sed tamen]* Oxon. *sed tum.*

§. 160. *eadem de causa]* Lag. VII Paris. C et editi usque ad Naugerium *ea de causa.* Huyd. om. *eadem.*

§. 162. *vento aut]* Lag. 42 (p. m.) *aut nemo.* — *atque accus.]* Ox. *aut*, Lag. 1. 14 *at*, 5. 6. 27 *ac*, 45. 48 et edd. vett. usque ad Aldinam *et.*

§. 163. *haec]* Huyd. Lag. 6 *hoc.* — *et fidel.]* Abest *et* a Lag. 42 (p. m.)

§. 164. *imperari]* Lag. 27. 29 *imperare.* — *ut iis ne in suis]* Lag. 42 *ut his visis.*

§. 166. *At hi]* Vat. *Ali* (sic alibi pro *alii)* — *arant]* Vat. *erant.* — *possim]* Vat. *possum.* — *quem]* Vat. *quae.*

numero sese] Vat. edit. *se.* — *causam]* Vat. item *causas.* — *vobis quoque]* Miror edit. Vaticanam servare *quoque vobis.*

§. 167. *id non pert.]* Ox. *ideo n. p.*

nec si cupias] Vat. *nec* (pro vulg. *neque) si cupies.* — *iniquorum]* Maius tamen servat *inimicorum.*

§. 168. *aut quis appell.]* Lag. 29 pr. m. omittit *quis.* Vat. adiicit *te.* — *ab negot.]* Vat. *a.* — *a singulis eius]* Vat. Lag. 29 *ab;* 42 *et* addit ante *eius.* — *posse extinguere]* Sic Lag. 29. 42 Paris. A B. Editiones ante Lambinianam repet. *exting. posse.* — *tibi obesse oportere]* Vat. *tibi oporteret.* — *auctor. tu]* Vat. *tu auctoritate.* — *comprobare]* H. Ox. Lag. VII Paris. C edd. vett. usque ad Ald. *probare.*

statuas — a comm. Sic.] Nescio unde Maius acceperit quod adiecit *positas.* — *hominum]* Sic Vat., item *oppositis* et *speraris.*

§. 169. *apud public.]* Vat. *apud adversus publ.* coniuncta scripturae varietate. — *circum]* Lag. 29. *circa.*

§. 170. *ferebat his] fer. is* Oxon.

§. 171. *pervenisset]* Lag. 29 Paris. B. *perveniret.* — *in portu]* Lag. 42 (p. m.) *in portis.* — *praescripserat* editi usque ad Naugerium et Lag. VII praeter 6. — *Ita factum]* Lag. 42 (p. m.) *Id ait.*

§. 172. *accedit* Lag. 42 (p. m.) — *extingueret]* Lagom. omnes praeter 1 et 6 et 42 *extinguerunt*, Paris. B C Huyd. *extinguerent.* — *isti egerunt]* Lag. 42 *iste egerit.*

§. 173. *prospiceret]* H. *perspiceret.*

§. 175. *Decumani]* Ox. *Decuriani.* — *qui leg.]* Ox. *quae.* — *dicent]* Lag. 29 Paris B *dicunt*, 42 (p. m.) *dicant.* — *recte]* Abest ab Ox. — *statuerint]* Lag. 42 (p. m.) *statuerunt.* — *noluerunt]* Lag. 42. 6. 48 *voluerunt.*

§. 176. Lag. 42 (p. m.) mendose *videte*, et omittit verba *quid sociorum.* Tum *arbitraretur* (ut H.) et *plurima stragula.* — *Deliacam]* Lagom. VII Ox. H. et edd. vett. usque ad Aldinam *delicatum*, pro *vim* iidem VII Lag. Ox. Huyd. *vini.* — *L. Can.]* Lag. 42 (p. m.) *te Can.*

§. 177. *defendet]* Sic primus Naugerius, antea edebatur quod est in libris mss. plerisque omnibus *defendit.*

§. 178. *perfecistis]* Lag. VII Paris. C Oxon. Huyd. *perficitis.*

§. 180. *ut iam]* Ox. *ut eum.*

§. 181. *vel plur.]* Ox. *ut plur.*

§. 182. *Vibium]* Lag. 29 et VII praeter 48 *Iubium*, 48 *Iulium*, 42 *Iullum* v. *Uillum.* Idem *magistratum* pro *magistrum*, et *bonum* pro *homini.* — *quaesivi]* Lag. 42 (p. m.) *quae vidi.* — *ratio scripta]* Lag. 29 Par. B *scr. rat.*

§. 184. *fuerit]* Edd. vett. et plerique codd. deteriores usque ad Aldinam *fuit.*

§. 185. Lag. 42 (p. m.) *portoriis* et *uti* (pro *ut hi.*) — *maritimos]* Lag. 29 *marinos.* — *quid Thermis]* Libri deteriores et edd. vett. usque ad Aldinam *quid Athenis.* — *Messana]* Lag. 42 (p. m.) *Messane.* — *exportanda]* Lag. 42 (p. m.) *exportari*, idem *ut omnes* omittit.

§. 186. Lag. 42 (p. m.) *acceptas et expensas.* — *confectas]* Lag. 29 *confictas.* — *versuram]* Lag. deteriores Paris. C Ox. H. et edd. vett. usque ad Aldinam *usuram.* — *non solum consulibus]* In Lag. et Par. deterioribus et edd. vett. *cum* additur.

§. 187. *homo, vers.]* Ox. *habeo; adversari;* Huyd. *adversarii.*

§. 188. *certo ex loco]* Vat. solus *in* pro *ex.*

in Sicilia] Sic Vat. Hoc solus habet, sed recte, quod *Verrucium* littera *c* scribit. — *qui esset, ubi esset]* Sic Vat. sed servatur in edit. saltem *confecerit.*

§. 189. *non quo—putarem]* Lag. 42 *non quo—putabam*, sed hoc a pr. m. — *omnibus]* Vat. mendose *omnia.* — *in iure]* Edd. veteres *iniuriae.* — *vix civum]* Lag. 42 (p. m.) *maximum:* ante *vix* H. om. *ac.* — *summa hominum]* Lambin. *summa in hominum.*

hoc postulabam] Servat edit. Vat. *haec.* Sed nescio an verum sit, quod in eo legitur, *ut ad ea mihi responderet.*

§. 190. *et diligentia]* Absunt ab Ox. — *ab hominibus]* Lagom. plerique et ante Naugerium editi *ab omnibus.* Tum pro *obsignata* Lag. 42 (p. m.) *obligata* mendose. — *nunc tu]* Vat. omittit *tu.* — *esse hunc tuum]* Vat. *es hunc tum.* — *mortales]* Abest a Vat.

mihi tum] Sic Vat. — *cognoveris]* Servat editio Vat. *cognoris.* — *ne hoc aut]* Sic Vat. item *atque.*

§. 191. *primas litteras]* Vat. *litt. primas.* — *Verris]* Vat. *Verris nam*, ex quo Maius fecit *Verrinam.* — *demersam esse]* Vat. om. *esse*, Huyd. *immersam esse.* — *in litura]* Sic correxerat Naugerius. Libri mss. deteriores et ante illum editi *in lituram.* — *nulla eius]* Lag. 42 (p. m.) *nullius.*

caudam] Etiam Vat. *codam.* — *esse Verrutium]* Etiam Vat. *Verrucium esse.*

§. 192. *libidinosissimum]* om. Huyd. — *committebant]* Huyd. *omittebant.*

LIB. III.

§. 1. *vocant]* Lag. 42 (pr. m.) *vocent.* — *ac peccata]* Edd. principes et Iunt. *et pecc.*, Aldus *ac.*

sed etiam] Abest etiam a Vat. *etiam*, sed de *vocent* siletur. Editur deinde *legem dicunt*, et *continentiae*, et *id* et §. 2 *ab religione*, *ab rep.*

§. 2. *hoc sumpsit]* Abest *hoc* etiam ab Huyd. Ox.

§. 3. *itaque hoc iudices]* H. *ita hoc vidi.* — *fortunaeque]* Lag. 42 (p. m.) *fortitudineque.* Idem *consilio confirmato.* — *accusarint]* Lag. 42 *accusarent.* Edd. princ. usque ad Naugerium *accusaverint.*

§. 4. *oneris habeo]* Lamb. *on. subeo.* — *voluptate]* Lag. 42 *voluntate.* — *maleficum]* Paris. A *male.* — *quempiam]* Lag. 29 *quemquam*, Huyd. *quendam.* — *inhumanior]* Lag. 42 (p. m.) *immanior.* — *fuisse]* Lag. 29 *esse.*

§. 5. *indicium]* Huyd. *iudicium.* — *mihi]* abest a Paris. C. Huyd. — *sed etiam]* absunt a Lag. 29. — *contumacia]* Lag. 42 (p. m.) *contumacitas.* — *patior]* Paris. A B *patiar.*

§. 6. *mitto]* Lag. 42 (p. m.) *muto.* — *dissimilitudines]* Huyd. *similitudines.* — *esse debeat]* Huyd. Lag. 45. 48 *debebit*, 1. 5. 14 Paris C *debebat.* — *fixas]* Erf. *fixa.*

§. 7. *cuiusvis]* Lag. 42 *cuivis.* — *magnorum]* Huyd. *maiorum.* — *possunt]* Lag. 42 *possent.* — *aditum]* Lag. 42 *auditum.* — *frugalitatem]* Lag. 5. 14. 27. 45. 48 *fragilitatem.*

§. 8. *[ita credo]* absunt a Lag. 42. — *tum singul.]* Edd. princ. usque ad Naug. et codd. Lag. VI. 42 Paris. C Huyd. *cum sing.* — *Huic homini]* Lag. 42 (p. m.) *huic hominum.* — *ac poscere]* Lag. 42 (p. m.) *hanc poscere.* Tum idem (ab ead.) bis *nostri.*

§. 9. *ferendum]* Lag. 29 Paris. B et VI Lag. deteriores *ferundum.* — *vestro Marte]* Lag. 29 *vestro in Marte.* — *fanorum]* *facinorum* Ox. — *is erit]* *ipse erit* edd. Aldina priores, *ipse erat* Lag. VI et Par. C Ox.

§. 10. *in his omnibus]* Solus Lamb. *iis.* — *erat]* Lag. VI et Paris. C Ox. H. *erit.* — *ex ipsa]* Lag. VI et 29 H. Paris. omnes *ex his* vel *iis.* — *minus habebit]* Lag. 29 (p. m.) *habebit minus.* — *voluptati]* Lag. 42 (p. m.) *voluntati.* — *audiendi dilig.]* Huyd. *audiendo diligentiam.*

§. 11. *nam cet.]* Ox. *in cet.*

§. 12. *ac sustinemur. Ea causa]* Paris. A verba praescripta omnia omittit, in Paris. B supra lineam adduntur. — *tripertita]* Lag. 5 *tripartita.* — *deinde de]* Lag. VI et 42 Par. B omittunt *de.* — *vectigal est certum]* Lag. VI et 42 Par. C Huyd. omittunt *est.* Lag. 42 (p. m.) *vectigale* et *certe.*

§. 13. *decumae]* Lag. 42 *decimae.* — *quinque]* Lag. 42 *cum-*

que. — *Segestana]* Lag. omnes praeter 42 *Segestina.* — *Halicyensis]* Lag. VI *Al.* Paris. A B *Haliensis.*

§. 14. *ne legem quidem]* Abest *quidem* a Lag. VI Paris. A C editisque ante Naugerium. — *vendundi] vendundis* Ox. — *non modo]* Ox. *non in.*

§. 15. *iucundior]* Lag. VI et 29 *iocundior.* — *amicitiae ius]* Lag. 29 et 42 (p. m.) *amicitia eius.* Sed in Lag. VI et Paris. C Huyd. et edd. princ. verba *ius societatis* omittuntur, adiecta primum a Naugerio ex aliquo meliorum.

§. 16. *assecutus es]* Lag. 42 *adsecutus* et p. m. *est.* — *operi]* Lag. 29 *ortiri*, Paris. B *oporteri.*

§. 19. *viri]* omittit Lag. 42 (p. m.)

§. 20. *amovendo]* Vat. *admovendo.* — *fraudare decum.]* Lag. 29 *decum. fraudare.* — *Siculis]* Lag. 42 *Siculi.* — *expediret]* Lag. 42 (p. m.) *expediet.* — *invito]* Lag. 42 (p. m.) *inimico.*

exportando] Sic Vat. — *posset auferri]* Vat. edit. *possit* servat.

§. 21. *essent ita]* Lambin. edit. et Vat. *ita essent.* — *everteret]* Vat. *verteret.* — *suos improb. quaestus]* Vat. *vos improb. adque quaestus.* — *instituerit]* Vat. edit. *constituerit.* — *sic prov.]* Vocem *sic* Lag. 29 post *triennium* removet.

saeculis tot] Sic Vat.

§. 22. *omnium]* deest in Vat. — *querimonias]* Repetita Lambiniana *querimonia*, σφάλμα typothetarum, quod Gruterus et Ernestius propagarunt. — *et adspectum]* Lag. 29 *atque adsp.* — *Sicilienses]* Lag. 42 *Siciliensis.* — *cogitate ac]* absunt a Vat. — *et cum]* Vat. omittit *et.* — *istos]* Lag. 42 *ipsos.* Idem omittit verba *aliqua sed.* — *inter se]* absunt a Paris. A. — *similitudoque]* Paris. A omittit *que.*

§. 23. *improbos]* Huyd. *improbissimos.* — *adhibebat]* Lag. 42 *adhibeat.* — *expilationibus]* Huyd. *expoliationibus.* — *habet morum]* Ox. *habet mox.* Idem om. *omnes* ante *odissent*, et *verteretur* pro *uteretur.* — *iucundus]* Lag. 29 *iocundus.*

isti] Etiam Vat. retinet *istis.*

§. 24. *addictos]* Lag. 29 Huyd. *additos.* — *antea dixi]* Sic primum Naugerius: vetustiores et codd. Lagom. VI (praeter 45) et Paris. C Vat. *ante dixi.*

§. 25. *oportere]* deest in Lag. 42.

audite iud.] Vat. editio servat vulgarem ordinem verbb. *iud. audite.* — *tantundem]* Vat. *tantundem d a b o.* Reliqua confirmat.

§. 26. *recitet ex cod.]* Vat. addit *professione* (M. *professionem*) apparet bis in illo quoque fuisse *Ed. de prof.* — *nam id]* Lag. 42 *non id.* — *ubi caves]* Lag. 42 *tibi ubi caves.* Huyd. *tibi* pro *ubi.*

nutu sign.] Sic Vat. — *edicis]* Etiam Vat. editio *dicis,*

nec vulgatam *plura sustulerit* deserit; et addit *R.* ante *edictum:* item *traduci* habet.

§. 27. *omnibus in aliis]* Lag. 29 *in omn. aliis* solus. — *cum in his]* Lag. 29 omittit *in.* — *rebus omnibus]* Vat. edit. omittit *omnibus.* — *public. petitor]* Paris A et B a pr. m. *repetitor.* — *licitus sit]* Vat. Lag. 29 *sit licitus.* — *Quid? qui]* Par. A *quicquid.* — *recedunt]* Lag. 42. 27 Paris. B (p. m.) *recedant.* — *orationes]* Lag. 27 42 *aratores.*

aut pigner.] Vat. editio servat *ac,* et verum videtur. — *qui singulis]* Sic Vat. — *magna]* Vat. tamen item *ac magna.*

§. 28. *reperietur]* Lag. plerique e deterioribus et 29 cum Paris. B Huyd. *reperitur.* — *experiens]* Lag. 42 *experient:* idem *poena.* — *expecto]* Lag. 5. 14. 27 et edd. princ. *expeto.* — *ista cohors]* Vat. *cohors ista.* — *quos trib.]* Ox. *quorum trib.* — *qui ullam]* Ox. *qui unam.* — *Veniendum]* Lag. 29 *veniundum.* — *tutum]* Par. A B *tuum.* Vat. edit. *totum.*

aliquis] Vat. item *aliqui.* — *aiebat omnes]* Sic Vat. — *etiam]* Abest etiam a Vat. editione.

§. 29. *iudicia]* Lag. VI H. et edd. ante Nauger. *audacia.* — *cuiusmodi isti]* Vat. *cuiuscuiusmodi istius.* — *solum av.]* Ox. *s. sine av.* — *immo vero]* Lag. 42 *nimio nec.* — *vero* — *edicto tuo* om. Huyd. — *quam deber.]* Lag. 42 inserit *sibi* repetitum ex proximo.

ac multo plus] Sic Vat. qui etiam *decumam.*

§. 30. *flagitiosissimoque* om. H. — *asseclae]* Lag. 42 Par. B *adseculae,* Lag. 29 *asseculae.*

§. 31. *comissatione]* Lag. 29 *comisatione.* Par. C *commessatione.* — *abeuntes]* Lag. 42 *abeuntis.* — *videretur]* Lag. 14 (p. m.) 42 *viderent.* — *surrexisse]* Lag. 29 *surrexit,* 42 *surrexisse.* — *unguenti]* Lag. 42 *unguentis.* — *vulgo]* Lag. 29 Par. B *volgo.*

§. 32. *comparabas]* Lag. 29 *comparabis.* — *tamen]* Lag. 42 *iam.* — *nemo]* Lag. 29 Par. B *non.*

§. 34. *daturum edixit]* Par. A B *dixit.* — *edidisset]* Lag. 29 Huyd. *edixisset.*

§. 35. *edicit]* Par. B et Lag. 29 *dicit.* — *potest]* Lag. 29 *possit.* — *esse]* deest in Lag. VI et Par. C. — *nunquam]* Huyd. *numquid.*

§. 36. *se plus decuma non]* Lag. 42 *sepius decumanum.* — *deportatas]* Huyd. *deportandas.*

§. 37. *homines et]* Lag. 29 Par. A *homine sed,* Par. B *nomines et.*

§. 38. *ostendam]* Huyd. quoque *ostendimus.* — *ad calumn.]* Lag. 42 omittit *ad.*

§. 40. *commonet]* Lag. 42 et nonnullae editiones vett. *commovet.* — *num quas]* Ox. *nunc q.* — *convincam]* habet etiam Huyd. —

Quid ais? an] Lag. 42 omittit *ais.* — *Quid vero]* Vat. omittit *vero.* — *quod oportebat]* Edd. princ. et codex 48 Lag. *quod non oportebat.*

decumas vendidisti] Discrepat Vat.

§. 41. *tui contempl.]* Vat. *tu contempl.*, et mox *dicere* omittit. — *in* ante *Sthenii* om. etiam Ox. — *nolueris]* Vat. *volueris.* — *et iis tacitus — malueris]* Verba haec desunt in Lag. 29 et Paris. B. — *magna est enim laus]* Paris. B *magna enim est laus.* Vat. *enim* omittit.

interrogare] Sic Vat., item *tacitus.* Sed *quantum vis* saltem editio servat.

§. 42. *furtorum tuorum]* Vat. editio omittit *tuorum.*

pecunia pro his] Vat. cum Lag. 42 facit; sed servat *quod plus.* — *arbitrabere]* Vat. item *arbitrare,* quod idcirco recipiendum videtur.

§. 43. *et pop. Rom.]* Lag. 29 *a p. R.* — *satis]* deest in Lag. 42. Huyd. *salus.* — *ante te]* Lag. 29 *te* omittit. — *abs te]* Lag. 29 *a te.*

hab. fuit] Etiam Vat. edit. *fuit habenda.* — *rem ita]* Sic Vat. item cetera in hac §. Sed *poterat* videtur servare.

§. 44. *in benef.]* H. om. *in.* — *isti simile]* Vat. *istius simile.* Ox. *similiter.*

se min. Met.] Sic Vat. Tum *fore putavit,* quod verum est. — *miserit]* Sic Vat. — *in benef. pop. Rom.]* Vat. (etiam editio) mendose *in beneficio Praetor hoc.* — *inductus]* Sic Vat. — *ex provincia]* Vat. *de prov.*

§. 45. *hornotini]* Huyd. *honortini.* — *ab Siculis]* Vat. *a Siculis.* — *negotiatoribusque]* Vat. *a negotiatoribus.* — *ad Marc.—patr.]* Om. haec Ox. — *Pompeium consulem]* Vat. *Pompeium tuum consulem,* ex quo Maius dedit *tum,* Huyd. *cos. designatos.* — *iudicium]* Vat. *iud.* Maius *iudices* dedit. — *haberet]* Lag. VI Par. C *haberent.* — *reliquerant]* Vat. *relinquerant,* ediditque admirabiliter Maius.

Titulus sic in Vat. *Cognoscite M. litteras. Epistula L. Metelli.* — *improbitate]* Sic Vat.

§. 46. *assequi]* Firmat Vat. sed in edit. *non solum* servatur. — *iud. dicam]* Sic Vat. sed is tamen *augendi criminis* alio verbb. ordine, et *ipse* omittitur certe in editione.

§. 47. *antea]* Vat. *ante.* — *uberrima — parte]* Ox. H. *uberrimas — partes.*

hae terrae] Sane Vat. *eae.* — *iugerum]* Vat. *iugorum,* quod hoc quidem loco probari possit, sed ille infra quoque cap. 21, ubi *iugerum* certissimum est, scribit *iugorum.*

§. 48. *et in earum]* Huyd. *tu mearum.* — *in eo]* Lag. 42 *modo.* — *reprehendenda]* Lag. 29 Par. B *reprehendunda.* — *legem]* Lag. 42 *legibus.* — *duriora]* Lag. 29 Par. B *dubiora.* — *interposuerit]* Lag. 42 *interposuit* et post *repudiaret.*

§. 49. *te non minu domum]* Lag. VI Par. C et edd. Aldina antiquiores *non minus te domum.* — *misisse]* Lag. 42 *ivisse.*

§. 50. *aud. hoc]* Huyd. *haec.* — *quin saepe]* Edd. ante Aldinam et codd. Lag. VI quin etiam 42 *qui.* — *existimarint]* Huyd. Lag. 42. 48 *existimarunt.*

§. 51. *esse praedatum]* Abest *esse* a Lag. 29 Par. B. — *ex eo]* Lag. 29 *ex isto.* — *iniqua]* Lag. VI Ox. et edd. ante Aldinam *in qua.*

§. 52. *paterere]* abest a Lag. 42. — *abs te]* Lag. 42 *absente.* Lamb. *totam abs te.* — *alienari]* Vat. *abalienari.*

§. 53. *incommodo]* Vat. *incommodi,* Maius *incommodis.* — *navus]* Lag. 42 *rarius* librarii errore. — *experientiss. ac diligentiss.]* Vat. tantum *et experientissimus.* — *arationes]* Lag. 42 *arationis.* — *non modo]* Vat. omittit *non.*

et numerum] Vat. quoque *ac numerum.* Tum Vat. *vobis iudices,* sed editur ex eo *consueverunt.* — *magnoque]* Vat. *magno SC.* — *ad nullam]* Vat. edit. servat *nullam ad.*

§. 54. *aequo vellet]* Vat. *vellet aequo.* — *despoliandum]* Vat. *spoliandum,* Lag. 29 *expoliandum.*

iste viros] Vat. quoque *dat iste* cet. — *Volusium]* Sic Vat.

§. 55. *colonus]* abest a Lag. 42. — *Xenonem]* Lag. 29 *Sinonem.* — *dabat]* Vat. *dat.* — *iudicium HS LXXX]* Vat. *iudicium IↃↃↃ.* — *accept. se]* Vat. *se accepturum.* — *audiret]* Vat. *adesset.* — *asservent]* H. *assueverant.* — *simul dixit]* Vat. *simul ait.* — *contemnere]* Vat. *contemturum.* — *adductus]* Lag. 42 *conductus.*

Menaeni] Sic Vat., item *Xeno.* — *si paret]* Vat. editio *si pareret.* — *esse plura]* Vat. quoque *plura esse,* et *ut.* — *id quod satis]* Vat. male *id quod satum.* — *Cossutius]* Sic Vat. — *maxima]* Vat. edit. servat *magna.* — *iudicetur — asservent]* Vat. edit. *iudicaretur — adservent.* — *iudicata sit]* Sic Vat. — *poenam]* Sic Vat.

§. 56. *Polemarchus]* Paris. A B *Polemachus est Myrgentinus.* — *medimna — decumae]* Lag. 42 *medumna — decimae.* — *medimna DCC]* Vat. *medimnae IↃↃↃ* atque edidit Maius, quod mireris. (Huyd. *medinna CICC.*) Ox. *medinam octingentae.* — *DCC medimnis]* Ox. *octingentis.* — *honest. civit.]* desunt in Vat.

concisus] Sic Vat., item *Eubulidas,* sed *Grospus.* — *sed etiam]* Abest *etiam* a Vat. — *non quantum deberet* cet.] Male Vat. *non quantum vellet sed quantum doceretur.*

§. 57. *postea cum]* Sic Vat. editio. — *Aetnae in foro]* Sic Vat.

§. 58. *vehementes fore]* Vat. *vehementius fore.* — *cor. iniurias]* Vat. *iniur. eorum.*

§. 59. *et gratiae]* Lag. VI et Par. C Ox. H. et edd. ante Nau-

ger. *gloriae.* — *qui quemadmodum]* Lag. 29 omittit *qui:* idem *auditis.* — *erepta]* Lag. 29 et Par. B omittunt.

coluit, his] Vat. *coluit, is.* — *At nullis]* Vat. *an ulli*, mendose. — *dixerunt]* Sic Vat. sed tollit *esse.*

§. 60. *Verum haec] Verum* abest etiam ab Huyd. — *tanta]* abest Lag. 29 Par. B. — *ferend. arbitr.]* absunt a Lag. 29. — *ulla]* abest a Lag. 29 Par. B. — *Quid si]* Vat. *Quod si.* — *quid a me amplius]* Vat. edit. *quid amplius a me.* Eadem *est* addit post *agendum.* — *quo maturius]* Lagom. plerique et Par. B *quam mat.* — *possimus]* Vat. *possim.* — *dimissum]* Lag. 29 Par. B *demissum.*

verum] Sic Vat. — *causa fuit]* Vat. *fuit* quidem habet, sed *casus* servat. — *magno ac]* Vat. *ac magno et.* — *ego illi]* Sic Vat. — *Atque ab]* Vat. *quo:* recepit Maius, ego uti non possum nisi ad confirmandam scripturam Lag. 29. Extrema sic exhibet Vat. *in foro. in custodiis Aproni retentum atque adservatum, ante dimissum, quam ad condicionem eius depectus est:* mendose *in* addit, *neque* tollit: sed probo *asservatum* et *depectus.*

§. 61. *res est]* Lag. 29 *est res.* — *cumque]* Lag. 48 et Vict. Hervag. *cum.* — *non daturum]* Absunt haec verba a Lag. 29 sed quoniam illae omissiones verbb. nimium frequentes sunt, nos in iis annotandis non amplius diligentes erimus. — *adducitur]* Lag. 42 *abducitur a Veneris usque adeo.*

Reliqua cum confirmet Vat. pro *commode* habet *postmodum:* et servat *e palaestra. Recubuisset*, quod Lambinum tradidi de coniectura dedisse, habet Vaticanus, atque ut illud non mutarim, sic hoc, si libri praebeant, amplector.

§. 62. *mehercule]* Lag. 42 *mehercle.* — *confricaret]* Ox. *profricaret.* — *Lollii]* Lag. 42 *Lelli.* — *faceret]* Lag. 29 *ageret.*

haec] Sic Vat.

§. 63. *audietis]* Etiam Ox. Huyd. *auditis.* — *et in primis]* Lag. 42 *ac.* — *dubitabat]* Huyd. *dubitat.*

§. 64. *intelligitis]* Lag. 42 *intelligetis.* — *perferre]* Etiam Huyd. *ferre.* — *intelligunt]* Lag. 42 *intelligant.* — *ecquem]* Huyd. Lagom. aliquot *et quem*, alii *te quem.* Verba *ecquem audistis* omitt. in Lag. 42.

§. 65. *sterni iub. eo voc.]* Oxon *ster. iub. evocari. sterni triclinia et in foro sterni.* — *inquinatiss]* Lag. 29 *iniquissimus.*

§. 66. *tract. quemadm. sunt]* Sic Vat., item quae sequuntur *iudices testimonia.*

§. 67. *Agyrinensis]* Huyd. *Aginensi* et mox *Aginensis.* — *locupletium]* Vat. *locupletum.* — *app. id est]* Ox. *apparitoribus eo.* — *omnes]* Ox. Huyd. *homines.*

civitas Siciliae] Vat. *Sic. civitas.* — *Qui cum eo]* Vat.

Qui cum apparitoribus eo et cum vi cet. — *aliam civit. occupare]* Vat. *in al. civit. occurrere.* — *homines et fortes satis]* Vat. *homines satis fortes et plane frugi.*

§. 68. *sese]* Vat. *se.* — *addituros]* Vat. *audituros.* — *Agyrii]* Huyd. *Agyri.* — *evocantur]* Huyd. *evocarentur.* — *praesto est Apr.]* Lag. 29 *Apr. praesto est.* — *respondebat]* Vat. *respondebant* — *reciperatores* — *dictum.* — *iniiciebat]* Vat. (ut semper) et Lag. 29 Par. B *iniciebat.*

hom. improbiss.] Sic Vat. sed servat vulg. *ille magno praesertim: cum* male omittit. Idem cum Lag. 42 damnat *quid rei esset.* — *iudicium]* Item Vat. *iudicio*, cf. App. ad II §. 60.

§. 69. *ingerebat]* Huyd. *ingerebant.* — *Artemidorum]* Vat. *Artemidolorum.* — *eiusmodi]* Vat. *huiuscemodi.* — *cond. pactionesque]* Lag. VI Par. C edd. ante Naugerium *pactiones conditionesque.* — *daret]* Vat. *darent.* — *adversus]* Vat. *adversum.* — *damnari* cet.] Vat. *damnari septu mavultis damnari dicebant.* — *rog. atque orare]* Lag. 29 *orare atque rog.* — *discederent]* H. *recederent.*

Artem. Cornelium cet.] Sic Vat. — *paret]* Sic Vat. — *quam rem]* Maius se scribit legere in Vat. *in qua re*, ipsum velle *de qua re.* — *dicebat]* Vat. editio *aiebat.* — *quinquagenis mil.]* Vat. *IↃↃↃ*, quod idem est. — *suus sibi]* Vat. edit. vulgatam servat.

§. 70. *condicio]* Huyd. *condictio.* — *edidisset]* Vat. *edixisset:* item post. — *ex edicto]* Vat. omitt. *ex.* — *dandum erat]* Lag. 42 *damnum*, 29 *damni.* — *quomodo]* Vat. *quando.* Huyd. *et qũo* pro *etiam. quomodo.* — *verum]* Vat. *vero.* — *arat. dedisset]* Vat. *dedisset arator.* — *venisse arbitretur]* Huyd. *devenisse arbitraretur.*

istius] Sic Vat. item *arator repetere* et *praetoria.* — *adversus]* Vat. *adversum s.* — *si damnatus eris]* Praeclare Vat. quod addit *atque adeo cum damnatus eris.*

§. 71. *quid imperarit]* Lag. 42 *quod.* Edd. principes Aldina superiores interiiciunt *nunc.*

§. 73. *imperato et]* Huyd. *in pacto.*

§. 74. *inspectantibus]* Ox. Lag. VI Par. C editiones Aldina superiores *exspectantibus.* — *publice test. dicere]* Lag. 42 omitt. haec verba. — *persequuntur]* Huyd. *persequerentur.*

te tantum] Etiam a Vat. abest *tantum.* — *persequuntur]* Sic Vat. (vere quidem *persecuntur.*)

§. 75. *antea]* Lag. 29 Par. B *ante.* — *et consulere]* Vat. omittit *et.* — *quo devert.]* Vat. *quod devert.*

modium $\overline{XVIII}$] Vat. *me. XXXIII MII ∞ ∞ X*, mox ubi idem numerus redit, *trit. M. CCIↃↃ IↃ* ... (i. e. cum la-

cuna trium quattuorve notarum) *XII M* ∞ ∞, corrupte. — *item istius]* Vat. edit. vulgatam servat. — *modium XXXVII milia* Vat. *M. CCIↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ ∞ ∞ CICCC.* — *hoc tantum lucri]* Sic Vat. — *cum iam]* Vat. *tum cum.*

§. 76. *ipsi]* omitt. Vat. — *mulieri]* Vat. *mulierem.*

modium XXV DCC] Vat. *M. CCIↃↃ CCIↃↃ IↃↃↃ CICCC*, quod idem est, tantum quod C accedunt. — *Sua praedonum]* Vat. edit. *praedonum* tantum. — *mod. XXI]* Vat. *M. XXVI CCIↃↃ CCIↃↃ* ∞ διττογραφία. — *accessionem]* Scribe nunc igitur *accessionis*, quoniam sic etiam Vat. — *pretiumque]* Vat. *atque*, atque idem nunc videtur in Lag. 42 esse. — *anno vero tertio]* Vat. edit. vulgatam tuetur. — *barb. reges]* Vat. quoque *reges barbaros.*

§. 77. *esse ducebat]* Etiam Ox. Huyd. *esse dicebat.* — *Pipa]* Huyd. *Pipera* et post *Piperae.* — *se ad]* Lag. 42 omittit haec verba. *usque eo]* Lag. 29 *eo usque.* Vat. *usque adeo.* — *efficere]* Huyd. *afficere.* — *metuebat]* Vat. *metuebant.* — *et eo magis]* Vat. *adeo magis* — *quod iam]* Lag. VI et Par. C *quo superioribus* et omisso *iam.*

ducebat] Vat. edit. *dicebat.* — *Pipa]* Sic Vat. — *pervulgatum]* Scribe *pervagatum* ex eo quod in Vat. est *pervagatum et pervulgatum.* Cf. annot. ad III, 56. — *recidisset]* Vat. quoque *resedisset.* — *supraiecit]* Vat. edit. vulgatam tenet. — *med. VIIIC]* Vat. corrupte *med. IↃↃↃVIII* ∞ ∞ ∞ *C D nimio* cet. — *afflicti]* Sic Vat. — *medimna DC]* Haec et reliqua Vat. corrupte *medimnum. Iubet in tabulas pro med. IↃↃↃ* ∞ ∞ ∞ *D referre DII IↃↃↃ* ∞ ∞.

§. 78. *Docimus]* (pr. loco) Lag. 29. 42 *Decimus*, VI reliqui *Demmis*, sed altero recte *Docimus* 29. Ox. *decumis.* — *ad quem iste]* Habent etiam Huyd. Ox. — *Tertiam Isidori mimi]* Vat. *TERTIAMIMISIDORIMI.* — *ac prope dicam]* Vat. *ac pro decimam.* Huyd. *ac p. dictam.* — *praetoris aemuli]* Vat. *praetores simul.* — *non tam]* Abest *tam* a Vat. editione. — *noluit]* Ox. *nolunt.*

deduxerat] Vat. *adduxerat.* — *imit. Apron.]* Servat Vat. edit. vulgatam et mox *tamen illi.*

§. 80. *animadvertistis]* Huyd. *animadvertitis.* — *ferendum]* Lag. 29 *ferundum.* — *illud]* H. *aliud.* — *praeterii]* Ox. *praeteriit.*

§. 81. *maiorum]* abest ab Huyd. — *dempsisset, hi]* Ox. *depressisset, in.* — *hi pecunias]* Ascens. *hi ut p.* Iunt. *ne pec.* — *concesserat]* Ox. Par. A B et Lag. praeter 42 omnes *concesserant.*

§. 82. *tibi tuam]* Abest *tibi* a Lag. VI et olim editis ante Naugerium. — *concedetur]* Lag. 27. 42 *conceditur.*

§. 83. *ab sociis]* Sic Vat. — *non eripiet]* Sic Vat. omittit tamen *sed.*

§. 84. *ac ferac.]* Vat. *et ferac.* — *interpr. hic]* Vat. *hic interpr.* — *emit]* Vat. *exiit.* — *lucri HS XXX]* Lamb. *lucri HS V.* — *vendidisses]* Lag. 42 *vendidisset*, item editiones vett. a Naugerio usque ad Lamb. repet. in qua mendum sublatum est.

genus totum] Vat. editio ut vulgo. — *medimnis DC]* Vat. *med. CIƆ*, falso, et infra verum est CIC: sed *med.* ubique recte.

§. 85. Verba *Rec.—Liparensium* desunt in Vat. relicto spatio vacuo. — *nummi]* Vat. *numina.* — *Haec tam]* Huyd. *hoc tam.* — *atque a]* Deest *a* etiam in Huyd. — *posita]* Vat. addit *in loco.* — *aliis]* Vat. *ais.* — *condonaras]* Lag. VI Par. C Oxon. editiones veteres ante Aldinam *condonares.*

piratis—ante te pract.] Vat. cum Lag. 42 facit.

§. 86. *Tissensibus]* Vat. *Atheniensibus.* — *et tenui]* Codd. mss. nostri etiam Vat. praeter unum Lag. 42 *ac tenui.* — *An. secundo]* Ox. *an. quinto.* — *peculii]* Ox. *peculiis.* — *dubitate]* Lag. 42 *dubitare.* — *sibi acceperit]* Lag. 29 *accep. sibi.* Huyd. om. *sibi.*

vero] Vat. et hoc, et *sed*, et *omnino frumenti* cum Lag. 42, sed tamen servat *accedant*, saltem editio.

§. 87. *apparitores]* Oxon. *aratores.*

§. 88. *M. Caesio]* Praenomen est N in Lagom. VI et 42 et edd. antiquioribus Aldina, tum *Cessio* Lag. 42. *Cisio* VII reliqui praeter 27, sed paulo post *Cisio* unus 29. *Gdosio* Lag. 42. *H. Cesio* Huyd. — *Heraclio]* Paris. B et Lagom. omnes praeter 42 *Heracleo.*

§. 89. *tenues]* Lag. 42 *tenuis.* — *medimnis]* Lag. 29 *meas.* — *medimnis DCCC]* Ox. *med. noningenta*, Huyd. *medimna DCCCC.* — *servo Venerio]* Lag. 29 *Ven. servo.* — *perveniret]* Lag. 42 *pervenerit.*

§. 90. *cum esset medimnum]* Lag. 42 frequenti confusione *mod.* (sic.) — *pecuniam ereptam]* Oxon. *Petrinio.*

§. 91. *huic eidem]* Lag. 29. 42 Par. A B mendose *idem.* — *pecuniae]* abest a Par. C. Lag. VI et edd. Aldina antiquioribus. — *fraudi et]* Lag. 29 Par. B *fraude ac.* Lagom. omnes praeter 42 et Par. C *ac.*

§. 93. *pro decuma]* omittuntur in Lag. 42, bis ponuntur iterum post XVI mil. in editionibus Aldina superioribus. — *Annaeus]* Lag. 5 27. Ox. *amicus.* — *Venerione servo]* Edd. ant. ante Naug. *Venerio servone.*

§. 94. *magistratus]* abest a Lag. VI Par. C. Ox. et edd. Aldina prioribus.

§. 97. *istius anno]* Lag. 42 *isti an.*

§. 98. *esse quiddam]* Lag. VI Par. C *esse quoddam.* — *quasi]* Lag. 42 *qua.*

§. 99. *incidere]* Lag. 42 *incideret.* — *liceri]* Lag. 29 et Par. B *licere*, sed suprascriptum in hoc *liceri.* — *quoad]* Huyd. Ox. Lag. deteriores praeter 45 et edd. principes *quod.* — *ex quo]* Lag. 42 *ex qua.*

§. 101. *fecerant]* Lag. VI *fecerunt* item edd vett. usque ad Lambinum. — *Theomnastus]* Lag. VI et 29 et edd. principes *Theonastus.*

§. 103. *iam orat.]* Abest *iam* a vetustissimis edd. et Lag. VI, item *que* post *fugiendam.*

§. 105. *ipsi]* abest a Lag. VI Par. C item edd. vetustissimis.

§. 106. *omnia]* Abest a Lag. VI et edd. vetustioribus Aldina. — *de insolentia]* Lag. 29 Par. B *de permissa ab isto licentia.* — *satis magno]* Lag. VI Par. C edd. vetustiss *sociis.*

§. 109. *aut incredibile]* Lag. 42 *autem incr.* — *est iud.]* Lag. 29 *iudices est.* — *Mnasistrati]* Lag. 42 *Nasistr.* sicut supra *Theonastus.* — *ulla nocere]* Lag. 29 *nulla nocere.*

§. 110. *me Leont. cir.]* Lag. 27. 29 Par. B. *Leont. civitas me.* — *reperiunda]* Sic primum edit. Gruteriana et habent Lag. 29. 42 Par. A B. Antea *reperienda.* — *hoc possum]* Lag. 29 *possem hoc*, Lag. VI Par. C et editt. vetustissimae *hoc possim.*

§. 112. *nullas]* Lag. VI edd. vetustiss. *nullus.* — *decumo]* Lag. VI praeter 14 *decimo.* — *tum fit]* Olim *fuit* ante Naugerium, quod et legitur in Lag. VI praeter 45 Par. C, *tamen* Lag. 42 perpetua confusione.

§. 113. *medimnis dec.]* Olim editi ante Aldinam et Lag. VI cum 27 et Paris. B C *medimnos.* — *immo tum]* Lag. 42 *nimio cum.*

§. 114. *legarunt ad Apr.]* absunt a Par. A B Lag. 29. — *et testem]* Abest *et* ab iisdem.

§. 115. *eos appell.]* Lag. 42 *et app.* — *eripuit]* abest a Lag. 29. — *de fructu]* Abest *de* a Lag. VI Par. C.

§. 116. *qui minimum]* Huyd. *qui nimium.*

§. 117. *Artemidarus Cornelius]* Lamb. *Artemidotus;* edd. ante Ald. omitt. *Cornelius.*

§. 118. *HS D milia]* Editiones Aldina superiores et codices deteriores *Sestertia D milia.*

§. 119. *alia praeterea]* Lag. 42 *aliqua.* — *arationibus]* Lag. 42 *aratoribus.*

§. 120. *accidit]* Etiam Huyd. habet *actum est.* — *Mutycensis]* Ox. *Mutinensis.* — *hunc tot]* Abest *tot* a Par. A B Lag. 29. Tum Lag. 29 *reposcit et desiderat* inverso verborum ordine, et *Herbitessis* Lag. 42. — *extorres prof.]* Lag. 42 inserit *se.*

§. 121. *inanior cum]* Edd. vetust. ante Aldinam interiiciunt *factus.* — Item *peraeque hoc* alio verborum ordine. — *reliqui—eos]* Lag. VI Par. C. edd. ante Aldinam *reliquit*, et omittunt *eos*, nec tamen *fecerat.*

§. 122. *iudices si]* Absunt a deterioribus codd. et editionibus vetustis. *Iudices* quidem e Nanniano primum adiectum, sed est in Par. A B Lag. 29. 42. — *atque defend.]* Unus Lag. 1 sed et editiones Aldina antiquiores *ac def.* — *quid vultis]* Lag. 42 *multis*, 29 *voltis.*

§. 123. *M. Mummium]* Deest *M.* in Par. C Lag. VI praeter 14 et in edd. vetustis. — *lege Hier. vendidisse quid scribit se]* Haec

verba, videlicet inter utrumque *se* interiecta, omittuntur in Lag. 42. — *se per istum]* Lag. 42 *se per ipsum.*

§. 124. *quam* ante *plurimo* abest a Lag. 29 Par. B. — *tandem]* Lag. 29 et edd. vetustae *tamen.*

§. 125. *nost. patr. mem.]* Huyd. *nostram primumque memoriam.* — *in ea prov.]* Lambinus ex Nonio Marcello s. v. interitus *in eadem.* — *incolumis]* Ox. *in coloniis.* — Post *internicio* Lag. 5. 27 et edd. ante Aldinam. — *per litteras]* Lag. 29 Par. A adiiciunt *publicas.* — *abitum]* Codd. propemodum omnes *habitum.* — *reperiretur]* Lag. 27. 42 *reperietur.* — *araret]* Lag. 27 *aret;* 42 *ararent.*

§. 126. *iugul. esse non sentis]* Edd. vett. pleraeque et codd. vulgares verba *esse non* omittunt, Iunt. Lamb. *esse* tantum. — *prope lugubri]* Lag. 42 non *prope* sed *que*, et mox *calamitates provinciae.*

§. 127. *eiectos]* Ox. *eiectores.* — *scribit Metellus — desertas esse]* absunt ab Huyd. — *desertas esse]* Par. B Lag. 29 *esse desertas.* — *in posteritatem]* Lag. VI Par. C edd. Ald. superiores *in potestatem.*

§. 128. *qui tamen]* Edd. vetust. ante Ald. *qui tum.* — *revocabuntur]* Lag. VI Par. C *revocabantur.*

§. 129. *Dioclem]* Huyd. *Diodenem.* — *nuntiatum]* Lag. 42 *nuntiatus.* — *decumanum prof.]* Edd. principes usque ad Aldinam et codd. plerique omnes (praeter Lag. 42) *decumarum.*

§. 130. *audit]* Vat. a pr. manu *audivit.* — *antea]* Vat. *ante.* — *praecipuum]* Lag. 29 *perspicuum.* — *perseq.]* Lag. VI *prosequendum.* — *tardaret]* Lag. 29 *retardaret.*

illud patercre] Vat. tamen *illud pertinercre*, et *contendendum.* Sed ex illo uno nunc recipiam *elaborandum*, cf. ad IV, 38. — *conctur]* Sic Vat. — *milliens]* Vat. *miliens.*

§. 131. *nummarium]* Lag. 42 *immane*, mox pro *quo ex* Paris. A B et omnes Lagg. praeter 42 *quod ex*, Par. C *quod quidem ex.* — *tamen perpeti]* Lag. 29 inserit *et.*

§. 132. *fremebat]* Lag. VI Par. C. edd. principes *tremebat.* — *prospiceres]* Lag. 29 Par. B *prospicias.* — *hoc aut]* Huyd. *hoc autem.*

§. 133. *natum]* Ox. *notum.*

§. 134. *commode]* Ox. Huyd. *commodi.* — *tui capitis]* Abest *tui* a Lag. VI Par. C edd. vetustis ante Ald.

§. 135. *ades]* abest a Lag. VI Par. C, sed est in editis.

§. 137. *eiurat]* Vat. ubique *eierat.*

§. 138. *hic]* Vat. *id.* — *se abs.]* Vat. *absolvi se.* — *sese]* Vat. *se.* *O* abest etiam a Vat. Sed *iudicavit* servatur. — *si tu]* Vat. cum Lag. 29 facit. — *alium]* non est in Vat. — *abs te]* Sic Vat., item *rem* habet.

§. 139. *intelligat]* Vat. *intellegit.* — *tuam]* om. Vat.

§. 140. *vituperationem — in iudicium]* Absunt a Par. B et gemino

eius Lag. 29. — *dictitarat]* Huyd. *dictitaret.* — *atque discrim.]* Vat. interponit *in.* — *ut in Apron.]* Abest *ut* a Lag. VI Par. C Huyd. edd. principibus.

utrisque] Servat Vat. editio. — *estne* cet.] Sic Vat. — *ab se — propulsare]* Sic Vat. — *HS V]* Vat. *IↃↃ*, sed adiicit *nomine.*

§. 141. *de societ.]* Codd. deteriores *sed soc.* Iidem non *fictum* sed *factum* habent simul cum edd. Aldina superioribus. — *et te]* omitt. Vat.

tute] Sic Vat. sed *confiterere.* — *si qui]* Vat. edit. vulgatam *quis* servat. — *potestis]* Sic Vat. sed *ex hoc* servat. — *de prov. apportatum]* Vat. *ex prov. deportatum.*

§. 142. *illud intell.]* Sic Vat. — *in prov.]* Vat. ut vulgo fit addit *sua.*

§. 143. *aliquis]* Vat. *aliqui.* — *similibus]* Vat. *millitibus.*

ac iud.] Vat. edit. tuetur *et* et postea *atque.* — *cum tanta praemia]* Vat. tollit *cum.*

§. 144. *quis]* Vat. *qui.* — *erit aliquis]* Lag. VI Par. C Ox. edd. vet. *erat — posset*, et post *attulit.* — *quo vobis]* Oxon. *quod vobis.* — *ea dictitare]* absunt a Lag. 42.

commov.] Sic Vat.

§. 145. *dicturos]* Oxon. *ducturos.*

§. 147. *verbo decumas [vend.]* Lag. VI deteriores et Par. C et editiones ante Aldinam verba male sic collocant: *decumas verbo vend.* — *venirent]* Lag. 29 Par. A B *venderent*, Lag. VI Par. C *viderent.* Edd. tamen veteres recte. — *venierint]* Lag. 42 *venit.* Idem post cum Lag. 45 pro *veneunt* mendose *venerunt.*

§. 148. *dico]* Lag. VI Par. C Huyd. edd. ante Naug. *doceo.* Tum iidem fere *cum suis similibus.* — *abiret]* Edd. princ. et Lag. VI Par. C Huyd. *abirent.*

§. 149. *tu commotus]* Abest *tu* a Lag. 29 Par. B.

§. 150. *novis edictis]* Lag. VI Par. C edd. princ. ante Aldinam *edictis novis.* — *tantum lucri]* Edd. illae et Lag. 5 *lucrum.*

§. 151. *potuerit]* Lag. aliquot deteriores et edd. princ. *potuere.*

§. 152. *Tenetur igitur]* Huyd. nec *igitur* nec *ergo* habet. — *quid vultis amplius]* Vat. *quid amplius voltis.* — *aut metum]* Vat. *et metum.* — *per vim]* Abest *per* ab edd. illis et Lag. VI Par. C.

Gallus] Sic Vat. et *reddidisset*, et *ab* quemadmodum Lag. 42. — *nostri]* Vat. *vestri.*

§. 153. *noluerit]* Vat. *noluit*, idem *praeiudicaret*, et *iudicaret.* — *nihil erat quod]* Edd. princ. *quo* cum codd. deterioribus, *qui* Par. B Lag. 29. Mox *illum* pro *ullum* Lag. 42, et *Verri.* — *praeiudicium]* Vat. *praeiudicio.* Oxon. *iudicium.*

ipse] Vat. edit. *ipso.* — *statueret]* Vat. *statuerat.*

§. 154. *nos Syracusis]* *nos* abest ab Huyd. — *Timarch.]* Vat. saepe mendose *Thim. Tym. Timarcides.* — *significat]* Vat. *significant.* — *R. epistolam]* Vat. *R. epistula.* — *quod adscribit]* Vat. *cum scribat.* — *sibi hoc]* Vat. *hoc sibi.*

Timarchidi] Vat. tamen *Timarchidis*, idem vulg. *perorabo* servat, et omittit nominativum *Timarchides:* item cum vulgaribus *sumant.* — *ad praet. exist.]* Sic Vat. sed idem mendose *tenet.* — *atque eloq.]* Vat. quoque omittit *atque*, sed tum *eloquentem.*

§. 155. *qui plurimum]* Vat. interponit *primum.* — *atque furtis]* Vat. *in* interiicit. — *in coh. car.—est hoc]* Haec om. Huyd. — *vestram cohortem]* Huyd. *vestra cohorte.* — *praecipit]* Edd. ante Aldinam et codd. Lag. VI Huyd. Oxon. Par. C *praecepit.*

illum non putem] Sic Vat. et *tanto opere.* — *redundarit]* Sic Vat. editio, et *recentis*, sed h. l. *Vulteio.* — *mi frater]* Vat. omittit *frater*, eam ob causam corrigunt deteriores. — *haberere]* Vat. *haberis.* — *quod cuique opus est]* Vat. *quod quidquid opus sit.* — *oportere]* Vat. *oporteres*, unde M. dedit *oportet*, sed codex saepissime mendosus, ut qui proxime ante etiam *dominationes* exhibeat.

§. 156. *non hoc]* Vat. editio *non ii hoc.* — *Hoc vero]* Lag. 42 *Nec vero.* — *iam]* om. Vat. editio. — *ac despici]* Huyd. *et despici.* — *vos effic.]* Abest *vos* a Lag. 29 Par. B. Iidem libri *auferre* pro *a Verre.* — *Inculcatum]* Lag. 42 *inculcatis:* idem *avertisse* et *averterat.*

corr. pecunia] Vat. *pec. corrumpi*, item *coniect. domestica*, nec *et* addit, sed vulg. servat. — *ludibundos]* Vat. *multa lubidinosa*, item post *ludibundi quae volebatis* omittit. — *omnes ei]* Vat. interponit *enim.*

§. 157. *ad crimen aliquam]* Lag. 42 *crimen ad illi quam.* — *eius aures]* Vat. ed. omittit *eius.* — *videsne]* Vat. om. *ne.* — *et accensus]* Vat. *est acc.* — *proximus]* Lag. 29 (non Vat.) *proxumus*, et post *volgo* uterque antique. — *sudabunt]* Lag. 42. 48 *suadebunt.* — *Quod istuc]* Vat. *quid* et a pr. m. *istum*, ab alt. *istud.* — *accensus]* Vat. *accessus.*

concedisne] Vat. *concedesne* tuetur: ordinem verbb. hunc facit: *hoc crimen in te nos non.* — *si dii volent]* Vat. *si dolunt.* — *ac litt.]* Sic Vat. — *vobis iud.]* Vat. *iudices vobis epistulam.* Vulgo *iud. epistolam vobis.* — *nisi ut]* Servat etiam Vat. *ut.*

§. 161. *pudens]* Huyd. *prudens.* — *Nunc]* Huyd. *hunc.* — *substituisti]* Huyd. *substitisti.*

§. 162. *debet]* Huyd. *debent.* — *ego istum]* Abest *ego* a Lag. 29,

Idem cum Par. B mox *isti* omitt. — *diff. est]* Lag. 42 om. *est.* — *si ut nunc]* Lag. 29 Par. A B *ut si nunc*, Lag. 42 *si cui nunc.*

§. 163. *aequaliter]* Huyd. *aequabiliter.*

§. 164. *exhausto]* Lag. 42 *inhausto*, 29 *inexhausto.* — *avertisse]* Huyd. Edd. princ. usque ad Aldinam et codd. deteriores *revertisse.* Lag. 29 *advertisse.* — *habebo]* Lag. 42 *habeo* et post altera manu adiicitur *si* ante *meminero.* — *accusatorie]* Huyd. *accusatori.*

§. 165. *furtorum]* Lag. 42 *fructum.*

§. 166. *autem hoc]* Lag. 29 *enim*, et deest *hoc* in Lag. 29 et Par. B. — *tractati]* Ambo hi *tracti.*

§. 167. *iuvisset]* Vat. *iussisset.*

§. 168. *Vettius]* Huyd. ubique *Vectius.* — *fer. non putant]* Huyd. Lag. 42 *putavit.*

usura publ.] Sic Vat. — *usura]* Sic Vat.

§. 169. *re]* Vat *res.* — *ad haec]* Lag. VI Par. C edd. ante Aldinam *hoc.* — *convincare]* Vat. *conviucere.* — *Si mehercule]* Lag. 42 *hercle* et omittit *si.* — *accepto]* Vat. *acceptam.*

praetorem in prov.] Sic Vat. sed idem tamen *hercule*, et *tuam pecuniam.* — *fortasse est]* Vat. quoque om. *est.*

§. 170. *Siciliae civitates]* Par. A inserit *hae*, Lag. 29 et Par. B *haec.* — *Halesina]* Huyd. *Helesina.* — *quanti]* Vat. *quantam.* — *cum hoc mihi]* *hoc* abest ab Huyd.

Halesina] Nomen per *ae* diphthongum admodum constanter scribitur in Vat. solo: sed tamen et infra §. 192 *Halesam* est, et lib. IV §. 17 *Alesina:* apud Strabonem est Ἄλαισα, apud Diodorum compluribus locis Ἄλεσα, uno in Excerpt. legatt. lib. XXIII Ἀλαισῖνοι leguntur. Itaque dubitatio relinquitur, sed malim tamen iam et ipse *ae.* Postea Vat. *Halaese* (pro olim vulg. *Halesiae*). — *sexagena]* Vat. *LX M.* item postea numeros habet. — *obstupui]* Vat. quoque *obstipui.* — *publice]* Vat. quoque *publicam.*

§. 171. *Demonstrat]* Vat. *demonstravit.* — *ac rationem]* om. Vat. — *copia decumarum]* Vat. *pecunia decumanorum.* — *quantum frumenti esset]* Vat. *quantum esset frumentum.* — *Romam]* Vat. *Romae.* — *rationes]* Vat. *rationem.* Ox. *post orationes.* — *nullum]* Edd. princ. et codd. deteriores *nullam.* — *dedisse]* Lag. 42 addit *te*, mendose. — *Volc. Tim. scribae]* Vat. *Timarchidi et Volcatio scribae*, male cf. ad 75 extr. — *cum suum probasset]* Vat. interponit *frumentum.* — *ei]* ante *frumento* om. Huyd.

debeat] Sic Vat. bis. — *a civitat.]* Sic Vat. sed idem mendose *auferet.*

§. 172. *quod mittis]* Vat. *quem mittis.* — *peculiarem]* Huyd. *peculiares.* — *horum]* Huyd. *eorum.* — *posset]* Vat. *possint*, Ma-

ius *possit.* — *quid acciderat]* Lag. 42 *quid accidebat.* — *dubiumne est]* Vat. omitt. *ne.*

Siculorum] Sic Vat. — *aut cum]* Sic Vat. idem *aut Syria.* — *missur. es]* Sic Vat. tantum quod mendose *esses.* — *Therm. Cephal.]* Vat. tamen editio vulgarem ordinem verborum habet, nescio quam recte. — *ut neque tibi]* Vat. *quod numquam antea, quod neque tibi.* — *eiusdem]* Sic Vat. et *improbaretur.*

§. 173. *ab his]* Vat. *ab aliis.* — *medimna singula]* Lag. 42 *medimnis singulis* mendose. — *litteris]* Vat. *libris.* — *emi]* Vat. *emere.* — *eo acervo]* Huyd. *eodem acervo.* — *decumarum]* Vat. *decumanorum.*

improbis] Vat. edit. *improbas* tuetur. — *ei civ. imperas emendum]* Vat. *emendum* quidem habet, sed *ei* non habet nec quae sequuntur *dubium est quid egeris.* — *qua est]* Sic Vat. sed mox non repetit *ista.* — *et ex]* Sic Vat. — *pecuniam]* Sic Vat. — *Utrum enim]* Sic Vat. sed adiicitur tamen in edit. *te.* — *a Siculis]* Sic Vat.

§. 174. — *HS XXI]* Oxon. *HS duodecim.* — *enim est]* Huyd. om. *est.* — *aestimatus]* Ox. *extimatus.* — *sed fuerit]* Huyd. *se fuerit.*

§. 175. *civitatum]* Vat. hoc quidem loco *civitatium.* — *nihil fictum]* Vat. inepte *nihil a te fictum.* — *dic, dic]* Vat. Lag. 29. 42. Huyd. semel tantum, item repet. Lambiniana et ex ea Gruterus.

et ex litt.] Vat. edit. non habet *et*, nec *intelligetis*, sed *intellegitis.* — *Rec. rationes]* Leguntur haec in edit. Vat. — *inspexi]* Vat. edit. servat vulg. *aspexi.*

§. 176. *sed tamen]* Vat. omittit *tamen.* — *a civitate]* Vat. *a civitatibus.* — *ista te]* Paris. C et Lag. VI praeter 27 *ita te.* — *nisi uti]* Vat. edit. *nisi ut.* — *emptum]* Lag. 27 *emptitium.* — *poena abfuit]* Lag. 29. 42 *p. adfuit*, Vat. Paris. A B (pr. m.) *poenam fuit.* — *licentia]* Vat. solito mendo *licentiam.*

ac potius rel.] Sunt haec et quae sequuntur etiam in Vat. sed *et* (ante *iniquitatis*) omittitur, et pro *confessio non* mendose scriptum est *confessione.* — *publicam]* Vat. tamen addit *pecuniam.* — *iucund. improbis]* Sic Vat.

§. 177. *Sed nunc]* Lag. 29 *si nunc.* — *omnis pecunia]* Lag. 42 *omnia* et abest *pecunia.* — *cum Dolab.]* Lag. 42 *cuma Dolobella.* — *nec leviter]* Edd. princ. et pauci codd. *ac leniter.*

§. 178. *illa]* Abest a Lag. VI Par. C edd. Aldina superioribus. Post verba *Carbonem et in* mendose propter repetitam praepositionem omittuntur in Lag. 42. — *omnes fructus agri decumani]* Lag. 29 *omnis*, 42 *agri* omittit, et habet *decumanam.*

§. 179. *ereptum]* Ox. *reemptum.* — *sed bis]* Haec omittit Ox.

§. 180. *nolueris]* Lag. 42 Huyd. et editiones Aldina antiquiores *volueris.* — *vide]* Edd. eaedem *inde.*

§. 182. *non me fugit]* Vat. *non praeterit.* — *civitat pecun.]* Vat. ordinem verbb. invertit. — *nummum nullum]* Abest *nullum* a Lag. 29 Paris. B. — *deductum]* Vat. *decum.* — *mihi totum]* Lag. 29 Par. B *totum mihi.* — *postulassent]* Vat. *possent.*

aut ullo iure sit] Vat. non facit cum Lag. 42. — *quid ego]* Item Vat. *ergo.* — *hoc a me]* Sic Vat. editio, sed tamen servat *umquam omnino* (cod. *omni*).

§. 183. *operae]* Vat. *operis.* — *aut opportunitatis]* Edd. vett. ante Aldinam, Ox. H. Paris. C Lag. praeter 42 omnes *aut opportunitas.* — *tabular]* Vat. *tabellae.* — *velint]* Lag. VI Par. C Ox. H. edd. vett. *valent*, iidem mox *intelligitis.* — *omnes]* Vat. *omnibus.*

et non potius] Mendose Vat. *non mulio plus qui advexerit.* — *aut Venerius]* Sic Vat. — *cur ei non* cet.] Sic, ut editur, Vat. editio. — *patribus familiis]* Sic Vat. — *rem novam]* Vat. edit. tamen *novam rem.*

§. 184. *noli hos]* Huyd. *noli hoc.* — *colligere]* Vat. *corrigere.* — *explosorum]* Vat. *exspilosoporum.* — *se venisse]* Vat. *evenisse.* — *disceptatores]* Vat. *disceptatorem.* — *esse mol. ferunt]* Vat. *mol. ferunt esse.* — *tametsi cum]* Vat. interiicit *id.* — *mirabimur]* Vat. *quid mirabimur.* — *licet pretio]* Vat. *proelio licet.* — *permissu]* Vat. *permissum.* — *ferre quemquam]* Vat. *quemq. ferre.* — *civitate]* Huyd. *civitati.* — *HS uno nomine terd.]* Vat. *S terdeciens uno nomine.*

donis] Sic Vat. quamquam M. in textu *bonis.* — *turpes aliquos ibi esse]* Vat. *turpis esse aliquos.* — *terdeciens]* Sic Vat. — *HS III milibus]* Vat. *SVIIIM.*

§. 185. *videbatur]* Lag. 42 *videatur* — *Cossutium]* Huyd. *Confutium.*

impudentia nova] Vat. tamen edit. servat *praedita;* nec in ea comparet *etiam.* — *excellentem]* Sic Vat. editio. — *Castritium]* Vat. *Crasticium*, quemadmodum id nomen scribendum esse nuper in progr. Giessensi a. 1830, quo disputatur de loco ex oratione p. Flacco c. 31, Fr. Osannus docuit. Sic igitur facias velim.

§. 186. *quid haec]* Huyd. Lag. VI edd. principes *quid hoc.* — *an quod ager]* Omittit *an* Vat. et Lag. 42, idem post abiicit *te* et *male gestarum*, et *est* post *anulo.*

trium] abest a Vat. — *dicenda]* Sic Vat. — *ac manub.]* Vat. editio servat *aut.* — *praes. propugn.]* Sic Vat.

§. 188. *aestimato]* Lag. 29 *aestumato.*

§. 189. *aut]* Edd. ante Aldinam et Lag. deteriores *ut.* — *gratiae]* Lag. 42 *gratia.* — *consuet. aestim.]* Lag. 42 *existimationis.*

§. 190. *existimatio]* Huyd. *aestimatio.* — *velint, frumentum]* Lag. 42 *vellent*, 29 Par. B *fructum.* — *fecerint]* Vat. *fecerunt.*

§. 191. *nunc abs te]* Vat. *abs te nunc.* — *collaturus] collocaturus* Lag. VI Ox. et edd. principes Ald. Hervag., sed in Vict. correctum est. — *Ita credo]* Vat. *Hoc credo.* — *HS ternis]* Vat. edit. *ex ternis*, mira fide in mendis: — *vecturae]* Vat. *vectura.* — *ne port.]* Lag. 42 Oxon. et nonnullae editt. vett. *ve* mendose. — *Philomelione]* Vat. *Philomelo.* — *tantum]* Vat. omittit, item *in* ante *Phryg.* et *aut.*

cum utris] Item Vat. *cum utrisuc.* — *petisse]* Sic Vat. — *den. ternos]* Vat. editio ut vulgo *tern. den.* — *hoc non]* Etiam Vat. interiicit *cum.*

§. 192. *maxime]* Vat. *maxima.* — *ad aquam tibi id quod]* Vat. *ad aquam quot sumi* (sic). — *Phintiam]* Oxon. Lag. aliquot et edd. pr. *Pluetiam*, alii *Plutiam* — *eodem]* Vat. edit. *eo.* — *aestim.]* Vat. *existumationis.* — *accipiat]* Vat. *accipiant.* — *vehere]* Vat. *veneri.* — *tantidem]* Lag. 42 *tantum*, Vat. *tanti.*

eiusm. est] Sic Vat. — *opus est]* Vat. quoque *est opus.*

§. 193. *in aest.]* Huyd. *ex aest.* — *a volunt.]* Vat. *voluntatem.* — *Tu]* Lag. 42 *tamen.* — *par. sim]* Huyd. *par. sum.* Idem post *angulum* addit *atque.* — *reconditum]* Lag. 42 *reditum.*

si vis] Sic Vat. sed servatur in edit. *oportet.* — *ac sent.]* Sic Vat.

§. 194. *ferendum]* Lag. 29 Par. A *ferundum.* — *vindicatum]* Huyd. *iudicatum.* — *tamen ego hoc] hoc* abest ab Huyd. — *ferri]* Lag. 42 *fieri.* — *quibusvis]* Lag. 42 *quibus.* Huyd. *quibus suis.*

§. 195. *ex aer. pec.]* Lag. 29 *pecuniam ex aerario.* — *solveres]* Vat. *persolveres.* — *emisses]* Lag. 42 *emisset—rettulisset.* — *quanti]* Lag. 29 *quanta.* — *enim est fere]* Vat. omittit *est.* — *facere]* Vat. *fecere.* — *si non]* Vat. *sin.* — *quid est]* Huyd. Ox. Paris. C et Lagom. omnes praeter 42, item editt. ante Aldinam *quidem.* — *si non bonam at]* Lag. 42 *summam ad.*

prompsisset] Etiam Vat. *promisisset.* — *erat aliqui]* Sic Vat. — *improbe]* Sic Vat.

§. 196. *Optime]* Codd. antiquarii Par. B et Lag. 29 *optume*, soli de nostris, ut mirer etiam edd. vett. habere. H. *opportune.* — *ac lib.]* Lag. 42 *fac lib.*

§. 197. *aufers]* Huyd. *auferes.*

§. 198. *tulerat]* Lag. 29 Par. A *tulerit.* — *pro alteris] pro om.* Huyd. — *omni lacerab.]* Lag. 42 *omnia lac.*

§. 199. *tamen]* Deest in Lag. VI Par. C edd. ante Nauger. Iidem *socium* pro *solatium.* Mox pro *reparare* edd. eaedem sed non codd. *recuperare.* — *quaerit]* Edd. vetustae (non codd.) *quaereret.* — *quamquam]* Vat. *quam.* — *dent]* omitt. Vat. editio.

ut det] Vat. edit. servat *ut daret*, sed tum *exararat.* —

atque] Sic Vat. sed *omne instrumentum.* — *habet in urb.]* Vat. ut vulgo *habet idem in urbanis.* — *aliquid]* Vat. *ius aliquod.* — *hominis]* Sic Vat. — *illi quoque]* Vat. recte *illi quoque homines sunt.* — *in remp.]* Vat. *in rep.*

§. 200. *ex vestris]* Vat. inserit *impensis, ex vestris.* — *Addite — addite]* media omittit Vat. — *placetne]* Vat. *placet.* — *gratis dare]* Vat. *dare gratis.* — *quid iniquius]* Vat. *quid hoc iniquius.* — *Entellinus]* Huyd. *Entelenus*, et infra *Entelano.* — *Menisco]* Huyd. *Menisto.* — *in cell. gr., ne posthac]* Huyd. *gratis in cellam ut post hoc.*

magistr. vetris] Sic ait Maius in edd. esse, ipse tanquam e cod. edidit *nostris.* Videtur contrarium voluisse. — *atqui]* Vat. *atq.* — *Verre praet.]* Sic Vat. — *Sositheus]* Sic Vat.

§. 201. *non ad aequi.]* Vat. *non aequitate.* Ox. H. Paris. tres, Lag. praeter 42 omnes *non ad aequitatis conditionem.* Primum correctum est ex Fabric. in marg. Lamb. repetitae. — *Verri suae partis]* Vat. *Verris ea partis.* — *potest]* Lag. 42 *posse*, idem *nostri magistratus* quia etiam pro *populo Rom.* habet *pr.* — *si sine]* Vat. omittit *si.*

certe] Vat. tamen *certo.* — *quanto op.]* Sic Vat. — *mille mod.]* Vat. editio *modium.* — *HS VIII milia]* Vat. *S. VII. M.* — *magna enim]* Vat. *magna est enim*, utroque coniuncto. *Id* servatur in editione. — *possumus]* Sic Vat.

§. 202. *in uno]* Vat. *in isto.* — *pecun. est]* Vat. *est pecunia.* — *emeres]* Bis Lag. 42 *emeris.* — *in cellam]* Lag 29 Par. B *in cella.* — *aufers]* Lag. 42 *auferes.* Idem *eo* omittit. — *et refer]* Vat. om. *et.*

constituatur] Sic Vat. — *ternos X]* Vat. *ternos denarios.* — *iam refertius]* Vat. edit. servat *tum.*

§. 203. *At]* Lag. 42 *an.* — *aest. intuo]* Huyd. *aest. aut in tuo.* — *et ea quam]* Huyd. *et eam quam.* — *differat]* Huyd. *differant.*

istam se cellam] Vat. nec hoc loco neque post *se* habet.

§. 204. *Sophocles]* Vat. *Sosippus.* — *et cop.]* Sic Vat.

§. 205. *captam]* Huyd. *raptam.* — *an com.]* Lag. 42. 48 *ac.* Mox pro *tu* Lag. 42 *tum.* — *atque in]* Lamb. repet. Grut. Graev. *an in.* Huyd. om. *atque.* — *hab. se]* Lag. 29 *se habuit.*

§. 206. *in hoc uno]* Vat. omittit *uno.* — *gravissime]* Vat. *gravissimum.*

alii quidem] Vat. *alii quid.* — *hom. alium]* Sic Vat. — *quoque etiam]* Sic Vat., Maius variam lectionem in textum receptam putat. — *relinquetur]* Sic Vat.

§. 207. *pervaserit]* Huyd. *persuaserit.*

denique omnia] Vat. interponit *etiam.* — *luctus]* Vat. edit. *luctum.* — *manif. flagitiis]* Vat. edit. servat *in.*

§. 208. *placent vobis]* Lag. 42 *nobis.* — *consumitur]* Lag. 42 *consumuntur.*

atque libid.] Vat. *audaciam ac libidines.*

§. 209. *quae ista sunt]* Lag. 42 omittit *ista.* Lamb. edit. *sunt ista.* — *fecisse]* Lag. VI Par. C *fuisse.* — *res mihi]* Vat. *mihi res.* — *pugnare]* Vat. *impugnare.* — *cum eos]* Ox. *cum eis.*

tanta causa] Vat. ut vulgo, *causa tanta:* item *ex monumentis.* — *haec enim]* Sic Vat. — *idem fecisse]* Vat. ut vulgo. — *poteris proferes]* Sic Vat.

§. 210. *aestim]* Lag. 42 *existimationis.* — *aut ad quae exempla]* Lag. 29 Par. B *atque* pro *aut.* — *tum]* Lag. 42 *tamen.* — *dummodo]* Lag. VI Par. C Huyd. edd. ante Aldinam *dum* simplex.

§. 211. *ista rat.]* Lag. 42 *istam pecuniam* omissis duobus verbis. Lag. VI et Par. C et edd. ante Ald. *pec. innum.* — *nisi]* abest ab Ox. Huyd. Lag. VI Par. C edd. ante Hervag. et Victor.

§. 212. *num quae in]* Lag. 42 *unquam.* — *ne Lepidus]* Huyd. *an Lepidus.* Ab Ox. *ne* abest. — *in Sicilia]* Vat. *ex Sicilia.*

§. 213. *an his existimare]* Vat. om. *an his.* Lag. 42 *an ex his,* 29 *an is*, VI vulgares autem *aestimare*, quemadmodum ante Aldinam edebatur. — *gessisse]* Lag. VI vulgares editique ante Ald. addunt *aliquid.* — *non quid]* Vat. *non at quis.*

ad M. Antonium] Vat. *ad Antoni.* — *ex omn. igitur]* Sic et proxima Vat. — *voluisse imit. Ant.]* Vat. *voluisse M. Antonium imitari.* — *populus, iudices]* Vat. *populusque R.*

§. 214. *tum]* Lag. 42 *tamen.* — *si eodem]* *si* deest in Huyd. — *nam genus]* Lag. 29 interponit *si.* — *non modo]* Deest *non* in codd. deterioribus, restitutum a Naugerio. Ab Oxon. *non modo* abest. H. pro *non modo incommoda* exhibet *in commodo.* — *Sacerdos]* Ox. *P. N. Sacerdos.* — *petiverunt]* Vat. editio *petierunt.* — *ab eo]* Vat. *ab eodem.* — *aliq. eius]* Deest *eius* in Huyd.

§. 215. *dare gratis]* Lag. VI et edd. vetust. *gratis dare.* — *Quod nisi]* Lag. 42 *quia nisi,* et *ex annona* et *considerantia.* — *faciebat]* Lag. 42 *facit*, idem *istud quod parum* (Lag. 29 Par. B *parvom) videtur* et omittit tria seqq. verba. *Videtur* etiam 29 et Par. A B Sed omnia mendosa.

§. 217. *Sentium]* Lag. 42 *Sentinum.* — *non ego]* Adiecit *ego* Naugerius ex aliquo meliorum. Mox Lambinus *supplicio quicunque hoc fecit dignus est*, ordine verborum prorsus libere constituto.

§. 218. Lag. 42 multa omittit, decepto librario per similia verba.

§. 219. *vultis]* Lag. 29 *voltis*, et *reliquia spe.* — *et angustis]* Plerique omnes mss. *angustiis.* — *sunt qui]* Lag. 42 om. *sunt* et pro *qui* habet *cum.* — *contra leges]* Lag. 42 *colligis.*

§. 220. *infinitam sitis]* Lag. 42 *infinitis istis hominibus licen-*

tiam daturi sitis::::III *qui.* — *denos]* Lag. 42 *denarios.* — *praetoris]* Vat. *praetorum.* — *Quapropter]* Lag. 42 *quia:* idem omittit verba inter duo *finem.*

ternis] Vat. *tribus.* — *aeque in]* Sic Vat.

§. 221. *igitur quam]* Lag. 42 *iniuriam.* — *absolvite eum]* Vat. *abs. illum.* — *sociorum]* Lag. 42 *satietate.* — *cepisse]* Huyd. *accepisse.* — *Sunt alii]* *Sunt* omitt. Lag. 42. — *ut uno]* H. *et uno.* — *si qui sunt]* Lag. 42 *si qui et sunt.*

idem qui] Vat. vulg. ordinem servat. — *At hoc]* Vat. editio *adhuc.*

§. 222. *quid agis]* Lag. 42 *quis* — *Hortensio*, *cons. designato prov. sortiri.* — *recte factum]* Abest *recte* a Lag. VI Par. C. edd. vetustis Aldina prioribus. — *profiteare]* Lag. 42 *profitere quasi* sine *et.* — *Atqui]* Vat. omittit, Lag. 42 *atque.* — *concup.]* Lag. 42 *cupierit.*

Quas ob res] Restitue ex Vat. *quam ob rem.* — *defendis*—*dicis]* Vat. editio *defendes*—*dices.* Atque nunc probo, et inseq. §. bis *dicet.*

§. 223. *non dicit]* Vat. *dicet.* Lag. 42 *dicat.* — *ita dicit]* Lag. 42 Vat. *dicet*, reliqui Lag. praeter 5 *dicat.* Porro Lag. 42 *nos* — *suspitiamur* — *possit.* — *arbitrentur]* Vat. *arbitrarentur.* — *peccare]* Vat. *errare.*

remp. sistere] Sic Vat. editio. — *nisi]* Sic Vat.

§. 224. *agitare]* Lag. VI Par. C. Ox. H. edd. vet. *cogitare.* — *prope]* Lag. 42 *placeat.* — *ab sociis]* Vat. *a sociis.* — *nunquam]* Huyd. *non.* — *quis obsistet]* Huyd. *qui obstet.*

auferatur] Sic Vat. — *neque id ullo]* Vat. edit. *neque ullo.* — *vestrum]* Vat. edit. *vestri.* — *homini credidisse]* Vat. *vos id credidissetis homini credidisse*, mendose, sed adiuvat nos.

§. 225. *ei licet]* Vat. omittit *ei.* — *ipsius litt.]* Lag. 42 *ipse litt. recipiam.* — *ternis]* Vat. *tribus.* — *feci]* Lag. VI Par. C Ox. H. edd. princ. *fac*, Lag. 42 *facia::* — *nostro ord.]* Lag. 42 *vestro*, et mox *agere* p. *existimare*, et *religione.* Lag. 29 Par. B *religionis.* *Atque]* Lag. 42. *Qui in.* — *debebatur]* Vat. *dabitur.* — *quinquiens tanto]* Vat. *quinque tanta.* — *addi]* abest a Lag. VI Par. C Huyd. Ox. edd. vetustis. — *si et aestim.]* Vat. omittit *et.*

ex litt. publ.] Vat. *ex publ. litt. ac.* — *in cellam ei]* Vat. item omittit *ei.*

§. 226. *perspicere]* Huyd. *prospicere.*

§. 227. *annona]* Codd. deteriores et edd. ante Naugerium *annonae.* Idem *in cal. fructum.* — *totae autem]* Lag. VI Par. C Ox edd. vetustae *totae enim.* — *suorum fruct.]* Lag. 42 *servorum fruct.*

§. 228. *ferunt]* Huyd. Ox. tamen *ferentur*, non ut Lagg. *ferren-*

tur. — *sumptu]* Lag. 42 *fructu.* — *non pertulerunt]* omittit Vat. — *fidelissimique]* Vat. *fidelissimi.* — *atque auct.]* Vat. *et auctore.*

a dominis] Vat. pr. manu *ab omnibus*, altera *omnino.*

LIB. IV.

§. 1. *Insaniam]* Huyd. *insanum.* — *ullam gemmam]* Gruterus haec ope duorum librorum Cuiaciani et Hittorpiani ad veritatem revocavit, id quod Lambinus ex parte tantum fecerat: nam olim ex codicibus deterioribus (Lagomarsinianis quidem omnibus) edebatur *nego ullam gemmam aut margaritam fuisse aut quicquam.* Lambinus autem cum *fuisse aut* omisisset, *nego* retinuisset, quod eodem iure abiici oporteret: tum vero concinnitatis causa ex coniectura tertio loco *nego* adiecit ante *signum.* Gruterianam rationem nostri Guelff. et Havn. coll. confirmant. Post, ubi est *nego ullam picturam*, Huyd. Oxon. Lag. VIII praeter 29 *neque ullam picturam.*

quin conquisierit] Sic primus Stephanus, deinde Lambinus, tacente, sed dum recipit probante Grutero. Ante illum excusi et scripti deterioris ordinis *quin* (Venet. 1499 *quid*) *quaesierit.* Suffragantur Stephano ambo Guelf. Erf. Havn. collatio.

§. 2. *crim. augendi causa]* Sic primum in textu repetitae Lambinianae, unde in Gruterianam venit, ut nescias consulto an temere propagarit: priores enim omnes et codices vulgares *criminis causa augendi.* Verum illud ipsum Lambinum secundis curis voluisse fidem facit consensus meliorum librorum, Guelff. Lag. 29 Erfurt. Havn. collationis.

denique nihil] *Nihil* abest a mss. deterioribus plerisque, Lagom. quidem VIII praeter 29, et editionibus Aldina antiquioribus. Contra unus Guelf. antiquior addit *porro denique.*

§. 3. *ex ipsis laudat.]* Lag. 5. 27. 42 *ab ipsis.* Mox 29 *perspicitur.* — *inveniare]* Lag. 5 (pr. m.) 27. 29 *inveniere.*

maximeque hospitalis] Codices deteriores et vett. edd. *maxime perhospitalis.* Naugerius *que* adiecit, sed syllabam *per* nemo ante Stephanum sustulit.

§. 4. *magna cum]* Sic primum Lambinus nec posthac discessum est aut ullius libri ms. varietas enotata. Olim edebatur *cum magna.*

§. 5. *factus ex aere]* Gruter. typothetarum errore *factus est ex aere. et certe.*

§. 6. *esset hosp.]* Vat. *hospes esset.* — *nocentium]* Guelf. 1 *nocentum.* — *ex urbibus sociorum]* Vat. edit. addit *atque amicorum*, etsi in annot. ea verba in cod. deesse traduntur, quod mendum esse puto pro *in edd.* — *quatridui causa]* Vat. *quadridui causam.*

huiusmodi] Vat. editio *eiusmodi* servat. — *ac basil.]* Etiam Vat. et Guelf. 2 cum Lambini v. c. in margine *et.*

§. 7. *e sacrario]* Praepositionem omittit Leid. — *bonam Fort.]*

Vat. *bonae Fortunae.* — *Messanam cum imperio nemo]* Hoc verborum ordine primum in Hervag. legitur, sed confirmant meliores de nostris libris. Deteriores et edd. vetustae *nemo Messanam cum imperio*, servavitque Lambinus, et inventum est in Vat. — *cuiusque modi]* Guelf. 1 *eiusmodi*, Guelf. 2 *eiuscemodi*, Havn. coll. *cuiuscemodi.* — *erit]* Lag. 5. 42. 48 *erat.* — *praeterea cuiquam]* Coll. Havn. et Vat. *cuiquam praeterea.* — *domus istius]* Vat. *istius domus.* — *C. Claudius]* Vat. *C.* omittit. — *relictum esse]* Guelf. 1 *esse relictum.*

e sacrario] Vat. servat *de.* — *impud. est]* In Vat. edit. *est* omittitur. — *ut hic toll.]* Vat. edit. servat *iste.*

§. 8. *tibi ego]* Lag. 29 *ego tibi.* — *pretii fuerint]* Steph. Lamb. *fuerunt*, codex e nostris nullus.

verbo uno] Vat. quoque interiicit *iam.* — *omnia qui]* Sic Vat.

§. 10. *fore uti]* Lag. 29 *ut.* — *nihil pro potestate, nihil]* In codd. vulgaribus Oxon. Huyd. Lagom. omnibus praeter 48 omittuntur verba *nihil pro potestate*, edd. vetustae habent, sed ab illis abest extremum *nihil.* Naugerius qui hoc adiecit, idem omisit *nihil pro potestate.* Utrumque ita, ut nunc est, coniunxit primum Hervagius, deinde Stephanus et Lambinus.

§. 12. *iuvat]* Codd. Oxon. Lagom. praeter 29, Guelff. Havn. coll. *iuvant*, primus correxit Naugerius. Stephanus in var. lect. *iuvat enim me.* — *quae isti]* Steph. *quae ista.*

§. 13. *quanti]* Lagom. VI. et edit. ante Aldinam *quam.* — *commisisset]* Cuiac. Gruteri Guelff. *commisset*, Leid. *coemisset.*

§. 14. *qui aut non]* *aut* deest in codd. Lag. praeter 29 Huyd, editionibus Aldina antiquioribus. In iisdem pro *idem* est *is.*

§. 16. *euque se quanti voluerit]* Vat. *eaque sese quanti voluisset.* — *neque se illa habuisse]* Codd. vulgares et edd. veteres pleraeque (sed etiam Vat.) *neque se hab. illa*, Hervag. et ex ea repetita Lambiniana inde Gruteriana et reliquae *neque se illa hab.* et sic Guelff.

esse illa signa cet.] Vat. sic novum fragm. incipit... *domi suae esse non esse aput Verrem.*

§. 17. *Hennensi]* Codd. deteriores cum editt. vett. *Aetnensi*, P. Manutius correxit *Ennensi*, sed Vat. et Guelff. *Hennensi*, ut alibi. — *laudat]* Vat. *laudant* mendose, qua ratione saepissime peccat. — *pecuniam repetere]* Abest *repetere* ab Hervagiana. In eadem omittitur *se* post *sacra.* — *tantopere]* Vat. *tanto opere.*

huius iud.] Sic Vat. — *cybaea]* Vat. editio servat *cybea.* — *communi arce]* Vat. *communis rei.* — *te patrios]* Sic Vat.

§. 18. *Ecqui]* Vat. solito modo *Et qui — et quae.* — *testim. ac iureiur.]* Sic Vat. item reliqua, sicut nos, exhibet.

§. 19. *quanti is]* Vat. omittit *is.* — *Verum fac]* Abest *verum* a Lagom. omnibus, Oxon. Huyd. edd. princ. et Aldina. Item *Mamer-*

tinos omittunt Lagom. omnes praeter 29 Huyd. Oxon. et edd. vett. ante Aldinam. — *constet]* Edd. vett. ante Aldinam *constat*. — *nonne testis]* Havn. coll. *non*. — *navi faciundae]* Lag. VIII *faciendae*.

qui putasti] Vat. *quid putasti impetr. te*. — *quam putas]* Vat. edit. ut vulgo *quantam*.

§. 20. *si possint]* Huyd. Lag. VI et edd. ante Hervag. Vict. *possent*. — *quod per te]* Lag. 42 *et propter te*.

§. 21. *et exeuntes]* Guelf. 1 omittit *et*, Huyd. Lag. omnes praeter 29 *ea exeuntes*. — *e Cilicia]* Guelf. 2 *in cylicia*, 1 *e sicilia*. Olim edd. ante Aldinam *ex Sicilia*.

§. 22. *tum cum]* Guelff. Havn. coll. *tunc cum*.

§. 24. *protrahi iussit]* Lag. 29 *iussit protrahi*.

§. 25. *Basilisci]* Lag. 45 Pal. 1 edit. Lambini *Basilici*, Guelff. *Basilisti*, Cuiac. *Basiliti*, Gulielm. malebat *Basili*. — *devertisset]* Guelf. 1 bis *div*. alter priore tantum loco. — *quo L.]* Plerique codd. vulgares (Lag. praeter 29) et edd. vett. usque ad Hervag. *qua*. — *civitas unquam alia]* Codd. vulgares et editiones veteres *alia civitas unquam*, una Hervagiana excepta. Steph. et Lamb. *civitas unquam*, sine *alia*. Sed in repetit. Lamb. Hervagiana lectio recepta est, et suffragantibus libris mss. melioribus mansit. — *privatim]* Lag. 42 *privati*.

§. 26. *a vobis adhuc solis]* Guelf. 1 *adhuc a vobis despectus est*, sine *solis*. — *foederato]* Codd. vulg. et vetustissimae editt. *effoederato*, Lag. 42 *confoederato*. — *electa]* Guelff. *eiecta*, et edidit e cod. suo Stephanus, tanta illi etiam mendorum religio fuit aut iudicii imbecillitas.

§. 28. *tu facile]* Lag. 29 omittit *tu*.

§. 30. *Cibyratae]* Praemittitur in Lag. praeter 29 *de fratribus Cibyratis*. — *tum cum iste]* Abest *cum* a Guelff. Havn. coll. et editione Stephani. — *atque furtis]* Lag. 29. 48 *ac furtis*.

§. 31. *Eos iam]* Lagom. VI *etsi iam*.

§. 32. *Lilybaetanum]* Havn. coll. *lilybitanum*, Guelf. 2 *lylibitanum*, 1 *lilibitanum*. Eadem fere varietas pertinet etiam ad §. 38. — *ad praet. statim afferre]* Guelf. 1 *statim ad praet. afferre*. — *poposcerunt]* Guelff. et Havn. (e silentio) *poposcerant*.

§. 33. *ego antea]* Lag. 29 *mehercules antea tametsi ego nescio*. — *ista]* Lagom. plerique *ita*. — *oculis illorum]* Guelff. *oc. eorum*. — *videte]* Guelff. Havn. *video*. — *Sisennam]* Havn. *Sisannam*. — *multi]* Lag. 42 *multa*.

§. 34. *et cupid. et in cont.]* Guelf. 2 Havn. coll. *cupiditatis et continentiae*, Guelf. 1 *cupiditatis continentiae*. — *putabit]* Lag. 29 *putarit*.

§. 35. *abaci]* deest in Lagom. praeter 29 et in Oxon. Huyd. — *ut opinor]* Excidit *ut* in Manutiana a. 1559. — *quid argenti]* Deest *argenti* in Lag. 29.

§. 36. Lag. 29 *quamquam ego non debebam*. — *hoc quod postulo]* Deest *quod* in Lag. 29 et edit. Hervag., in Lag. 29 etiam *po-*

stulo. — *videro]* Lag. 29 et Guelff. 2 *videto.* — *tabulas profers]* Lag. 29 *tab. proferas.*

§. 37. *citream]* Lag. omnes praeter 29 et Huyd. (Oxon. *Loicitream*) *vicitream.* — *iam perdito]* Guelff. Havn. *tam perd.* — *te emisse]* Lag. omnes *emisse te.*

§. 38. *auferebat]* Lag. 42 *auferebantur.* — *rem eiusmodi]* Guelf. 1 *rem huiusmodi.* — *antea]* Guelf. 1 solus *ante.* — *domi nobilis]* Lag. (praeter 29) Huyd. et edd. veteres etiam Victor. Manut. Steph. *domo,* Hervag. tamen et Manut. 1559 *domi.* — *et apud]* Lag. (praeter 29) Huyd. *apudque.* — *habere eum]* Abest *eum* a Guelf. 2 et cod. Puteani, qui post paulo *therielia* habet. — *quod iste ubi]* Edd. vett. usque ad Stephanianam et codd. vulgares *quod ubi iste.*

§. 39. *amitterer]* Lag. 42 *amitteret.* — *quia non potuerat argentum eripere]* Absunt haec verba a Lag. 14. 45. 48. — *optime facta]* Lag. 29 *facta optime.* — *vociferari]* Lag. omnes, Ox. Huyd. et Victor. Manut. 1540 (non 1559) *vociferare.* — *viderat]* Erfurt. *videbat.*

§. 41. *reos fieri, sed etiam absentes]* P. Manutius in edit. 1559 edidit *reos fieri rerum capitalium, neque solum praesentes, sed etiam absentes.* — *in hominum numero]* Havn. Guelff. *numerum.* Mox Havn. Guelf. 2 Erf. *Sthennio,* Guelf. 1 *triennio.* — *itaque]* Erf. *ita.* — *paululum]* Lag. 27. 29 *paulum.* — Verba *non pudore sed* omittuntur in Erf. — *ac timore]* Lag. omnes praeter 29 *atque.* — *repressus]* Erf. *pressus.* — *prope]* Erf. *proprie.* — *triennium]* Erf. *triennio.*

§. 42. *domi retinere]* Manutianae edd. interponunt *suae.* — *postea]* Guelf. 1 *post.* — *provincia expectabat]* Guelff. *provinciae expectabant.* Havn. *provinciae exspectabit.*

§. 43. *clausum]* Erf. *clusum.* — *in his]* Codd. deteriores et edd. vett. usque ad Hervag. Victor. omittunt *in.* — *una cum]* Verbum *una* in mediae aetatis edd. excidit, revocatum primum a Stephano. Num quibus in codd. non legatur, nescio. — *et cum ceteris]* Sic et olim editum erat et post Lambinum editur, mediae aetatis editt. ab Hervag. Vict. ad Stephanianam falso *cum et ceteris.* Ita paulo post *denique* recte editur et legitur in vetustissimis, sed Hervag. Steph. Gruterus *deinde.*

§. 44. *omnes alios praetores]* Excidit *alios* in edd. mediae aetatis Aldina, Vict. Hervag. Manut. Revocarunt Stephanus et Lambinus, rursus eiecit Gruterus, restituerunt Graevius et Ernestius. In mss. omnibus legitur.

§. 45. *homini honesto* cet.] Lag. 42 *homini locupleti et splendido.*

§. 46. *fuerint]* Lagom. omnes et Huyd. *fuerunt.* In iisdem omittitur *ac* ante *simulacris.*

§. 47. *forsitan]* Lag. VI. *forsan.* — *vobis]* deest in Lag. 29. — *videantur]* Guelff. Havn. Huyd. mendose *videbantur.*

§. 48. *Nymphodoro]* Guelff. Erf. Havn. *Nymphiodoro,* aut volunt

certe hoc. — *qui cum]* Cod. Hotomani *quin cum*, et ipse sic corrigendum censuit, paruit nemo praeter Graevium.

§. 49. *enumerare]* Edd. princ. *enarrare*, non mss.

§. 50. *et locupletissima]* Absunt haec verba a Lagom. omnibus, Oxon. Huyd. editionibus vetustis usque ad Hervagianam. — *per Apollodorum, quem]* Excidit nomen *Apollodorum* typothetarum errore in repet. Lambiniana.

§. 51. *noluit]* negat Grut. esse in Cuiac. — *Halunti]* Sic libri omnes, Lambinus *Haluntii.*

§. 52. *in oppido factum]* Sic Lambinus Gruterus reliqui, concinentibus libris Guelff. et Lag. 42. Antea ex alterius familiae libris *factum in oppido.* — *sine thecis]* Edd. Aldina antiquiores *synethetis, thetis* etiam plerique deteriores codd. *chetis* Lag. 42. Eam ob causam Ursinus coniecit *e gynaeceis*, et Iannoctius apud Garatonium e msto affert *de gynaeceis.* — *putatis]* Havn. coll. *putastis.* — *efferri]* Guelff. Havn. coll. *efferre.* — *deferuntur]* Lag. 29 *feruntur.* — *emblemata]* Guelf. 2 et coll. Havn. *emblematum*, Guelf. 1 *amblematum.*

§. 53. *everriculum]* Codd. Lagom. omnes Huyd. Ox. et edd. vetustae ante Aldinam *verriculum.* — *magistratum]* Cuiac. et Guelf. 2 *magistrum.* — *illos ego]* Lag. 29 *ego illos.* — *aliquo]* Edd. principes *aliquid*, Vict. Manut. *aliquod.* — *volutatum]* Guelf. 1 *voluptatum*, 2 *voluptatis.* — *praestigias]* Deteriores omnes et edd. veteres praeter Hervag. et Lambinianam *praestigia.*

§. 55. *quin—dicat]* Edd. principes usque ad Aldinam *qui—non dicat*, codd. Lagom. 29. 42 *qui*, sed *non* nullus.

§. 57. *verum fuit]* Lag. 29 interponit *id.* — *quid non modo]* Ante Lambinum pro *quid* fuit *quin*, mendose, sed legitur tamen in codd. vulgaribus, tantum Lag. 29. 48 *qui.* — *audiret]* Manut. 1559 *audiretur.* — *Sic ille]* Havn coll. ambo Guelf. Leid. *Sicilie.* — *istum putatis]* Guelf. 1 male *putatis istum.*

§. 58. *Valentio]* Lag. 29 *Valerio.* — *patrifamilias]* *patrisfamilias* Ascens. Iunt. et denuo Steph. Lamb. pessime, sed habet Guelf. 1. — *detractus]* Lag. 5. 27. 42 *tractus.* — *ut in singula]* *in* non est in Lag. VIII Ox. Huyd. nec in edd. vett. usque ad Hervag. Vict. In Guelf. 1 non est *ut*, in Guelf. 2 pro eo *ait.* — *tricenos]* Edd. princ. *trecenos.*

§. 59. *telarum]* Havn. coll. *telar*, Guelff. et Lambini vet. cod. *tela.* — *nomine]* Codd. vulgares fere *non est*, aut *nō. ē.* — *huiuscemodi]* Lag. 29. 42 *huiusmodi.*

§. 60. *sed tantum]* Lag. 5. 27 Huyd. et edd. Aldina superiores *si tantum.* Ursini cod. et Francianus *sed tamen.*

non iam] In edd. P. Manutii, Steph. repet. Lamb. excidit *iam.*

§. 61. *Selenen]* Sic a Lambino et seqq. editum. Priores *Selinem*, terminatur nomen —*em* in mss. omnibus. Cod. Ursini *sed regnum Aegypti quod ad se.* — *is quem]* Haec duo verba omittuntur in Lag. VII (i. e. omnibus praeter 29) Ox. Huyd. edd. vetustis cum Aldina.

§. 62. *abundabat]* Lamb. vet. cod. in marg. *habundabat* (non

afferlur in Havn. coll.) Guelff. — *exponit]* Erf. praemittit *atque.* — *paratum ut sit]* Omittitur *ut* in Huyd. et Lag. praeter 29 et edd. vett. usque ad Herv. Vict. — *et istum]* Omittitur *et* in Lag. 29. — *copiose]* Codd. deteriores omnes et codd. ante Hervag. Vict. *diligenter.* — *multum* (ante *argentum*) omittitur in Lag. VII Huyd. Ox., *argentum multum* Erfurt. — *praetori pop. Rom.]* Abest *p. r.* a deterioribus codd. editionibusque vetustis usque ad Herv. Vict.

§. 63. *spoliatum]* Lag. VII Oxon. et edd. vett. *expoliatum*, Lag. 29 omittit. — *velle se eum]* Edd. principes *se* omittunt, Aldina et sqq. secundum deteriores plerosque *eum se.* Nostrum verborum ordinem Lambinus restituit, ceterique servarunt.

§. 64. *et in exteris]* Cod. Ursini *quod in ext.* ex interpolatione. — *e gemmis]* Codd. vulgares et edit. vett. usque ad Hervag. *et gemmis clarissimis et opera mirabili perfectum.* — *Romam cum]* Lag. 29 *cum Romam.* — *non quo quicquam]* Lag. 42 et Lambinus *quod.* — *et cum]* Edd. vett. ante Aldinam omittunt *cum.* — *ut id]* Sic primum Lambinus, tacite ab insecutis editoribus receptum. Nam in prioribus editionibus et in mss. vulgaribus legitur *uti ad se mittat.* Lag. 42 *sese.*

§. 65. *et regio]* In mendo concordant Lambini v. c. Havn. coll. Erf. Guelferbytani, qui commemorantur. Hi enim omnes *et religioso*, sed Guelf 1 omittit *et*, Havn. *esset et religioso ut id in.* Abest *id* a vulg. codd. et edd. vett. usque ad Hervagianam et Victorianam. — *ea magnitudine]* Lag. VII Huyd. *et magn.* — *Sed ad]* Lag. 29 abest *ad.* — *satis iam]* Lag. 42 *iam satis.*

§. 66. *decedere]* Mss. vulgares et editi ante Lamb. *discedere.* — *in foro]* Omittuntur haec verba in Lag. VII et edd. ante Hervag.

§. 67. *contestans]* Edd. vett. usque ad Aldinam *contestatus.* — *antea iam]* Lambinus solus *iam antea.* In Lag. VII Huyd. et edd. Aldina antiquioribus non est *iam.* — *adhibere]* Sic Hervag. et Vict. rel., antea ex deterioribus, Lag. omnibus Huyd., *habere.* — *amicus et socius]* Lag. 29 *amicus esset et socius.* — *regibus]* Havn. Guelf. 2 Paris. D E F *rebus.*

§. 68. *regna]* Havn. Guelff. Par. C D E F *regno.* — *putasti]* Lag. VII Ox. item edit. Iuntina *putaris*, Huyd. *putatis.* — *acerbitati]* Havn. Leid. Guelff. Par. D E F *acerbitate.* — *liberae civitates]* Non est *liberae* in Lagom. omnibus Oxon. Huyd. duobus Pariss. edd. Hervag. antiquioribus. — *arbitrabuntur]* Lag. VII Ox. Huyd. *arbitrantur.* — *audierint]* Havn. Guelf. 1 Par. D E F *audient.* — *operam]* Ox. Huyd. Lag. praeter 29 et 14 *opera.* — *arbitrentur]* Lag. 29 *arbitrarentur.*

§. 69. *suscipienda]* Lag. 27. 29 addunt *est.* — *non quae deleret]* Lambinus in marg. repet. voluit alio verborum ordine *non quae I. O. M. templum deleret:* in nostris codd. nulla eius rei causa apparet.

§. 71. *e gemmis]* Huyd. Lag. omnes et edd. ante Hervag. omittunt praepositionem. — *quid religiosi]* Abest *quid* a Lag. 29 et edd. Aldina superioribus. — *qui in iudicium]* Lagom. omnes praeter 42 Oxon. Huyd. edd. ante Aldinam *qui in id iudicium.* — *res repet.]*

Abest *res* a Lag. VII Huyd. — *Pergae]* Ox. *Pergamae*, Lag. 42 *Pergami*, item sic edd. vetustae ante Aldinam. — *a Capit.]* Omitt. *a* Lag. VII. — *de suis pecuniis ornant]* Guelf. 1 *de sui ornant.* — *id C. Verres]* Lag. 29 *idem C. Verres.*

§. 72. *conditum esse]* Abest esse a Lag. VII et Huyd. — *deletum est]* Ox. Pall. Gruterianus, Lag. omnes praeter 27 *deiectum est*, frequentissima confusione, vide ad I, 13 extr. Sed sic tamen etiam editi libri ante Hervag. et P. Manutium: nam Victor. et ipse *deiectum.* Tum *ibi* Lagom. omnes et Huyd., primus Naugerius videtur *urbi* dedisse de coniectura ille quidem sed libris nostris firmata.

§. 73. *victoria]* Lagom. VII Ox. Huyd. *historia.* — *Himera]* Havn. coll. (e silent.) *Himerae.* Non credo. — *Gellensibus* scribitur in Lag. omnibus, edd. Aldina superioribus et rursus Steph. Lambiniana, non autem in Guelff. — *demittere]* Huyd. Leid. Lagom. omnes et edd. Aldina superiores *dimittere.*

§. 74. *de qua dicimus]* Edit. P. Manutii 1559 *diximus.* — *in suis ant.]* Cod. Ursini *et in suis*, nullus nostrorum. — *posita]* Lag. VII Pall. Gruterianus Ox. Huyd. et edd. ante Aldinam *reposita.*

§. 75. *Hanc eum]* Lag. omnes Ox. Huyd. *haec*, item edd. vetustae ante Aldinam.

§. 76. *remigibusque]* Abest copula ab edd. vett. et codd. Huyd. et Lag. praeter 29. Sed ab hoc *in* abest, quod *frumento* praecedit. — *arcessebat]* Lag. omnes praeter 29 et edd. veteres ante Lambinum *accersebat.* Sed sic etiam Erfurtensis et silentium Havn. coll. — *fore se]* Lag. 29 *se fore.*

§. 77. *fuerit]* Grut. in Cuiac. tradit esse *fuit.* — *scitote neminem]* Edd. vetustissimae ante Ald. *neminem scitote.* — Tum *neque liberum* absunt a Lag. omnibus, Ox. Huyd., in edd. quidem sunt (certe iam in Ascens.) — *totius]* Lag. omnes Ox. Huyd. *potius*, item edd. vett. usque ad Hervag.

§. 78. *pertimescebas]* Codd. vulgares *timescebas*, nec editores ante Hervagium emendarunt. Item Lag. VII Huyd. *nec nunc quidem.* — *verum etiam]* Erf. *sed etiam.*

§. 79. *existimavit]* Guelf. 2 et Havn. coll. *estimavit*, Guelf. 1 *extimavit.* — *si etiam]* Havn. coll. *sed etiam.* — *esse vis]* Lag. VII Huyd. et edd. vetustae ante Ald. *velis*, Lag. 48 *volo.*

§. 80. *spoliata]* Guelf. 1 *spoliare.* — *orant te]* Abest *te* ab Huyd. et Lagom. omnibus et edd. vetustis. — *restituas, ut]* Lag. omnes et edd. vett. *aut*, Huyd. *aut quidem* (pro *quod*). — *recuperarint]* Lag. 42 *recuperaverunt.*

§. 81. *minus ad officium]* Lag. VII Oxon. editiones ante Hervag. Vict. *ad officium tuum* minus, alio ordine verborum. — *muneri]* Omnes Lag. Oxon. Huyd. et edd. vett. ante Hervagianam, et post hanc etiam in Victor. Manutianis. — *alienas esse]* Lag. 29 omittit *esse.* — *virilis, quod]* Interponitur in Lambiniana allocutio *iudices.* — *claram,*

amplam illustremque] Havn. coll. silentium cum olim vulgata *amplam, illustrem claramque* facit: nihil enim enotatur, nisi esse in vet. cod. *inlustrem.* — *pro mea parte]* Lag. VII *Rome aperte* vel *a pte* vel *a patre.*

§. 82. *P. Afric.]* In Lag. VII deest praenomen. — *negligantur]* (Havn. *neglegantur)* Lag. VII praeter 48 *negliguntur.* — *et putare]* Abest *et* a Lag. omnibus et editis ante Hervag. Victor.

§. 83. *tanto dolore] Tantum* edd. vett. et codices vulgares, *tanto* e libro vet. Hotomanus correxit recepitque Lambinus, probant Guelff. Lag. 42.

§. 84. *atque iudicium]* Lag. quinque e deterioribus *ac.*

§. 85. *primo illo]* Lag. 29 *illo primo.* — *negat ullo modo]* Guelf. 1 *negat rem ullo modo.*

§. 86. *Fefellit haec] Hic* Huyd. Lag. praeter 14 et 27 item Havn. coll. — *in illam civitatem]* Codd. vulgares (Lag. omnes) et edd. ante Stephanum *in illa civitate totaque provincia*, quod servavit etiam Gruterus.

§. 87. *Tum frequens]* Lag. 29 *cum.* — *ad istum]* Sic post Hervagium omnes, codices deteriores (Lag. omnes) et edd. vett. *ad eum.* — *de statua C.]* Guelff. *de statuaque.* — *iam]* abest a Lag. 29. — *obriguisset]* Codd. deter. (Lag. omnes) et edd. ante Hervag. Victor. *obdurasset.*

§. 88. *a sociis]* Havn. coll. et vet. Stephani *ab sociis.* Ambo verba desunt in Lag. 29. — *rerumque].* Guelff. et Lambiniani in marg. *rerum* sine *que.*

§. 89. *clientium]* Sic Guelf. 2, at 1 *clientum.* — *praesidii nihil]* Lagom. omnes et edd. vett. usque ad Vict. Hervag. *nihil praesidii.* Havn. coll. *praesidium nihil.*

§. 90. *tam splendidae]* Lag. 29 *tam splendidam*, itaque in ordine saltem verborum cum nostra lectione congruit. — *successum isti audierunt]* Oxon. Huyd. Lagom. omnes praeter 48 *secessum istius*, ille 48 *decessum istius.* Guelf. 1 *successum isti credo audierunt vel adimerunt.* Intelliges librarium de recta scriptura verbi dubitasse.

§. 91. *Aesernino]* Plerique deteriores peccant varie *Aesernue, Aesermie, Aeseriniae, Aesermio.* — *mihi nunquam]* Lag. praeter 27 et 29 *nunquam mihi.* — *isti]* abest ab edd. antiquis Aldina prioribus.

§. 93. *nonne]* Lag. 29 *non.* Guelf. 1 *nerone*, 2 *vero ne.* — *P. Scipionis]* Abest *P.* a codd. vulgaribus et edd. vetustis, adiectum primum in Vict. Hervag. — *civitas est]* Lag. 5. 27. 42 *est civitas.* — *negot. datur]* Lag. 29 *datur negotium.* — *propter multitudinem]* Codd. vulgares (omnes Lag. Oxon. Huyd.) *pro multitudine* et mox *virtute.*

§. 94. *iste Agrig.]* Lag. 29 omittit *iste.* — *et gratul.]* Solus Huyd. inserit *in.* — *mulcati]* Havn. *mulcato.*

§. 95. *surrexerit]* Lag. 29 *surrexit.* — *quod cuique]* Lag. 42 *quod,*

cunque. — *fors]* Lag. 1. 29 *sors.* — *brevi]* Lag. 42 *perbrevi.* — *demoliendo]* Lag. 29 *moliendo.* — *nulla lababat]* In vett. edd. et libris mss. deterioris familiae Lag. VII (i. e. omnibus praeter 29) Oxon. Huyd. legitur *illud interea nutabat ex parte.* Nam quod Burmannus in praef. ad Dorvillii Sicula p. XI ex Huyd. laudat *iamque illud nutabat ex parte* ipsius viri eruditi manum expertum videtur. Quod nunc recte legitur, ex aliquo meliore libro restitutum est in Hervag. et Victoriana a. 1534, et deinde rel.

§. 96. *Chrysas]* Guelf. 2 constanter *chirsas.* — *fanum eius est]* Vulgares (Lag. omnes) et edd. vett. usque ad Vict. Hervag. *fanum est eius.* — *Tlepolemo]* Guelff. Erf. Leid. Havn. *Depolemo*, item postea *depolemus.*

§. 97. *dicendum]* Additur *est* in codd. vulgaribus et edd. ante Gruterianam, sed abest a Guelff. Erf. In Havn. coll. videtur tamen inventum esse. — *inscripserat]* Guelff. Erf. Leid. Havn. coll. et Lambini v. c. *scripserat*, hausta praepositione fine praegressi verbi.

§. 98. *lineamenta]* Edd. vett. et codd. Lagom. et ambo Guelff. *liniamenta.* Etiam Havn. sed mendose *linimenta.* — *iudicas]* Leid. *vides.*

§. 99. *singularem eius]* Guelf. 1 *eius singularem.* — *in his praesertim]* Lamb. edit. *iis*, Guelff. *hiis.* — *ne cogitatione quidem]* Deest *quidem* in Lag. omnibus et Huyd. et edd. vett. ante Vict. Hervag. — *in toto orbe]* Lag. omnes *toto in orbe.* — *perantiquum]* Erf. *inantiquum*, mendo probans se eundem esse librum quem Hittorp. contulit. — *atque antiquiss]* Lag. omnes praeter 29 *ac.*

§. 100. *Tum iste]* Lag. 29 *ille.* — *omnibus sententiis]* Huyd. *omnium.*

§. 101. *ne oculis quidem]* Edit. Lambiniana *non oculis quidem.* — *orandi]* Erf. Havn. Guelff. Lag. 29 *ornandi.*

§. 102. *putatis iudices]* Guelf. 1 *putasti inde*, 2 *putastis iud.* — *fiant]* Lag. omnes Huyd. Oxon. *erant:* item edd. antiquae ante Aldinam — *auditione]* Lag. VI Huyd. *auditionem.* — *ex quibus eligam]* Lag. 29 et vet. cod. Ursini interponit *unam spoliationem.* — *testes]* abest a Lag. 29. — *eadem illa]* Lag. VI et editiones vett. usque ad Hervag. Vict. *illa eadem.*

§. 103. *disiuncta]* Havn. coll. *diiuncta*, non Guelff. — *textrinum]* Lag. 5. 27. 42 et edd. Aldina superiores *intextrinum.* — *promontorio]* Lag. plerique et coll. Havn. *promuntorio:* item Lambinus in marg. repet. — *in Africam]* Lag. omnes et Huyd. omittunt *in.* — *portasse]* Edd. vetustae ante Aldinam *deportasse.*

§. 104. Verba *impetu atque uno* exciderunt in Lag. omnibus Huyd. Oxon. Sed iam sunt in Ascens. 1511. — *templum esse]* Lag. 29 *esse templum.* — *accesserint]* Lag. praeter 42 omnes et Ox. *accesserunt.* — *soleant]* Plerique Lag. et Huyd. Ox. Guelf. 1 peccant *solebant.* —

nullam sibi iste] Guelf. 1 *sibi iste nullam.* — *ac tacitus]* Guelf. 1 *et tacite*, 2 *et tacita.*

§. 105. *diu videor]* Guelff. et Leid. omittunt *diu* mendose propter similitudinem insequentis verbi. — *ordiri]* Deteriores mss. aut *ordiar* aut (Lag. 14. 45. 48) *exordiar.* — *perstringere]* Stephani vet. et Havn. coll. *praestringere.*

§. 106. *opinio, iudices]* Deest *iudices* in Lag. omnibus et Huyd. et edd. Vict. Hervag. praecedentibus. — *iis ignibus]* Guelff. *hiis*, sed sic fere etiam ubi *his* in textu est nec aliud esse potest: *ex is* Lag. VII Huyd. Ox. et edd. veteres usque ad Hervag. Vict. — *praeferret]* Lag. 29 *proferret.*

§. 107. *ab omni aditu]* Abest *ab* a codd. deterioris familiae, Lag. omnibus, Oxon. Huyd. adiectumque est primum a Stephano. — *extitisse]* Lag. 29 *astitisse*, Lag. 14 *exisse.* — *a Syracusis]* Lag. 29 *ab Syr.* — *tota Sicilia]* Lag. 29 *tota provincia.*

§. 108. *fruges invenisse]* Lag. praeter 29 omnes et Oxon. *frugem.* — *Cereris pulcherr.]* Abest *Cereris* a Lag. omnibus et Oxon. editionibusque Hervag. Vict. antiquioribus. — *illius relig.]* Abest *illius* a Lag. 29, mox *ad* omittitur ante *ipsam.*

§. 109. *iam dudum]* Lag. 29 *iam diu.*

§. 110. *ac propatulo]* Lag. 27. 29 vetust. edd. ante Ald. *et.* — *asportatio]* Guelf. 1 *exportatio.* — *in manu]* Lambinus edidit *e manu*, mirum, nec ullus codex habet de nostris, Guelf. 1 *manu* sine praepositione, sed hausta a littera *m.*

§. 112. *P. Popillio P. Rupilio]* Lag. 29 Guelff. Havn. *Pupillo*, et mox *Rutilio.* — *temeritate fugitivos]* Haec verba absunt a Lag. VII (i. e. omnibus praeter 29) Oxon. Huyd.

§. 113. *ex istius facto]* Lag. praeter 29 omnes *fausto*, Huyd. *fastu.* — *quaecunque accidant]* Vetus Stephani et Havn. coll. *accedant.*

§. 114. *quam des. quam inc.]* Lag. 29 *quam inculta quam deserta.* — *Ea]* Gruteriani typographi peccarunt *et*, nec quisquam ante Garatonium animadvertit. — *in his locis]* Havn. *iis*, Guelff. *hiis.*

§. 115. *coluerunt]* Multi e deterioribus *voluerunt.* — *orationum]* Lag. omnes et Huyd. *rationem.*

§. 116. *Ac iam]* Lag. VI Ox. Huyd. *nunc iam*, item edd. vett. ante Aldinam. — *id adventu Verris Siculorum]* Lag. VI Ox. Huyd. *ad adventum Verris singulorum.* — *innocentium]* Guelf. 1 *innocentum.*

§. 117. *cum munito]* Sic primum extat in Victor. deinde in Manut. 1540 mox rel. Priores et codd. vulgares *communito.*

§. 118. *proiecta]* Erf. *porrecta.*

§. 119. *Syracusis]* Lag. 5. 27 *Syracusa*, 42 *Syracusarum.* — *est, et]* Havn. coll. et Guelf. 2 omitt. *est.*

§. 121. *appetivit]* Lag. 29 *petivit.* — *suburbano: putavit cet.]*

Guelf. 1 *nihil in suburbano portavit vel putarit suburbis vel suburbanis ornamenta.* — *leges]* Lag. 29 *legem.*

§. 122. *atque direpta]* Lag. 29 *ac direpta.* — *his autem tabulis]* Absunt haec verba ab Erf. — *interiores]* Guelff. Erf. Lambini v. c. Havn. coll. Huyd. *interioris.* — *putaretur]* Guelf. 1 *videretur.* — *illa iam]* Lag. (praeter 27 et 29) omnes *iam illa*, itemque edd. ante Hervag. Vict.

§. 123. *qui si]* Lag. 29. 42 omittunt *qui*: a Guelff. abest *si.* — *templa se R. dedicaturum]* Edd. vett. usque ad Victor. *templa dedicaturum se Romae.* — *his rebus]* Lambini edit. et Havn. coll. *iis*, Guelff. *hiis.* — *imag. Sic. regum]* Erf. *Siciliae imagines regnum.* — *taetrior]* Leid. Guelf. 2 *deterior.*

§. 124. *Iam vero]* Guelf. 1 *Nam vero*, 2 *Iam ego vero quid ego.* — *esse me]* Lamb. *me esse.* — *liquido iudices]* Huyd. et Lag. praeter 29 omnes *iudices liquido.* — *abstulisse]* Lag. 29 *sustulisse.* — *se non solum]* *se* abest a Lag. omnibus et edd. vett. usque ad Hervag., tum pro *sed etiam* Guelff. et Lambini v. c. *sed et.* — *bullas aureas omnes]* Sic Gruterus secundum Lambini v. c. in marg. Antea *bullas omnes aureas* et cum deterioribus mss. Guelf. 1. — *ex his valvis]* Havn. coll. *iis*, Guelff. *hiis.*

§. 125 *quod erant]* Edd. vetustae *erat* et Lag. 29. — *atque ignoscendum esse]* Lagom. praeter 27 et 48 *atque ut ign.* item edd. veteres usque ad Hervag. Vict., *esse* omitt. Lag. 29.

§. 126. *quam iste est]* Abest *est* a Lag. 29. — *eat ad aedem Fel.]* Edd. antiq. *ad aedem eat felicitatis.* — *in porticum]* Ox. Huyd. Lagom. praeter 29 omnes et edd. antiquae Hervagiana priores *portica.* — *ad ferenda]* Lag. 29. 48 *ad defendenda.*

§. 129. *posuerat Flamininus]* Omnes codd. et edd. ante Lambinum *Flaminius*, etiam paulo post, ubi tamen in coll. Havn. verum esse notat Madvigius. — *in orbe terrarum]* Guelf. 1 omittit *terrarum.* — *illud Flam.]* Guelff. et Havn coll. *illum Fl.*

§. 130. *id cum]* Havn. coll. et Guelff. *id quod.* — *invecta]* Oxon. Huyd. Lag. omnes praeter 29 *iniecta.*

§. 131. *plures esse]* Sic Guelf. 2, sed Stephani vet. et Havn. coll. et Guelf. 1 *pluris esse.* — Lag. 29 om. *esse.* — *ille requisisse]* Lag. VII om. *ille.* — *Archimedem]* Lag. 29 *Archimeden.* — *Syracusis]* Lag. 29 *Syracusanis.*

§. 132. *hi qui]* Havn. coll. et edit. Manut. 1559 *ii qui.* Guelff. *hii.* — *unumquicque]* Lag. omnes et Oxon. *unum quicquid.* — *ante]* Unus Lag. 29 *antea.* — *dolore eos]* Lag. 29 *eos dolore.* — *illorum querim.]* Lag. 29 *eorum*, Guelf. 1 id verbum omittit. Tum *possimus* Steph. vet. et Havn. coll., et deteriores omnes *acerrima* pro *acerbissima.* — *nullos]* Lag. VI Oxon. *nulla*: Huyd. *nullam.*

§. 133. *emisse se sicuti]* Omittunt *se* ambo Guelff. Leid. Lag. 29. — *sicut]* Guelf. 1.

§. 134. *quam si quis]* Stephani vet. (nam mendum est apud Steph. in variet. lect. et debet pro *prius* esse *vetus*) Havn. coll. Guelf. 2 *quam si*, nihil aliud: Guelf. 1 *quam sibi*, Lag. 29 *quam si qui*. — *referri]* Lag. 29 *referre*, Lag. VI et Oxon. Huyd. *refert*. Verba inter repetitam vocem *pretio* interiecta non sunt in Lag. omnibus, nec in Oxon. Huyd. item ab edd. vett. absunt usque ad Hervag. Vict.

§. 135. *Ialysum]* Guelff. 2 *alisum*, Havn. coll. *Alysium*. — *Iacchum]* Plerique Lagom. et Havn. *Iachum*. Guelf. 1 *iacum*, 2 *yacum*. — *Paralum]* Oxon. et Lagom. praeter 29 omnes *Parthalum*, item editt. vett. et Victoriana. Verum est in Cratandr. et Hervagiana.

§. 136. *quibuscum illae]* Abest *illae* ab Oxon. Huyd. Lagom. praeter 29 omnibus, item. edd. vett. — *sed etiam]* Omittitur *etiam* in Lag. 42.

§. 137. *ante dixi]* Lag. 29 *antea dixi*.

§. 138. *consurgitur]* Guelf. 1 *consurgimus*. — *senatum populumque docuissem]* Guelf. 1 *senatum p. r. edocuissem*, alter *senatum p. r.* ꝰ *docuissem*. — *neque Romae]* Guelf. 2 *nec Romae*. — *C. Verris]* Guelf. 1 non habet *C.*

§. 139. *pro se]* Lag. VII Oxon. Huyd. *prope*. Verba *multo maximam partem ipsum abstulisse: neque postulandum fuisse, ut ille palaestritas diligeret*, et paulo post *neque publice*, absunt a vulgaribus codd. Oxon. Huyd. Lag. praeter 29 omnibus item edd. vett. usque ad Hervag. Vict.

§. 140. *hortatus sum]* Stephani vet. et coll. Havn. Guelff. *hortatus tum*. — *ut illam]* Codd. vulgares et edd. vett. post *ut* interiiciunt *ei*. Sustulit Stephanus primus, dein reliqui.

§. 141. *ex illius amicis]* Lag. praeter 42 omnes et Oxon. *illis*, item edd. vetustae ante Hervag. — *decerni]* Guelf. 1 *decernere*.

§. 142. *referatur]* Lag. 42 *refertur*. — *primus]* Lag. omnes Oxon. Huyd. *prius*. — *sortito]* Cod. Ursini *sortitione*. — *de illa civit.]* Lag. omnes Oxon. Huyd. *ex illa civit.* iidem paulo post *tamen non prius ei decernere*.

sua sponte] Legitur tamen *sponte sua* p. Sext. 47 et defenditur a Müllero.

§. 143. *Id] adeo* Guelf. 1 *id autem*. — *in qua curia]* Abest *qua* a Lagom. praeter 29 omnibus et Huyd. et edd. vett. ante Hervag. — *quem ne]* Edd. principes *nec quem*. — *nudus quidem filius]* Lag. 29 *nudus filius quidem*.

§. 144. *ut omnes]* Lag. 29 *uti omnes*. — *insulam]* Leid. *civitatem*. — *e curia]* Lag. omnes praeter 48 tollunt *e*.

§. 145. *venerit]* Lag. VI *venerat*.

§. 147. *ferri]* Huyd. Lag. 48 et edd. vett. *fieri*.

§. 148. *sine amicis]* absunt a Lag. praeter 29 omnibus Oxon. Huyd. et edd. ante Vict. Hervag. — *plane]* Lag. 29 *sane*. — *ac desertum]* Lag. illi *atque*. — *ridicula est]* Abest *est* ab Huyd. et Lagom. praeter 29 omnibus. — *molesta sane]* Guelf. 1 *sane molesta*.

§. 150. *ad ea]* Abest *ad* ab edd. vett. ante Steph. Lambin. et codd. vulgaribus, etiam Lag. 29. *ad eam* Havn. coll. — *Ac ne]* Sic Hervag. Gruterus, reliqui. A ceteris edd. et codd. vulgaribus abest *ac*, etiam a Steph. Lamb. — *populo Rom.]* Absunt haec verba a codd. deterioris familiae et edd. vett. omnibus, primum adiecta a Steph. Sed Guelff. Leid. Lambini v. c. *pretori.* — *per triennium dederint]* Huyd. Lag. VII et edd. vett. etiam Victoriana *dederunt.*

§. 151. *tibi habe]* Omitt. *tibi* Lag. 29. — *etenim]* Lag. 29 *etiam.* — *et sanctiss.]* Hervag. *ac sanct.* — *ac ridicula]* Lag. 29 *hac*, reliqui deteriores et Huyd. et edd. veteres omnes etiam Steph. *haec.* Correxit Lambinus tacitus.

LIB. V.

§. 1. *et praecl.]* Lag. 42 *atque praecl.*

§. 2. *belli pericula]* Lag. 5. 42 edit. princ. *bella per.* — *populo Rom.]* Steph. (et silentio comprobans Havn. coll.) *populi Romani.*

§. 3. *in iudicio]* Lag. 29 *iudicium* sine *in.* — *cum—pepercisset]* omittuntur in Lag. 29.

§. 4. *flag. omn. vit.que]* Guelf. 1 *flag. omniumque vitiorum.* — *princeps]* Lag. 42 *particeps.*

§. 5. *an bello]* Lag. 29 *in bello.*

§. 6. *ne cum in Sicilia]* Lag. VIII *nec.* — Mox Guelf. 1 *eius belli in Italia pars ulla.* — *sine ulla]* Abest *ulla* ab Oxon. cod. VII Lagom. edd. vett. usque ad Naug. qui primus adiecit.

§. 7. *eiusmodi* omittit Lag. 29. — *illum resp.]* Interponitur *se* in edd. princ. usque ad Aldinam et in codd. deterioribus Lagom. VI Oxon.

§. 8. *C. Norb.]* Edd. vett. et codd. Lagom. omnes praeter 45 *Cn.* Primus *C* dedit Lambinus, et sine varietate cognomen hoc est lib. III, 49. — *re rat.]* Oxon. om. *re.* — *ipsi Sic.]* Lag. plerique deteriores Oxon. Leid. Havn. coll. *ipsis Sic.* — *his]* Lag. 42 *is.* — *imminui]* Lag. VII Ox. Huyd. *minui.*

§. 9. *sim acturus]* Lag. 42 *sum act.*

§. 10. *vocata est]* Havn. coll. *est vocata.* — *si qua]* Huyd. et Lagom. VII cum edd. princ. addunt *sic.* In Victor. factum est *hic*, sicut Lagom. 29, et hoc mansit donec Steph. abiecit, neque postea eius rei a quoquam facta est mentio.

§. 11. *Etiam nunc]* Codd. Lag. praeter unum 48 omnes et edd. vett. pleraeque (non Aldina) *etiamnum.* Divisis vocibus primum coeptum est scribi constanter ab repet. Lamb. — *vultis]* Lag. 29 *voltis.* — *id tu]* Stephanus in var. lectt. (non in edit.) et ambo Guelf. *id tum.*

§. 13. *credib. videatur]* Codd. vulgares omnes et edd. vett. ante Steph. *esse* interiiciunt. Post Stephanum nemo revocavit.

§. 14. *servitiorum]* Lag. 29 *servorum.* — *comprehendi]* Havn. coll. *comprendi.*

§. 15. *novum]* Lag. 29 *novissimam.* — *motus servorum]* Stephanus in variet. lect. se edidisse *servitiorum* significat: scripsit vero *servorum.* — *Macrinio]* Lag. 5. 27. Iunt. al. *Macrino.* Huyd. *Matrino.* Item post. — *vir cl.]* Lagom. pauci *clar. vir.*

§. 16. *ecquid]* *et quid* bis Lagom. paene omnes. — *excogitavit cet.]* Haec sic in Lag. 29: *attulit profecto excog. nescio quid.*

§. 17. *iste]* Guelf. 1 *ipse.* — *maxime summu]* Lag. 42 *maxima summaque.* — *ut dico]* omitt. Guelf. 1.

§. 19. *tamenne]* Guelff. *tamen non.* — *si quid est]* Lagom. fere omnes et edd. vett. usque ad Stephanum *si quod est.* — *meo enim iure]* Havn. et Lagom. omnes *meo iure enim* item edd. vett. usque ad Hervag. et Victor. eiusdem anni, in quibus primum rectus verborum ordo.

§. 20. *antea]* Havn. coll. *ante.* — *in culpa fuerit]* Lag. 29 *fuerit in culpa.*

§. 21. *dicet]* Havn. *dicit.* — *Verr. idem]* Lag. 29 *idem Verres.* — *atque obsecr.]* Guelf. 1 solus *et obsecrantem.*

§. 23. *vincula]* Steph. Lamb. Havn. coll. *vincla.*

§. 24. *metum]* omitti voluit Steph. editor (in var. lectt.) cum Havn. collatione. Leid. *Siculis* quoque omittit. — *pecuniosis]* Cod. Reg. *pecuniosissimis.*

§. 25. *retinendum]* Lag. 29 *intelligendum.*

§. 26. *maxime]* Edit. Lamb. repetita *minime* in textu. — *iucundum]* Guelff. *iocundum* ubique.

§. 27. *viderat]* Lag. 29 *videret.* — *minutis maculis]* Interponit Lag. 29 *nimis.* — *audistis]* Deterior codicum familia *audietis.* Primus Hervagius ex aliquo meliore libro, quod statim receptum est a ceteris, *audistis.* — *deinde]* Edd. Steph. et Lambini *dein.* — *deb. arbitr.]* Lag. 29 *arbitr. deb.*

§. 28. *mihi non praeterm. vid.]* Havn. coll. *non praetura mihi praetermitt. vid.* cuius scripturae causa etiam Lamb. in marg. repet. *non praeterm. mihi vid.* voluisse verisimile fit. — *delecta]* Havn. *dilecta.* — *solet]* Guelf. Havn. *solent* mendose.

§. 29. *pulch. Syracusarum loco]* Abest *pulcherrimo* a Pall. Gruteri, Lag. VII Huyd. Oxon. editionibusque ante Naugerium. Tum *siracusanorum* ambo Guelff., *luco* mendose edit. Ascens. et Ald. 1580, item postea bis *lucum*, codex quidem ms. nullus.

§. 30. *homines]* Lag. 29 *omnes*, idem addit *et* post *amicitia.* — *veniebant]* Leid. *conveniebant.* — *ac mul.]* Lambini v. c. et Havn. coll. *et mul.*

§. 32. *defens. tuae]* Guelf. 1 *tuae def.*

§. 33. *omnia istius]* Abest *istius* a Lag. 29. — *commemorabuntur]* Steph. (in var. lect.) et Havn. coll. *commemorantur.* — *multa eius]* Guelf. 1 *multa enim.*

§. 34. *vi et aud. ceperit]* Lag. VI *ceperit vi et aud.* — *ullo munic.]* Lag. VIII Oxon. Huyd. Leid. *illo.*

§. 35. *sed etiam ipsi]* Guelff. *et* pro *etiam.*

§. 38. *tibi creditam]* Accessit *tibi* in Vict. Hervag. ex aliquo meliore libro, nam a vulgaribus codd. abest. — *expergef. te]* Abest *te* ab Havn. coll. Leid. Guelff., ab his etiam *si.* Item a Guelf. 2 *summam.*

§. 40. *loqueretur]* Steph. (in variis lect.) codex regius Graevii, ambo Guelf. mendose *quereretur ut — suceperis.*

§. 41. *sed ad iud.]* Lagom. VIII Huydec. Oxon. edd. vett. ante Hervag. et Victor. interponunt *etiam.*

§. 42 *peric. fuit]* Sic primum Hervagiana et Victoriana. Antea scribebatur e Lagom. VI *fuit periculum.* — *contra bellum praedonum]* Abest *praedonum* a Stephaniana edit. (sed in var. lect.) Leidensi et Havn. coll.

§. 43. *clam dederint pecuniae]* Vulgares codd. (Lag. VIII praeter 42) et edd. veteres usque ad Hervag. et Victor. *pecuniae clam dederint*, Havn. coll. *clam pecuniae dederint.* — *ex ipsorum litteris]* Lag. 29 *ex eorum litt.* — *Veliam]* Lag. VIII Huyd. *Velleam*, Oxon. *Valleam.* Item paulo post. — *et iis]* In Lambiniana omittitur *et* sine auctoritate librorum mss. — *Romam mittere]* Lag. 29 *mittere Romam.* — *Veliam] Velleam* et post *Velleae* Lag. VIII et Huyd. et edd. antiquae ante Aldinam.

§. 45. *criminibus]* Edd. principes, Lag. VII Oxon. Huydec. *iudiciis:* correxit iam Naugerius. — *arcessere]* Lagom. omnes praeter 29 *accersere*, item Havn. coll. (e silentio).

§. 46. *tu tibi]* Lagom. VII edit. Iunt. *ut tibi.* — *oneror. navem]* Sola Iunt. *navim.*

§. 47. *ex quo]* Omittunt *ex* Lag. 29 Huyd. Oxon. edd. vetustae ante Aldinam.

§. 48. *emeris aut quid]* Guelf. 1 *emeris quis.*

§. 50. *cybaea quam Taurom.]* Haec verba a deterioribus codicibus omnibus absunt, sed iam a principibus edd. adiecta. — *ipse praedicas]* Verbum *ipse* adiecerunt primi Hervag. et Victorius; in codd. deterioribus plerisque (Huyd. et VII Lagom.) non invenitur. — *maiest. reip.]* Lag. 29 et Lamb. (e v. c. ut ipse ait in marg.) *mai. pop. Rom.* et postea solus Lambinus pro *populi Rom.* edidit *reip.* — *sociorum]* Sic Hervag. Vict. primi: ante fuit ex illis deterioribus (VII Lag. Huyd. Ox.) *seniorum.* — *arm. atque orn.]* Lag. 29 invertit ordinem verborum. — *hi — ante]* Havn. coll. Guelff. Leid. pro *hi* habent *et*, et *ante* omittunt. — *foederis et]* Lag. VII et editiones vett. *et* omittunt.

§. 52. *ut ne venderent]* Steph. (in var. lect.) Havn. coll. Guelff. omittunt *ne*, pro *ut* Guelf. 1 *aut*, pro *ut ne* Leid. *non.* — *auctore et interprete]* Havn. Guelff. Leid. *auctorem et interpretem*, item Havn. postea *commeatum.*

§. 53. *his dico]* Lag. 29 *is d.* — *Et ut]* Nonnullae veteres edd. *at*

ut. Lambinus in marg. repet. *Atque ut.* Codices nihil tale. — *cum consil.]* Leid. *commodi cons.* Havn. coll. *comodi.*

§. 55. *en foed.]* Lamb. edidit *an.* — *pactores]* Leid. et Havn. coll. *pactiones.* — *antequam]* Leid. Havn. *quam te.* — *debuisset]* Lag. 29 *deberet.*

§. 56. *te adierunt]* Havn. omittit *te.* — *exigis]* Havn. *exegisses.* Lambinus *exegisti.*

§. 57. *numerum consuet.]* Guelf. 1 solus *consuetudinis numerum.*

§. 58. *quae est ista]* Abest *est* a Lagom. VIII Huyd. edd. veteribus ante Aldinam.

§. 59. *cum praeda]* Leid. *propter praedam.* — *cust. que furtorum]* Adiecit Lambinus de coniectura *fuerunt.*

§. 60. *nec solum]* Havn. coll. *nec non solum.*

§. 61. *omnium consuet.]* Lag. 42 *omnem.* — *molestiam]* Sic primum Hervag. Victor. priores cum codd. deterioribus, Lagom. VIII Oxon. Huyd. *cum crimine molestiae.* — *Rec. testimonia civitatum]* Havn. *Rec. testimonium*, nihil praeterea.

§. 62. *commeatum totius aestatis]* Deteriores codd. et edd. usque ad Hervag. *commeatu potius aetatis.* — *atque haec]* Guelf. 1 *at hoc*, idem mox pro *tantoque* habet *tanto*, Havn. coll. *tanto a.* Lambini v. c. *tanto in.*

§. 63. *classis esset]* Edd. ante Lambinum et codd. plerique deteriores, (non Lag. 27. 42) *essent.* — *Caesetius]* Omnes ante Gruterum *Cesecius*, sed —*tius* Lag. 29. 42. — *abduxerunt]* Lag. 27. 29. Regius (Havn.) *adduxerunt.* — *ea novis]* Leid. *illa.* — *plena arg.]* Accessit verbum *plena* in Hervag. Vict., a prioribus et codd. deterioribus Lag. VIII, Huydecoperano abest. — *a classe]* Sic iam Hervagius, sed cum Iuntinus editor 1534 non recepisset, denuo Stephanus e libris melioribus restituit. Priores et deteriores codd. *ex classe.* — *inventa]* Lag. 29 *adinventa.*

§. 64. *advecta]* Guelf. 1 *aducta.* Lag. 29 *adducta.*

§. 65. *tantopere]* Lag. 29. 45 *tanto opere.* — *nomen audissent]* Edd. principes usque ad Aldinam interponunt *cum*, sed nullus codex.

§. 66. *eos te]* Lagom. aliquot deteriores et Oxon. *eosdem.* Iidem et Lag. 29 pro *duci* habent *adduci.*

§. 67. *antea]* Lag. 14. 48 *ante.*

§. 68. *feriri]* Lamb. v. c. et Havn. coll. *ferire.* — *Lautumias]* omnes codd. nostri, neque editionem veterem novi in qua *Latomias* sit, quod scripsit Lambinus. In v. c. esse tradit *lautomias.* — *totum]* Lag. VII *notum.* — *nec cogit.]* Lag. 29 *neque.*

§. 69. *tutissimaeque]* Lag. VII Ox. Huyd. *iustissimaeque* Guelff. *tutissime*, sed etiam *optime.* — *amandat]* Codd. deteriores (Lag. VII Huyd. Oxon.) *commendat*, Havn. et Lag. 29 *amendat.* — *putatis]* Codex Reg. et Leid. *putastis.*

§. 70. *terrestrem archip.]* Lag. 29 interponit *hominem.*

§. 71. *si ut]* Leid. Lag. 29 Havn. *sicut.*

§. 72. *deesset]* Lag. 29. 42 *adesset.* — *quos domum]* Lag. 29 interiicit *iste.* — *quorum ego]* Abest *ego* a Lag. 29. — *cum eum locum]* Guelf. 2 *tum cum locum.*

§. 73. *vict. praeclara]* Lag. 29 *praecl. victoria.* — *arg. ablatum]* Omnes Lagom. praeter 29 *argentum et ablatum.* — *M. Annii]* Guelf. 1 *Antoni*, 2 *Antonii.* Lambinus in marg. repet. *Annei* et postea *Anneius.* Sed altero loco Guelff. *Annius* recte. Est etiam I, 5. V, 60. — *civem Rom.]* Editio Aldina.

§. 74. *si haberes]* Lag. 27. 29 *habebas.*

§. 75. *crimen hoc]* Lambiniana edit. *crim. non*, mendose. — *tandem tibi]* Abest *tibi* a Lag. 29. — *fore putasti in iudicio* cet.] Lagom. VII Oxon. Huydec. et editiones vetustae ante Hervag. et Victorianam *esse putasti iudicium coactum atque efflagitatum eo.* — *producere]* Havn. *produceretur.* Verba *esse potuit hic defensio nulla* desunt in Guelff. Leid. Havn. — *quis praeter]* Abest *quis* a Lambini v. c. et Havn coll.

§. 76. *quoad per M'.]* Edd. vetustae *quo*, Havn. *quod.* Pro *M'.* codices deteriores omnes *M.* — *quisquam omnium]* Haec verba omissa sunt in Havn.

§. 77. *contra populum Rom.]* Havn. *contra remp.* — *currum]* Steph. Lambini v. c. Leid. Havn. *currus.* — *vitae finem]* Lag. 27. 29 *finem vitae.*

§. 79. *quid si aut.]* Guelf. 2 Havn. *quod.* — *felicitate]* Guelf. 1 *facilitate.* — *securi percussus]* Abest *securi* a Lag. 29. Idem pro *illam* habet *illius.* — *praetermisi]* Guelf. 1 *praetermissa sunt.* — *quo hoc]* Guelf. 2 Havn. *quod hoc.* Guelf. 1 *quid hoc.*

§. 80. *aut etiam in tanto]* Vat. *ut etiam in tot.* — *carbaseis]* Havn. et Huydec. *carbasis.* — *in insula]* Havn. omitt. *in.*

§. 81. *exceptione]* excidit in Vat. — *nobiles]* Vat. a pr. m. *nobilissimorum.* — *Pipa]* A. Maius edidit *et Pipa*, addita coniunctione. — *Aeschrionis]* Vat. *Aeserionis*, Guelff. *Aestrionis.* — *cupiditatem]* Vat. Guelff. *cupiditate.*

§. 82. *in acta dies]* In edit. Aldina 1559 interponitur *noctes ac*, putida libidine corrumpendi. Vat. *inactos.* — *itaque]* Vat. *ita ut.* — *tradit.]* Lag. VIII Huyd. *tradidit.* — *ablegato]* Havn. *abolienato.* — *solutiore]* Lagomars. sex e deterioribus *solutiori.*

§. 83. *aut accusem]* Maius edidit *autem aut accusem.* — *dari]* Vat. *dare.* — *a Senatu]* Omittunt *a* VIII Lagom. et Huydec.

§. 84. *nauarchis]* Lagom. VIII Huydec. Oxon. *nauarchus.* — *isto]* Lag. VIII *iste.* — *aequitatis]* abest a Lag. 29. — *referri]* Lag. VIII *referre.* — *ille vir]* Lambiniana edit. sola *vir ille.* Lagom. 27 (et Huyd.) et edd. vetustae usque ad Aldinam *ille noster clarissimus civis.* — *iis claustra]* Guelff. *hiis:* post Havn. Guelf. 2 *his*, Guelf. 1 *hiis.*

§. 86. *speciem]* Lag. VIII Huyd. *specie.*

§. 87. *fame coacti]* Deest *fame* in Lag. VII Huyd. Oxon. et in editis, adiecit primus Naugerius. — *et his]* Havn. *et iis.* — *perpotabat]* Lag. VII *praepotabat.*

§. 88. *propter honorem]* Lag. 29 *amorem.*

§. 89. *instar habere]* Paris. 7775 C. D. Guelf. 1 Lambini v. c. in margine repet. edit. *haberi*, Guelf. 2 *haberunt illos.*

§. 90. *Haluntinorum]* Pariss. tres *halintinorum*, postea pro *Haluntinus* iidem *halentinus.* — *nobilis]* Lag. 29 *nobilissimus.* — *cognostis]* Lag. VII Huyd. *cognoscitis.*

§. 91. *et eiectam]* Lambinus edidit *atque*, sed in vet. cod. abesse coniunctionem notavit.

§. 92. *conflagrabat]* Solus Huydec. *flagrabat.* — *Syracusas]* Edd. vetustae ante Ald. et Lagom. VI Huyd. *Syracusis.*

§. 93. *specula]* Lag. 29 *spelunca.*

§. 94. *Lucebat]* Lag. VIII Huyd. Oxon. *lugebat.* — *excipitur — clamore]* Lagom. VIII Huyd. Oxon. *excipit — clamorem.* Correxit Hervagius ex aliquo meliore. Notabile tamen Vat. quoque cum deterioribus facere. Is postea mendose *quod in odio sui similitudo hominum.* — *est factum]* Vat. *esse factum.* — *sepulcra]* Vat. *sepulcha.*

§. 95. *Qui videlicet]* Codd. Lag. VIII et edd. veteres ante Hervag. *cum videlicet.* Oxon. *qui cum.*

§. 96. *ad illa]* Solus Vat. *ad* omittit. Idem *per os dies.* — *collocarat]* Lag. 29 *collocarit*, 42 *collocavit.* Vat. *conlocarat.* — *in portum dico]* Lag. 29 *inquam.* — *intimam]* Vat. *intumam.* — *est enim]* Abest *enim* a Lag. 14. 29. *mari* sive *a mari* excidit Guelf. 2.

§. 97. *myoparo]* Guelff. *mioparon.* — *crepidines]* Lag. 29 Leid. *crepitudines.* — *te praetorem]* Lag. VIII praeter 42 *praet. te.*

§. 98. *CCC navibus]* Vat. *secentis* sine *navibus.* — *atque superata]* Lag. 27. 29. 48 *ac.* — *Eone]* Vat. tantum *ne:* mox pro *quo* habet *quod.* — *adisset]* Lagom. omnes *adesset.* — *quo in loco]* Vat. *qua in loco.* — *quod qui]* Vat. *quo qui.*

§. 99. *est pervagatus]* Lagom. omnes omittunt *est.* Vat. *At quem immodum vagatus.*

§. 100. *e portu]* Lag. VIII, praeter 42, Huydec. edd. vett. usque ad Victor. omittunt *e*, pro eo Hervag. mendose *se.* — *et palam]* Guelf. 2 *ac*, Guelf. 1 omitt. *et.* — *sciret esse]* Lag. 29 *esse sciret.*

§. 101. *et fuga]* Lag. 29 *ac fuga.*

§. 102. *illis nauarchis]* Havn. *illeis*, Guelff. *ille hiis nauarchis.* — *et in sua]* Steph. Lamb. *ut in sua quisque.* — *advocat]* Lag. VI Oxon. Huyd. *at vocat.* — *sigillatim]* Lagom. omnes praeter 27 et 42 *sigillatim.* — *in tabulas]* Codd. Huyd. Lag. VIII (praeter 42. 45. 48) et Edd. ab Aldina ad Stephan. *tabellas.* Primus Lamb. restituit *tabulas.*

§. 103. *tabulas]* Lag. VIIII et edd. vett. usque ad Victorianam, in qua *tabulas* est et deinde servatum. — *iam iste]* Codd. vulgares et edd. veteres omnes praeter Hervag. *etiam.*

§. 104. *se consequi]* Omittitur *se* in compluribus Lagom.

§. 105. *tot tam]* Vat. *tot totam*, Maius edidit *tot tamque.* — *illud quod]* Vat. *it quod.* — *eiusmodi]* Lag. 29 *istiusmodi.* Lag. 45 *huiusmodi.*

§. 106. *ararit. ipsius]* Lag. 29 *eius.* Vat. *istius.*

§. 108. *atque nomen]* Lag. 29 *ac nomen.* — *a scelere]* Vat. *ab scelere.*

§. 109. *movebant]* Lag. VIII Huyd. Oxon. *moveant.* iidem fere post *commovebat* pro *commonebat.*

§. 111. *Dicit]* Lag. 29 *dixit.* — *audietis]* Guelff. Havn. *audistis.* — *tum non navigarit]* Codd. vulgares et edd. vetustae usque ad Hervag. et Victor. *tum cum navigaret.* — *is tamen in]* Codd. vulgares et edd. vetustae *iste in.*

§. 112. *se facere]* Omittitur *se* in Lag. 29 Havn. coll. item Stephanus in var. lectionis. — *in carc. mater]* Lag. 29 *mater in carcere.* — *acceperit]* Lag. VII Huyd. *acceperat.* — *scriptum reliquit]* Havn. *scriptum est relinquit.* — *impudicissimae]* Guelf. 1 *impudentissimae.*

§. 113. *se fore]* Omittitur *se* in VII Lagom. Huyd. Oxon. — *praeclara: non]* Lag. 29 *non praeclare.* — *sed ab diis]* Codd. vulgares et edd. veteres usque ad Stephanum *sed t u m a diis*, pauci *sed cum.*

§. 114. *arcessit]* Lagom. (praeter 29) Oxon. *accersit.* — *Cervium]* Lag. 29 *precerni iam.* In nonnullis edd. vett. *Servilium*, in aliis nescio scriptis an editis libris apud Lagom. et Leid. Huyd. *Servium.* — *Legatum]* abest a Lag. 29. — *reiectus]* Vat. *relectus.*

§. 115. *maioribus nostris]* Lag. 29 omitt. *nostris.* — *nostri imp.]* Vat. omittit *nostri.* — *suorum furtorum]* Guelff. *suarum fortunarum*, Havn. coll. *suarum furturum.* — *innocentium]* Steph. in var. lect. et Guelff. *innocentum.* — *omnes multumque]* Vat. *omnesque multum.*

§. 116. *sed secum ipse]* Steph. (var. lect.) et Havn. coll. Guelff. *sed cum ipse.* Vat. *secum ipse*, sine *sed.* Huyd. *sed cum.* Ursini vet. lib. *sed cum secum ipse certet.* — *eandem]* Vat. *eam.* — *negat ei]* Lamb. edit. omittit *ei.* — *caveat]* Lag. VIII Huyd. Oxon. et edd. vetustae usque ad Hervag. *caveret.*

§. 117. *humanum est — usitatum est]* Graevius tamquam e Regio cod. dedit (quod falsum est) servavitque Maius. — *prohibentur adire]* Omittitur *prohibentur* in Lag. VIII Huyd. editionibusque vetustis ante Hervag. Iidem et Oxon. post *intro ferre.*

§. 118. *matresque]* Lag. 27 et editio Lambiniana *matres.* — *liberum]* Lag. VII Oxon. *liberorum*, Huyd. *miserorum.* — *ut filiorum suorum]* Lag. 29 *uti suorum filiorum.* — *excipere]* Lag. 29 *sumere.* —

terrorque] Lag. VI praeter 27 Oxon. Huyd. *terroresque.* — *ut adeas]* Lag. VI *ait adeas.* Huyd. *aut adeas.*

§. 119. *mors sit extremo]* Guelf. 1 *mori extremo non erat*, item Guelf. 2 nisi quod *erit* habet. — *progredi crudelitas]* Lag. VIII praeter 42 et Havn. *crud. progredi.*

§. 120. *quin audierit]* Codd. vulgares et edd. vett. usque ad Stephanum *qui non audierit*, quamvis sequatur *quin sciat.* Restituit veteres sordes Gruterus, expurgarunt denuo Graevius et Ernestius. — *e carcere]* Vat. *in carcere.*

§. 121. *ferreus]* Maius edidit *durus* nec annotavit de codice. Puto vitium intercedere. — *et flagit.]* Guelf. 1 *ac flag.* Idem *innocentum.* — *eluere]* Oxon. Huyd. Lagom. VIII praeter 42 et 45 edd. vett. usque ad Hervag. *luere.* Iidem codices verba *praeceps amentia ferebare* omittunt. — *eorum]* abest ab Oxon. Huyd. Lag. VII edd. ante Hervag., item ab iisdem absunt verba *neque illis.* — *neque tibi* et *ex* absunt a Lag. 29. — Vat. *neque illis neque tibi* habet. — *vivunt]* Lag. VIII Oxon. Huyd. *veniunt.* — *et adsunt]* Vat. omittit *et.*

§. 122. *Phylarchus]* Vulgo *Philarchus*, sed Grut. et Ernestius mendose *Philargus.* Lag. VIII *Philiarchus*, 29 *Phylarchus*, Lambinus *Phararchus.* Statim Vat. *alintinus*, et *oppressis.* Pro *missione* idem *ussione.*

§. 123. *laboribus]* Lag. 29 *liberis.* Vat. *laboris.* Tum Vat. *spes nostri imp. nostraeque aetatis* mendose, sed *etatis* etiam Guelff.

§. 124. *Cum mihi]* Stephanus *mihi* omitti voluit, fortasse secundum cod. suum, sed nostri adversantur. — *multum vero]* Abest *vero* a Guelff.

§. 125. *Carthaginem]* Lag. 42 *Carthaginienses.* — *duxit]* Vat. *adduxit.* — *Vobiscum]* Ambo Guelf. *et nobiscum.* — *verbis, sed]* Guelff. *verbis sunt. sed* nota bis expressa. — *comprobata]* Vat. *commemorata.* — *istius]* omittunt Lag. VII et edd. vetustae ante Hervagianam. — *carnifici Sextio]* Codd. plerique omnes *carnificis exitio.* Correxit primus Naugerius in Aldina.

§. 126. *ac vindices]* Absunt haec verba a deterioribus mss. et edd. Aldina antiquioribus: illi etiam *dicit* pro *dicet.* — *repetendis]* Vat. Guelf. 1 *repetundis.* — *pop. Rom.]* omitt. Vat. — *pervenire]* Vat. *pervenisse* tuetur. — *eo magis]* Vat. edit. *eo* omittit. — *videatur]* mendose *videamur.*

§. 127. *videatis. Sed]* Codd. vulgares et edd. vetustae usque ad Hervag. et Victorianam *videtis, si.* — *et negligunt]* Lag. 29 omitt. *et.* — *non repetunt]* Lag. VIII Oxon. Huyd. et edd. vett. ante Hervag. Vict. *non petunt.*

§. 128. *aspicite]* alterum abest a Vat. Lag. VIII Oxon. Huyd. — *Sthenius hic]* Praemittitur in vulgaribus codd. omnibus et editis ante Stephanum *Est.* — *domo]* Havn. coll. *domis.* — *abs te]* Vat. *a te.* — *enim tua]* Vat. *enim a tua*, et omittit *et* ante *scelere.* — *vult ali-*

quod] Abest *aliquod* ab codd. vulgaribus, Oxon. Huyd. Lagomarsinianis omnibus, et edd. vetustis, etiam Victoriana. Sed Hervagius habet, et P. Manutius et post reliqui. — *tam grandis]* Sic Stephanus primus in textu, et mox omnes. Codd. vulgares *iam.* — *hoc tantum]* Vat. *hic tantum.* — *videret]* Vat. *viderent.*

§. 129. *si per L.]* Guelf. 1 *sibi praetorem L.* Guelf. 2 et Havn. coll. *sibi p̄r.* — *Heraclium]* Vat. *Heracleam.* — *hoc idem]* Lamb. v. c. et Havn. coll. *hoc itidem.* — *utrorumque]* Steph. Guelff. Vat. Havn. *utrumque.* — *requirebat]* Lagom. VIII et edd. vetustae *requirebant.*

§. 130. *ne falsa]* In editis ante Stephanum et in codd. deterioribus adiicitur in principio *sed.* Vat. *accessit sed ne.* — *denique etiam]* Abest *etiam* a Lagom, 5. 27. 42 Huyd. — *severitatem]* Vat. *veritatem.* Lag. VIII et Oxon. et edd. vetustae usque ad Hervag. Victorianam *virtutem*, Huyd. *sapientiam et virtutem* insuper addit. — *petiverunt factum]* Vat. interponit *satis.*

§. 131. *praetermittat]* Vat. *praetermittam.* — *multi]* Guelff., Cuiacianus Gulielmii, Havn. mendose *multa.* — *offenderint]* Vat. *defenderint.* — *tibi obiicio]* Lag. 29 omittit *tibi.* — *commode]* Havn. ambo Guelf. *incommode.* — *perpetuo sociis atque]* Vat. *perpetuum sociumque* et mox verba *te illo* usque ad *obiicere videor* in eo codice exciderunt.

§. 132. *exprobrare]* Guelff. Lag. 29 *exprobare.* — *Hi]* Manut. Steph. Lamb. *ii*, Havn. *hii*, — *fortunae]* Guelf. 1 *fortunis.* Guelf. 2 et Havn. *fortunas.* — *tuae]* Sic primum Lambiniana. Antea *tua* ex deterioribus. Vat. *istius calamitates quidem tuae.* — *non in conviviis]* Guelf. 1 omittit *in.* idem *innocentum.* — *possumus dicere]* Vat. *possimus dicere.* Idem mox *tibi* omittit.

§. 133. *vertitur]* Havn. Guelff. *vertetur.* Leid. *verteretur.* — *ex re mil.]* Vat. *in re mil.* — *severe]* Lag. VII Huyd. Oxon. *vere.* Ex editis sustulit Hervagius. — *Hoc Amestr.* rel.] In edit. Vaticana lectio Graeviana repetitur *hoc Herbitenses, hoc Amestratini, hoc Ennenses, Agyrinenses, Tyndaritani publice.* — *in terram esse egressum]* Sic primus Hervagius ex aliquo meliore, priores et Victorius quoque (nisi quod hic *terram* habet) *in terra esse proiectum. Terra* VI Lag., *proiectum* omnes et Oxon., Huydec. *progressum.* — *instruct. ornatarumque navium]* Lag. VII et edd. ante Hervagianam *instr. navium ornatarumque.* Vat. omittit *ornatarumque.* — *possint]* Lag. 29 et Havn. *possent.*

§. 134. *attribuenda]* Guelff. *attributa.* — *fuerint]* Guelf. 1 *fuerunt.* — *etiam in ipso]* Guelff. *etiam et in ipso*, Leid. *etiam et ipso in*, Vat. *est iam in illo.* — *constitui]* Guelff. *constituisse.*

§. 135. *voles]* Guelf. 1 *velles.* — *haec dicito]* Lag. 29 et edd. vetustae *hoc.* — *Siciliam totam]* Abest *totam* a Vat.

§. 136. *est paternus]* Lag. VII Huyd. *et paternus.* — *archipira-*

tam] Guelf. 2 *piratam.* — *qui cives Rom.]* Edd. veteres etiam Victoriana *cives Rom. qui.* Mutavit Hervagius libros mss. secutus. — *abducere]* Guelff. mendose *adducere*, sic etiam repetitio Lambiniana, unde in Gruterianam venit. — *domo]* abest a Lag. 29.

§. 137. *Syracusano]* Guelf. 1 *Syracusio.* — *Sicilia]* primus Stephanus dedit: deteriores codd. *Siciliae.* — *a praedonibus]* Absunt haec verba a Lagom. VII Oxon. Huyd. adiecta a Victorio et Stephano et deinde reliquis, non ab Hervag. et P. Manutio.

§. 138. *ac taciturnitate]* Lambiniana *atque.*

§. 139. *causa, iudices]* Omittitur *iudices* in edd. Steph. et Lambini fortasse typographorum errore, nam codicem nullum video auctorem fieri. Leid. tamen *causa nostra.* — *non iam]* Lambini v. c. in margine *iam non.* — *innata]* Guelff. *ita*, Havn coll. *inta.* — *dubitaret]* Guelff. Havn. *dubitares.*

§. 140. *ad corpora]* Havn. *in ad corpora.* — *negare Verres]* Havn. *gerere.* In Guelf. 1 inter media verba tractus est litterarum hic ꝫ. — *Panhormitano]* Havn. coll. *Panhormitanorum.* — *ad terram]* Leid. Guelff. *a terra*, Havn. *atterra.* — *in Sicilia]* Havn. *in Siciliam.* — *tuis]* abest a Guelf. 1.

§. 141. *atque nequitia]* Lag. 29 *ac nequitia.* — *ne iniquis]* Guelff. Havn. mendose *de.*

§. 142. *nocturna vota]* Notatur a Lagom. VII abesse *nocturna*, item ab Huyd. et Oxon. abesse *vota.* In alterutra notatione errorem suspicor versari.

§. 143. *civium Rom.]* Hervagius primus (non Victor.) adiecit *civium*, quod deest in Lagom. omnibus, Oxon. Huyd. — *priore]* Lag. 29 *priori.* — *Statuitis]* Sic iam Naugerius. Deteriores omnes et edd. principes *statuistis.* Guelff. Leid. *sciatis*, Stephanus in varietate lectionis *scitis*, Havn. *statis*, supra lineam *sciatis.* — *et dignitatis]* Absunt haec verba a Lag. VI et Oxon. Huydec. Adiecit item Naugerius in Aldina.

§. 144. *intuetur]* Lag. 29 *tuetur.* — *species ipsa]* Lag. 29 omittit *ipsa.* — *contionis]* Leid. Havn. *contentionis.*

§. 145. *sinus]* Guelf. 2 Havn. *sensus.* — *promontoria]* Lamb. vet. cod. et Havn. coll. et Lag. 29 *promuntoria.* — *ut eos]* Abest *eos* a Lag. VII Huyd. edd. vetustis ante Hervag. — *interficere]* Lambinus de coniectura edidit *intercipere.*

§. 146. *hoc etiam iste]* Guelf. 1 *et iste etiam.* — *periculum proferebant]* Guelf. 1 interponit *pecuniam.* — *mercibus]* Guelff. Leid. Havn. *mercedibus.* — *quibus ex locis]* Omittitur *ex* in Lagom. VIII Oxon. Huyd. editionibus veteribus ante Hervag. — *abduci]* Lag. 29 Havn. et edd. principes *adduci.*

§. 147. *Suctium]* Havn. *Suettium*, aliquot Lagom. *Succcium*, *Suectium*, *Senecium.* — *ut iam]* Lag. 29 *aut etiam.*

tulit] Lag. 42 *attulit.* — *augere]* Lag. VIII praeter 42 *agere.*

§. 148. *vestig. quibus]* Inserunt Lagom. omnes et Huyd. Oxon. *prius*, quod puto nihil aliud esse nisi *quibus.* — *extat]* Lag. VII et Ox. *erat.*

§. 149. *inultam]* Guelff. *invictam.* — *ferendum]* Lag. VIII *ferundum.* — *mancipiis]* Regius, Leid. Guelff. *magnis* mendose.

§. 150. *nominis Rom.]* Lag. 29 *populi.*

§. 151. *ac ratione]* Lag. 29 *atque ratione.*

§. 152. *et animo aequo videmus]* absunt ab Havn. coll. et Steph. in edit. omitti voluit. — *civilis]* Guelf. 1 Leid. Havn. coll. Steph. in var. lect. *civitatis*, Guelf. 2 *civitas.* — *non est iste]* Guelf. 1 *non iste est.* — *reliquos saltem]* Guelff. *relinquo salutem* mendose, Lag. 29 *saltem reliquos* mutato verborum ordine. Idem *conserv. licet.* — *suscepit]* Guelf. 1 *susceperit.* — *iis omnibus]* Lagom. multi *his*, Havn. coll. et Lag. 29 *his hominibus.*

§. 154. *Hic vide]* Guelf. 2 et Leid. *hoc* (cf. Beck.) — *P. Granium]* Edd. ante Hervag. et codd. vulgares *P.* omittunt. — *reperiri]* Lag. 29 *reperire.*

§. 155. *quinam]* Lag. 29 *quisnam.* — *is quem]* Lag. 29 omitt. *is.* Idem verbum *centum.* — *argentariam Lepti]* Havn. coll. *argentarimalefici*, Guelff. Leid. *argumentari maleficii.* Qui alias deteriores iure censentur, hic sunt emendatiores.

§. 156. *An te]* Abest *te* a Guelff. — *M. Annii]* Lag. 29 Guelff. *M. Anni.* — *qui omnibus]* Havn. coll. *quibus*, nihil aliud, sed Guelff. Leid. Lambini v. c. omittunt prorsus.

§. 157. *peric. subeunda]* Lag. 29 *subeunda pericula.* — *usque ex ultima]* *Usque* abest ab edd. Hervagiana et Victor. prioribus et mss. vulgaribus.

§. 158. *in dicendo]* Gruteriana, Graeviana *dicenda* errore typogr. — *eiusmodi est]* Havn. coll. Guelf. 1 *eiusm. sit*, Guelf. 2 om. *est.* — *credibile fore]* Guelf. 1 *fore credibile.*

§. 159. *neque hoc providerim]* Abest *hoc* a Lag. 29.

§. 160. *qui tam prope]* Lag. VI et Huyd. *quod.* Iidem pro *illo metu* habent *illorum metu.* — *revixisset]* Guelff. *refrixisset.* — *recta]* Guelf. 1 *rectum.* — *apud ipsum]* Lag. 29 *istum.* Post *flagitiorum* aliquot Lagomarsiniani et Huyd. addunt *et.* — *Itaque]* Lag. 29 *Atque.* — *navem]* Lambini v. c. *navim.* — *quod vid.]* Guelf. 1 *quid.*

§. 161. *et furore]* Lag. 29 *ac fur.* — *proripi atque]* Guelf. 1 *eripiat*, 2 *eripi ac: ac* etiam Lag. 29.

§. 162 *perfecit]* Huyd. et Lag. VIII praeter 42 *profecit.* Correxit Naugerius. Iidem libri et *que* post *usurparet* ignorant, et repetitum *crux.*

§. 163. *in crucem tu]* Lag. 29 *tuam.* — *eas poenas]* omitt. Lag. 27. 29.

§. 164. *ac necessarios]* Lagom. deteriores *atque.* — *illum P. Gavium]* Lag. 42 *istum.* — *tu]* omittitur in Lag. 29.

§. 165. *me esse]* Lag. 29 *esse me.* — *quid ceteri]* Lagom. plerique omnes *quid enim ceteri*, item edd. vetustae, Iunt. Aldina. — *posset]* Lag. 29 *possit* idem *tento* pro *teneo.*

§. 167. *adeunt]* In Lambiniana non legitur verbum, fortasse excidit errore typographorum; in marg. repet. *adeuntque*, Gellium I, 7, qualis tunc fuit, secutus. — *nunquam antea]* Lag. 29 *ante.* Idem non habet *semper.* — *fore se tutos]* Lag. 29 *se* non habet.

§. 168. *L. Pretium]* Lag. VI et Oxon. *recium*, Lag. 48 *retium.* Mox Lag. VI *Retium*, 42 *recium.* — *notus esset]* Lag. 29. *notus sit.*

§. 169. *tu Gavio tum]* Lagom. aliquot *tum Gavio tu.* — *illa crux]* Lambinus solus edidit *crux illa.*

§. 170. *tam nefaria]* Lag. 29 omitt. *tam.* — *elegit]* Lag. 29 *eligit.*

§. 171. *aliquos]* Edd. principes *reliquos*, iidem *romanum nomen.* — *et ad scop.]* Guelf. 2 omittit *ad.*

§. 172. *adsunt]* Lag. VII (praeter 48) et Oxon. Huyd. *absunt.* Verba *vestram severitatem desiderant* absunt a Guelf. ambobus, mendose.

§. 173. *habent]* Lag. 29 *haberent.* — *tamen si]* Guelf. 1 *et si*, 2 *tam etsi.* — *eripuerit]* Havn. coll. *eripuit.*

§. 174. *nolo in hoc]* Codd. Lagom. omnes et edd. Aldina Victor. al. *nolo hoc in hoc*, abiecit P. Manutius. Tum *flagitii* Lagom. 29 et Stephanus in variet. lect. — *si qui]* Guelf. 1 *si quis.* — *et consideres]* Guelf. 1 omitt. *et.* — *quo progrediare]* Havn. Guelf. 1 *pro quo progrediare.* — *iudicium quae ad iudicium]* Guelff. omittunt prius *iudicium*, Havn. coll. verba *quae ad iudicium.* — *et illa]* Gruterus in Cuiac. codice esse tradit *desistas ista sed et illa*, unde Graevius saltem *sed* addidit ad vulg.

§. 175. *liberatum]* Huyd. Oxon. Lag. VI praeter 45 *deliberatum.* — *ornam. ista]* Lag. 29 *ista ornamenta.* — *nondum]* Lag. 29 *non.* — *nostrum]* Lag. VII Huyd. *vestrum.*

§. 176. *si quis tantulum]* Lag. 29 *si quid quantulum*, Havn. coll. *si qui.* — *consequetur]* Havn. *consequitur.* — *excusat.]* Lag. VII Huyd. Oxon. *accusationibus.*

§. 177. *vere ut dicam]* Guelff. *vere ut ita dicam.* — *provid. est]* Lag. aliquot deteriores et Huyd. omittunt *est.* Guelf. 1 *At quo tempore provid. est etenim* mendose. — *cum omnibus]* Lag. VII Huyd. *tum.* Iidem etiam post *tum pop. Rom.*

§. 178. *adversetur]* Graevius et Ernestius e bonis libris emendatius scripserunt pro vulg. *adversaretur:* sed antea iam Stephanus (et P. Manutius 1559) et Lambinus. Gruterus tamen ex repetita Lambiniana veteres sordes restituit. — *antea iudiciis—putavit]* Havn. *ante —putaret*, Steph. *iudicis—putare.*

§. 179. *onus]* Guelff. *unus.* — *non agitanda]* Guelf. 1 *non erit agit. res, non in iudicium proferenda.* — *omnes]* Guelff. *homines.* —

obstrinxerint] Guelff. et Havn. *obtrinxerunt* vitiose. Guelf. 2 *paterentur aut iudicium vocandi* omissis mediis.

§. 180. *idem]* Lag. VI *idem*, 29 et Huyd. *ita.* — *quod iis]* Guelff. *hiis*, Havn. *his.* — *omnia p. R. beneficia]* Guelf. 2 *omnia beneficia p. r.* — *deferuntur]* Havn. *deferentur.* — *laboribus usque]* Havn. *laboribus suisque.* Etiam Stephanus in var. lect. *laboribus suis.*

§. 181. *contendere]* Edd. principes ante Aldinam *contendentes.* — *et per negl.]* Edd. ante Hervagianam et codd. Lagom. omnes cum Huyd. *ac negligentiam.* — *est nostrae rationis]* Lag. 29 (sine *est) nostrae rationis*, hoc item P. Manutius in ed. 1559 et Huyd. — *horum nos hominum]* Guelf. 1 *horum hom. nos.* — *sectam]* Lag. VI *secta*, 42 *sectas.*

§. 182. *quasi]* Steph. *qui si in*, Havn. coll. *quisin.* — *disiuncti sint]* Lag. omnes praeter 42 *sunt.* Sed *diiuncti* Lag. 29 et Havn. coll.

§. 183. *maxime]* Lag. omnes, Oxon. Huyd. et edd. veteres ante Hervagianam et Victor. *maximo.* — *disceptante]* Guelff. et Regius *disceptandi* mendose. — *cognorunt]* Guelf. 1 *cognoverunt.*

§. 184. *te Iupp.]* Edd. principes ante Aldinam interponunt *D*, codd. nulli praeter Lag. 5 Huyd. — *et antiq.]* Guelf. 1 *atque antiquissima.* — *abstulit]* Lag. VII Huyd. Oxon. *sustulit.*

§. 185. *Pergae]* Lagom. aliquot et Oxon. Huyd. *Pergamae*, Lag. 42 *Pergami iterum.* Oxon. Huyd. Lag. omnes praeter 42 *item.* — *in gymnasio]* Lag. VII et Huyd. omittunt *in.* — *ac praesidem]* Sic primus Gruterus, sed recte, voluitque Lamb. in marg. repetitae. Ante *et.*

§. 186. *non ad]* Abest *non* in Havn. coll. et Steph. varietate lect. — *faciendum]* Havn. *faciundum.*

§. 187. *non modo]* Guelf. 1 *nullo modo.* — *sustulerit]* Lag. VI Huyd. Oxon. *sustulit* frequentissimo vitio. Iidem et Lag. 29 et olim editi omnes ante Manutianum a. 1540 post *factam* addunt *esse.*

§. 188. *tradita est]* Edd. ante Hervag. et codd. Lagom. VII Oxon. Huyd. *credita.* Iidem omittunt *a* ante *quibus*, et *que* addunt ad *ceteros.* — *numinis]* Steph. Havn. Leid. Guelf. 2 *nominis.* Verba *in hoc reo atque* et mox *mea* omittuntur in Lag. VII Huyd. Oxon., sunt tamen in editis. — *indictum ut]* Lambinus in marg. repet. edit. iniici voluit *primum.* — *nullam]* Vitiose repetita Lambiniana et inde Gruterus cum reliquis usque ad Ernestium, qui correxit *ullam.* — *elaborarunt]* Verbum compositum (quamquam Havn. coll. et Guelf. 1 mendose *elaborabunt*, Guelf. 2 *elaboraverunt)* est in optimis et post Stephanum in editis. Deteriores mss. et edd. vetustiores *laborarunt.*

§. 189. *defendere]* Lambini v. c. Leid. *laudare*, Havn. coll. *defere* aut *dere.*

INDEX

RERUM ET VERBORUM IN ANNOTATIONE EXPLICATORUM.

A.

B.

C.

I.

K.

L.

M.

N.

O.

P.

Q.

R.

U. V.

Y.

Z.

BEROLINI TYPIS TROWITSCHII ET FILII.

